

Alonv. de S. Juan de los Capuchinos de gran. N. 13747

**DIVI CYRILLI AR-
CHIEPISCOPI ALEXANDRINI OPE-**

**rum omnium, quibus hunc præter alia complura noua,
recens accessere vnde decim Libri in Genesim,
nunquam antea in lucem æditi,**

TOMVS PRIMVS

*Omnia iam summo tum studio, tum labore integritati suæ resti-
tuta, et a mendis, quibus conspurcata erant, repurgata.*



*Noticia de la compra
de este libro
de la biblioteca
de S. Juan de los Capuchinos
de gran. N. 13747*

*Libro de S. Juan de los Capuchinos
de gran. N. 13747
169*

*Coloniae ex officina Melchioris Noustiani, Anno
M. D. XLVI. Mense Aprili.*

*Conforme al expurgacion del año de 1640 no tiene nada
que expurgar este libro*



Alonso de Juan Bapt. de los Capuchinos de gran. N. 13747

DIVI CYRILLI AR-

CHIEPISCOPI ALEXANDRINI OPE-

rum omnium, quibus nunc præter alia complura noua,
recens accessere vndecim Libri in Genesim,
nunquam antea in lucem æditi,

TOMVS PRIMVS

*Omnia iam summo tum studio, tum labore integritati suæ resti-
tuta, & a mendis, quibus conspurcata erant, repurgata.*

Libreria Universitaria
GR. 13747
569



*Noticia de la purgacion
de este libro
de la Real Academia
de la Lengua
1714*

*Coloniae ex officina Melchioris Noustiani, Anno
M. D. XLVI. Mense Aprili.*

*Conforme al expurgatorio del año de 1640 no tiene nada
que expurgar este libro.*



OPERM D. CYRILLI, QVI
 primo hoc Tomo continentur, quicq̃ ea potissimum complectuntur, quæ in sacras literas ædedit, Catalogus.

In Genesim	Lib. XI.
In Leuiticum	Lib. XVI.
In Euangelium Ioannis	Lib. XII.

Gennadius in Catalogo illustrium virorum.

Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, ædedit variarum ὑποθέσεων tractatus, homilias etiam composuit plurimas, quæ ad declamandum a Græciæ Episcopis memoriæ commendantur. Præterea libri eius sunt de synagogæ defectu, de fide aduersum hæreticos, & peculiari intentione aduersus Nestorium compositus, qui intitulatur ἑλεγχος. In quo omnia Nestorij occulta panduntur, & prodita confutantur.

REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI AC DOMINO D.


Sebastiano Archiepiscopo Moguntinensi, sacri Imp. Rom.

per Germaniam Archicancellario, Principi Electori,

&c. Domino suo colendiss. Petrus Canisius

Nouiomagus gratiam & pacem in

Christo perpetuam.



Prodit in lucem omni luce clarior CYRILLVS, & quidē faustissimis tuis auspicijs

prodit Antistes Reuerēdiss. scilicet, vt Archiepiscopū velut postliminio reuersum Archiepiscopus excipiat, foueat, defendat ac seruet. Poterat sane vir Apostolicus, qui nūc venit in tuos cōplexus, vel in media perfidorum hostium acie tutus incedere: poterat se, nomenque suum sine patrono, sine vindice tueri, ne prorsus alieno niti præsidio videretur. Fit tamen, nescio quo pacto, præ-

sertim hac ætate nostra, vt quamuis per se fulgeat vel autoris dignitas, vel operis maiestas, alicunde viri præcellentes adhibeantur: qui, qua pollent autoritate, simul & fide prudentiaq̃, sibi dedicatos libros tum illustrare, tum propugnare non minus velint, quam possint. Hoc igitur iure, quia D. CYRILLO deligendus erat patronus, tu cum primis occurristi, tantæ autoritatis vir, quantæ vix vllus apud Germanos alius, quum sis vere illis Archicancellarius: eius fidei, qua plurimi non antiquiorē in Archiepiscopo desiderarent, non spectatiorem in Electore acciperent: deniq̃ tam exacti iudicij, & (quod in Germania prodigio simile videtur) tam singularis doctrinæ princeps, vt in hoc exulceratissimo seculo magna quædam spes habeat animos bonorum omnium, fore vt discussis tempestatibus, per tuam amplitudinem serenitas nobis, & tranquillitas Ecclesiæ restituantur. Ad eam rem apte conficiundā, quodam CYRILLO nimirum opus est, vt qui reuera sit κύριος. Nam ita Græci masculinum vocāt halcyonem,

* * auem

EPISTOLA

auem certe non parum auspiciatam, & lætis effectibus illustrem, eo quod
 ouis positus, hyeme licet, ex turbulento mari placidum, ex intractabili red
 dar nauigabile. Cadunt omnes ventorum procellæ, flatus aurarum quie
 scunt, ac placidum ventis stat mare, donec oua fouet halcyone sua: quo ma
 gis repentinæ placiditatis solennitate, auis huius eluceret gratia. Sed mi
 rum profecto, si mare sternitur halcyonum foeturæ, cur nõ & hi tanti, tam
 que diuturni, & semper in peius gliscentes motus, qui Germanicum or
 bem concutiunt, & extremæ calamitatis diluuium portendunt, quur, in
 quam, non humana tandem cõponantur industria, & præsertim illorum
 vigilantia, quos a speculandi & custodiendi munere Episcopos appella
 mus. Hi nimirum Ecclesiæ Christianæ vindices, hi communis salutis cu
 stodes, afflictæ Reip. subsidia, & sicut Apostolorum successores, ita Chri
 stiani nominis conseruatores. His nulla proinde laus dignior, nullum pe
 culiare magis officium, quam Christianum orbem religionis concordia
 deuincire, dissensionum studia sustollere, nefaria foedera & consilia hære
 ticorum dissipare, disciplinam Ecclesiasticam instaurare & augere, po
 stremo dissentientes omnes voluntates, & disciplinas multiplices, in vni
 us fidei & religionis puritate pro viribus vnire. Quales profecto si habe
 remus Episcopos, vti priscorum ætas habuit Athanasios, Ambrosios &
 Cyrillos, in læram facile certamq; spem veniremus, fore vt Resp. Germa
 nica maximis turbinibus & fluctibus hætenus agitata, mutatis rerum vi
 cibus, salua & integra velut in portu collocaretur. Audiet, mihi crede, po
 pulus veri Pastoris vocem, nec audiet tantū, sed prompte sequetur Chri
 sti vestigijs præeuntem: sequentur & Principes, quos ad exemplum Epi
 scoporum videas breui Constantinos ac Theodosios nobis referre, nula
 vero ex parte Constantijs atq; Iulianis amplius respondere. Quinetia
 am improbissimi quicq; non grauatim agnoscent in Episcopis Aposto
 licam potestatem, tantum si senserint Apostolicam imprimis pietatem.
 Quid igitur? nullusne CYRILLO similis exoritur, vt qui non minus o
 ptimus integritate, quam maximus autoritate, miserandum hunc Germa
 niæ tumultum vertat in amabilem fidei concordiam, & concordem ani
 morum æquabilitatem? In rebus tam afflictis ne desperemus, plane iu
 uat recreatq; nos tui memoria Reuerendiss. Pater, quem ad istud nouæ
 dignitatis fastigium non ambitio, sed virtus, non fauor humanus, sed pro
 pitij numinis voluntas euexit, vt esset, cuius prudentia, ingenio & autorita
 te, iamdiu concussus Germaniæ status tandem recrearetur atq; confir
 maretur. Pollicentur hoc nobis, quum aliæ res permultæ, tum eruditio
 tua non vulgaris, deinde morum integritas, Ecclesiæ vindicandæ pro
 pensus amor, hæc sincerae fidei tuæ constantia, reformandi tuos ingens
 studium, & summus cum Carolo Cæsare consensus, cuius autoritas ac
 potentia hoc præstabit, vt possis etiam efficere, multis licet repugnantia
 bus, quod optimum esse iudicabis, Equidem laudes virtutum tuarum ce
 lebra

NUNCUPATORIA.

A lebrare nõ statui, quæ vt veræ essent, prædicatas modestia tua credo non
 agnosceret neq; comprobaret. Verum quæ nostra debet esse gratitudo,
 læti gratulamur Celsitudini tuæ dignitatē istam, cuius apud Germanos
 prima est autoritas: gratulamur patriæ atq; etiam dioecesi, cui nunc talem
 habere contigit Antistitem: gratulamur vtilitati publicæ, vel diuinæ bo
 nitati gratamur potius, quæ Moguntinis ac nobis omnibus amplitudinē
 tuam in isto fastigio hac tempestate collocarit. Ac eo iustius (vt mea fert
 sententia) nouū hoc opus Archiepiscopi, nouo Archiepiscopo, sanctum
 ac Theologicum opus, insigni Theologo Antisti dedicari promerebatur.
 Habes igitur dignissime vir, idemque colendissime Pater, habes conati
 bus tuis respondentem pulcherrime D. CYRILLVM. Qui summus o
 lim Alexandria Patriarcha (nunc Archiepiscopum vocant) nihil sibi la
 xamenti a curis, nihil ocij a laboribus, nihil cessationis a periculis indulsit,
 quo minus autoritate, exemplo, scripto, verbo gregem suum in Ecclesiæ
 consortio seruaret, seditiosa dogmata reprimeret, clementia mitigaret, or
 bemq; Christianū æuo suo multis quoq; calamitatibus oppressum & pe
 riculis cinctum, consilij celeritate explicaret, ac desperatis pene tum rebus
 Ecclesiæ subitum auxilium adferret. Quippe regnabant eo seculo varia
 hæresiarum portenta, & salutiferam Euangelicæ doctrinæ segetem
 vitiabāt inspersa zizania Eunomij, Ariij, Pauli Samosatani, Nestorij, Apol
 linaris, Macedonij. Aduersus quæ monstra totis viribus & artibus insur
 git Christi pugil, vt hostes Ecclesiæ gladio spiritus cõfodiat iuguletq;. Tot
 libris, quorum adhuc multi desiderantur, tanto studio, tantoq; molimine,
 tot argumentis, tot sententijs, tot anathematis cogit, vt credamus filium &
 spiritum sanctum esse verum Deum, eiusdem essentia, seu (vt aliquoties
 loquitur Hilarius) eiusdem generis aut naturæ cum patre, quod Greci vo
 cant *ὁμοσίον*, potentia, sapiētia, bonitate, eternitate, cæterisq; rebus omnibus
 parem. Nestorius vero (contra quem illi præcipuū certamen instituitur)
 dum in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit impie
 personas, & inaudito scelere duos vult esse filios Dei, duos Christos, vnū
 Deum, alterum hominem: vnum qui ex patre, alterum qui sit generatus
 ex matre. Quo fit, vt sacrosanctam & incomparabilem virginem Mari
 am, non *θεότοκον* adferat, sed *χριστότοκον* esse nuncupandam, quod ex ea non il
 le Christus qui Deus, sed qui homo erat, natus videretur. Nec sane, quin
 & in similes & multo perniciosiores hæreses paulatim illi relapsuri sint,
 qui nihil nisi scripturis diffinitum recipiunt probantue. Sic enim pondus
 & fidem Ecclesiæ cum semel detraxerint, ideo sibi cūcta licere putāt, quod
 scripturas interpretandi & explanandi munus vendicent sibi, nec vlla san
 ctorum patrum autoritate vel scriptis refelli velint. Ad CYRILLVM
 meum redeo. Quur enim non meum appellem, quem absterfo, quantum
 licuit, situ, luci restituimus, & integris libris recēs inuentis auximus & ex
 ornauimus? Nam qui nunc prodeunt in Genesim Cõmentarij, nusquam

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

reperiuntur. Nec tamē sine animi moerore fatebor, mutilos esse CYRILLI libros, tam in Genesim q̄ Euangelium Ioannis. Commentarij porro in Leuiticum XVI. libris digesti, quum antea Origenis haberentur (scatent em̄ Origenicis allegorijs) nuper autorem suum CYRILLVM apud Parasinos agnoscere cœperunt. Nec esse vanam eam cōiecturam, intelligere licet ex Dialogis huius auctoris, vbi agit de adoratione in spiritu. Enarrationē Leuitici sequuntur in Euangelium Ioānis hypomnema, siue Cōmentariorum libri XII. in quibus peculiariter aciem stili sui defigit in Ebionitas, Sabelliones, Arianos, Eunomianos, Macedonianos, Nestorianos. Interierunt autem quatuor intermedij, pro quibus addidit interpretationē suam Iudocus ille Clichtoueus, insignis Parisiensium Theologus. Videtur certe potissimum sequutus Chrysostomi & Augustini sententias, ideoq; nihil ex Clichtoueo prætermisimus. Et quia secundo tomo præfationem aliam reseruamus, nūc nihil dicā de Synodicis cōstitutionibus, de Apologético, de Epistolis & Scholijs D. CYRILLI: q̄ omnia primū hisce operibus per nos accessere. Alius forte (quod ex animo velim) plura nobis pro suo candore proferet, ac etiam ex Græcorum fontibus ea, quæ nos damus, reddet magis cōcinna, tersa & emaculata. Multum illis debetur gratiæ, qui publicæ vtilitatis gratia CYRILLVM effecerint multo, quam antehac, emendatiore. Cæterum vt in picturis quibusdam artis exquisitæ, semper oculis contemplantium offert sese noui quippiam, quod admirentur, ita in emaculando CYRILLO versantibus, nunquam defuturum est, quod sarcindum sit. Taceo, quod interpretes non vbiq; rerum, quæ tractantur, subtilitatem assequuti videantur, vt non immerito quis rei Theologicæ peritiam in illis desideret. Atq; vt fideles forte fuerint, non tamē elegantes. Tantum abest, vt eam Romani sermonis expresserint facultatem, quæ Græcæ dictionis gratiam elegantiamq; referret. Breuiter, hoc quicquid est laboris nostri, tuæ Celsitudini dicatum esse volui Præsul ornatissime, vt esset quod testaretur clientem Canisium optimi patroni memorē, amantem & obseruantem esse. Postremo liceat obtestari quæso tuum istum animū, vt quam Archiepiscopatus gloriam vestri maiores tibi pulcherrimam reliquerunt, hanc tua virtute & diuina prouidentia stabilias & conserues, præterea Germaniam vsq; multis calamitatibus oppressam auxiliij oportunitate sustentens, & (quod præcipuum est) Ecclesiæ tum concordiam, tum dignitatem vbiq; spectes, cum primis vero tueare. Hæc sincere conanti precor vt aspiret dominus Iesus pastorum princeps, Amen. Ex Agrippina Colonia iplis Calendis Aprilis. Anno a restitutione humani generis XLVI. supra sesquimillesimum.

INDEX

INDEX ET VERBORVM ET RERVM NOVVS IN Tomum priorem operum D. Cyrilli, iuxta alphabeticum ordinem concinnatus.

A Aron nota Christi est	15. b	Aqua in sacris literis quid	34. b
Abrahā vt diē dñi viderit.	215. a. & b	Arbitrium liberum homini à Deo datum.	3. c
Abrahæ filij Christiani magis sunt, quàm Iudæi	209. a	Aqua Christi virtute in vinum transmutata	123. c
Abrahæ filij Iudæi secundum carnem, sed non secundum imitationem.	208. b. & d	Arbores bonæ & malæ	91. b
Abrahæ promptitudo & obediētia in filij immolatione	25. a. & b	Arcae mysterium	10. d. & 11. a. & b
Abel Christum præsignat	6. c	Arca Christi figura quomodo.	177. b. & c
Adam statim à sui creatione perfecte sapiens fuit	109. a	Arguendi sunt prauis considerate & opportune	179. d. & 180. a
Adorator spiritualis	136. d	Ariani Iudæis impietate perfimiles.	190. c
Adoratio Trinitatis	135. c	Arianorum cōfutatio.	269. b. c. & d. & 270. & 271. & 275. b. & c
Adoratio seruitutis quædam professio est.	136. c	Arietes ad sacrificium distrahētes qui sint.	50. d
Aegyptus quid significet	162. a	Arrogātia illustribus viris infidiatur.	256. a
Allegoria latet in historia	24. a	A seipso quis loqui censendus sit	182. d
Altare debemus accedere p̄parati.	72. b. & c	Aser diuitiæ interpretatur	37. c. & d
Altare tam incensi, quàm holocausti, figura Christi erat	178. a	Aues immundæ	67. a. & b
Amicum Christi esse, maxima dignitas est.	288. b	Aues immundæ quæ sint Chaldæis.	20. c
Andreas imbecillum de Christo fidem habuit	154. d	B	
Angeli incorporei, intellectuali fruuntur alimento	169. c	Balæ filij cur Rachel adscribantur.	37. b. & c
Angeli offerunt opera nostra Deo	76. a	Baptismi lauacrum multis ante figuris fuit præsignatum & prænunciatum, atq; in Euāgelica lege cum multa virtute exhibitum	218. d. & 219. a. & b
Animalia ruginantia	66. b. & c	Baptismi Christi & Ioannis discriminē.	128. c
Animalia immunda	ibidem.	Beniamin interpretatio	37. a
Anima mortua per peccatum	82. a	Beniamin illum designat populum, qui vltimis temporibus oriundus est.	38. d. & 39. a
Anima Dei quæ sit	93. b	Benedictiones diuersæ	90. a. & b
Anima quæ peccauit ex populo terræ, quare dictum sit	45. a	Benedictiones Iacob, Christo conueniunt.	29. c. & d. 30. a
Anima quomodo simillam & panes azymos offerat	43. c	Bestiæ malæ quæ sint	92. b
Animam suam odire vel amare quis dicatur	248. c	Blasphemantiū nomē domini pœna.	318. a
Animæ hominum non ante corpora fuerunt, nec propter præcedentia peccata in corpora delabuntur.	109. d. & 110. & 111. a. & b.	Bona patris, non participatione, sed natura & substantialiter in filio sunt.	132. a. & b
Apollinaris impietas euertitur	229. d	Brachium domini quid	252. c
Apostoli vt gauisi fuerint viso dño.	327. a	C	
Apostoli colūnæ & robur veritatis. ibidē b		Christus sacerdos magnus est.	81. a. b. c. & d. & 80. d. & 82
Apostoli dispensationis nostræ salutis ignari	236. a	Christus Deus & ex Deo naturaliter est.	131. a. b. & c
Apostolus quid	305. d	Christus natura, non adoptione filius Dei.	124. b
Aqua viua quæ	134. b. & d. & 194. c	Christus in libris Mofi obūbratus.	152. a. b

Christi

INDEX.

Christus vita est viuificans omnia 132.c
 Christus nobis requies atq; iustitia est. 10.
 a. & b
 Christus vt semper exauditus 239.d
 Christus non est factus Deus, sed ex Deo
 natus 235.d
 Christus super omnes creaturas est, & quo
 modo 129.d. & 130.a. b. & c
 Christus quasi vitule, capre, arietis, turturis,
 columbae; speciem gerit 22.a. & b
 Christus vt cōparetur lilio & rosae & agro
 pleno 29.c
 Christus nō ab hoīe, sed à Deo missus, 190.a
 Christum solū Christiani sequi debent tan
 quam magistrum 176.c. & d
 Christus spūs à scripturis nominat. 175.b
 Christus in patre quasi in fonte, & ex patre
 quasi ex fonte 96.b. & c
 Christus vt medicus optimus erga Iudeos,
 203.c
 Christus apud patrem accusat oēs, qui eum
 non susceperunt 152.a
 Chrs dies, 12. horę diei, apostoli sunt, 236.a
 Christus qui peccatū nescit, quō pro pecca
 to dicatur obtulisse sacrificium 45.c
 Christus quomodo per suos apostolos gē
 tes docuerit 193.d. & 194.a
 Christus de numero adorantium non est
 ea ratione, qua filius, qua Deus est, & vnā
 cum patre ac spiritu adoratur, sed vt ho
 mo 135.c. & d. & 136.a. b. & c
 Christus est tabernaculum, & nubes, & i
 gnis, 176.d. & mensa, & candelabrum,
 177.d. & altare, 178.a
 Christus non solum corpus humanū, sed
 & animam assumpsit rationalem, 229.d
 Christus doctoribus Ecclesie exemplar po
 nitur 137.d. & 138.a
 Christus quō peccata populi comedat, 54.c
 Christus principium 205.b. & d
 Christus mortis suae genus, & quorūdam
 Iudaeorū cōuersionem p̄nunciauit, 206.a
 Christus vera lux est, creatura vera nō lux,
 sed lucis particeps, 107. & 108.a. b. 201.a. b
 Christus Mose superior 115.c
 Christus vt in cruce sitiuit 321.d
 Christus cogitationibus Phariseorum re
 spondere solitus fuit 150.a. & b
 Christum etiam nobis dixisse: Nisi credide
 ritis, moriemini in peccato vestro, 204.
 d. & 205.a
 Christus creatura ē, in quantū homo, 299.b
 Christus Adā quare nuncupetur 114.a
 Christus quomodo profecerit sapientia &
 gratia 114.b. & c

Christi turbatio & lachrymæ, ibidem, &
 239.b. & 249.a. & 259.a
 Christi ingressus ad discipulos ianuis clau
 sis 326.c. & d. & 329.b
 Christi fremitus vnde procefferit 238.c
 Christi sessio super fontem quid significet,
 133.c
 Christi secundum vtranq; naturam origo
 à prophetis prænunciata 189.c
 Christi in vita synceritas & in verbis sola
 veritas fuit 212.a
 Christianorum victoria 18.a
 Christianos non esse filios Christi secun
 dum imitationem 209.b. & c
 Christianorum nomen & vita 2.b
 Christum non absq; carne venturum scri
 ptura edocuit 167.d
 Caiaphæ consiliū aduersus Chrm, 242.b. c
 Caiaphas propheta 243.a
 Cain peccatum expenditur 5.d
 Cain Israeliticū populum designat, 6.a. & b
 Camelus mystice 66.b
 Candelabrum figura Christi 177.d
 Canistrū in quo tres panes sunt, quid, 55. d
 Captiuitatis Iudaicæ vera causa 242.a
 Carnem suam cur Christus in exuscitādis
 mortuis adhibuit aliquando 171.d
 Carni quō debeamus malefacere 47.b
 Carnis solo nomine integer homo signifi
 catur 113.c
 Carnis castigatio 47.b
 Caro non sola, sed verbo coniuncta viuifi
 cat 175.a. & b
 Catechumeni & neophyti nō sunt cito ad
 mittendi ad sacra mysteria, 125.b. & c. &
 137.a
 Catechumeni prohibentur à sacra mensa,
 325.c
 Chananæus notam Christi gerit 25.d
 Chananæi interpretatio ibidem.
 Circūcisio non à Mose, sed à patribus est,
 183.d. & 184.a
 Cicatrices vulnerum cur Christus osten
 dit post resurrectionē suā, 329.c. & 330.b
 Cicatrix corporis & animæ 69.b
 Circūcisio in octaua die data quid signi
 ficabat, & quamobrem etiam in ipso sab
 bato fiebat, 184.a. & 185.c. & d. 186. & 187
 a. & b
 Cognitio operibus, & opera cognitioni iū
 genda 257.d
 Columbas offerre Deo in sacrificium, 48.d
 Communio mysticæ benedictionis, resur
 rectionis Christi quædam confessio est,
 329.b. & c

Corda

INDEX.

Corda hominum soli Deo patent, 122.c &
 d. & 125.c
 Coriandri vis 163.a
 Corpus domini tangere, mūdos homines
 oportet 325.c
 Corpus Christi viuificat, & ad incorruptio
 nem sua participatione reducit 164.b
 Corpus Christi viuificat 169.d. & 170.a
 & b. & 171.d. 172.b. & 174.a
 Corpus Christi verum cibum, & fanguis
 nem verum potum esse 172.b. & c
 Corpus Christi morbos oēs depellit, & gro
 tos curat, & alias multas vtilitates habet
 172.d
 Corpus Christi frequenter sumendū, ibid.
 Corruptio fraterna cum adhibenda fuerit,
 quid cogitandum 199.a & b
 Correctionis fraternæ modus 46.a
 Coruo, quem Noe emisit, qd acciderit, 11.d
 Coturnix quō legē veterē denotabat, 162.d
 Creaturæ omnes tenebræ sunt, filius Dei
 lux est, 105.d. & 106.a. & 107. 108. a & b
 Creationis cœli & terræ modus non est in
 uestigandus 2.b
 Credere oportet Christum mortuum fu
 isse 323.d
 Crucis mysteriū per multas veteris testamē
 ti figuras fuisse signatum 250.c & d
 Cum Christo esse quā suauē est 309.b
 Cyri regis mysterium ad Christum relatū
 15.d. & 16.a. b & c
 Cydaris quid 73.a. & 81.d

D.

Damascus quid 20.a
 Dæmones præstigijs suis intuentiū
 oculos quandoq; eludere 230.d
 Depositū qd negare nō debemus, 50.a. 49.d
 Deus trifariam sumitur 233.c & d
 Dei vocem non audierunt Hebræi, neq; es
 ius specem viderunt 150.a & c. & 151.a
 Deū cognoscere qui censendi sint, 214. d
 Deus quomodo laborare dicatur 35.d
 Deum quomodo Esaias viderit, 253. b & c
 Deum nemo videre potest 116.a & b
 Deum vbiq; esse 32.c
 Deum suos non deserere in tribulationi
 bus 30.d
 Deum quomodo propheta viderunt, ibi.
 Delicti & peccati discrimen 55.a
 Defuncti dormire dicuntur 236.b
 Diabolus à Deo creatus est bonus, sed po
 stea natiua bonitate sponte prolapsus,
 malus factus est, 210.d & 211.a. b. c & d
 Diabolus vt fur fuerit 227.a
 Diabolus princeps mūdi quō dictus, 250.a

E.

Ea quæ in scripturis diuinis de anima
 libus mundis & immundis dicun
 tur, recte ad homines referri, 64.d. & 65.
 a. b. c & d
 Ebrietas sanctorum quæ sit 63.a
 Ebrietatem esse cauendam 62.b & c
 Ecclesia quomodo aliquando cessatura ins
 telligenda sit 39.a & b
 Ecclesia sponsa 36.c
 Ecclesie præfides cauere sibi debent, ne de
 cipiuntur assentatiunculis hæreticorum
 158.c
 Edom terrestris interpretatur 27.d
 Effrem quid significet 243.c
 Eliezer quid 20.a
 Enoch à nonnullis Deus appellatus est, 7.
 c & d. & 8. b. & 10. c
 Encænia 230.d
 Esau interpretatio 27.c
 Esse, soli Deo competere 204.c & d
 Euangelium Ioannis præstantissimum est
 95.b

* Euang

I N D E X.

Euangelium suum Ioannes cur scripserit.
 ibidem. c & d
Euangelica disciplina antiquior est, quam
 legalis 288. c
Euangelistarum doctrina exquisita & subli-
 mis est 95. a
Eunomij impia sententia vnà cum argu-
 mentis euertitur 100. & 101
Eunomiani dixerunt, aliud esse interius at-
 que insitum naturaliter in Deo verbum,
 & alium qui à scripturis filius Dei dici-
 tur 100. b
Exiuisse Christum à Deo quid sit 297. b

F

Fato & dispositioni fideri, nec Christi
 opera, nec quorumuis hominum es-
 se subiecta. 191. b. c. & d. & 192. a. b. & c
Fermentum humanam doctrinam esse. 56. c
Femoralia linea 72. d
Festi dies quò spiritualiter pagèdi sint. 260. c
Festiuitates iudæorum quomodo Christus
 noluerit celebrare 180. b
Festis diebus non esse indulgendum volu-
 ptatibus 244. a
Fœminea est fœminarum oim mens. 134. d
Fides in Christum sine mercede non est. 38. c
Fides cognitioni præponenda est 178. c
Fides ianua est & via in vitam æternam.
 169. b
Fides quid 299. d
Fides probatur operibus & mandatorum ob-
 seruatione 273. b
Fidei simplicitas à Paulo virginitas appel-
 lata est 82. d
Fidei cognitio vita est 299. d
Fide emendus est Christus 48. b. & d
Fide armantur fideles. 264. c
Fidem ad salutem non sufficere 286. b. &
 299. d
Filius creatura non est, sed omnium creatu-
 rarum vnà cum patre creator, non vt minister,
 sed vt Deus 103. a. b. c. & d. & 223. a
Filius Dei habet omnes deitatis dignitates,
 non participatione aut deforis, sed natu-
 raliter 144. d. & 145
Filius patri licet sit consubstantialis, in pro-
 pria tamè hypostasi est, similiter & pater,
 ita vt alius sit pater, alius filius. 97. b. c. & d
Filius ex patre secundum naturam solus vni-
 genitus est 116. b. & c
Filius Dei vnus ante incarnationem & post.
 147. d
Filius à Deo patre naturaliter cum sit, nulla
 in re minor ipso est, etià si dicat à quibus-
 dam illi subiectus esse, 165. d. & 166. a. b. c

Filius ipse secundum naturam vita est, non par-
 ticeps alienæ 173. a. b. c. & d
Filius character hypostaseos est Dei patris,
 nec pter eum alius, aut est, aut intelligitur
 character esse. 159. c. & d. & 160. a. b. & c
Filius Dei neque secundum virtutem neque secun-
 dum operationem patre minor est, sed æ-
 qualiter omnipotens, vt ab eo prodiens
 secundum naturam. 142. b. c. & d. & 143
 a. b. & c. & 144. a. & b
Filius secundum naturam est lux, & ideo non
 creatura aut creatus. 104. b. & 107. a. b. c
Filius vita secundum naturam est, atque ideo
 non creatus, sed ex substantia Dei patris
 104. a. b. & c
Filius Dei multis & varijs nominibus nun-
 cupatur 98. b. & 103. b
Filius Dei non minor patre, sed ei consub-
 stantialis & æqualis est. 98. & 99. & 281.
 b. c. & d. & 283. b. & c. & 284. c. & d. & 285
 b. & c
Filij Dei per fidem sumus 112. c. & d
Filiorum Dei generatiõis modus, ibidem.
 d. & 113. a. & b
Fornicatio spiritualis idololatria est. 209. d
Fratres Iesu qui & quomodo eum ad vanam
 gloriam hortati sint. postea tamen intra
 apostolos numerati sint 179. b. & c
Fruentum quomodo Christus sit. 248. b
Fur & latro quis 225. a. & b

G

GAlbani natura 71. d
Gentes Christum non cognouerunt, Iu-
 dæi vero non receperunt. 111. d. & 112. b
Gentes erant contra Deum, & in inimico
 rum loco constitutæ 179. a
Gentiles Iesum videre cupiunt, iudæi occi-
 dere 247. c
Generatio Christi, maxime diuina, omnino
 inexplicabilis & inenarrabilis 189. b
Gladius qui Mariæ animam transfuit quis.
 321. c
Gratia ineffabilis in verbis Christi fuit.
 122. c
Gloria filij Dei gloriam sanctorum excel-
 sit 114. b. & 115. a. b. & d
Gloria patris & filij 291. d
Gloriam hominum venantes, Dei amittunt
 151. d

H

Hæretici ad construenda, & defendenda
 dogmata sua, multum perqui-
 runt scripturas diuinas 50. c
Hæreticis cognitu difficilia sunt etiam ea,
 quæ perspicua sunt 100. b
 Hieros

I N D E X.

Hierosolyma cur subuerfa 77. d
Hircus apopopæus, & qui fors est domini
 74. per totum & 78
Holocaustum spirituale 76. b & c
Hominis creatio 2. c & d
Homo creatus vt Deum intelligat & glo-
 rificet 2. c
Homo cunctorum animantium imperium
 accepit 2. d
Homo ad imaginem creatoris quomodo
 intelligitur 276. b
Hospitalitatem etiam in deserto sectadam
 esse 154. b
Hostia duplex fuit in Christo, conueniens
 cœlestibus & terrestribus 41. d
Hostiarum discrimen quantum ad partici-
 pationem 55. d. 54. a
Hostia salutaris 45. c
Hostia purificationis, id est, conuersionis à
 peccato, in tria diuiditur 71. c
Hulcus corporis & animæ 69. d
Humilitatis exemplum Christus. 256. a. 257. b
Humilitas Petri 256. b
Hysopi virtus 70. d

I.

Iacob interpretatio 27. c
Iacob aliquando Christum, quandoque
 vero apostolos significat 35. d
Iacob & Esau benedictiones 29. & 28. d
Iacob & Esau diuersa studia 27. d. 28. a
Ignorare dominum quis dicatur 228. d
Illuminant angeli & doctores et filius Dei,
 & quomodo 108. c. d. & 109. a
Imago terreni hominis 276. a
Immunitatæ quæ fugiendæ 46. & 47. a
Incarnationis Christi modus præcognitus
 fuit 3. d. & 4. a
Incensum compositionis 75. d
Incredulitatis crimen magnum esse. 128. a
 & 155. a
Indumenta ornamentaque pontificis & sa-
 cerdotum late explicantur 69. & 60
Iniuriæ Dei vindicandæ sunt, propriæ vero
 contemnendæ 213. c & d
Inuidia crudelis 246. a & b
Ioannes quomodo lucerna ardens & lucens
 149. a. b & c. & 170. c
Ioannis additio Dei interpretatur 38. d
Ioannis testimonium de Christo. 114. c &
 d. & 115. & 116. d. & 117. d. & 118. & 121.
 a & b
Isaac interpretatio Christo competit 27. b
Isaac lætitia ac exultatio interpretatur. 25. d.
 & 27. b
Isaac immolatio mystice exponitur. 24. a. b

Isaac desponsatio mystice exponitur 25. &
 26. a & b
Isachar interpretatio 37. a. & 90. b
Israelitæ principum causamque generis sui ex
 gentibus traxerunt 35. a. & 36. b
Iudas diabolo se tradidit 310. d
Iudas cur oculos sibi commissos habebat
 245. c
Iudas diabolus à Christo appellatus. 178. d
Iudas perditionis filius merito nuncupa-
 tur 303. d
Iudæ peruerfitas 245. b & c
Iudæi abscinduntur, & gentes veniam con-
 sequuntur 112. b
Iudæi quamobrem in Christum non credi-
 derint 175. c & d
Iudæi cur Christum persequebantur. 141. c
 & 142. a & b
Iudæi Arianis perspicatores 233. a
Iudæos licet nescientes prophetaffe de Chris-
 to & futura prænucciasse 193. d
Iudæi legis transgressores 183. b
Iudæi spernentes filium, spreuerunt & pa-
 trem 190. a & b
Iudæi non liberi sed serui, corporali & spi-
 rituali seruitute 207. b
Iudæ crimen horribile 258. d
Iudæorum impietas 323. c
Iudæorum consuetudo vnus ex vinculis in fe-
 sto Pasche dimittendi orta vnde sit. 316. c
Iudæus visibilis & inuisibilis 53. b & c
Iudicandum non esse hominem secun-
 dum carnem, sed secundum virtutem
 animi 168. a
Iudicium vt rectum sit, quid faciendum
 198. c & d
Iuramentum Chaldæorum 20. c
Iuramentum vitandum 256. d
Iustificaciones & iudicia quæ appellentur
 79. d

L.

Laus propria auditoribus molesta
 148. a & b
Legem veterem non fuisse crudelem
 80. a & b
Legis nomine quid intelligendum sit. 253. c
Legis & gratiæ discrimen 115. c & d
Lex hostiæ peccati quæ 53. b
Lex holocausti 51. a & b
Lex æterna est iuxta intellectum spiritali-
 lem 53. a
Lex vetus quare & ad quid data. 77. c & d
Lepræ sex species describuntur 68. d
 & 69. a. b. c & d. & 70. a
Liberare quid 207. a
 * ij
Libertas

I N D E X.

Libertas iustitiæ, corporali seruituti non re pugnat 107. c
 Libertas corporalis sæpe seruituti peccati coniuncta est ibidem. d
 Libido humanorum corporum pulchritudinem deformem reddit 9. a
 Lia, quæ personam Synagogæ gerit, interpretatio 36. a. 37. a
 Lucerna candelabri quod designet, & de oleo à populo ministrando 84. a. b & c
M
 Macedoniorum confutatio 113. b
 Maledici rixa & pœna. 86. d. & 87. a. b. c & d. & 88
 Maledictio Phariseorum, exoptabilis est benedictio Christianis 221. c
 Maledicere Deo quàm graue peccatum sit 87. b & c
 Mali cur bonos persequantur 30
 Mandata habere & seruare quis dicatur 277. b. & 278. b
 Mandragoræ dormitionis ac soporis argumentum sunt, & quid designent. 38. a. b
 Manna figura erat Christi, & spiritalium eius gratiarum 161. d. & 162. & 163. a & b
 Manna umbra veri panis fuit 169. c & d
 Mansionum multitudo in cælo quod. 265. a
 Mansiones superiores tribus rebus consequimur ibidem. d
 Manus, pedes & aures purificandæ sunt 72. a
 Manus in scriptura quid ibidem.
 Manus Esau quid significant 29. b
 Mare mundum aliquando significat. 157. d
 Maria ex partu immunda non fuit. 67. d
 Maria ut à Christo consolata fuerit. 325. a & d
 Maria cur angelos vidit, non autem Petrus & Ioannes 324. d
 Maria cur à contactu Christi prohibita sit 325. b & c. & non Thomas. 329. c
 Maria Euangelium ad apostolos detulit 326. a
 Maria mulier quomodo dicatur ibidem.
 Mariæ Magdalene pietas 324. a. b & c
 Marthæ constantia & prudentia 237. c
 Mediatio Mosis inter Deum & Iudeorum populum, mediationis Christi figura erat 152. b & c
 Melchisedech quis fuerit. 14. c. d. & 15. a. & 16. d. & 17. & 18. a
 Mésa propositionis figura Christi quomodo 177. d
 Mercenarius quis 228. a
 Memoria falsæ, apostolorum est prædicatio

138. c
 Ministris Christi duplex merces proposita 248. d
 Ministrorum ad credendum facilitas, & ad confitendum constantia. 195. d. & 196. a
 Miracula agendi ministerium & officium an malis conueniat 220. b
 Mors duplex, corporis uic; & anime. 214. b
 Monumenti Christi nouitas quid significet 323. c & d
 Mors pro peccato inflicta, purgatio peccati est 88. a & b. & 80. a & b
 Mors ueluti remedium quoddam opportunum excogitata est 3. c
 Mortis Christi uirtute, contracta est diaboli potestas 149. d. & 270. a
 Morticinum hominis 46. c & d
 Moses non autor miraculorum, sed minister 161. b & c
 Moses in sinistra piscatus est, apostoli autem in dextera 331. b
 Mulierem in adulterio deprehensam quomodo Christus absoluit 199. b & c
 Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, quænam fuerit 234. d. & 235. a. b & c
 Multitudinis expiatio 43. a
 Munera mystica Christianorum 18. b
 Mundi nomine quid intelligendum. 277. d. & 294. a
 Murmuratio Iudeorum 167. b
N
 Natalis sui diem celebrarunt non sancti, sed peccatores 68. a & b
 Neophytis præstat simpliciter fidem, quam profundiore ratione diligentius expositam tradere 126. d
 Nephtholim dilatatio interpretatur 37. c
 Nicodemus Christi patronus apud Phariseos 197. b
 Noe iniquus interpretatur 8. b
 Noe Christi typum gessit 10. a. & 9. d
 Numerari in scripturis non consueuerunt mulieres & pueri 155. b & c
 Nuptiæ mysticæ quæ 123. d
 Nuptias cur Christus accesserit. ibid. a & b
O
 Obdurare & excæcare quomodo Deus dicatur 253. b
 Oliueti mons quid significet 197. c & d
 Opus Dei, fides est in Christum, non mandata legis 161. a & b
 Oratio uana 298. c
 Oratio modesta perfectorum est, cui exæquatur infirmorum murmuratio 162. c
 Orare

I N D E X.

Orare quis dicatur 197. c
 Orandi initium 298. c
 Oraturos quid facere conueniat 239. d
 Ostium Christus 225. a. 226. d. & 227. b
 Ostiarius spiritus sanctus 225. b
 Ostentationem esse fugiendam 158. a
 Oues Christi non perire in æternum. 231. d
 Ouile ouium Ecclesia est 225. a
P
 Panis nomine non solum Christus, sed etiam discipuli eius, eorumque successores appellari 170. d
 Panes duodecim explicantur 84. d. & 85
 Panis uitæ Christus est 163. d
 Paracletus Christus est & spiritus sanctus. 273. d. & 274. b
 Paracletus quomodo Christum clarificauit 295. a. & b
 Paracleti aduentus quid effecerit. 293. d. & 294. a. & b
 Parentes honorandi 123. b
 Parentum honores præclarissima, quemadmodum & dehonestatio res detestanda 12. c. & d
 Parentibus maledicens, morte multandus. 80. b. & c
 Parentibus vicem gratiæ rependere non possumus ibidem.
 Passio Christi uoluntaria 318. d
 Passionem et mortem quomodo Christus uoluerit, & quomodo recusauerit. 165. b & c. & 166. d. & 167. a
 Pastores unde appellati 5. b
 Pastoribus spiritualibus quid dicendum sit. 34. b
 Pax Dei quæ sit 279. d
 Pacem habere in Christo quod sit. 298. a. & b
 Pacem qualem Deus det 92. a
 Pacis bonum 327. a
 Peccata remittendi modi septem. 44. c. & d
 Peccati & delicti discrimen 55. a
 Peccator dupliciter exire dicitur. 86. d. & 87
 Peccatores quos Deus dicatur exaudire, & quos non 222. a. & b
 Peccatores etiã in hac uita puniri. 141. b. & c
 Pectusculum separationis comedere quid sit 64. c
 Pectusculum cor nostrum est 58. c
 Pecunia proba & reproba 49. a
 Pœna temporali filij interdum pro parentibus puniuntur 216. d
 Pœnitentiam post lapsum non esse denegandam, quotiescunq; etiã quis relapsus fuerit in culpam, contra Nouatianos. 199. d
 in fine. & 200. a. b. c. & d
 Perseuerantiam usque in finem necessariam esse

am esse 256. d
 Personarum distinctio in oblationibus non ociose posita est 41. b. & 43. b
 Petri negatio 314. c. & d
 Pharao diaboli typus 260. d
 Pharisei lippitibus perfimiles. 202. a. & b
 Pharisei frustra ministros miserunt, ut lessum comprehenderent 192. d
 Philippus tardus ad intelligendum altiora fuit 154. c
 Pilatus noluit mutare titulum 321. a
 Pilatus quomodo persuaserit sibi Christum esse Deum 318. c
 Pilos corporis radere quid sit 71. b
 Pinnam iecoris quis offerat 58. c
 Piscatio discipulorum post Christi resurrectionem exponitur 331. a. b. & d
 Pisces immundi 66. d. & 67. a
 Pisticum unguentum 244. c
 Poetarum mendacia 9. b
 Pontificis expiatio 43. a. & d. & 44. a
 Porticus Salomonis 231. a
 Potestas patris, filij & spiritus sancti una & eadem 167. b
 Potestas pro uoluntate quomodo accipitur 252. d. & 253. a
 Præcepta quæ 90. b
 Prædicator fructum non facit, ubi contemnitur 139. c
 Prædicationi oratio, & orationi succedere debet prædicatio 197. c
 Primitiarum oblatio 43. c
 Principis expiatio 43. a. & 44. b
 Prophetas non semper ea intelligere, quæ futura denunciant 243. a
 Prophetæ uerba Dei loquuti sunt 131. c
 Propitiationis dies 72. b. & 74. a. & b
 Propitiatorium Christianorum 18. b
 Prouerbum quid 296. d
 Pseudoprophetæ fures sunt & latrones. 226. d. & 227. a. & b
 Pullus asinæ quid designet 246. d
Q
 Quæ à sanctis ablata sunt, quomodo restituenda 48. a. & b
 Quæ per Moysen dñs locutus est, spiritus & uita sunt 49. b. & c
 Quærentium Christum quidam inueniunt, quidam minime 223. b. & c
 Quærimus Deum fide recta & probis moribus 121. c
 Quæsierunt Iudei, sed non inuenierunt. 193. a & b
 Quæstio discipulorum Ioannis & Iudeorum de baptismo. 128. d. & 129. a. & 133. a & b
 # iij Quid

I N D E X.

Quid sit hesternam carnem sacrificij edere
56.c.& d.& 57.a

R

Rachel ouis Christi interpretata, personam Ecclesie gerit. 34.d.& 36.b
Ramus oleæ, argumentum pacis 12.a
Raptores boni & mali 50.b
Rebecca notam Ecclesie præ se fert, Isaac Christi, Esau Israelis, Laban gentilium, & Iacob Christianorum 31.c.& d
Rebecce partus mystice exponit. 27.b.c.d
Reciduationem in peccata esse cauendam. 199.c.& d
Regnum Christi quale 231.b
Res arcanas & diuinas per speculum perspicere possumus 15.a
Restorationis modi duo. 275.d.& 276.a
Resurgent omnes, tam increduli, quam fideles 132.d.& 133.a
Retro abire quid 176.a

S

Sabbati ocium quid significabat. 184.c & d. & 185.a. & b
Sacerdos magnus quis. 80.d. & 81.a. & b
Sacerdos alijs indumentis utitur in sacrificiorum ministerio, alijs quum procedit ad publicum 51.b
Sacerdotes conuersioni peccatorum insistere debere 55.b
Sacerdotes sobrios, ieiunos & vigilantes esse oportet 56.b. & d
Sacerdotes perfecti esse debent in doctrina, virtute & moribus 56.b
Sacerdotis partes pectusculum & brachium dextrum quid significant 58.c. & d
Sacerdos ante omnia castitate debet accingere 51.b. & 52.d
Sacerdotem non debere ignorare 43.s
Sacerdotes quomodo peccata populi comedere debeant 54.c. & d
Sacerdotes & doctores Ecclesie spirituales filios generare possunt 61.d. & c
Sacerdotum Iudeorum in Christum impietas 317.c. & 319.c
Sacrificia hæreticorum & schismaticorum prophana sunt 52.b
Sacrificium Christi duplex, terrenum scilicet & celeste 41.d
Sacrificium pro peccato cur non fiat in oleo 55.d. & 56.a
Sacrificium, quod in clibano coquitur. 55.c. & d
Sacrificium salutare & laudis quis Deo censendus sit offerre 56.b
Sacrificium salutare offerre non potest, qui

æger est & languidus 58.b
Saluator cur pro mundo rogare abnuuit, Ioannes autem eum propitiationem pro omnium delictis adserat 302.b
Salus ex fide & promissione, non autem ex lege 26.d. & 27.a
Salutare Dei Christus est 30.d
Samaritani Iudeorum patres, etiam suos patres appellare non erubescerent. 134.b
Samaritani unde 213.a. & b
Samaritanus quomodo Christus 213.c
Samaritani & alienigenæ Iudeis faciliores ad fidem fuerunt. 137.c. & d. & 139.a. b & c. & 140.b. & 156.b. & c
Sanguis edi prohibetur 58.a
Sancti patres quo animo colendi sint. 161.c
Sanctorum ex hoc mundo immaturus exitus valde nociuus est 305.a
Sanctificare seipsum quomodo Christus dicatur 170.a
Sanctificatio necessaria ihs, qui festum Pasche celebraturi erant 243.d
Sanctificauit filium pater quomodo. 233.d
Sanctus quid in sacris scripturis significet 78.d
Sapientia humana si diuinæ conferatur, nihil mentis habere videtur 261.c
Saræ & Agar interpretatio 19.d
Scriptura sacra constat ex visibilibus & invisibilibus 53.c
Sata intellectualia, & spirituales quæ 138.c
Schisma quid 220.b
Seductorem quidam Iudeorum Christum dixerunt 181.b
Semen quod in lapidem cecidit 178.b
Sement in carnem & in spiritum qui. 159.a
Sem, Cham & Iaphet etymologia. 8. c. & 11.b
Serpentis exaltatio in deserto quid significet 127.b. & c
Seruitus peccati 207.b. & c
Seruorum peccati dispendia quæ 207.d
Seruus peccati quis ibidem.
Scientia perfecta quæ 296.c
Scutum bonæ voluntatis 174.c
Siclum sanctum dare 48.d. & 49.a. & b
Signari quid significet 159.b
Sicut quando similitudinem, & quando æqualitatem dicat 145.a
Silentium in pastore vituperabile 121.c
Siloe quid 218.a
Similam offerre 48.d
Sinus Dei quid 116.d
Societas nostra non solum cum sanctis, sed etiam

I N D E X.

etiam cum Deo 50.a
Solennitatum duplex quædam ratio doctrinæ est 83.d
Somnium Iacob exponitur 32.a. b. c. d
Spiraculum vitæ 276.b
Spiritalis sensus literæ velamine tegit. 40.c
Spiritus, non participatione, nec de foris ut in sanctos, in filium Dei influit, sed substantialiter & secundum nostram in ipso est 118. 119. & 120
Spiritus sanctus ex substantia Dei patris est 126.a
Spiritus ante Christi glorificationem dari commodum non ita fuit atque tempus 194.d
Spiritus sanctus creatura non est 113.b
Spiritus veritatis 163.d
Spiritus sanctus necessario apostolis datus. 327.c
Spiritus sanctum apostoli acceperunt ante ascensionem Christi, & postea in die Pentecostes 328.a. & b
Sponsus Christus, Ioannes coniugij minister est & amicus sponsi 129.b
Studia diuersa populi & Phariseorum. 197.d & 198.a
Summum sacerdotium apud Iudeos pecunia in singulos annos esse venditum. 242.c

T

Tavernaculum figura Christi quomodo 177.a
Talentum non esse abscondendum. 137.b. & c
Templi Hierosolymitani dedicatio triplex. 230.d. & 231.a
Templi Hierosolymitani situs 179.a. & b
Tentauit Deus Abraham 24.a. b. & 23.d
Testamentorum subactores vulturibus comparantur 67.a
Testimonia Iudeorum falsa de Christo. 124.d
Testimonium patris & spiritus sancti de filio 202.c. & d

Testimonium certum & necessarium operum & miracula sunt 248.c. & 149.d
Testimonium hominis, etiam sancti, reprehendi potest 148.c
Theophorus quid 308.a
Thomas absens etiam accepit spiritum sanctum 328.c
Thomæ præclara confessio 330.a
Thomæ constantia 236.d
Thomæ infidelitas 327.d. & 328.a
Trinitatis interpretatio 274.a
Tunica pontificis quid 72.d

V

Veli scissio 322.c. & d
Verbum Dei in Ecclesia diligenter audiendum 45.b. & c
Verbum Dei audire quis censendus sit. 112.c. & d
Verbum Dei pluuia est, ros & nix 90.c
Veritas ab hostibus cerni non potest. 316.b
Veritatis cura etiam in minimis habenda est 134.a
Veritatis pulchritudinem plurimos latere. 181.b
Veritatem loquenti non poena, sed merces debetur 209.a
Via iustitiæ plana omnibus est. 153.c. & d
Vis verborum rerum naturam nullo pacto ad se trahere potest 14.d. & 16
Vitis locum Christus tenet, nos palmitum. 283.b. & c
Vituli oblatio 41.b. c. & d
Vitulus, quem offerre debemus, caro nostra est 42.b. & c
Volatus auium quid Chaldeis 20.c
Vnctio Christi diuersa, quæ apud Lucam legitur & Ioannem 244.d. & 245.a
Vxorum pluralitas 35.b. & c

Z

Zabulon interpretatio 37.a. & 38.b

FINIS.

NOTA.

In Epistola dedicatoria, facie 3. versu 9. a fine, adde verbum dubito, & lege in hunc modum; Nec sane dubito, quin, &c.

D. CY.

D. CYRILLI ARCHIEPI-
scopi Alexandrini vita, & operum
eius elenchus.



Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus, natione Græcus, montis Carmeli quondam decus & cultor insignis, vir doctus & sanctus, pro catholica fide præclarissimus extitit propugnator, diuina simul & humana pollens scientia. Qui iussu Cœlestini Papæ primi in Concilio ducentorum patrum apud Ephesum præfedit, in quo Nestorium & Pelagium cum erroribus eorum cōdemnauit, multasq; elegantes sententias dixit. Qui quum in scripturis sanctis esset eruditissimus, multa variarum rerum tractatus & opuscula conscripsit stilo Græco, quæ pro maiori parte iam Latinitati donata sunt, utputa:

In Genesim	Lib. XI.
In Leuiticum	Lib. XVI.
In Euangelium diui Ioannis	Lib. XII.
Thesaurus aduersus hæreticos	Lib. XIII.
Dialogi de sanctiss. Trinitate	Lib. VII.
De diuinitate spiritus sancti	Lib. I.
De adoratione & cultu in spiritu & veritate	Lib. I.
Ad pientissimum Theodosium aduersus apostatæ Iuliani hæretici impias blasphemias	Lib. X.
De recta in Iesum Christum fide ad Theodosium	Lib. I.
De recta in Iesum Christum fide ad pientissimas Reginas	Lib. II.
Constitutiones synodicæ ad Concilium Ephesinum & Chalcedonense.	
Apologia ad Orientales Episcopos	
Scholia de incarnatione vnigeniti.	
Homilia, quod verbum Dei factus sit homo.	
Expositio in Nicenum Concilium.	
Epistolæ ad Successum Episcopum.	
Homilia de exitu animæ.	
Sententiæ selectæ.	

Diuerfas insuper homilias & epistolas, sermonesq; ac alios tractatus varios conscripsit, quæ a nostris ignorantur, utputa, quia adhuc sub Græco latent modio vel vetustate temporum, aut inuidia hæreticorum deperdita creduntur. Claruit autem in Concilio Ephesino eidem præsidēs sub Theodosio seniore. Qui euitq; in pace anno domini CCCC, XXXII. In dictione XV. IIII. Calendas Februarij.

D. CY.

A S D CYRILLI AR-
CHIEPISCOPI ALEXANDRINI

in libros super Genesim

PROLOGVS



INQUIRITE SCRIPTURAS, Iudæorum populo Deus ait. Quasi non aliter vitam æternam consequi possent, nisi scripturas, veluti quendam thesaurum inuestigando, abditam in eo gemmam preciosissimam, id est, Christum compererint. In quo, ut beatus Paulus Coloss. 2 refert, omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abditi sunt. De qua tam veneranda admirandaq; sapientia Salomon etiam Prouer. 2 inquit: Si quæseris eam quasi pecuniam,

et sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem domini, & scientiam Dei inuenies. Qua quidem re nihil præclarius, nihil præstātius haberi potest, nisi quidem hominibus, qui vitam integram approbant, sibiq; tres efficiendas proponunt, quæ optime præclarissimeque habeantur: suamq; mentem diuino lumine replent. Quamobrem in diuinis rationibus assidue versari debemus, & sacram scripturam veluti lucernam quandam accendere, & cum Psalmista illud voce clara referre: Lucerna pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis. Sed quum latissime pateat, vitam æternam, omnemque animi securitatem, non nisi per accuratissimam illam indagacionem mysterij Christi nobis contingere posse, age laborem vtilem nunc etiam proponamus, & tam cæteris, quam nobis ipsis ea, quibus res Christi arcana significatur, simul & congregare, & quam quodque sententiam præ se ferat, pro viribus explicare tentemus, ut quæ a nobis curiosa contemplatione rerum verissimarum inuenta sint, occasionem vtilem hominibus præbeant studiosis, & gradus quodammodo fiant, qui ad meliores sublimesque notiones rerum perducant. Sed primum ea placet exponere, quæ historice scripta sunt. His enim satis antea declaratis, & veluti ex quadam nota & umbra in rem expressiorem redactis, dilucida reddetur nostra oratio, ut tique rationibus ad Christi mysterium accommodatis, quem etiam finem destinatum nobis habemus: quandoquidem verum illud sit, quod

A finis



Roma. 10 finis legis & prophetarum Christus est. At sicubi incidat, vt vel ob imbecillitatem mei ingenij, vel ob nimiam sermonis obscuritatem, parum ea contingere, quæ aptiora decentioraque sint, videamur, ignoscite rogo, qui nostrum hoc opus lecturi sitis. Scire illud quoque oportet, quod quum septem & decem libros de cultu diuino, quemadmodum Deus in spiritu & veritate adoraretur, componeremus, per multaque in illis colligeremus, sponte proposito huic operi capitula pleraque referuauimus, quæ etsi commemorasse ibi necesse habuimus, dubia tamen reliquimus. Ergo quæ in libris de Genesi elegantiora proposita sunt, explicare incipiamus, tum reliqua sacræ scripturæ subiungamus, quæ ad propositum nostrum pertineant.

D. CY-

D. CYRILLI ALEXANDRINI
 CHIEPISCOPI ALEXANDRINI
 in Genesim ad litteram & mystice
 Liber I.



BEATVS Paulus legisq; peritissimus, cum mysterium salutis humani generis intellexisset, instaurationem in eo fuisse inquit celestium atq; terrestrium rerum in bona vtique voluntate Dei & patris, cunctarum scilicet rerum emendationem, statusq; pristini restitutionem vocabulo instaurationis significans. Meminerat enim, vt debuit, Dei, qui per suos prophetas ait: Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego noua facio, & nunc orientur: vtique cognoscetis ea. Quamobrem ipse quoq; Paulus, vt qui diuinas litteras familiarissimas sibi haberet, prædictionem contentam in illis, finitam iam esse in Christo ostendit, inquit: Si qua ergo in Christo noua creatura: vetera enim transierunt, & ecce facta sunt noua omnia. Etenim recreati in Christo, nouaq; creatura facti sumus, & in eo solo nouum nomen obtinuimus: quippe qui cognomen ab eo accepimus. Itaque idem Paulus rursus de nobis sic ait: Sed qui Christi Iesu sunt, carnem suam cum affectionibus & voluptatibus crucifixerunt. Vita enim Christianorum sanctissima est, omnibusque carnis affectionibus libera, omnique macula terrena superior. Futurum id honestissimum cognomen olim fuisse, quod Christus dederit nobis, manifestum profecto est, Deo per sanctos suos clamante: Qui mihi seruiert, nomen nouum inter eos vocabitur, quod in terra benedicetur. Benedicent enim Deum verum. Ergo cum nemini, qui recte sentit, dubium sit, an noua facta in Christo sint, age vetustatem, quænam sit, contemplemur, cuiusq; rei restitutio in partem meliorem fuisse, recte dicatur. Restituitur enim id, quod minime integrum erat, sed iam deprauatum corruptumq; ad id, quod inter initia non erat, inopinate prolapsus est. Sic enim quisq; intelligere nimirum possit, quo nostra tendat oratio, nullusq; error deprehendi appareat. Ergo Deus omnium creator optimus, per summam suam potentiam, id est, filium suum (Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil) coelum terramq; ante omnia creauit. Et quamuis nulla fuerint antea, tamen facultate eius creata sunt. At si quis quærat, quomodo vel quibus principiis creata sint, responsum illud rectum optimumq; accipiat: Quis adiuuit spiritum domini, aut quis consiliarius eius fuit? Si quis enim rem huiusmodi intelligere velit, mentem quoq; atq; prudentiam, quæ in Deo est, ipsum habere oportere certum est. Sed quod humanum ingenium exile sit, vel potius nullum penitus Dei comparatione, ipse Deus declarat, cum ait: Non enim sunt cogitationes meæ cogitationes vestræ, neq; viæ meæ sicut viæ vestræ, dicit dominus. Quia sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a vijs vestris, & cogitationes meæ a cogitationibus vestris. Omittamus igitur tanquam superuacua, & nullo pacto comprehensibilem talem quæstionem. Creat enim Deus, vt ipse, & nouit, & potest. Creatis igitur primum cælo & terra, deinde aquarum copia in locum vnum contracta (Parere enim necesse fuit illi dicenti: Congregentur aquæ in locum vnum) terra subinde detegebatur, & herbarum ita varia specie exornabatur.

A ij naba

nabatur, & iam more infueto arborum frugiferarum ortum adepta, confita pulcherrime extitit. Solis lunæq; cursus agebantur, & modus certi officijq; lex a Deo his data est. Sol enim ad diem lucemq; conficiendam, luna noctem tenebras que statuitur. Vniuersum cœlum varia stellarum genera caterua distinguebatur. Cui legem omnibus inuiolatam conditor fanciebat, inquit: **Et sint in signa, & tempora, & dies, & annos, & luceant in firmamēto cœli, & illuminent terram.** Post vero, quoniam creator omnium vita sua natura est, ipsam quoque naturam aquarum matrem & animalium natantium, & per aerem volitantium facere potuit. Terræ rursus imperat, vt & naturam multiplicem pecudum & be-luarum genus indomitum procrearet. Hæc protinus & mirum in modum iussa capeffunt. Quippe singulis in rebus creandis verbum tantummodo summi Dei creare valebat, nutusq; eiusdem duntaxat producere omnia poterat. Inde cum rerum omnium ornatus summum opificem magnopere oblectaret, agitur vt homo, cuius gratia omnia producta sunt, demum in lucem veniat. Oportuit enim creatorem omnium, qui bonus suapte natura est, imo qui ipsum bonum est, a nobis quoq; intelligi. Oportuit terram plenam reddi eorum, qui Deum possent glorificare, & ex creaturarum ornatu, vt scriptum est, creatoris gloriam conspiciere. Vt enim propheta Esaias inquit, non in vanum creauit eam, terram scilicet, sed vt habitetur. Fuit ergo necesse, vt animal rationale super eam crearetur, vbi cuncta creata essent, quæ illi tam delectationi forent, quam bene facta fuisset viderentur. Quamobrem quum debito cum ornatu cœlum & terram, quæq; in his sunt, procreasset, ad faciendum hominem venit. Sed antequam faceret, deliberandum vtiq; censuit, quamuis cæteram creaturam protinus ediderit, suoq; verbo vt Deus constituerit. Sed cum homo animal aptum, & Deo q̄ simillimum sit, ne supernæ maiestatis similitudinem communem cum cæteris creaturis honorē assequi videretur, simul et deliberando & faciendo cæteris hominē prætulit. Statuam itaq; finxit ex limo, rationaleq; animal effecit. Et vt suæ naturæ rationē intueatur, spiritum subinde immortalem & viuificum indidit. Scriptum est enim: **Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.** Tum eum in paradiso delitijsq; collocauit, cunctorumq; animantium imperium ei dedit. Natantibus & volucris omnibus eum præfecit, greges beluarum ferarum ei subiecit: genera etiam ipsa venenosa cum cæteris substernebat, iureq; naturali, vt hominem pertimescant, statuerat. Datur igitur terræ homo supernæ maiestatis imago, diuinæq; potestatis effigies. Sed quoniā eum, qui splendoris tantum deliciarumq; affecutus est, scire etiam oporteret sese Deum habere dominum atq; regem, legem dederat ei, ne ob nimiam felicitatē ad hunc prolabatur errorem, vt se liberum omni imperio, omniq; superiori dominatu putaret, neglectaq; legis supplicium proximo posuit. Modus enim peccandi nondum in terris patebat, cum homo vnus tantummodo esset. Quod autem legi subditus sit, ratio quoq; seruandæ inuenta est. Ex omni enim ligno, inquit, paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali non comedas. In quacuncq; enim die comederis ex eo, morte morieris. Tum ex costis Adæ vna exempta, mulierem formauit, vt simul & ad procreandos liberos ministraret, & comes eiusdem generis semper illi adesset. Itaq; vitam simplicem agere inceperunt. Sed vt primus calumnijs diaboli seducta eatenus est, vt legem transgrederetur, & lignum interdictum illud in cibum sibi assumpsit, ipseq; progenitor Adam cum ea vna corruit, & iam natura humani generis morte condemnatur. Et mulieri quidem: **In dolore paries filios, Adæ vero: Maledicta terra in opere tuo, Deus dixit. Præterea optatissimis illis diuersorij, summisque para-**

Sol.
Luna.
Stellæ.

Roman.
Esaiæ 45

Gene.
Homo.

Lignū sci-
entiæ bo-
ni & mali.

Gene.
Peccatū.

Miseria.

A paradisi delitijs pulsi fuerūt. Nudosq; sese omniq; tegumento priuatos tum primum esse agnouerunt. Et pelliceæ tunicæ, Deo misere, illis dantur, & terram sibi parentem adscripserunt: & iam corruptioni patere inceperunt. Denique nihilis deerat, quod non summam accumularer miseriam. Sed quæret sane aliquis, cur homo creatus sit, qui in tantam calamitatem erat venturus? Qui fieri potest, vt non ei satius esset, nunquam in lucem prodijisse? cur tam clarum, tam admirabilem eū fecit, qui tam breui in calamitosum, erumnosum, subiiciendumq; maledictis ac pœnis erat euasurus? At qui hominem condidit, cum Deus suapte natura esset, rem futuram minime ignorabat. Re autem cognita, cur non iniuriæ potius arguendus, quam beneficii causa colendus sit? Siquidem his, qui futuri miseri sunt, melius sit, principio non esse creatos, autore scilicet saluatore ipso, qui de discipulo proditore illo ait: Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. His igitur de rebus diuinam reprehendere voluntatem, quasi non bene actum cum homine sit, periculosum esse, furorēq; propē dixerim. Imo vero furor supraq; furorē est, naturam excelsissimam Dei vel rem debitam neglexisse, vel quod vtile faultumq; homini foret, ignorasse putare. Oporteret potius eos tam in delibendo, quam in agēdo Deum sine vlla menda esse censentes, non sentire, vltra quæ sentire oporteat, remq; eiusmodi non tam curiosè inquirere. Ad hæc, illud etiam quærerere temere vellent, vtrum his, qui non solum esse, sed etiam bene esse adepti sunt, melius foret nunquam ne creatos fuisse, an extitisse, creatorisque gloria participasse? At nemo certe de eiusmodi re, vt opinor, dubitabit. Vt enim qui miseri futuri sunt, si crearentur, multo melius foret, si id non assequuti fuissent, ita & hi, qui vitam iucundam acturi sunt, rem bonam certe expetendamque ducerent, vt & sint, & viuant. Quid igitur quæso? Oportet enim hunc sermonem ad illa, quæ modum humani generis superant, redigere, scilicet ad **B** beatos angelos, qui a Deo facti sunt, atque ex nihilo producti, Angeli, Archangeli, Throni, Potestates, Virtutes atq; Principatus, ipsa quoq; superna Seraphin. Erat etiam inter eos & draco ille præuaricator, & quæ cum eo erant prauissimæ potestates, & communes cum cæteris sanctis rationabilibusque creaturis sedes obtinebant, splendentes gloria summa, longeq; meliorem incomparabilemque statum quam homines adepti sunt. Et quidem dictum a Deo est: Cum Cherubim te collocaui. Sed sancta Cherubin firmam gloriam habent, suumque statum firmissime seruant, & milia milium Deo ministrant, atq; decies centena milia ei adstant. At Satan cum alijs delapsus est, & pristina dignitate priuatus. Nū igitur, quoniam statum suum neglecturus erat, sponteq; ductus, vt Deum offenderet, creatorem omniū oporteret diuinos angelos nequaquam producere, tamq; splendidam admirabilemq; spernere creaturam? Tum quo pacto quæso non lacessitus iniuria videretur, si productus non esset numerus ille angelorum, qui in hodiernum vsq; diem assidue Deo ministrant, suoq; conditori cognationem obseruat, ac suæ dignitatis obliuisci nequaquam sustineat? Quid enim est quæso, quod te vehementer facit tristari, quia fortassis aliqui ob insolentiam vitam beatam amiserint? At sunt plures, qui meliorem apud Deum obtinent statum, eiusq; mansuetudine repleti, lōgis assiduisq; laudibus eum efferūt. Et de his, vt puto, beatus David inquit: **Beati, qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te.** Sed cum hæc ita se habeant, age quæstionem hæc ad nos ipsos vertentem, illud consideremus. Creatus homo principio est, suæ voluntatis habenas penes se habens, & quodcunq; vellet, eligere potestatem liberam obtinens. Libera etenim diuina natura est, ad cuius similitudinem formatus est: ob quam etiam rem, & non alia de causa, admiratione dignus existimatur, si virtutem sponte sequeretur, suæq; voluntatis fructum ob rerum gestarum integritatem perciperet, non quasi necessitatis naturalis effectus eū adstringeret, vt ab honestate omnino aber-

Matth. 26

Roma. 12

Angeli.

Danie. 7
Casus an-
gelorum.

Psal. 23

erraret, si vitio se implicaret. Ergo principio homini a Deo traditum est, ut in omnibus rebus libere agere possit. Sed calliditate diaboli deceptus in res illicitas imprudenter delapsus est, prauaricationemque legisque transgressionem minimi faciebat. Quamobrem morte corruptioneque condemnatur, Deo, ut opinor, prauidente, quod inciderit commodius homini fore. Nam cum semel se peccato dedisset, naturaque aegrotante, ad res illicitas pronus simul atque maligni spiritus perpetuo ferretur, mors veluti remedium quoddam opportunum excogitata est, non ut corpore & anima simul periret, sed ut potius de integro restauraretur, & ut ita dixerim, tanquam vas quoddam cōfractum tempore opportuno rursus fingeretur. Sed quod homo corruptioni subijceretur, creator omnium minime ignorauit. Imo vero & id certo sciebat, & quo pacto peccatum solueret, & corruptionem e medio tolleret, & ad pristinam denique felicitatem restitueret. Sciebat namque, quod tempore opportuno filium suum missurus erat, qui in humana natura pro hominibus moreretur, mortisque imperium euerteret, ut & mortuis simul & uiuis dominaretur. Quid enim, si omnes homines non crediderunt? At certe eorum, qui saluati sunt, adeo magnus numerus extitit, ut omnes, qui perierunt, facile superaret, frustra que eos contristari ostēderet, quasi diceret: Quoniam fructum adinventionum suarum comedent. Nam cum saluos se facere possent, si uoluissent, atque detrimenta, quae interim obrepserunt, effugere, liberatorē, id est, Christum nequaquam recipiunt. At mihi dic: Si aliquis cultura agrī peritissimus, agrū suum feracioribus arboribus confereret, cunctaque, quae ad agricolarum artem pertinent, summo studio exerceret, nullo tamen pacto, quae nocitura diuersis ex causis solent venire, posset declinare: nonne suo officio agricolā hunc functū esse quisque putaret? Is enim debitā curam adhibuit, quaeque ad cultum plantarū pertinerent, omni studio gessit: illae tamen aegrotarunt. Num igitur melius esse diceremus, agriculturam neminem exercere, neque agrum nobilissimis arboribus cōferere, artemque agriculturā e vita humana penitus tollere, ne forte aliqua plantā iniuriā patiantur? At quoniam pacto non oēm furorē superaret, si recte id se habere quisquam existimaret? Ergo neque Deus culpe arguendus est, quia hominem produxit. Nos potius ipsi incusemus, si aliquē intellectum habemus, qui nobis sponte obfuius. Quod autē, cum hominē Deus crearet, statim intellexerit, quod corruptioni subijciendus esset, neque modum remedij ignorauerit. B. Paulus in mediū ductus plane declarabit, qui salutem humani generis, quam Christus gesserat, patrem praesagisse multis antea seculis adserit. Ita enim ad Timotheū scribit: Noli itaque erubescere testimoniū domini nostri Iesu Christi, nec me uinctum eius, sed collabora Euāgelio secundum uirtutem illius, qui nos liberauit, & uocauit uocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quae data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia: manifesta est autē nunc per illuminationē saluatoris nostri Iesu Christi. Caeteris quoque ita refert: Sci mus autē, quia diligentibus Deū omnia cooperantur in bonū, his, qui secundum propositum uocati sunt sancti. Nā quos praesciuit, & praedestinauit cōformes esse imagines filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autē praedestinauit, hos etiā uocauit. Et quos uocauit, hos etiā iustificauit, quos autē iustificauit, illos & magnificauit. Vide ne quemadmodum magnificatam inquit fuisse gratiā, quae in Christo est ante tempora sempiterna, praecognitos etiā praedestinosque a Deo & patre eos esse, qui imagini filij sui cōformes futuri essent: Praecognitus enim, ut retuli, modus incarnationis fuerat, sed remediū aegritudinis tēpori opportuno differebatur. Quod Paulus rursus affirmat, hunc in modum inquit: Ei autem qui potens est uos cōfirmare iuxta Euāgelium meum, & praedicationem Iesu Christi, secundum reuelationem mysterij temporibus aeternis taciti, quod nunc patefactum est per scripturas prophetarum secundum praecceptum aeterni Dei

A Dei ad obedientiam fidei in cunctis gentibus, cogniti soli sapienti Deo per Iesum Christum: cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen. Mysterium enim silentio traditum est, sed in praesentia uoluntate Dei & patris per legem prophetasque explicatum. Ad pristinum enim statum per Christum restitutum sumus, euerlis iam omnibus, quae diaboli seductione in humanam obreperunt naturam. Sic enim Paulus iterum de saluatore nostro inquit: In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiae eius, quae superabundauit in nobis, in omni sapientia & prudentia, ut notū faceret nobis sacramentū uoluntatis suae, secundum beneplacitū eius, quod proposuit in eo in dispensationē plenitudinis temporū, instaurare omnia in Christo, quae in caelis & in terris sunt in ipso, in quo etiā sorte uocati sumus, praedestinati secundum propositū eius, qui omnia operatur secundum consiliū uoluntatis suae, ut simus in laudem gloriae eius nos, qui ante sperauimus in Christo. Ecce rursus praedestinati inquit sumus secundum propositum patris, & ut nostrā essentiam, sic etiā spem antiquissimam adepti sumus: Deo utique rem eiusmodi multis antea seculis praesagiente, suaeque uoluntate, quae nobis profutura essent, dispensante. Cum enim peccati inuentor & perpetrator diabolus, Adam principio seduxisset, criminique obnoxium reddidisset, & ita ad mortem eū ferri fecisset, poenaeque in oēs homines pertrāsisset, morbo utique ipso ueluti ex radice ad omnia, quae ex ipsa prodeunt, transcurso. Regnauit etenim mors, ut Paulus inquit, ab Adam usque ad Moysen, etiā in eos, qui non peccauerunt. In similitudinem prauaricationis Adae necessario creator omnium suis creaturis succurrendum putauit, radicemque quasi generis secundā molitus est, quae ad pristinā nos immortalitatē restituat. Ut licet primi hominis imago impressionem in nobis effecit adeo, ut omnino nos mori oporteat, corruptionisque laqueo capi, ita post eum, secundum nostrum principium. i. Christus, & ad eum per spiritū similitudo immortalitatē nobis imprimeret: & sicut illius contumacia subditos nos supplicij fecit, ita huius obedientia paternae benedictionis participes nos reddat. Factus est enim, inquit, primus homo Adā in animā uiuentē: nouissimus Adā in spiritū uiuificantē, quod quidē alio quodā modo declarauit, inquit: Primus homo de terra terrenus est, secundus homo de caelo caelestis. Qualis terrenus, tales et terreni, et qualis caelestis, tales et caelestes. Igitur sicut portauimus imaginē terreni, portemus et imaginē caelestis. Atque etiā Christus nos redemit ex maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Humiliauit enim semetipsum, ut scriptum est, & ad nos usque uerbum Dei sponte descendit, non ut a morte ipse quoque una cum hominibus uincatur, mortem etiam in eum Adam transmittente, cum ipse sit, qui cuncta uiuificet: sed ut quod subiectum corruptioni fuerat, ad uitam restitueret. Ita namque & sapientissimus Paulus inquit: Quandoquidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Quippe per absurdum est, ut Adam terrenum hominem uim maledictionis ueluti quandam naturalem hereditatem ad totum humanum genus posse transmittere arbitremur. Emanuelem uero, qui de caelo est, Deusque suapte natura, & nobis similes esse uoluit, secundusque nobis Adam factus est, non tantum roboris habuisse existimemus, ut illos, qui eius familiaritatem per fidem adepti sunt, suae uitae participes facere posset. Conformes etenim ei per mysticam benedictionem facti sumus. Atqui alio quoque modo ei coniuncti fuimus, cum eius diuinam naturam per spiritum cum eo communicassemus. In animis enim sanctorum habitat, ut beatus Ioannes inquit: In hoc scimus, quoniam manet in nobis, quia de spiritu sancto dedit nobis. Ergo ipse est uita nostra, ipse nostra iustificatio. Quod etiam & Paulus uidetur adserere, cum dicit: Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius iustitiam in omnes

Romano. 5 homines in iustificationem vitæ. Et rursus: Sicut enim per inobedientiam vnus C
hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnus hominis obedientiam iusti constituentur multi. Quæ igitur in primo Adam tum acta sunt, mysterium Christi mirum in modum repræsentabant, quamuis non isidē, sed diuersis quodammodo rationibus. Ille enim causa generi humano ad mortem, ad maledictionem, ad condemnationem fuit. Is contra, ad vitam, ad benedictionem, ad iustificationem. Et ille quidem in carnem mulierem accepit, & propter eam interijt: Christus Ecclesiam sibi per spiritum coniungēs, liberam saluamq; reddidit, omniq; diaboli fraude superiorem efficit. Idcirco & calamitate iubet. Non enim eius cogitationes ignoramus. Et progenitor Adam peccati stipendium, præuaricationisq; successionem, corruptionem obtinuit. Christo iustitia pro crimine imputabatur, vt ludæorum furor indicauit. Quamobrem propter passionem mortis, vt Paulus inquit, gloria & honore coronatur. Et Adæ res duntaxat terrenæ subiiciebantur, Christo autem omnia. Omne enim genu flectetur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confitebitur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris, Amen.

2. Corint. 2

Hebræo. 2

Philipp. 2

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI in Genesim Liber II.



Actorū 4

Genesis 4

Cain, Abel.

RINCIPIO igitur genus humanum hunc in modum, vt paulo ante retulimus, in Adam mortis corruptionisq; subiectum fuit: sed liberum non aliter, nisi duntaxat per Christum est. Vt enim eius discipulus inquit, non est nomen alterum sub cœlo, quod hominibus datum est, in quo nos saluari oportet. Oportuit enim eum, per quem omnia producta sunt, rerum iam euersarum instauratorem fieri, atque peccatum procul expellere, quodq; dolorem adferret, destruere, & his, qui per eum creati sunt, vitam optimam reddere. Quod equidem diuinæ potentia opus esse dixerim, vt non solum ex nihilo producere posset, sed etiam quæ iam deprauata corruptaq; sunt, ad suum quæq; statum reducere. Sed eiusmodi nota facile demonstrata est, cum de Adam tractarem. Quam etiam nō minus & in his, qui ex eo procreati, quisq; perspicere queat. In Christo enim, quæ in cœlis, quæq; in terris sunt, Deus & pater instaurauit, & quod iam in res illicitas delapsum fuerat, ad pristinum statum restituit. Per Christum quippe nō solum detrimenta, quæ in humanam naturam obrepserunt, euersa ad nihilumq; reducta sunt: verū etiam res humane de integro recreatae fuerūt. Noua etenim creatura in eo, quod certissimū est. Sed aspice quæso, quæ admodum etiā in Abel atq; Cain Christi mysteriū, per quod saluati sumus, mirifice representetur. In Genesi enim hunc in modū scriptū est: Adā vero cognouit Euā vxorē suā, quæ concepit & peperit Cain, & dixit: Possedi hominē per Deū. Rursumq; peperit fratrem eius Abel. Fuit autē Abel pastor ouium, & Cain agricola. Factū est autē post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terre munera dño: Abel q; de primogenitis ouium suarū, & de adipibus eorū. Et respexit Deus ad Abel & ad munera eius: Ad Cain vero & ad munera illius non respexit. Et contristatus est Cain vehementer, & cōcidit facies sua. Dixitq; do-

A dominus Deus ad Cain: Quare contristatus es, & cur concidit facies tua? Non si recte obtuleris, idcirco recte diuiseris. Peccasti, quietem age. Ad te spes eius, & tu dominaberis illius. Dixitq; Cain ad fratrem suum: Eamus in agrum. Cumq; essent in agro, surrexit Cain aduersus Abel fratrem suum, & occidit eum. Et ait dominus Deus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio. Nūquid custos fratris mei sum? Dixitq; Deus: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Et nunc maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum suscipere sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non apponet dare tibi virtutem suam. Gemens & tremēs eris super terram. Dixitq; Cain ad dominum Deum: Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Si eijcias me hodie a facie terræ, & a facie tua abscondar, & ero gemens & tremens super terram. Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me. Dixitq; ei dominus Deus: Nequaquam, sed omnis, qui occiderit Cain, septem vindictas vlscetur. Posuitq; dominus Deus signum in Cain, vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum. Egressusq; est Cain a facie Dei. Cain igitur & Abel ambo ex Adam procreati fuerunt, & veluti rami quidam molles floridq; ex prima radice eruperunt. In quibus humana natura fructum suum excogitabat, præceptumq; illud: Crescite & multiplicamini, adhuc vix apparebat, vimq; suam ostendere poterat. Sed Cain, quoniam primus erat natu, primatum quoq; tenebat. Parebat autem Abel, vt pote qui minor natu esset. Et donec tenera iuueniliq; ætate essent, tanquam pulli quidam iuxta suos parentes alebantur. Vbi vero virilem ætatem adepti sunt, ad diuersa quisq; negocia se contulit. Et Cain cum herbescente terra delectaretur, eamque multis varijsq; arborum generibus præditam, perpulchrisq; frugibus exornatam aspiceret, cultu quoque mitiorem eam reddere censuit, & quæ suapte natura expetenda essent, tantoque ornatu sponte decorata, facile ad iucundiorē pulchrioremq; aspectum euasura merito existimabat, si ars quoq; agrorum adhiberetur. Quamobrem quæ ad culturam agrī pertinerent, omni studio præparabat, omniq; conatu, vt propositum suum perficeret, nitēbatur. Quæ itaq; natura duce intelligebat, diuināq; lex atq; ineffabilis ratio mentē eius illustrabat, vt eas res, quas vellet eligere, intellectu capesseret. Hæc igitur Cain digna studio operaq; putauit. Abel vero sapientissimus arbores conferendas, terramq; fodendam omisit, atque falcem exercendam non passus, ad greges se ouium contulit. Quod huius sit mentis, agni fortassis eum impellebant, qui matribus languidum quoddam resonabant, vixq; balantes mollibus recentibusq; pedibus per herbas florentes tripudiabant. Erant præterea & capræ, quæ myctiendo sublimia saxa sine vlllo labore discurrebant. Qua quidem re non solum delectatus est, verum etiam artem pascendi tanquam rem excellentissimam corona per pulchra sententia dari decreuerat. Perinde enim atq; homines regeret, rem ipsam summa cum sapientia exercebat. Ob quam etiam causam præfules quoq; gentium, ciuitatum, populorumq; tam scripturam sacram, quam gentiles ipsos, pastores solitos appellare existimabat. Igitur cum alter ad culturam agrī, alter ad artem pascendi se contulisset, post breui tempore Cain agros frugiferos perpulchrisq; fructibus pollentes obtinuit: Abel illæ quas iam congregauerat oues, per magnam copiam procrearunt. Deinde ratio cognitionis Dei, quæ natura hominibus inesse videtur, eos trahebat, vt creatori omnium boniq; totius causæ gratos sese

Genesis 1, 2

fese redderent. Nam etsi corrupta depravataq; mente adeo sunt, qui simulachra colunt, vt quisnam creator esset, nullo pacto possint cognoscere, tamen ratio quædam naturalis hominibus necessario inest, atq; spontanea quædam notio resultat, quæ eos magnopere cogat, vt illum, qui longe sublimior longeq; excellentior cunctis mortalibus constat, omnino intelligant. Ergo sacer ac sapientissimus Abel, quæ inter gregem suum præstantiora essent, quæq; æquissimo animo delecta fuere, Deo optimo offererat. **Obtulit enim**, inquit, **ex primogenitis ouium, & ex adipibus eorum**, id est, quæ elegantiora præstantioraq; haberentur, modumq; sacrificandi haud ignarus, adipem quoq; apponebat. At Cain non eo modo, sed contra, magna cum negligentia offererat. Quæ enim ex tempestiuis frugibus excellentiores essent, suis delitijs reseruabat: quæ vero deteriores haberentur, Deo maximo offerre non erubescerat. Quamobrem ad munera Abel ignem cœlitus emissum, consumere sacrificium effecit. **Ad Cain, inquit, & ad sacrificia eius non respexit.** Non enim ignem assuetum oblati emisit. Idcirco Cain vehementissime angitur. Sed cum causam diuinæ iracundiæ didicisset, optimamq; Dei sententiam Abel affectum intellexisset, non ad patratorum emendationem malorum se contulit, sed præpotenti ira incensus, primus inter homines feratam inuidiam peperit, & quasi Deum iracundiæ puniens, fratrem laude dignum fraudulenter adiuit, ac beneuolum se illi ostendebat. Cum mentem suam plenam diaboli prauitate, sceleratissimarumq; opinionum haberet, iucunditatemq; sermonis subinde simulans: **Eamus, inquit, in agrum.** Audisne, quemadmodum eum, vt in agrum pergeret, hortaretur, quo eius fortassis potiretur clementia, varioq; florum aspectu oblectaretur? Insidias tamen impiæ sceleratissimæq; molitur: et eum tanq; quandam intempestiuam primitiam morti celeriter tradit, atq; viam nefandissimæ necis generi humano ostendit. At cum Deus interrogaret: **Vbi nam est Abel frater tuus?** obnoxium se reddit mendacio, sineq; vilo pudore negat: **Nescio, inquit, sed cum homicida deprehensus maledictisq; subiectus, existimassetq; inuito etiam Deo se moriturum, finemq; subinde malorum diuinæq; iracundiæ affecturum: Si eijcias, inquit, me hodie a facie terræ, & a facie tua abscondar, & ero gemens & tremens super terram: omnisq; qui me inuenerit, interficiet.** Sed vt magis magisq; maledictis subijciatur, patratorumq; scelerum pœnas diuissime luat, miseriam vitam degendo. **Nequaquam Deus, inquit, sed qui Cain interficiet, septem vindictas vlciscetur.** Septenarium vero numerum pro multitudine posuit, perinde atq; diceret: Multorum nefandorum scelerum vindictam faciet, qui Cain fratricidam hac vita priuauerit. Sed si quis ad septenarium quoq; numerum hæc reducere vellet, facile id assequetur. Nam primum peccatum Cain perpetravit, cum neq; recte diuisisset, neq; res præstantiores Deo obtulisset. Secundum, cum peccatum, quod patrauerat, sciuisset, ad pœnitentiam se vertere nullo pacto curasset, castigataq; vita, quæ commiserat, emendare: imo potius ira incendebatur, ac probitate fratris furebat, quem magis certe æmulari oportuit, quam hostem habere, mentemq; prauissima eum seducere. Tertium, indomita ferataq; inuidia est, quæ veluti quædam immanitatis accessio, ad homicidium eum compulit. Quartum: **Eamus, inquit, in agrum,** quod fraudem seditionemq; ostendit. Quintum, sceleratissimæ necis crimen amplectitur. Sextum, mendacium computatur, quod contra Deum protulit. Septimum, quod inuito Deo patratis pœnas effugere posse arbitraretur. At dedit, inquit, **Deus signum Cain, vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum.** Egressusq; est Cain a facie Dei. Porro maledictis protinus subiectus fuit, atq; diuina iracundiæ effectum

forti-

A fortiebatur. Eum enim, qui cunctis se vitijs implicauerit, sanctissima illa immaculatissimaque Dei natura facile animaduertit. Sed hæc tanquam inculte historicæq; dicta sint. Vt autem hanc imaginis inumbrationem coloribus quoque exornemus, agere opera adhibita, singula indagantes, primum confideremus, quemadmodum Christi mysterium in rebus olim peractis, veluti in umbra quadam fingeretur. Quippe cum humana natura in peccatum iam delapsa fuisset, atque laqueis mortis capta ex improviso: mysterium quoque, quod eam ad optimum statum restitueret, multis ante seculis prædicari oportuit, Christumq; minime ignorari, qui pro hominibus moriturus esset. Adam igitur progenitor, vt sacre literæ recitant, ad imaginem & similitudinem Dei principio creatus est. Ex quo primus Cain, secundus Abel procreati fuere. Sed Cain Iudæorum populo comparemus. Nam & ipse Christus Iudæorum populum similem Cain moribus esse adserit, inquit: **Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.** Quod cū illam spirituales libertatem ignorarent, carnalem se iactatione gloriari contēdebant. Nos, inquit, semen Abrahæ sumus, & nemini scruiuimus vnquam. Quomodo tu dicis: **Liberi eritis: Si filij, inquit ille, Abrahæ essetis, opera vtq; Abrahæ faceretis.** Nūc autem queritis me interficere, hominē qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui a Deo. Hoc Abraham non fecit. Eisq; Satanam patrem tribuit, inquiens: **Vos facitis opera patris vestri.** Ille homicida erat ab initio, & in veritate nō stetit, quia mendax est & pater eius. Quod si recte intelligere velimus, nunquam Christum prauissimi dæmōis meminisse existimabimus. Sed Iudæis potius, qui contra ipsum furebāt, Cain, qui primus inter homines homicida patratorq; mendacij extitit, patrem attribuit. At doceant quæso, si qui ambigent, quē patrem diabolo tribuemus, vel quem eius prauitatis exemplar esse dicemus? Nam Cain veluti exemplari omnes, qui prauitate animi similes illi sunt, tanquam eius prauitatis imaginem gestarent, tribuimus. Sed quod Christus quoque omnem hominem Satan appellare solet, qui ei similis moribus sit, facile hinc patebit, cum hunc in modum discipulos suos alloqueretur: **Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?** Ergo Israeliticus populus Cain comparandus est, de quo etiam scriptum est: **Filius meus primogenitus Israel.** Sed post primogenitum Israelem, secundus quasi natus, multoque iunior Christus natus est, filius & ipse Adæ. Quamobrem & filium se hominis sapienter, dispensationisq; gratia vbique appellat. At Israel Deum honore prosequi putabat, cum quæ temporalia essent, facileq; marcescerent, ei offerret. Atque etiam rebus terrestribus tota mente sua inhæsit: ad agriculturam enim Cain se contulit. Abel pastor ouium erat. Gregem quippe rationabilem Emanuel regit, cum ipse pastor sit optimus, qui locis pinguis, optimisq; pascuis, vt scriptum est, greges tam supernos quam infimos mirifice pascit. Ad quem illam etiam prophetarum vocem pertinere arbitror: **Pasce populum tuum, in virga tribum tuam, & oues hæreditatis tuæ.** Ergo Israel rebus, vt retulimus, terrestribus se Deum honorare putabat. Et cum ea, quæ lege Mosis sancita fuere, sacrificaret, resq; minus acceptas Deo offerret, verba eiusmodi deprompta Esaiæ audiuit: **Holocausta arietum & adipem agnorum, & sanguinem vitulorum & hircorum nolo, cum veneritis ante conspectum meum. Quis enim quæsiuit hæc de manibus vestris? Non ambulabitis in atrijs meis, si adferetis mihi similitudinem frustra. Incensum abominatio mihi est. Rursus: Cur mihi thus de Saba adfertis, & cinamomum de terra longinqua? Holocausta vestra non sunt mihi accepta, & sacrificia vestra non me delectant. Hinc enim latissime patet,**

patet, nullo pacto Deum Cain sacrificijs intendisse. Sed Abel, id est, Christus ex gregibus rationabilibus Deo primogenita offerebat, teneres scilicet corde, infantibus in vitio, virtutibusque præditos, ad eiusque imaginem primogeniti gloriam obtinentes. Multitudinem etenim eorum, qui per fidem in sanctificationem vocati sunt, Ecclesiam primogenitorum adscriptorum in cœlis, sacratissimus Paulus appellat. Huius ergo sacræ multitudinis gregisque primogenitorum Christus autor pontifexque fuit. Per eum enim ad Deum & patrem in spiritu aditum habuimus, & bonum acceptabileque sacrificium fuimus super vitulum nouellum cornua producentem & ungulas. Enimvero oblatio, quæ per sanguinem fit, infima quædam terrenaque est, odoremque suauitatis nullum apud Deum obtinet. At cultus spiritualis, qui per Christum exhibetur, mirum in modum patrem delectat. Ita enim Iudæis, qui res terrenas offerunt, Deus ait: Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos: quoniam meæ sunt omnes ferae sylvarum, iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi. Meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius. Nobis vero, qui in Christo iustificati sumus, atque spiritu sanctificati, hinc in modum inquit: Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis: Eruam te, & honorificabis me. Res ergo spirituales longe meliores terrenis sunt, atque sacrificium, quod per Christum offerimus, multo perfectius illo constat, quod lege Mosis statutum est. Non quippe Cain sacrificijs, sed Abel Deus intendebat. Sed ob quam causam, animaduertas velim. Israeliticus populus recte quidem offerebat (immolare enim Deo oportebat) sed non recte diuidebat, cum notis semper umbrisque inhæreret, hisque Deum oblectari putaret: ob quam quidem rem peccauit, quietemque agat, dictum est, hoc est, mores veteres legisque usum relinquat, ducemque sibi constituat. Peccasti etenim, inquit, quietem age. Et ad Abel: Ad te spes eius, & tu dominaberis illius. Quod si Israel terrestres oblationes, quodque ex legis cultu superuacuum esset, expellere voluisset, atque principem sibi ducemque perfectioris vite Christum constituisset, liber utique euasisset, & nobiscum vna, sicut sacra testantur eloquia, in libro viventium adscriptus fuisset. Sed cum simulatque Cain saluatoris nostri probitatem, occasionem sibi inuidiæ nefandissimamque necis causam proposuisset, maledictis certe perpetuis septemque vindictis obnoxius fuit. Compluribus etenim criminibus poenisque: crudelissimis miserum Iudæi subiecti sunt. Gementes enim atque tremantes vitam miserissimam degunt, ubique peregrini, ubique aduenæ, ubique timidi sunt, nullaque audaciâ habent, quæ precipue liberis hominibus conueniat. Accipit tamen Cain signum, ut non omnis, qui eum inuenisset, interficeret. Non enim Israel prorsus periit, sed pars aliqua reseruata est, ut Esaias refert: Et nisi dominus, inquit, sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissimus, & quasi Gomorra similes effemus. Psalmista quoque sanctissimus summis precibus Deum precatur, ne Israelem omnino deleteret, cum dicit: Non occidas eos, ne quando obliuiscantur legis tuæ. Eiectus est tamen Cain a facie Dei: quod populus Israeliticus certe passus est, ad quem voce Esaiæ ita Deus ait: Si extenderitis manus vestras ad me, auertam oculos meos a vobis. Et cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim vestrae sanguine plenæ sunt. Occiderunt enim omnium dominum, atque præ nimia scelerositate ausi sunt dicere: Sanguis eius super nos & super filios nostros. At sanguis Abel contra duntaxat homicidam suum redundauit: Christi vero sanguis preciosissimus Iudæorum immanitatem ingratitudeque arguit, mundum tamen peccato redemit, cuius gratia effusus est. Ita enim beatus Paulus inquit: Nos qui in fide iustificati sumus, aspersione sanguinis Christi, qui multo melior sanguine Abel sit, ad Deum accessimus. Sed hoc

A hoc quoque addendum censeo. Post enim mortem Abel, cognouit, inquit, Adam vxorem suam. Quæ concepit & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth, dicens: Suscitauit enim mihi Deus semine aliud pro Abel, quem occidit Cain. Et paulo post: Vixitque Adam triginta & ducentis annis, & genuit filium ad similitudinem & imaginem suam: vocauitque nomen eius Seth. Aspice igitur quæso, quemadmodum post mortem Abel simillimus imagini similitudinique Dei, hoc est, Adæ rursus alter filius Seth procrearetur. Vt primum enim Emmanuel carne mortuus est, alter filius Adæ procreatur, qui diuinæ imaginis excellentissimam illam pulchritudinem adipisceretur. Sed quod eiusmodi generis veluti quædam radix causaque mors Christi fuerit, ipse declarat, inquit: Amen amen dico vobis, nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si verò mortuum fuerit, multum fructum adfert. Qui itaque cum in terram veluti granum cecidisset, quasi spica fertilissima erupit, quæ humanum genus ad pristinam illam imaginem, ad quam primus homo creatus erat, restituit. Sed operæ precium certè duco, ut vtriusque hominis, Cain scilicet & Seth genus inuestigare. Hinc enim aliquid fortè perutile exultabit. Et cognouit, inquit, Cain vxorem suam, quæ concepit & peperit Enoch: & ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij sui Enoch. Porro Enoch genuit * Gaidad, & Gaidad genuit Mauiahel: & Mauiahel genuit Mathusael, & Mathusael genuit Lamech, qui vxores accepit duas. Nomen vni Adæ, & nomen alteri Sella. Deinde adiunxit: Dixitque Lamech vxoribus suis Adæ & Sella: Audite vocem meam vxores Lamech. Auscultate sermonem meum: Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum, quoniam septies vltio facta est de Cain: de Lamech vero septuagies septies. Ex his enim procreationem liberorum Cain claram dilucidamque potes accipere. Sed videamus, qualis quoque Seth procreatio fuerit. Ita enim refert: Vixit quoque Seth quinque & * ducentis annis, & genuit Enos. De quo dicitur: Hic sperauit inuocare nomen domini Dei sui. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus est. Vixit vero Enos centum & nonaginta annis, & genuit Cainan. Factique sunt omnes dies Enos nongentorum quinque annorum, & mortuus est. Vixit quoque Cainan centum & septuaginta annis, & genuit Malalehel, et facti sunt omnes dies Cainan nongentorum decem annorum, & mortuus est. Vixit autem Malalehel centum sexaginta quinque annis, & genuit Jared. Et facti sunt omnes dies Malalehel anni octingenti nonaginta quinque, & mortuus est. Vixitque Jared centum sexaginta duobus annis, & genuit Enoch. Deinde inquit: Quoniam ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit, quia transtulit illum Deus. Aspice igitur ante omnia quæso, quæ admodum qui ex Cain descendunt, appellarentur, quoque modo generis eorum contexeretur successio. Atqui quantum temporis quisque eorum vixerit, adiunctum non est, quemadmodum de his, qui ex Seth procreati fuerunt, memoriæ proditum fuerit. Cuiusque etenim ætas diligenter descripta est, cum & ante & post liberorum procreationem quot quisque vixerit annis, summo cum studio enumeratum sit, ac proinde facile quisque intelligere possit, nullo pacto Deum vitam peccatorum pati cognoscere. Audient namque, cum Christi tribunali adsistent: Amen amen dico vobis, nescio vos. Quippe etsi nihil sit, quod mentem diuinam effugere possit, tamen peccati patrandi cupidus eum ignorare adserimus, ob nimiam quam aduersus il-

Genesis 4

Seth.

Genesis 5

Ioannis 12

Genesis 4

* Alias I rad.

Genesis 5
* Alias centum.



Math. 23

Ios iracundiam habet. Quamobrem & tempus vitæ eorum, qui ex Cain procreati fuere, silentio traditum est. Nihil enim memoratu dignum egerunt. Imo verò, quæ nocumenta hominibus adferrent, qui eorum historiam lecturi essent, & excogitarunt. Quapropter meritò Dei labuntur memoria. At sanctissimorum hominum vitam Deus cognoscit, quam maximi facit, nihilque eorum profectò est, quod mentem diuinam lateat, quod ipse dominus manifestè fatetur, cum dicat: Nonne duo passeres venundantur asser. Et vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro, qui in cœlis est: Vestri autem & capilli capitis numerati sunt. Si capillorum ergo numerus eo dignus Dei memoria censetur, quia cuncta sciuerit, quoniam pacto tempus vitæ eorum ignorare verisimile sit: Oculi enim, inquit, domini super iustos. Secundus post Cain Enoch urbem cognomine suo vocitatum in terra protinus ædificauit. Sancti tamen homines magis magisque gloriantur, cum eiusmodi sentiant atque dicant: Non habemus hic ciuitatem manentem, sed futuram quærimus: cuius opifex & creator Deus est. Præsentem etenim vitam, quasi quandam peregrinationem existimant, vt Dauid inquit: Remitte mihi, quoniam aduena ego sum in terra, & peregrinus, sicut omnes patres mei. Ita enim & de his, qui rebus inhærent terris tribus ait: Vocauerunt nomina sua in terris suis. Ortus est autem è Seth diuus ille Enoch, de quo scriptum est: Hic sperauit inuocare nomen domini Dei sui. Genus quippe in Christo sanctum ac sacrum habetur, spemque illam obtinet, quæ supra omnem sensum humanum est. Et quanquam ex limo formati simus, tamen ad adoptionem filiorum Dei Christi que fraternitatem sumus vocati. Hic propter nos similis nobis extitit, vt nos propter eum optimum statum reciperemus, diisque extra omnem humanum sensum efficeremur, cum gratia eius humanitateque tam magnum assecuti simus splendorem. Ego enim, inquit, dixi, dii estis, & filij altissimi omnes. Enoch igitur à nonnullis hominibus in nomine Dei sui, Deus & ipse vocitabatur. Nam cum eum aliqui clementiores benignioresque homines sanctimonia præditum adspicerent, Deum profectò appellabant, excellentissimo eum honore ornare magnopere exoptantes. Sed ad nostrum propositum orationem nostram vertamus. Iudæi quidem imagines eorum sunt, qui ex Cain procreati fuere, qui cognoscuntur à Deo, qui cuncta sciuerit, quoniam sunt. Sed quòd in libro vitæ adscripti non sint, eo facile patet, quòd vita eorum, qui ex Cain descendunt, silentio tradita est. At nulli certè dubium est, Christianorum genus ex libro vitæ aliquo pacto posse deleri. Imo verò in memoria Dei perpetuò est, cum iustorum vita, eorum scilicet, qui ex Seth iusto deriuantur, descripta sit. Et Enoch cum ex Cain procreatus esset, urbem protinus suo nomine condidit. Res etenim duntaxat terrestres, Iudæi miseri sequuntur, cum primogenitorum Ecclesiam penitus ignorarent, in supernamque ciuitatem minimè properarent. At Enoch Seth filius mirum in modum proficit. Deus nanque à nonnullis appellatus est. Atque ita fit, vt qui ad Christum se contulerunt, ob fidem, quam in eum magnopere gerunt, splendorem maximum assecuti sint, spemque firmissimam teneant. Sed hoc quoque inuestigandum per necessarium cenfeo. Nam si quis generationem eorum, qui ex Cain & Seth procreati fuere, enumerare velit, Adámque vtriusque principium veluti quandam radicem præponere, Lamech septimum certè ex Cain, atque Enoch ex Seth descendente comperiet. Ita enim vtriusque fit generis enumeratio: Adam, Cain, Enoch, Gaidad, Mauiahel, Mathusael, Lamech. Rursus Adam, Seth, Enoch, Cainan, Malalehel, Jared, Enoch. Sed in quibus vterque differat, videamus. Lamech etenim cum vxoribus suis hæc communicabat, inquiens: Audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum. Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum. Quoniam septies ultio facta est de Cain: de Lamech verò septuagies septies. Enoch autem iustus fide translatus est, ne videret mortem, vt beatus Paulus in-

quit: Et non inueniebatur, quoniam transfudit eum Deus. Quippe in nouissimis huius seculi temporibus, quum in Christo sabbatismus fiet, tum populus Israeliticus poenas cruciatúsque perhorrescens, pronus in terram cadet, vtpote qui virum interfecerit, & ob sacratissimum sanguinem Christi maioribus, quam ipse Cain, subiicientur supplicijs. Ille enim quum vnum hominem interfecisset, septem ultionibus obnoxius fuit. Hic verò quum contra Christum nequissimè gessisset, maiores quoque poenas luet. Septies nanque de Cain ultio est facta, sed de Israel septuagies septies. Pro ratione enim impietatis, supplicia quoque computantur. Sed qui in Christo per fidem profecerunt, cum ipse secundo aderit, Satana quæritante, nusquam inuenientur. Deus enim & pater ad illam incomparabilem felicissimamque vitam eos trāsferet. E morte quoque corruptioneque ad immortalitatem, ex affectionibus carnis ad ea, quæ Deo accepta sunt, ex ignominia ad gloriam, ex imbecillitate ad robur traducet. In Christo Iesu domino nostro, per quem patri spirituique sancto sit gloria in secula seculorum, Amen.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRI in Genesim Liber III.



NOE vir bonus, supernæque diuinitatis amator præcipuus fuit, huicque rei nihil prorsus anteponebat. Sed cum vir clarus splendidusque, atque celeberrimus esset, maximisque virtutibus præditus, meritò dignus laude admirationeque inter homines habebatur. Ad quem hæc nostra tendit oratio, salutisque humani generis notam imaginemque huic ob eius res gestas accommodantes, magnum adiumentum hominibus, qui hoc opus lecturi sunt, adferemus. Age ergo res eius singulas pro viribus enarremus, historiæque ruditatem tanquam excolentes, quæ acta præclare sunt, ad spiritualem contemplationem conuertamus. Igitur ex Adam Seth post necem Abel procreatus est. Ex quo Enoch ille, qui sperauit inuocare nomen domini Dei sui, quique ab illis hominibus, qui tum temporis aderant, Deus appellatus est. Nam cum incredibilem eius iustitiam animaduertent, Deum protinus appellabant, atque ob eius admirabilem virtutem, dignum hac appellatione existimabant. Ex quo alij complures procreati fuere, & Lamech ipse pater Noe, qui in filij sui procreatione futura statim præfagebat, sicut & Zacharias ipse in beati Ioannis natiuitate.

Noe etenim eum appellauit, Quod requiem interpretari possumus. Sed huius appellationis causam reddens Hic, inquit, ab operibus nostris manuumque nostrarum doloribus, terra que ipsa, cui dominus Deus maledixerat, quietem nobis adferet. Res ergo clarissimas splendidissimasque Noe natiuitas maioribus nostris præfagebat. Vndecimusque ex Adam per Seth eius filium numeratur, & ad huius usque tempora omnes, qui ex Enoch nati sunt, dii prorsus appellabantur.

B ij Sed

Sed erat Noe, inquit, quingentorum annorum, & genuit tres filios, Sem, Cham, lapheth.

Et Sem quidem perfectionem siue plantationem ex Hebræa in Latinam orationem conuertere possumus. Cham calliditatem, lapheth amplificationem. Deinde hunc in modum sacra scriptura refert:

Genesis 6

Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, & filiae eis procreatae sunt. Videntes autem filij Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt vxores sibi ex omnibus, quas elegerunt. Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in his hominibus in aeternum, quia caro sunt, eruntque dies eorum centum viginti annorum. Gigantes autem erant in terra in diebus illis. Postquam vero ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illaeque genuerunt, illi sunt gigantes a seculo viri famosi.

Nam quum genus humanum ad grandem multitudinem propagatum fuisset, ad nefandissimamque mulierum libidinem prolapsum, filij, inquit, Dei duxerunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerunt. At in nonnullis exemplaribus hunc in modum scriptum esse comperio: Videntes angeli Dei filias hominum; atque ita fit, vt nonnulli crimen libidinis, tamque sceleratam voluptatem, angelis è caelo lapsis adscriberent, qui dignitatem suam, vt scriptum est, non obseruarunt. Ego tamen nullum vitium cum illis, quia incorporei sunt, commune esse dixerim, neque faterer. Nam absurdum profecto esset, si rem ipsam, quae à recta omnium opinione abhorreret, concedere vellemus. Hoc enim nostrum propositum est, vt rerum gestarum veritatem inuestigemus, nulloque pacto prauissimorum hominum falsam opinionem sectemur; quippe cum voluptatem ipsam nil aliud, quam motus, qui in nobis natura insunt, sequi semper perspiciamus. Aut enim D carnis affectus diligimus, aut ea, quibus voluptatem assequi possumus, in bonis rebus, expetendisque esse ducimus. Ultra nanque naturam nihil voluptates nos distrahere queunt, quod hac ratione latissime patet. Nam cibus, verbi causa, potus coitusque mulierum, naturalis quidam actus effectusque est. Diuitiarum quoque honorisque cupiditates, ministrae sunt voluptatum. Itaque cuncta vitiorum genera his ferè rebus existunt. Ita enim & sapientissimus ille discipulus inquit: Omne quod in mundo est, voluptas carnis est, voluptas oculorum, huiusque vitae elatio. Quarum rerum auidæ & effrenatae libidines nos facile incitant, vt carnis voluptates, non solum sentiamus, verum etiam summo studio agamus. At superni spiritus quo motu quæso naturali, aut qua ratione perinde atque homines ad potiendum incitarentur? Non tamen prauissimorum illorum daemonum multitudinem huiuscemodi culpa vacare adsererem. Nequissimum enim sceleratissimumque genus est, ad omnemque rem illicitam pronum, atque etiam præter suam naturam, carnis quoque libidine laboret, verisimile est. Sed quum sacra scriptura dicat, quod cum mulieribus filij Dei coiuissent stupro, ipsaeque eos, qui gigantes appellati sunt, id est, mira quaedam portenta, peperissent, quid aliud intelligere nos oporteat, quam homines rationales? Non enim ex spiritibus incorporeis mulierem vnquam hominem concipere posse, accepimus. Et si nonnulli somniant, atque verisimili quadam ratione rem, quae nullo pacto fieri posset, homines decipiendo conarentur adserere. Præui enim, inquit, spiritus humanum specimen assumptas, cum mulieribus coeunt; quod rudem equidem incultamque eorum rationem comperio. Nam si hoc ita se habere demus, quoniam pacto quæso, quod sacra inquit scriptura, certum verumque esse existimemus? Sed eius textum iterum repetamus: Videntes, inquit, filij Dei filias hominum, quod pulchrae

A pulchrae essent, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerunt. Quod cæterorum quoque interpretum traductio mirum in modum nobis conferre videtur. Aquila enim ita inquit: Videntes filij deorum filias hominum. Symachus quoque pro filijs deorum filios potentum interpretatus est, eos scilicet, qui ex Seth atque Enoch procreati fuere; quippe cum incredibili sanctimonia præditi essent, contraque omnium vitiorum genus generose certarent. Nam optimo Deo opitulante, sanctissimi atque celeberrimi inter homines habiti sunt, nullumque cum illis, qui ex Cain descenderunt, commercium habuerunt. Atqui Lamech suum imitatus patrem, homicida & ipse effectus est. Fatebatur enim se virum occidisse in vulnus suum, & adolescentulum in liuorem suum. Donec igitur sanctissimum illud genus solum per se viueret, nulloque se vitio commisceret, pie in Christo religionis pulchritudo syncerissima, quae inter eos splendesceret, dignum laude planè reddebat. Sed vt primum ad auidas carnis libidines prolapsi sunt, mulierumque pulchritudine incelsi, à via recta plurimum aberrarunt. Acceperunt etenim, inquit, sibi vxores ex omnibus filiabus hominum, quas elegerunt. Et quanquam dij deorumque filij atque potentum appellarentur, mox ad eorum mores & instituta se conuerterunt, atque turpissimam sceleratissimamque vitam sequebantur. Atque ita fiebat, vt vxores eorum prodigia parerent. Deus enim ob eorum effrenatam libidinem, & ipsam humanorum corporum pulchritudinem, deformem sanè reddebat. Erant nanque gigantes, id est, indomiti robustique homines, plurimumque deformes, atque ob corporum magnitudinem cæteros excellentes. Ita enim scripturam sacram robustissimos, gigantes solitam appellare accepimus. Etenim de Persis Mædisque ita prophetae referunt: Gigantes veniunt adimplere furorem meum, gaudentes simul atque contumeliam adferentes. At nullo nos pacto falsis gentilium rationibus assentiamur. Qui enim inter eos eloquentes in primis habiti sunt, præsertim poetae, rerum nonnunquam naturas ad suam voluntatem detrahunt atque conuertunt, resque infimas abiectasque mirum in modum effecerunt, quibusdamque commentitijs rationibus eas honestare summo studio atque industria nituntur, quamuis plurimum ab honestate discederent. Quorum alius Siciliam totam ab vno gigante in caelum proiectam cecinit. Alius rem magis falsam inconstantemque alia de causa excogitauit. Sed sicut antea nos retulimus, gigantes illos esse intelligimus, qui horribiles visu, robore incomparabiles, indomiti inuictique homines ob corporum magnitudinem fuerunt: cæterosque propterea contemnent, non tamen (vt ipsi poetae volunt) & ipsas nebulas attingerent. Cum igitur gentes se ipsis commiscerent, in effrenatamque libidinem laberentur, tum vidit, inquit, Deus, quod multiplicata esset malitia hominum super terram, & vnusquisque in corde suo mala omnibus diebus suis cogitaret, recordatus est Deus, hoc est, poenituit se. Et vt Aquila interpretatur, quod creauerit scilicet hominem super terram, & cogitauit.

Baruch 3

Dixitque Deus: Delebo hominem, quem creauit, a facie terrae, ab homine usque ad pecus, quia recordatus sum, quod fecerim eos.

Noe igitur inuenit gratiam coram Deo. Intelligisne, quemadmodum Deus omnem hominem delere decreuerit: Sed cum Noe virtute, sanctimonia religioneque præditus esset, solus cum familia sua saluatur, & non vnà cum cæteris concidit. Quamobrem ad eum sic loquitur:

Tempus omnis hominis venit coram me, quia terra repleta est iniquitate eorum: & ecce ego destruam eos atque terram. Fac ergo tibi ipse arcam ex lignis quadratis, nidosque in ea facies, & bitumine eam extrinsecus intrinsecusque linies. Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit arcae longitudo, atque quinquaginta cubitorum latitudo, trigintaque cubitorum altitudo.

Genesis 6

Arca Noe.

B iij do eius.

Genesis 7 do eius. Et paulo post: Ingredere autem, inquit, in arcam tu & filij tui, & vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum, & ex omnibus bestijs cunctisque iu-
mētis, atq; ex omni carne bina & bina induces in arcam, vt alas tecum ma-
rem & foeminam: de volucris iuxta genus suum, & de omni reptili ter-
ræ secundum genus suum, bina & bina de omnibus ingredientur ad te, vt
alantur tecum mas & foemina. Et ex omnibus mundis colliges, inquit, septe-
na & septena, & de animantibus immundis bina & bina.

Diluuium. Cum hæc igitur, quemadmodum creator omnium iusserat, perficerentur, mox om-
nis caro demergebatur. Imbres enim atq; grandines, aquarumq; vehementissi-
mus imperus è caelo defluens, totam illam carnem vbiq; submergebat. At arca ius-
torum animabus onusta super aquas natabat. Sed cum parū aquæ sedatæ fuissent,
Genesis 8 sedit, inquit, arca super montes * Ararat. Et aperto ostio arcæ, mittit Noe
* Alias, Ar
mentæ.
Coruus.
Columba.
coruum, qui videret, si iam aquæ cessassent. Qui cum non rediisset, mittit
deinde columbam. Et cum non inuenisset, inquit, requiem pedibus suis, re-
dijt ad eum in arcam: quia aqua esset vbiq; a facie terræ. Et extendens ma-
num suam cepit eam, & induxit in arcam. Rursus, post septimum diē mit-
tit eam, & vespere redijt, festucam, id est, ramum oliuæ tenens in ore suo.
Tertio, mittit eam post septimum diem. Quæ non redijt, inquit, ad eum.
Intellexit itaq; Noe, quia tota aqua iam consumpta fuisset, terræ atq; o-
mnia, quæ in ea sunt, rursus possent videri.

Altare Sed cum in terram vnâ cum liberis suis, omnibusq; qui cum eo aderant, egredere-
Noc. tur, ipsamq; terram liberam aquis inspiceret, mox aram construxit, & ex mundis
syncerisq; animantibus atq; volucris sacrificare Deo cœpit summo studio. Ma-
gnam enim immortalī Deo ob suam salutem agendam gratiam censuit. Quod
cum peractum esset,

odoratus est, inquit, Deus odorem suauitatis. Et ait: Nequaquam maledi-
cam terræ propter opera hominum. Sensus autē & cogitatio humani cor-
dis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Non igitur vltra percutiam
omnem animam viuentem, sicut feci cunctis diebus terræ. Semen & mes-
sis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescēt. Ad hæc, bene-
dixit, inquit, Deus Noe & filijs eius, & dixit ad eos: Crescite et multiplicami-
Genesis 9 ni, & implete terram, & dominamini eius, & terror vester ac tremor sit su-
Benedi-
ctio Noe.
Genesis 1
per cunctas bestias terræ, & super omnes volucres cœli, cum vniuersis, que
mouentur in terra. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.

Mysteriū. Sed cum ea nostra pertractasset oratio, q̄ ad scriptū & historiā pertinerēt, age eue-
stigio sequentes, Christi mysteriū indagemus. Noeq; ipm ac arcæ sapientissimā inef-
fabilēq; dispensationē proponētes, salutis nostræ imaginē reformemus. Noe igitur
Genesis 5 ex Lamech, nō eo, q̄ virū adolescentulūq; occiderat, sed eo q̄ ex Seth descēderat, pro-
creatus est. Ortus est etiā dominus noster ex Israele: sancto quidē populo ob patres
maioresq; suos, simili tamē moribus mentēq; Lamech illi homicidæ. Ita enim ad Iu-
dæos de Christo dictū est: Quænam prophetarū patres vestri nō occiderūt: Et vos
Actor. 7 implestis mensurā patrū vestrōrū. Porro Esaiās q̄q; ita refert: Cū extenderitis ma-
Esaia 1
nus vestras ad me, auertā oculos meos à vobis. Et cū multiplicaueritis orationē, nō
exaudiā vos. Manus enim vestre sanguine plene sunt. Vndecimus Noe ex Adā nu-
assumpsit, nostræq; dispensationis mysterium inchoauit. Quod ita se habeat, sacris
literis

A litteris latissimè patet. Qui em̄ huiusmodi operarios in vineam suā conduxerat, in
vndecima hora eos vocauit. Quos ego profectō non alios, q̄ eos, qui in Christū cre-
diderant, nominauerim. Quos cum interrogasset: Cur tota die hic ociosi statis: a-
pertè confessi sunt, quia nullus nos cōduxit. Nemo enim gentes ante saluatoris no-
stri aduentum in Dei cognitionem vocauit. At ille clementer humaniterq; Eatis,
inquit, & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis. Lex Mōsi an-
te sabbatum occisionem illam vespere, & quasi noctis principio celebrare præce-
pit. Vnigenitus quoque Dei filius in ipso serē præsentis seculi occasu homo fa-
ctus est, & pro hominibus occisionem adiuit, omni pœna, omniq; supplicio atque
draconis morfu amarissimo homines liberans. Ipse est enim verus Noe, hoc est, re-
quies atque iustitia. Nam, vt Paulus inquit, iustificati sumus, non ex operibus ius-
titia, quæ fecimus nos, sed secundum magnam eius misericordiam. Factus est igitur
Christus requies atq; iustitia his, qui in eum crediderint. Siquidem verum fuit:
Vulneratus est, & languorem ipse sustinuit propter iniquitates nostras, & propter
peccata nostra traditus est, & liuore eius sanati sumus, & dñs tradidit eum peccatis
nostris, vt inquit Propheta. Nam cū ipse carne passus esset, beati certè omniq; felici-
tate præditi sumus, atq; donorum cœlestiū participamus. Cumq; onus intolerabile
peccatorum à nobis procul propulsassemus, felicitatē illam spūalem sanè consecra-
mur. Ad hanc em̄ nos vocat, cum dicit: Venite ad me oēs, qui laboratis & onerati
estis, & ego reficiā vos. Tollite iugū meum super vos, & discite à me, q̄a mitis sum
& humilis corde, & inuenietis requiē animabus vestris. Sed q̄ Christus nobis re-
quiē allaturus esset, & Gabriel archāgelus, cū ad virginē loqueretur, hunc in modū
prælagiebat: Nō timeas, inquiēs, Maria, inuenisti em̄ gratiā apud Deū. Et ecce cōci-
pies in vtero & paries filiū, & vocabis nomē eius Iesum. Ipse em̄ saluū faciet populū
suū à peccatis eorū. Atqui propheta quoq; requiē, quā Christus hoibus attulit, p̄di-
cere summo studio nitēbatur. Quidā enim horū: Cōfide, inq̄, Sion, nō deficiāt ma-
nus tuæ, dñs Deus tuus in te est, potens saluare te, & renouabit te in dilectione sua.
Sed Esaiās quasi præ oculis rem ipsam videret, ita refert: Cōfortate manus dissolu-
tas, & genua debilia roborate. Dicite: Pusillanimes confortamini, & nolite timere.
Ecce Deus noster: Ecce dñs cū virtute veniet, & brachiū suū cū potestate. Tanq̄ pa-
stor pascet gregē suū, & brachio suo cōgregabit illū, & eas, q̄ in vtero habēt, conso-
labitur. Factus est igitur Christus requies nobis, atq; iustitia, & terra, cui Deus ma-
ledixerat, planè nos liberauit. Quod cum constet, perspicuum esse debet, cuncta
crimina, q̄ Adā cōmiserat, in Christo soluta fuisse. Factus est enim pro nobis male-
dictio, vt illa pristina maledictione terram liberaret. Per eum enim Deū & patrem
ad pristinum quæq; statum instaurasse adserimus, & vetera cuncta noua fecisse. Si
quæ enim, inquit, noua creatura in Christo, siquidem secundus sit Adam, qui pro-
pter obedientiam primī hominis crimina euertit. Illam, in quā, contumaciam, quā
principio ipse commiserat. Nam & Paulum ita sentire accepimus. Sicut enim, in-
quit, per inobedientiam vnius hominis, peccatores cōstituti sunt multi, ita per obe-
dientiam vnius, iusti cōstituentur multi. Factus est namq; obediens vsq; ad mortē,
mortem autē crucis. Vt enim principio terra ob Adæ præuaricationē subiecta ma-
ledictioni fuerat, sic ob Christi obedientiā benedictionē affecuta est. Sed et alio q̄-
dam mō terrā ipsam liberam omni maledictiōe reddidit. Quippe nouos cœlos, no-
uāq; terrā, vt ipse promiserat, expectamus, sicut & sapientissimus ille saluatoris no-
stri discipulus adserit. Sed & viam, q̄ sursum cœlumq; versus tendit, nobis planè re-
stituit, atq; p̄cursor pro nobis, terrā sanctā ingressus est, quā mansuetos hæreditatē
cōsequi adseribat, hoc est, eos, q̄ Evangelica disciplina ad mansuetudinē erudiun-
tur. Siquidem lex, oculum pro oculo, dentem pro dente, vulnus pro vulnere in-
ferre his, qui iniuriam faciunt, iusserat. Christus verò: Qui in dextram te maxil-
lam percusserit, verte ipsi & alteram, dixerat. Noe itaq; vndecimus ex Adam per-

Math. 1 Seth & Enoch illum, qui ob nimiam sanctimoniam vitamque laudabilem nomen domini Dei sui invocare sperauerat. Numeratur Christi quoque genealogia ex Adam ad Ioseph per omnem, ut ita dixerim, sanctum, mirumque in modum conseritur. Sed age, quemadmodum inter sese gentes coniunctae confusaeque fuerint, explanemus. Ut enim, qui ex Enoch, qui Deus cognominatus fuerat, procreati sunt, corporis facibus ad filias hominum inflammati sunt, ad earumque mores institutaque se protinus conuerterunt, atque ad omnes res illicitas sese praecipitarunt: ita & hi, qui ex Israel nati sunt, dum virtutem sanctimoniamque conseruarent, omnem prauitatem animi sceleritatemque procul a se propulsabant, vitamque summa laude dignam, magno studio & industria sequebantur.

Deuter. 28 Sed ut primum finitimis gentibus se coniunxerunt, quamuis lex prohiberet, statim eorum sceleritate prauitateque referti, leues quidam homines atque inconstantes effecti sunt, omnique vitio dediti, quod certe mirandum est. Nam gentiles, etsi creaturam adorauerint, multosque deos vice summi creatoris coluerint, similitudine tamen quadam adducti, malorum spirituum greges generabantur. Israel tamen, qui principio maiores suos, viros sanctissimos obtinuerat, verum suum Deum colendum neglexit. Quamobrem voce prophetica eum ita Deus aggredditur: *Transite, inquit, ad insulas Chetim, & videte, & in Cedar mittite, & intelligite nimis, & videte si talia facta sint, si mutauerint gentes deos suos. Et ipsi non sunt dii. Populus vero meus mutauit gloriam suam, ex quo nullam consequetur utilitatem. Ob quam causam caelum obstupuit, & terra timuit nimis, dicit dominus. Quia duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquae viuae, & foderunt sibi lacus confractos, qui non poterunt aquam continere.*

Iudicum 6 Rursus: Secundum numerum ciuitatum tuarum erant dii tui Iuda, & secundum numerum vicorum exituum Hierusalem sacrificabant Baal. Quis igitur loquimini ad me: Omnes vos iniquae egistis, & omnes vos impie fecistis in me, dicit dominus. Ad eum enim praua peruersaque mente fuerant, imo etiam argumentis quibusdam detenti, ut mulieribus sceleratissimis se commiscere non dubitarent. Sed cum filios parerent, etsi octavo die ob Iudaeorum ritum circunciderent eos, diemque festum celebrare deberent, tamen immundissimis spiritibus sanctissimorum hominum foetus offerre, dedicareque haudquaquam erubescabant. Quod prophetarum quoque oraculo proditum esse arbitror. Filii enim, inquit, alieni ipsis nati sunt. Ergo quum gens illa sanctissima sceleratis gentibus coniuncta fuisset, earumque commertio mente moribusque corrupta deprauataque esset, creator omnium, quaecumque in terra essent, merito delenda decreuit. Sed sua rursus mansuetudine victus, non aequae ac peccata meruerunt, supplicium attulit. Sed tamen ne genus humanum omnino pereat, iustificationem, quae in fide futura esset, remissionemque peccatorum, quae per aquam fieret, multis antea temporibus per filium suum ostendit. Quapropter vnigenitus eius filius, verus scilicet Noe, homo factus est, & cum hominibus conuersatus. Nam principio in illius celeberrimae arcae nota, Ecclesiam suam quodammodo fabricauit. Quam quum ingressi fuerint, qui fideles sunt, interitum, qui huic seculo imminet, euadere possunt.

Hebrae. 11 Ita enim & beatissimus Paulus arcae mysterium interpretatur, quum dicit: Fide Noe instructus, arcam ad salutem domus suae construxit: in qua, sicut Petrus princeps apostolorum refert, pauci admodum, hoc est, octo homines aqua saluati sunt.

1. Petri 3 Quod & nos, inquit, similis nunc saluat baptismus, non maculae carnis depositionem adferens, sed conscientiae bonae interrogationem in Deum. Sed quemadmodum arca fabricaretur, quaerendum est.

Trecentorum, inquit, cubitorum facies longitudinem arcae, latitudinem quinquaginta, altitudinem vero triginta: & contrahens facies arcam, & in

A & in cubito eam sursum consummabis.

Sed quod Christi mysterium eiusmodi fabrica representaret, hinc perspicuum est. Nam quum diuus Paulus ad eos, qui fide iustificati sunt, scriberet, sine vlla intermissione pro eis orationem facere inquit, ut cum omnibus sanctis, quid sit latitudo, quid longitudo, quid altitudo atque profunditas, cogitatione comprehendere queant, atque nimiam cognitionis Christi charitatem intelligere. Sed huius arcae constructio, sanctae, consubstantialisque Trinitatis rectam perfectamque notam, vnusque deitatis omni ex parte perfectionem nobis mirum in modum significare videtur. Hoc enim propositus numerus sane declarat. Nam scriptura sacra numeros, qui sursum, vnde inceperint, se ipsi voluant, perfectionis argumentum facere solet, quod ita se habere nulli dubium est. Septena enim dies ex primo sabbato incipiens, ad sabbatum rursus voluitur atque finitur. Deinde diem, qui sequitur, ad septimum usque sequentem diem numerantes peruenimus. Pari ratione quum ad denarium numerum pergimus. Nam a primo decimo numero incipientes, in decimum rursus reuertimur, quod & perfectus numerus, hoc est, centenus eadem ratione conficitur. Ex denario enim numero ad decies decimum numerum peruenimus, eiusque reuolutionem atque recursum in vnitatem rursus determinamus. Quod, ut antea retuli, numerus, qui quum ad suum determinatum finem peruenit, sursum versus se, vnde inceperit, voluat, perfectionis argumentum apud sanctam scripturam esse longe verissimum constat. Aspice ergo quae so, quemadmodum in trecentis cubitis, quod arcae longitudinem esse assignauimus, perfectio sanctae Trinitatis consecratur. Quod autem, ut formula dixerim, deitas, quae in vnitatem perspicitur, perfectio sit perfectionum ex latitudine arcae, quae ad quinquaginta se cubitos extendit, latissime patet. Quinquagenarius etenim numerus, septem septies diebus, vnitatem quoque coniuncta, conficitur: quia vnam quidem deitatis naturam esse adserimus. Altitudo etiam ipsius arcae nil aliud profectum, quam mentem ipsam mirifice nobis suggerit. In decimum enim tertium cubitorum numerum perficitur. Triginta enim cubitorum, inquit, altitudinem eius facies: & in cubitum vnum consummabis eam. Sancta enim Trinitas in tres hypostasies, triumque personarum differentias quum extendatur, in vnam deitatis naturam quodammodo contrahitur. Gentiles quidem ad multorum cultum deorum prolapsi sunt: sed nos patrem & filium, & spiritum sanctum in tribus personarum proprietatibus numerantes, in vnitatem naturae has tres personas contrahere asuescimus, identitateque substantiae veluti in vnum cubitum coaggregantes, longam, latam, altamque arcam conficimus. In fide itaque Christus saluos nos fecit, & in Ecclesiam, veluti in arcam, nos introduxit. In qua nauigando, procellam mortis horribilem euadimus, huiusque mundi sententiae haudquaquam subijciemur. Aderit enim nobis iustus Noe, id est, Christus. Sed opera quadam adhibita id quoque inuestigandum censeo, quinam illi intelligerentur, qui vna cum Noe in arcam ingressi sunt, quique fide & aqua salutem suam adepti fuerunt. Scriptum est enim, quod

Ingressus est Noe in arcam, & vxor eius, & filij eius, & vxores filiorum eius cum eo.

Quibus omne quoque genus animantium, tam terrestrium, quam volucrum simul introductum est. Sed mundorum quidem animantium septena, immundorum tantum bina introducta fuere: ita enim optimo Deo placuit. Sed filiorum eius nomina haec esse accepimus, Sem, Cham & Iapheth. Quorum Sem plantationem perfectionemque, Cham calorem, Iapheth latitudinem lingua Latina dicere possumus. In Christo enim per fidem saluati sumus, qui ex imperfecta quodammodo legis vita ad Euangelicae eruditionis perfectionem, veluti quidam vituli tenues, plantati peruenimus. Quamobrem & diuus ille Psalmista Iudaeorum popu-

Mysterium.
Ephelio. 3

populos, qui iustificationem Christi admittere noluerunt, sic increpat, dicens: **Psalmo 51** Dixisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quam loqui æquitatem. Dixisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa. Malè enim contra Dei filium dixerunt. Propetrea, inquit, Deus destruet te in finem, euelliet te & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuētium. Qui verò Christum ex animo dilexerint, eiusq; vitam sanctissimā secuti fuerint: hi pianè in domo domini plantati, in atrijs domus Dei nostri florebut. Quòd autem non sine igne intellectu ali diuinoq; & quasi spiritus sancti calore suam gratiam Emmanuel nobis largitus fuerit, & diuus Paulus fidem profectò faciet, quum eos, qui in sanctitatem vocati sunt, spiritu feruentes esse voluisset. Nec non & sapientissimus Ioannes, quum dicat: Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam. Qui post me autem venturus est, tortior me est, cuius non sum dignus calciamēta portare. Ipse vos baptizabit in spiritu & igne. Caritas namque iudæorum eò extincta est, quòd inter eos iniquitas multiplicauerit. At nos nimio calore incensi fumus. **Roman. 8** Quamobrem clara voce iatemur: Quis nos à charitate Christi separabit? Tribulatione, an angustia: an nuditas: an persecutio: an tames: an periculum: an gladius: Ergo eorum, qui spiritu ieruent, Cham ipse clarissima nota existat, par est, quem caïorem interpretamur. Quòd autem in cordis latitudinem prouecti fuerimus, legis angustiam superantes, tertius Noe filius Iapheth protinus explanabit, quem latitudinem conuertere possumus. Iudæis etenim voce Esaiæ Deus ita loquitur: Audite verbum domini viri tribulati, & principes populi huius, qui Hierosolymis est. Rursus: Discite audire, qui angustiatu estis. Sed & Paulus quoque, quum angustiam legis superasset, nonnullos, qui iam crediderant, hunc in modum aggreditur: **2. Corin. 6** Os nostrum aperuèd Corinthij, cor nostrum dilatatum est, nullam in nobis angustiam patimini, sed in visceribus vestris angustiam habetis. Eandem enim mercedem (tanquam filijs dico) accipietis. Dilatamini & vos, & nolite fieri infidelibus pares. Adhuc enim inanibus inutilibusque Iudæorum præceptis hærebant. Sed Dauid quoque ad Christum humani generis saluatorem hunc in modum veluti ex parte noui populi cecinit: **Psal. 118** Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum. Mens enim nostra dilatata est, quum Emmanuel apud omnium animos commoratus, conuersatusque per spiritum fuerit. Atque ita fit, vt qui in Christum crediderint, tales euaderent, quales ipsi paulò antè descripsimus. Sed quòd maior pars, qui in Christum crediderunt, sit quam Iudæorum, hinc perspicuum est. Quippe septena ex animantibus mundis, bina ex immundis, id est, Iudæis, qui dominum occiderunt, in arcam Noe introduxit. Saluata enim aliqua pars eorum est, vt inquit Propheta. Attamen quòd nonnullis temporibus aliqui ex Israelitico sanguine discessuri à fide essent, coruus ille, quem Noe ex arca emisit, planè significat. **Coruus quid.** Misit enim, inquit, coruum ex arca, vt videret, si cessauerit aqua, qui non reuersus est. Demersus est enim, vt opinor, quum nullum sibi locum quietis inuenisset. Ergo qui à fide discedunt, seque à Christo seungunt, morti se prorsus obnoxios reddunt. Ita enim B. Paulus his, qui post fidè perfectos se esse arbitrantur, inquit: Confusi estis à Christo, & qui in lege iustificamini, à gratia decidistis. Nos enim ex spiritu in fide spem iustitiæ expectamus. Sed aspice quæso, quemadmodum ex immundis quoq; volucris coruus defecerit. Erant namq; nonnulli ex Iudæis, qui cū in Christum crediderint, ad legis utiq; vmbra rursus sese couerterunt. De quibus & Ioannes **1. Ioann. 2** vir sanctiss. ita refert: Ex nostris discesserunt, sed nō erant de nostris. Nam si de nostris essent, nobiscū utiq; permansissent. Sed cū spūs apertè diceret, in nouissimis **1. Timo. 4** temporibus nonnullos à fide discessuros esse, spiritibus prauis seductoribusq; intēdētes, aspice

A. aspice & eiusmodi notam, quemadmodum clarissimè repræsentaretur. Misit etenim, inquit, primam & secundam columbam, quæ explorarēt, si diluuium iam illud cessasset, quæ in arcam veluti in nidum suum protinus redierunt, atque festucam quandam, **Columbe quid.**

Hoc est, ramum oleæ, vt scriptum est, altera in ore suo assumpsit. Mittuntur quippe à Christo viri sanctissimi, qui mundum, eosque, qui eum incolunt, fermè explorarent, qui redeunt, quasi pacem loquentes. Hoc enim ramus ille oleæ, quem columba in ore suo portabat, vt puto, significat. Argumentum enim pacis hanc plantam esse accepimus. Igitur qui in fide purgati sunt, Deum magnopere diligunt, & veluti quadam Euangelicæ institutionis mansuetudine eruditi, Deo mirificè placent. Quòd autem ex ipsis quoque, vt paulò antè retulimus, defecturi essent, hinc latissimè patet. Nam tertia columba & vltima mittitur, quæ ad Noe reuertatur, haudquaquam curauit. Sed quum aquæ cessassent, sedit, inquit, arca super montes Ararat, quod descensus testimonium interpretari possumus. Nam qui in Christum crediderint, sublimes quidam ob Euangelicæ disciplinæ celsitudinem sunt, & tanquam in altissimis montibus sedentes, vni genitum Dei filium, qui è cælo descenderit, vbique orbis terrarum alta efferunt prædicatione. Quibus & ipse dominus voce Prophætæ sic inquit: Estote mihi testes, quia & ego testis sum, ait dominus: & puer, quem elegi. Christi enim probitas atque doctrina huius mundi humilitatem mirum in modum excellit. Sed & quòd pontifex noster Emmanuel existat, perspicuum esse debet. Per eum enim ad patrem & Deum aditum habuimus, & ad pristinum quisque statum restitutus est, primiq; hominis maledictio dissoluta. Sed ad reliqua sacra scripturæ pergamus. **Esaiæ 44.**

B. Cum terra, inquit, desiccata esset, exiuit Noe de arca, & omnes, qui cum eo erant. Et ædificauit altare Deo: accepitque ex omnibus bestijs mundis, & ex omnibus volatilibus mundis, & obtulit holocausta super altare. Et odoratus est Deus odorem suauitatis, & dixit: Non maledicam amplius terræ propter opera hominum. Et paulò post: Benedixit, inquit, Deus Noe & filijs eius, & dixit: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & tremor atq; timor vester erit in omnibus bestijs, & in omnibus iumentis terræ, & super omnes volucres cæli, & super omnia, quæ mouentur super terram: omnesq; pisces maris manibus vestris tradidi. **Genesis 9** **Sacrificiū Noe.**

Ergo quum Christus pontifex noster extitisset, atque Deo & patri nos in odorem suauitatis obtulisset, tum eius benevolentiam consecuti sumus, adeoq; firmam promissionem accepimus, vt nihil amplius mors contra nos queat. Soluta enim sunt omnia mala, illiusq; prisca maledictionis supplicia procul à nobis propulsa sunt. Benedictionem enim Christi adepti sumus: cui cum patre & spiritu sancto sit gloria in secula seculorum, Amen.

D. CY-

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXANDRINI

in Genesim Liber III.



M omnia arcae opera pro Dei voluntate finem suum debitum assecuta essent, diluuiumque iam discessisset, atque Noe ad agriculturam se contulisset, quidnam ipse Cham in eum gesserit, inuestigandum censeo. Nam qui rectam viuendi viam se qui voluerint, mirum in modum proficiunt, si didicerint nullam rem excellentiorem fore, quam pietatem filiorum obseruantiamque in suos parentes. Scientique praeter ea, quod periculosum sit, eos probris lacessere, si quandoque fortassis ob imbecillitatem naturae

ab honestate discederent. Sed quod parentes res sanctissima inter omnes nationes habeatur, lex quoque diuina plane docebit, quae cum iussisset Deum unum ex toto animo totoque corde oportere diligere, hoc etiam addidit: Honora patrem tuum & matrem tuam, ut bene tibi sit, sicut longae uis super terram. Parentes enim imaginem Dei quodammodo gerunt. Vnde inquit: Memento quia per eos natus es. Ac rursus: Qui oculum patris deriserit, & senectutem matris non honorauerit, ex faucibus terrae corui eum euellent. Quod autem maledictis perpetuisque supplicijs se obnoxium fecerit, qui honore maximo parentes suos prosequi, omnique obseruantia pietateque eos colere neglexerit, Cham res gestae facillime declarant. Erant igitur, inquit, filij Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham & lapheth.

Porro Cham, ipse est pater Chanaan. Tres isti sunt filij Noe, & ab his disseminatum est omne genus hominum super uniuersam terram. Coepitque Noe vir agricola exercere terram. Et plantauit vineam, bibensque uinum, inebriatus est, & nudatus iacuit in tabernaculo suo. Quod cum uidisset

Cham pater Chanaan, quod verenda patris sui essent nudata, nunciauit duobus fratribus suis. At vero Sem & lapheth pallium imposuerunt in humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui, faciesque eorum auersae erant, & patris virilia non viderunt. Euigilans autem Noe ex vino, cum didicisset, quae fecerat ei filius suus iunior, ait: Maledictus Chanaan puer, seruus seruorum erit fratribus suis. Dixitque: Benedictus dominus Deus Sem, sitque Chanaan seruus eius. Dilatet Deus lapheth, et habitet in tabernaculis Sem, sicut Chanaan seruus eius. Quum vineam igitur seruisset Noe, eius fructibus fruebatur. Cumque infuetus esset vino, protinus inebriatur, atque somno deditus, inopinatam verendorum nuditatem utique patitur: domi tamen, ubi multis expositus hominibus minime erat. Sed infans ille Cham patrum dedecus nequissimi risus causam fecit, qui tamen pietate commotus patrem denudatum cooperire debuerat, parentemque summis fouere viribus, qui ebrietate laboraret, uinique criminibus obnoxium se redderet. Sed his omnibus omissis, honoremque, quem in parentem exhibere fas esset, neglecto nuditatem paternam, veluti spectaculum quoddam sibi proponens, fratribus quoque suis, ut & ipsi parentem derideant, summo studio persuadere conatur. At illi tam nefandi eius facinoris se socios reddere, haudquaquam passi sunt. Sed rem, quae casu venerat, honestam reddere cupientes, illudque turpissimum spectaculum vestibus abscondere, retrorsum protinus incedebant. Pie etenim in parentem agere arbitrabantur, si eius foemora, quibus ipsi nati fuerant, venerarentur. Quod, cum pater euigilasset, remque ab

eis

A eis actam intellexisset, Cham maledictis afficit, qui decus pietatemque in parentem obseruare neglexit. Seruitutisque iugum eius ceruicibus optimo iure imposuit, Chanaan eum appellans, ob eos Chanaanos, qui ex ipso procreati fuere, eiusdemque poenae compotes futuri essent. Nam tota illa familia supplicijs perpetuis subiecta profecto fuit. At ceteros filios, quia eum honore prosecuti sunt, benedictione donauit. Quod aenigmaticè quoniam ludaeorum mysterium repraesentaret, nulli dubium est. Tres enim populos fuisse accepimus. Vnum, qui prima aetate, sicut & Sem ipse fuit. Alium media, cuius notam Cham maledictus gerit. Tertium vltimum istum, qui in lapheth prorsus intelligitur, quum amplitudinem eum interpretamur. Nam quum clementissimus Deus filium suum nobis reuelasset, qui per foemora significatur, quod si diuinae naturae pulchritudini conferre voluerimus, dedecus quoddam turpeque ob humanitatem quodammodo videretur. Non enim, inquit Propheta, speciem neque decorem habebat. Tum quemadmodum rerum quoque euentus ipse testaretur, primus & vltimus populus, hoc est, qui principio crediderunt, quique deinde credituri sunt, Emmanuel sibi propitium reddiderunt, eiusque benedictionem assequuti sunt. Qui vero inter horum etates interiectus fuerit, Christum ob humanitatis suae difformitatem quasi derisit. Et cum vario modo Dei filium contumelijs affecisset, in seruitutem perpetuam iure optimo redactus est, atque maiorum suorum benedictione priuatus. Sed quod qui nouissimis temporibus ex ludaeis credituri essent, maiorum participaturi suorum gloriae forent, utpote qui in vna ciuitate, hoc est, Ecclesiam conuenirent, hinc latissime patet, cum dicat: Dilatet Deus lapheth, & habitet in tabernaculis Seth, id est, primi filij, sicut Chanaan seruus eius. Quod idem profecto est, quod Christus quoque ludaeorum populis dixit: Amen amen dico vobis, omnis qui facit peccatum, seruus peccati est. Seruus autem non manet in domo in aeternum. Si igitur filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Nam cum miseri ludaei saluatoris nostri dispensationem paruifecissent, eiusque reuelationem, quae inter homines facta fuerit, honore prosequi noluisse, seruitutis se perpetuo iugo tradiderunt. Nihil nempe homini defuit, ut bene beateque viveret. Nam creator omnium perfectum omni ex parte, summaque felicitate refertum eum perduxit. Sed ad deteriorationem se statum praecipitauit, eaque pro dolor amisit, quibus antea venerandus incolumisque esse videbatur. Quemadmodum, verbi causa, Adam ipse passus est, qui quum incorruptus esset, corruptioni se tradidit. Ita enim ad eum dictum accepimus: Terra es, & in terram reuerteris. Sed & diuino deinde spiritu priuatus est. Nam cum carnis duntaxat nefandissimas sceleratissimasque res homines sectarentur: Non permanebit, inquit, spiritus meus in his hominibus, quia caro sunt. Ad haec, alterum quoque supplicium humanum genus iniuit. Cum prauo etenim animo insanoque consilio esset, in alienam incompositamque linguam prolababatur.

Erat autem, inquit, terra labij vnus, & sermonum eorumdem. Cumque proficiscerentur de Oriente, inuenerunt campum in terra Sannaar, & habitauerunt in eo, dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, & bytum pro cemento. Et dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmepertingat usque ad coelum, & celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in uniuersam terram. Deinde, descendit, inquit, Deus (Ita enim sacra scriptura refert) & linguam eorum confudit, eosque per uniuersum orbem vagari fecit.

Eorum enim conatibus creator omnium certissime restitit, non quia eiusmodi rerum effectum metuuit, sed cum eos arroganter deliberare vidisset, ne se prorsus

C præci-

præcipitarent, sua mansuetudine bonitateq; fretus, diuersitate linguarum finem eorum conatibus posuit. Quod perspicuum esse debet, quæcunq; homines præter suam naturam deliberauerint: etsi quandoq; Deus suo ineffabili iudicio ferat, non tamen vlllo sine supplicio ea pertransire omittit. Quamobrè eorum quoq; linguas confudit. Verum enim uero quæ summi opificis opera artificioq; egent, nulli profectò alteri tribenda censeo, quàm ipsi soli, qui omnes potentia excellit, linguæ quoq; confusionem corruptionemq; cum res supra naturam esse videatur, ei certè, qui natura omnium opifex est, attribuendâ arbitror. Vnde iure optimus quisq; deridendos eos existimat, qui in cœlum vsq; turrim ex lateribus terraq; fabricandam censuerunt. Notam nihilo minus & ipsi ludæorum insaniam præ se ferre videtur. Familiaritatem enim in Deum, ipsamq; viam, quæ sursum in cœlum pateat, non ob ea, quæ ipse diligit, magniq; faciat, neq; ob fidem in Christum, sed ob maiorum duntaxat suorum probitatem, quasi turrim quandam construerent, adipisci existimabant. Abraham enim sursum deorsumq; inter eos nominatur, terrenisq; rebus laudem sibi quasi ædificantes, iure optimo deridendi existunt. Sed eos, qui turrim ædificare voluerant, aspice quemadmodum perbellè Deus repugnauerit. In diuersitatem enim linguarum eos diuisit. Quæ res profectò ea, quæ ludæis acciderunt, prælagire videtur. Nam cum arroganter insolenterq; sentirent, eaq; seque ratur, quibus in cœlum nemini aditus pateat, ad diuersitatem linguarum, hoc est, in omnes gentes diffusi propagatiq; sunt. Diffeminati etenim sunt, suis laribus, suis ciuitatibus, sua deniq; regione propulsi, per omnesq; gentes, vt inquit Propheta, passim bestiarum more vagabantur. At in Christo diuersitas illa linguarum argumentum optimum extat. Nam quum complerentur, inquit, dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco. Et factus est repente de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & impleuit totam domum, vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispartitæ linguæ tanquam ignis, seditq; super singulos eorū. Et repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Sed quid aliud quæso eos loqui existimandum sit, quàm vt viam, quæ sursum in cœlum pateat, sectemur, omnèsque linguæ siue populi, siue gentes, inuicem in Christo per spiritum sanctum coniungamur. Omnis namq; lingua Christo confitetur, eiusq; res arcanas mirifice loquitur. Ergo turris constructio, vt autores suos in omnes gentes dispergantur, effecit, Christi verò humanitas omnes nationes opera spiritus sancti coniunxit, viamq; supernam docuit. Factus est enim nobis turris fortitudinis, vt David ille cecinit, ad supernaque patriam cunctos mortales restituit, atq; sanctissimis angelis contubernales effecit, qui viuunt & regnat Deus in secula, Amen.

Mysteriū.

Osee 9

Actor. 2

Philipp. 2

Psal. 60

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI
in Genesim Liber V.



Legem creator omnium idcirco largitus est, vt eius opera homines rectè viuere possent, quæ tamen quasi paruulos eos deducebat. Sed Christi mysterium quin perfectos mortales efficiat, nulli dubium est. Nam omnes literæ sacræ hac sententia refertissimæ sunt: præsertim quæ sanctissimus Paulus refert, quum de duobus testamentis accuratissimè differuisset: Reprobatio, inquit, quidem fuit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adiuu

Hebra. 7

A iuuat lex. Introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Ergo non lege Mosi familiaritatem in Deum quispiam adipiscitur, sed Christi doctrina, quam meliorem spem introduxisse accepimus. Quæ optima quidem sententia omnes, qui eam æquo animo doceant, corona perpetua donatur. Legem verò reprobata iam pridem esse Paulus adserit, atque mandatum, quod præcesserat, nihil posse homines perficere planè ostendit. Nam si illud prius à culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur. Succensens enim eis, dicit: Ecce dies venient, dicit dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum: non secundum testamentum, quod dedi patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti. Et quum ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit dominus. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel: Post dies illos dicit dominus, dabo leges meas in mentes eorum, & in corde eorum perscribā eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et nō docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce dominum, quoniam omnes scient me à minore vsq; ad maiorem: quia propitijs ero peccatis eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. Quibus statim subiungit: Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est. Ergo legem imbecilem infirmamque esse, perspicuum est, nulloq; pacto homines perfectos posse efficere. Sed quòd hi, qui Christum colunt, eiusque doctrinam sequuntur, excellentiores elegantioresque habeantur, quàm hi, qui legem sequuti, vetusque mandatum toto animo complexi fuerint, Deus prophetarum voce testatur, quum quandoq; Lauamini, dicat, mundi estote, quandoque: Misericordiam volo & non sacrificium, & cognitionē Dei, quàm holocausta. In Christo enim misericordiam consequuti sumus: In Christo patrem cognouimus: In Christo deniq; eum, qui natura Deus est, planè intelleximus. Sed cum complura tam prophetarum, quàm cæterorum sacrorum dicta virorum in mediū adferre facile possimus, quibus latissimè ostendamus legem acceptam à Deo quantū fuisse, ne nimium à proposito suo nostra aberraret oratio, ad Abraham redeamus. Qui quum Loth nepotem suum captū ex improviso intellexisset (Sodomis namque moram trahebat) mox vnà cum socijs affinibusq; suis arma contra hostes citauit, eosq; acri congressus animo, Loth, maximamq; multitudinem captiuorū seruitute protinus liberauit. Quod cum tam præclaræ victoriæ facinus peregisset, domumq; victor rediret, ij obuiam ei exeunt, qui eius opera vtilitatem maximam assequuti fuere.

Hebra. 8

Esaia 1
Osee 6
Matth. 9

B Egressus est enim, inquit, rex Sodomorum in occursum eius, postquam reuersus est a cæde Chodorlahomor, & regum, qui cum eo erant in valle Sabæ, quæ est vallis regis. Deinde subiungit: At vero Melchisedec rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelsio, qui creauit cœlum & terram. Et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt traditi. Et dedit ei decimas ex omnibus.

Gene. 14

Aspice ergo, quemadmodum in Melchisedec nota Christi perbellè splendesceret, lexq; ipsa longè inferior, q̄ gratia Christi existeret. Quandoquidem verū illud sit, quod minus à meliore sine vlla cōtradictione, vt scriptum est, benedicatur. Sed Abraham veluti radix omnium, principiumq; fuit, qui ex Israele procreati fuerunt: et si nondum existerent illius quoq; excellentissimi viri Leui, qui sacerdotio decoratus fuerat. Pater enim eorum potentia fuit, qui essent ex eo procreandi. Id namq; esse arbitror, quod de Leui tam præclaræ memoriæ præditum: Adhuc, inquit, in lum-

Hebra. 7

Ibidem.

bis patris sui erat, cum Melchisedec ei obuiaffet. Ergo iustitia legis à Christi cultu benedicatur, cum maior ea sit, cuius nota Melchisedec fuit. Sed quòd melior excel-
 lentiorq; sit, qui benedicere possit, quàm is, qui id agere nequeat, nulli dubiũ est. Sed de his latius paulò post, subtiliusq; nobis contemplandum perspicendumque est. Nunc autem quæ quispiam fortassis dubitauerit, explanemus. Sed ante hoc cū
 Melchise-
 dec quis
 fuerit.
 multi id curiosè quærunt, quis nã ipse Melchisedec fuerit, explicemus. Multi enim de eo varia opinione senserunt, in magnũque errorem sese præcipitarunt, cum scripturæ sacræ vsũ penitus ignorarent. Quidam enim spiritum sanctum duntaxat humanam speciem gerentem, Abrahæ, quum victor rediret, apparuisse adferunt. Alij quum id absurdissimum putent, virtutem quandam angelorum egregiam esse affirmant. Sed vt eiusmodi opinionis sint, hac rudĩ imbecilliq; ratione, vt opinor, persuasi fuerunt. Nam quum Melchisedec, inquit, rex Salem, hoc est, pacem interpretari possumus, non homo, sed spiritus potius intelligatur, necesse est. Proprium enim Dei pax est, ipsumq; autorem pacis esse cognoscimus. Præterea, si Melchisedec neq; principium dierum, neq; finẽ vitæ habeat, quòd sine principio finẽq; est, quo pacto, inquit, id hominĩ attribueri possumus, nisi insanire videamur? Ergo spiritus intelligatur, necesse est. Nam si filio Dei altissimi, vt fertur, similis sit, sacerdosque perpetuò maneat, quonam modo eum hominem esse censeamus? Ad hæc, & alias complures rationes adferunt, quibus opinionem suam approbare nituntur. Sed nos, quum eorum opinionibus falsis obistere vellemus, ea quæ rectè sentimus, quæq; ex diuinarum literarum fonte hausimus, in medium adferamus. Nam si sibi consentaneĩ esse velint, Salem ciuitatem & ipsi esse fatebuntur, cuius imperium non solum Melchisedec obtinuit, sed complures etiam alij antè, postq; in ea regnarunt. Sed si quis fortè falsò nos eadiceri putet, accedat ille atq; demonstrat, si Melchisedec in hodiernum vsque diem Salem imperium teneat, quum Iudææ ciuitas sit, Hierusalemq; in præsentia appelletur, quam visionem pacis rectè interpretari possumus. Sed nemo profectò ad eò insanus, ad eò stolidus est, vt id affirmare præsumat. Ergo absurdissimum profectò arbitror, vt quæ vera confessaq; sunt, euertere velint, qui verborum duntaxat interpretationibus acquiescunt. Sed eorum rudem insanãque rationem facilè explorare possumus, si id antea explicauerimus. Hierusalem, vt paulò antè retulimus, visionẽ pacis, aut sublimiorem mortem, Israelẽ mentem, quæ Deum videat, Iudam laudem, siue laudationem interpretamur. Sed cum scelerati quandoque perditique homines in Hierusalem regnauerint, Iudam atque Israelẽ eos sacra scriptura appellat. Quòd si visionem pacis, laudem seu laudationem, atq; mentem, quæ Deum videat, hæc verba significant, non hominem certè regnasse dicemus, sed verborum significationibus acquiescentes, ymbras potius, simulacraq; aut spiritum ostendimus fuisse. Sed quòd vis verborum nullo pacto rerum naturam ad se attrahere possit, hinc facillimè patet. Nam si Hierusalem visionem pacis significet, quo pacto Christum, quum summa pax sit, vt literæ sacræ volunt, ignorauerit? Non enim eum vidit, per quem aditum ad patrem habuimus, eiusque opera atque spiritu Deo adhaesimus: qui etiam vtrumque vnum fecit, duosque populos in vnum hominem nouum creauit. Quonam igitur pacto visio pacis optimo iure censeatur, quæ Christum non viderit? Quo pacto sublimior morte, hoc est, melior & excellentior morte habeatur, quum ob summam incredulitatem in Christo perierit? Ita enim ipsa veritas eos aggreditur: Amen dico vobis, nisi credideritis, quia ego sum, moriemi ni in peccatis vestris. Ad hæc, si Israelẽ mentem, quæ Deum videat, interpretamur, quur ipse gloriam Christum non viderit, per quem & in quo ipsum quoque patrem cognoscimus? Quur à tenebris deprehensi sunt, aut cur de his horumq; du-
 Matth. 15
 cibus dictum est: Dimitte eos, cæcisunt ducesq; cæcorum? Quænam igitur mentis cæcitas illa sit, quæ Deum videat? Quam obrem absurdum est, vt verborum signifi-

gnificationibus vim rerum attribuere velint. Ergo nihil profectò prohibet, quo minus rectè intelligamus, Melchisedec hominem fuisse, Salemq; regnasse, quanq; pacem eam interpretemur. Sed id quoq; dicendum cenfeo. Res arcanas diuinãque per speculũ & ænigmata, vt diuus Paulus inquit, perspicere possumus. Quòd quum nihil in rerum natura sit, quod cum ineffabili Dei natura comparandum est, multis infinitisque exemplis vix aliquid de ea aut intelligere possumus, aut dicere: pari etiam ratione de incarnatione mysterioque Christi (quum res altissima sit, humanòque ingenio capi nullo pacto possit) agimus. Nam quum vnigenitus Dei filius, Deus natura, ex Deo que esset, humanam carnem assumpserat, in nobisque habitauerat, atque nostræ professionis, non solum apostolus, verum etiam pontifex extitit, illaque balbutiente lege nos liberauit, atque in Euangelicarum disciplinarum eloquentiam comitatẽque mirum in modum cor verterat, humano ingenio nullo pacto capi profectò potest. Sed non solum hæc opera eius assequuti sumus, verum etiam quum mancipia criminatoris nostri essemus, eò penitus conflicto prostratòque nos liberauit, inferni faucibus eripuit, Ecclesiam sanguine suo condidit, princeps noster extitit, Iordanem fide traiecit, spiritualem circuncisionem tribuit, in regnum cælorum introduxit. Sed quòd naturam humanam filius Dei assumpserit, Ioannes clara voce testatur, quum dicit: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quod autem in sacerdotem apostolũque linitus fuerit, Aaron ipse declarat, quum eius nota existat. Nam ipse oleo sancto linitus est, atque princeps duxque sacerdotum populique fuit. Sed & lamina aurea, qua nomen domini scriptum erat, quæ pontificis fronte debebat, nil aliud profectò, quàm saluatoris nostri imperium, eiusque diadema significat. Quòd autem religio Christi, lege excellentior sit, & in Aaron, quem admodum in Melchisedec, quisque facilè perspicere potest. Leuitæ ex filijs Israelis decimas accipiebant. Sed Aaroni quoque ex Leuitarum decimis veluti principi summòque pontifici decimam offerri lege sancitum est. Intelligis, quem admodum Leuitæ quoque Aaroni decimam offerrent? Nota enim Christi erat. At Leuitæ cateriq; sacerdotes cæremonias legis duntaxat in primo Centorio celebrabant, Aaron tamen solus semel in anno non sine sanguine, vt lex iubebat, sancta sanctorum ingrediebatur. Quod nota Christi id quoq; sit, nulli profectò dubium est. Nam semel & ipse pro delictis nostris mortuus est, ac in supernam sanctissimãque nos cœnam introduxit, Ecclesiamque suo sanguine consecrauit. Sed Moses quum ad Iudæorum populum mitteretur: Obsecro, inquit, domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo loquutus es ad seruum tuum, gracilis & tardioris linguæ sum. Quibus hæc quoque subiunxit: Mitte, quem missurus es. At Deus, Aaron, inquit, frater tuus Leuites, scio quòd eloquens est, ecce ipse egredietur in occursum tibi, vidensque te, lætabitur corde. Loquere ad eũ, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo & in ore illius, & ostendam vobis, quid agere debeatis. Ipse loquetur ad populum tuum, & erit os tuum. Lex profectò veluti lingua, quæ impeditè tardèque loquitur, nullaque eloquentia pollet, habetur, & per quandam ferè insinuationem, ambagèsque, & quasi balbutiens, voluntatem Dei vix exprimere potest. At Christus Moysis certè eloquentissimum os est, notasque in rerum veritatem generosè conuertit, atque omnia cognitione digna, clara dilucidaque reddit. Nam septimo quadragesimòque Psalmo ita refert: Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem. Aaron ergo quòd nota sit Christi, clarissimè patet. Sed non mirabere, si eis, qui eum cognouerint, eiusque legem sequuti fuerint, se Deus quandoque excellentiamque suam obumbrauerit, quum in externo quoque peregrinòque homine, qui Israelẽ scilicet captiuitate redemerit, ciuitatemque sanctam restaurauerit, ac fortitudine magnitudinẽque animi omnes ferè ætatis suæ
 O iij homi-

Melchise-
 dec quis
 fuerit.

Hebra. 7

Hierusalẽ

Israel.
 Iuda.

Ephesio. 2
 Ephesio. 3

Ioannis 8

Matth. 15

1. Corin. 13

Ioannis 1

Leuit. 8
 Exodi 28

Numer. 18

Exodi 30
 Hebraeo. 9

Ibidem.
 Ephesio. 5

Exodi 4
 Ibidem.

Psal. 47

homines excelluerit, id egisse perhibeatur. Sed eius narrationem breuem dilucidamque, quoad potero, faciam. Iudæorum populus olim captiuus in Babyloni-
 am ductus est, compluribusque annis barbara crudelique seruitute opprimebatur. Sed quum Cyrus Cambysæ filius, Mædorum Perfarumque imperium occupasset, aduersus Assyrios, quum finitimi essent, arma commouit. Quumque Babylonem cepisset, Iudæos Assyriorum durissima seruitute liberauit. Qui multis ante temporibus ex prophetarum oraculis accepisse aiebant, hominem fore, qui hostes suos oppressurus esset, eosque, qui in vinculis iniuria detinebantur, soluturus, templumque Hierosolymitanum, opera Assyriorum iniquissimorum incendio consumptum, restauraturus. Quod nullo pacto Iudæos hac in parte mentiri dicemus, si prophetarum scripta, adhibita cura inuestigemus. Esaias enim ita refert: Hæc dicit dominus redemptor tuus & formator tuus ex utero. Ego sum dominus faciens omnia, extendens solus cælum, stabiliens terram, & nullius mecum irrita faciens signa demoniorum, ariolos in furorem vertens: conuertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens: suscitans verbum serui tui, & consilium nunciorum suorum complens. Qui dico Hierusalem, habitaberis, & ciuitatibus Iudæ, ædificabimini, & deserta eius suscitabo. Quid dico profundo, desolaberis: & flumina tua arefaciam. Qui dico Cyro, pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Quid dico Hierusalem, ædificaberis, & templo, fundaberis. Hæc dicit dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dextram, vt subnciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam. Et aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. Portas areas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, vt scias, quia ego dominus, qui voco nomen tuum Israel, propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum. Ego vocabo te in nomine meo, & suscipiam te. Tu verò non cognouisti me, quod ego dominus Deus, & non est amplius. Extra me non est Deus. Accinxite, & non cognouisti me. Videtisne, vt aperte, non cognouisti me, diceret? Inter eos enim, qui Deum cognouerint, tam præclarum hominem numerare noluit, quem & regibus excellentiorem, & innumerarum gentium principem fecit. Sed notæ profectò earum rerum erant, quas Christus dominus noster certissime gessit. Prædixit enim Cyrum falsas diuinationes Babyloniæ, signaque Engo, & mitharū disputaturum, sed Deus tamen vatum suorum, quos etiam nuncios appellauit, consilia, hoc est, prædictiones, vera certissime fuisse ostēdit: prælagiuit etiam Iudææ illum ciuitates ædificaturum, abyssumque desolaturum, atque eius cunctos fluuios desiccaturum. Sed abyssum, vt opinor, ob nimiam hominum frequentiam, Babylonem appellat, eiusque fluuios, cunctarum gentium copias, quæ vndique ad eius societatem confluebant. Sed age res Cyri gestas faceto quodam modo ad Christi mysterium traducamus. Cyrus patre Cambysa rege Perfarum, qui omnes ferè ætatis suæ homines pietate anteibat, matrèque Mandanne Aftyagi filia regis Mædorum ortus est. Vnde nonnulli, eo quod diuersis parentibus natus fuerit (paternaque Perfes, mater Mæda fuit) quali mulū bigenerumque eum appellabant. Aliud enim genus Perfarum est, aliud Mædorum. Quod in Christo quoque facere perspicere potest. Matrem enim sacrā virginem, cū humanam naturā haberet, nobisque similis esset, obtinuit. Patrē habuit neminē, sed eum certè, qui alterius omnino nature est, & omne, quod concretū creatumque sit, mirū in modū excellit. Quamobrē Iudæis, cū eum æqualē sibi putarēt: Vos, inquit, deorsum estis, ego desuper sum. Sed Cyrus, vt ad eū nostra reuertatur oratio, innumeras gētes conuicit, cunctasque sibi ciuitates subegit, ac thesauros abditos, arcanaque secretorum obtinuit, Israelēque longa seruitute redemit. Emmanuel quoque cunctorum, qui sub cælo sunt, imperiū tenuit. Ois ciuitas est veluti saluatorem liberatoremque suum libenti animo excepit, genus humanū, quod iugo

iugo seruitutisque criminantis nostri redactum fuerat, liberum reddidit, in infernos profectus, thesauros abditos arcanaque secretorum exhaustit, portas areas generosè contriuit, vectes ferreos confregit, ijs, qui vinculis tenebantur: Exite continuo, dixit, & qui in tenebris erant: Illuminamini. Vnde & Iob ille patientissimus inuictissimusque creator ita ait: Venisti ne ad fontem maris, & in vestigijs abyssi deambulasti? Aperiuntur ne tibi metu portæ mortis, & ostiarum inferi cum vidissent te, metuerunt? Hæc itaque interrogatiue oportet legere, vt res, quascunque Christus vbicumque gesserit, ipsa demonstret oratio. Ob id enim ipsum mortuus viuusque fuit, vt mortuorum viuorumque dominetur. Cy-
 rus cum pecuniam dedisset, Hierosolymitanum templum instaurare præcepit. Emmanuel Ecclesiam suam veluti ciuitatem profectò sanctissimam celeberrimamque construxit, gentilemque insolentem, contumeliosamque religionem veluti Babylonem funditus sustulit. Cyro Deus omnium inquit: Voluntatem meam complebis. Christus Iudæis, quum eum reprehenderent: Vos, inquit, secundum carnem iudicatis. Sed si ego iudicauero, iudicium meum verum est: quia non voluntatem meam, sed eius qui me misit, inquirō. Cyro Deus ait: Vocauit te nomine meo. Emmanuel dominus certè appellatur, quanquam naturam humanam assumpserit. Sed quod res Cyri gestæ notam Christi repræsentarent, ex his quoque, quæ dicentur, facile patebit. Ita nanque Esaias refert: Ego feci terram, & hominem super eam creauit ego. Manus meæ extenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandauit. Ego suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam. Ipse ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet, non in precio, neque in muneribus, dixit dominus exercituum. Hæc dicit dominus Deus: Labor Aegypti, & negociatio Aethiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt, & post te ambulabunt, & iunctis manibus pergunt, & te adorabunt, teque deprecabuntur, quia in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator. Confusi sunt & erubuerunt omnes simul in captiuitatem fabricatores errorū. Nam qui terram condidit, hominemque in ea creauit, accælum stellis ornauit, suscitauit nobis Iesum, qui genus humanum gratis liberum reddidit, Israelēque spiritualem vinculis captiuitateque dimisit, ac Ecclesiam ad eò firmis fundamentis construxit, vt nullo pacto portis inferi possit eueri, neque hostili vnquam manu opprimi. Sed & ij quoque, qui iam diu errabant, nunc ipsum, qui Deus natura est, profectò agnoscunt, claraque voce prædicant: Tu es Deus noster, & non cognouimus, & non est præter te Deus. Huic omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur, quia dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei patris. Cui quum quidam ex Iudæis resisterent, confusi profectò sunt, erubueruntque, vt ipse Propheta testatur: Ergo Cyrus Cambysæ filius ad notam Christi templum Dei Hierosolymitanum instaurauit. Sed quod Emmanuelem hæc omnia spiritualiter intellectualiterque oporteret perficere, & alia quoque similitudine facile quisque intelligere potest. Nam cum Babylonica seruitute Cyrus Israelem liberasset, mox Zorobabel Salathielis filius ex tribu Iuda, Iesusque Iosedech filius, magnus sacerdos, duces quodammodo principesque populi creati fuere: quos Deus Aggæi prophetæ oraculo admonet, vt quum Hierosolymis sint, templum Dei conderent atque ornarent. Sic enim sacris literis proditum est: In anno secundo Darij regis, in mense sexto, in die vna mensis, factum est verbum domini in manu Aggæi prophetæ ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum, dicens: Hæc dicit dominus exercituum: Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus domini ædificandæ. Et factum est verbum domini in manu Aggæi prophetæ, dicens: Nunquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis? Et domus ista deserta est. Et paulo post: Et suscitauit dominus spiritum Zorobabel filij Salathiel ducis Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedech sacerdotis magni, & spi-

4. Reg. 25
 Hier. 34
 2. Para. 36
 1. Esdra 1

Hier. 50

Esaiæ 44

Esaiæ 45

Mysteriū
 Cyri-
 gis.

Ioannis 8

Christi o-
 pera.

Esaiæ 49

Iob 38

Roma. 14

Esaiæ 44

Ioannis 8

Esaiæ 44

Esaiæ 45

Ibidem.
 Phillip. 3

Aggæi

& spiritum reliquorum de omni populo: & ingressi sunt, & faciebant opera in domo domini exercituum Dei sui. Aspice igitur, quemadmodum duplici nota imaginéque Emmanuel rex atque pontifex maximus haberetur. Nam ad similitudinem Zorobabel, qui quum ex tribu Iuda esset, Hierosolymorum Imperium obtinuit, & ipse profectò, ne dicam Hierosolymorum, sed omnium rex est. Ad Iesu verò sacerdotis magni imaginem pontifex quoque maximus inter homines extitit, sed & dux etiam strenuus fuit itineris, quod Hierosolyma versus tendit, patronusque populi, opifexque ædis sacratissimæ habitus est. Christum enim præceptorem nostrum, veluti Imperatorem pontificemque maximum per fidem sequimur, à captiuitatēque prauissimi dæmonis, quasi ab aliena exterâque regione, errorēque huius seculi profecti, ciuitatem primogenitorum sanctissimam, Ecclesiam scilicet, quam Christus spiritualibus construxit lapidibus, nimirum intramus. Quod Paulus perpulchrè declarat, quum ad eos, qui fide salui euaserint, Christi; vestigia sequi voluerint, scribit: In quo & vos edificamini in habitaculum Christi in spiritu. Sed quòd Ecclesia Christi clarior ac pulchrior sit, præscio Iudæorum templo terrestribus constructo lapidibus, Aggæi rursus prophete verbis latissimè patet, quum ita referat: Quis in vobis, qui vidit domū istam in gloria sua prima, & quomodo vos videtis hanc nunc, sicut non esset coram vobis: Et paulò post: Meum est argentum, & meum est aurum, dicit dominus omnipotens. Magna erit gloria domus istius nouissimæ, plus quàm primæ, dicit dominus exercituum. Sed cū plura sacra scripturæ exempla sine vllò ferè labore possimus colligere, quibus præscis quoque temporibus Christi mysterium obumbratum esse ostenderemus, ne exemplorum copia nimij aut loquaces videamur, hoc duntaxat dicamus. Nam alterum horum eligendum censeo. Aut enim homines illi, quibus hæc acta sunt, evertendi omnino sint, notæque rerum delendæ, si eos ex hominibus procreatos esse intelligamus, quanquam sanctimonia præditi essent. Aut si spiritum specimen humanū semper assumere affirmauerimus, in Cyrum quoque, qui Deum ignorauerit, spiritū conuersum esse adseremus, cū dictum sit: Tu verò non cognouisti me. Quòd si res, quæ notas exprimerent, euersæ fuerint, Aaron, Zorobabelque; Salathielis filius, ac Iesus Iosedech filius, sacerdos magnus, ymbra sint, atque solis nudisque nominibus appellentur, necesse est. Sed qui æquo animo sunt, Melchisedec hominem fuisse, Salēmer regnasse facile fatebuntur. Quem quum sapientissimus Paulus ad spiritualementem speculationem detraheret, notam Christi esse ostendit. Sed quum nonnulli adhuc resistere non erubescunt, & Melchisedec non hominē fuisse, sed spiritum potius quendam, aut virtutem cœlestem officium ministrandi sortitam nituntur ostendere, duplici sese errori obnoxios reddunt. Aut enim diuinam ineffabilemque spiritus naturam ad statum infimum deterrimumque attrahunt; aut quod factum concretumque sit, ad supernam gloriam maiestatemque temerè efferunt. Quod hunc in modum approbare possumus. Melchisedec sacerdotem Dei altissimi esse accepimus. Quod si spiritus fuerit, spiritus sanctus inter sacerdotes numeretur, sacerdotisque officium exerceat, vnâque cum cæteris angelis supernum Deū laudet, necesse est. Sic enim scriptum est: Laudate dominū omnes angeli eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius. Quod absurdum profectò non esset, si quod sacrificare valeat, non sibi, sed alteri (Deo enim sacrificat) sacrificium offerat. Ergo si spiritum sacerdotis officium exercere dicamus, diuinam prorsus naturam ad seruitutem trahamus, interque res concretas numeremus, vnâque nobiscum Deum adoret, necesse est, nulloque pacto se ipse sanctificare posset, quum quod sanctificatur, à maiore prorsus, non ab æquo sibi natura sanctificetur, par sit. Quoniam igitur pacto id Deus natura possit esse, quod ab alio sanctificatur: Ergo non vt sibi, sed alijs sanctificet, sacerdos constitutus est. Non enim quispiam sibi gloriam vendicat, vt scriptum est, sed qui à Deo vocatur, sicut & Aaron. Sed & Paulus neque Christum

Christum adserit seipsum glorificare, quum pontifex esset, sed qui ad eum locutus est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et rursus: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Sed id quoque sciamus, necesse arbitror, quòd neque ipse vnigenitus Dei filius fungi sacerdotis officio ordineque ministrandi diceretur, nisi naturam assumpsisset humanam. Vt enim propheta apostolusque ob humanitatem appellatus est, sic sacerdos ab hominibus vocatur. Nam ea quæ seruitutis sunt, seruituti quoque conueniant, necesse est. Ob id enim ipsum, eum se exinanisse dicimus. Nam quum in forma æqualitatemque patris esset, cumque Seraphin quoque ei assisterent, innumerique angeli seruirent, sese exinanuit, sanctorumque minister, verique tabernaculi opifex extitit, & nobiscum sanctificari dicitur, quanquam cunctam creaturam excelleret. Qui enim, inquit Apostolus, sanctificat, & qui sanctificatur, ex vno omnes sunt. Quamobrem non verecundatur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis. Is igitur, qui vt Deus sanctificat, cum humanam assumpsisset naturam, interque homines moram traxisset, fratrem nostrum se appellare, cumque hominibus sanctificari non erubescit. Ergo cum eum sacerdotis officium exercere dicamus, cumque hominibus sanctificari, atque ea, quæ sunt generis eiusdem, propter homines adisse, si rectè intelligere velimus, humanitati attribuemus. Sed si spiritum, cum nunquam incarnatus esset, sacerdotis officio fungi diceremus, diuina prorsus maiestate procul eum propulsemus, interque creaturas numeremus, necesse est. Vel doceant quæso, quoniam pacto spiritus humanam naturam, quemadmodum filius, assumpsit. Non enim, quia sancta Trinitas vnus essentia est, idcirco modò spiritum, modò filium, modò spiritum sanctum hominem fuisse adserimus. Non enim patrem aut spiritum sanctum humanam naturam, sed filium duntaxat assumpsisse fatemur. Ita nanque sacra scriptura nos docuit. Cur igitur ipsi veritatem deprauare nitantur, & spiritum inter homines numerare audeant, quum nullo id pacto fieri posset, sacrificandi que potestatem ei attribuant, similemque Melchisedec faciant, cū sacerdos Dei & ipse esset: Sed in honorem, inquit, filij ob futuri sacerdotij notam se ipse spiritus ad humanam naturam conuertebat. Num igitur spiritus honorem vnquam filij amoremue contempserit, aut huiusmodi rem non magni æstimandam censuerit? Sed nescio, quomodo huiusmodi deridendi non sunt, qui huiusmodi opinionem habent. Nam paracletus filium semper glorificat, vt sacra testantur eloquia: Ille me, inquit, glorificabit. Quòd si spiritus eo constitutus esset, vt honore filium prosequeretur, cur non potius formam Aaronis aut Cyri, Persarum Mædorumque regis assumpsit: aut Iesu Iosedech filij, aut Salathielis ex tribu Iuda, aut Mosi, ad quem ita dictum fuisse memoriæ proditum est, quum ipse in se Christi notam repræsentaret: Prophetam etenim, inquit, suscitabo eis ex fratribus eorum sicut te, & dabo sermones meos in ore eius, & loquetur eis, quemadmodum iussero ei: Cur etiam Iesus Naue non fuerit, qui post Mosē Imperator Iudæorum fuit, filiosque Israel Iordanem traiecit, in terramque eos promissionis deduxit: An non præclare in Christo baptizati, circumcisi onēque non manufacta, sed spiritus opera circumcisi, regni que cœlorum participes fuerimus: Ergo si spiritum formam semper cuiusque eorum, quos antea meminimus, daremus assumere, vt filium honore prosequatur, perspicuum est, spiritum decus honestatemque ipsam contemnere. At non hominum, inquit, sed filij formam similitudinemque assumpsit. O dementiam, vel potius insaniam hominum. Quod enim nullo pacto fieri potest, in medium tanquam argumentum potissimum adferunt. Ergo cum hæc ita se habeant, Melchisedec homo, non spiritus sit, necessarium sequitur. Sed quòd neque virtus aliqua sancta ministrandi officium sortita, vt nonnulli volunt, Melchisedec vnquam fuerit, his, quæ sequuntur, facile patebit. Vt opinionem enim suam affirmant, hanc exiguam rationem adferunt. Nā quum literis, inquit, sacris proditum de Melchisedec sit, sine patre, sine matre, sineque

Psal. 2
Psal. 109

Deuter. 28
Hebræo. 9

Philip. 2
Esaiæ 6

Hebræo. 9

Hebræo. 2

Psal. 22
Baruch 3

Ioannis 16

Deuter. 18

Iosue 1. 15

Coloss. 2

Melchisedec.

Hebræo. 7
genea-

Genesis 14 genealogia eum esse, benedixissetque Abraham, cum tanta ipse dignitate præditus esset. Benedicitur autem, quod minus est, ab eo, quod maiorem obtineat dignitatem, non hominem eum, sed angelum potius, aut aliquam supremam coelestemque virtutem magna gloria magnoque decore præditam fuisse, perspicuum esse debet. Sed non possum non mirari, quod ob nimiam in Abraham venerationem tantum ab honestate vtilitatēque discedant, tantumque à via recta, rerumque veritate aberrant. Ad similitudinem enim notamque Emmanuelis Melchisedec volentes ostendere, non rerum naturam qualitatemque perspiciunt, aut sacerdotij modum inquirunt, sed earum potius rerum naturam approbant, quas ad hoc conducere videant. Sed dic quæso, quidnam absurdi sequeretur, si Abraham à Melchisedec veluti ab homine benediceretur, & si meliorem eum statum haud ipse obtinisset. Non enim in huiusmodi rebus naturam eorum, quæ sunt, sed potius mentem approbare solemus, veritatisque rationem vmbriis ænigmaticis potiore esse existimamus. Sed quàm absurdissimum sit, nō ea velle, quæ res significant, cum his, quæ ex vmbriis excepimus, comparare, sed ad eorum potius naturam, quæ in medium adferunt, orationem flectere, inquit, hinc facillimè patet. Aaron præfectus sacratisimi tabernaculi fuit, auremque dexteram, manus pedisque summitatem magnopere exornabat. Ita enim pontifices sese cum sacrificare vellent, induere ornareque solebant. Sed o virum præclarum, quoniam pacto quæso, si eorum naturæ, qui sanctificant, quique sanctificantur, inuestigandæ sint, & non potius veluti ex vmbra notaque ad ipsius veritatis decus pulchritudinemque perueniendam, quod minus sit, ab eo, quod meliorem sortitum est dignitatem, benediceretur. At dicant, quod nam melius ipsi sentiant esse. Num aries inter eos melior Aaron habeatur, aut eum, qui particeps rationis sit, ab eo, quod rationis expers sit, perfectionem accipere affirmant, aut ouis sanguinem sacerdotem sanctificare inquit, aut vitula cinerem idcirco hominem excellere, quod cum aspergeretur, coinquinatorum maculam posset purgare. Sed quis adeo insanus est, ut hæc ita se habere fateatur.

Ergo quam mentem hæc habeant, ipse pro viribus explicabo. Hæc notæ imaginesque profectò sunt, & ut ita dixerim, prælagium quoddam sanctificationis, quam Christus hominibus largiturus erat. Sed notæ non eorum, qui sanctificant, quique sanctificantur natura, sed in rebus ipsis percipi solent. Nam ut paulò antè retulimus, quod melius est, ab eo, quod minus habetur, benedicti mos est. Siquidem natura hominum vitula arietēque multo melior, multoque excellentior habeatur. Ergo non dubitent, quin fateantur Abraham à Melchisedec benedictionem accepisse, quanquam melior eo esset. Non enim eius, qui benedicit, naturam, sed notam excellere dicimus. Sed admirari soleo, quod Melchisedec ad similitudinem notamque Christi conuertentes, sine patre eum, sineque matre, veluti angelumque in cælo, Deum supremum obtinisset. At cum imagines, inquit, ad exemplaria depingi soleant, & Melchisedec neque principium dierum, neque vitæ finem habuerit, ut diuus Paulus adserit, virtus potius rationalis sacerdotisque exercens officium ipse fuisset, par est. Sed haud profectò intelligunt, quantum à veritate aberrant. Nam si rectè intelligere velint, nihil profectò in rerum creaturarum natura inueniri potest, quod principio careat, sed quicquid productum creatumque fuerit, principium finemque habeat, necesse est. Sed age, quisnam sensus Paulo sit, aut quo pacto Melchisedec Christi notam similitudinemque voluerit esse, à vanis eorum rationibus mentem nostram auocantes, opera adhibita curaque expromamus. Sapientissimus Paulus cum legisperitus esset, non rudem quandam incultamque orationem, sed scripturarum Mosaicarum refertam, grauissimisque sententijs conditam ad Iudæos habuit, ut inuiti etiam cedant, qui veritati resistere non erubescunt. Quamobrè eo Melchisedec cum Christo compar-

A comparare voluit, quia rex iustitiæ pacisque appellatur. Quod certè soli Christo hæc mysticè conueniant, perspicuum est. Cunctis enim mortalibus iustitiæ pacisque autor extitit, iustificatiue eius opera sumus, ac onus peccatorum intolerabile longè perpulsauimus, pacemque apud Deum & patrem obtinuimus, atque maculam spurcitiamque morum abluimus, quibus à patre seiuncti diu fueramus, ac ipsi Christo spiritus opera quasi vnimur. Qui nanque, inquit, Deo cohæret, vnus spiritus est. Melchi igitur, regem, Sedec, iustitiam rectè interpretamur, quod ipse pro sua appellatione affectus est. Rex enim iustitiæ habitus est. Sed quum rex Salem diceretur, regem pacis eum interpretamur. Hæc ergo Paulus Christo quemadmodum res, quæ mirum in modum ei conuenirent, accommodare voluit. Sed argumentum quoque sacerdotij, quod legem excellit, idcirco eum accipere voluit, quia Abraham benedixit, & panes vinumque ipsi obtulerit. Nō enim aliter à Christo, magno veroque pontifice, benedicti nos quoque possumus, nisi quemadmodum Abraham ipse benedictus fuerat. Cum principes scilicet huius seculi generosè deuincimus, cum hostium manum fortissimè superamus, quum nulla denique terrestri detenti sumus, sed veras diuitias illam prorsus immortale æternamque gloriam, supernorumque donorum retributionem esse existimamus. Aspice ergo, quomodo & ipse Abraham tum à Melchisedec benedicitur, cum victor euaserit, ex cædeque regum redierit, ac nihil sibi ex rebus regis Sodomitarum vendicauerit.

Sodomitarum enim Imperator: Da mihi, inquit, animas, cætera tolle tibi. At ille, cum nihil eorum accipere vellet: Leuo, inquit, manum meam ad dominum Deum excelsum, possessorem cæli & terræ, quia a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ non accipiam ex oibus, quæ tua sunt, ne dicas, ego ditavi Abraham. Verum enim uero viri sanctissimi non huius seculi diuitijs oblectantur, sed quum hostes visibiles inuisibilesque prostrauerint, cumque rerum terrestrium nihil sibi vendicauerint, sed supernas coelestesque diuitias affecti fuerint. Sed cum à Christo rege pacis benedicimur, tunc ab eo munera mystica, veluti viaticum cæli terræque accipimus, ut ad illam supernam veramque patriam properemus. Sed ea munera in præsentia silentio transimus, cum nostro minimè proposito conueniant. Sed à Christo, inquam, benedicimur, quum ipse apud patrem pro nobis interueniat. Melchisedec quum Abraham benediceret: Benedictus, inquit, Deus altissimus, qui protegite, hostes in manibus turis sunt traditi. Dominus noster Iesus Christus nostrum propitiatorum, cum pro nobis intercederet: Pater, inquit, sancte, serua eos in veritate. Ergo ex interpretatione quoque verborum, quod vtile sit, Paulus excerpere solet, ut Christi notam conficeret. Sed & ipsum quoque sacerdotij modum libenter accipit, ut rem, quam tractat, claram dilucidamque efficiat. Panes enim Melchisedec vinumque obtulit. Sed nusquam apud sacræ scripturæ inuenies Melchisedec sine patre, sine matre, sineque genealogia fuisse, aut dierum initium aut finem vitæ non habuisse. Quid ergo? Falsane Paulus scripserit: Absit. Veritatem enim semper præ se fert, quum veritatis discipulus sit. Sed veluti præceptor præcipuus, rerumque diuinarum administrator huiusmodi narrationem ad notam Emmanuelis, eiusque mysterij ineffabilem dispensationem accipere voluit. Sed quod sacerdos duntaxat Melchisedec fuerit, sacra testantur eloquia. Nec enim de natione eius memoriæ traditum est, nec quo patre aut qua matre ortus fuerit, nec quot annos vixerit, nec quem successorem sacerdotij sui reliquerit. Ergo huiusmodi narratio eo à Paulo exprompta est, ut Christum æternum, sineque principio esse, in quantum Deus est, nobis ostenderet. Sed sine principio eum appello, quum nullo tempore capi posset. Ipse nanque seculorum creator est. Ad hæc, sacerdotium quoque eius nullum habiturum finem ostendit. Quamobrem Melchisedec neque habere initium dierum, neque vitæ finem adserit, sed assimilatus filio Dei, sacerdos in perpetuum manet. Sed aliud quoque præclarum excogitasse videtur, quod quæ breui-

Exodi 29

Ibidem.

Exodi 30
Deuter. 21
Hebræo. 9

Hebræo. 7

Ibidem.

1. Corin. 6

Genesi. 14
Hebræo. 7Christia-
norum vi-
ctoria.Munera
mystica
Christianorum.
Ioannis 16Propitia-
torum Christi-
anorum
Ioannis 17
Hebræo. 7. 9
Genesi 14
Hebræo. 7

Ibidem.

Genesi. 14

Hebræo. 7

compa-

Cauillus Iudæorum in Christi-
anos.
Leuiti. 10
Hebræo. 7
Numer. 18
Hebræo. 7
Psal. 109
Numer. 15
Deuter. 19
Hebræo. 9

breuiter dilucideq; possim, exponam. Doctrinam Christi apostolorumq; prædicationem, totis viribus Iudæi oppugnabant, duasq; rationes adferabant, quibus religionem Christi euertere penitus conabantur. Vnam scilicet, quod nullo pacto, iniquiunt, fieri posset, vt mandatum quod patribus nostris sacratissimis sapientissimi Moysi oraculo sancitum fuerit, ad nihilum redigatur, lexq; sanctissima ob eam nouam inopinatamq; vitam, quæ maiorum nostrorum nemini fere cognita fuerit, depraetur. Alteram, quod sacerdotij dignitas nullo modo à sacra electaq; Leuitica tribu ad alios migrari posset, cum sæpenumero Deus eos, qui ex eorū genere non essent, sacerdotiumq; arripere tentassent, ob tantum facinus acerrimè puniuisset. Quamobrem Paulus cum legis peritissimus esset, tam coniecturis, quàm etiam literis sacris conatur ostendere, & legis inuolutionem, & sacerdotij translationem, & vtramq; rem multis antè temporibus in notis patefactam prædictamq; fuisse. Accipit ergo Melchisedec, cum ex tribu Leui non esset, sacerdotemq; eum Dei altissimi panes vinumq; obrulisse ostendit. Sic enim de eo refert: Considerate autè quantum sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. Et quidem de filijs Leui sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secundum, id est, à fratribus suis, quanquam & ipsi exierunt de lumbis Abraham. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hūc qui habebat repromissiones, benedixit. Sine vlla autem contradictione quod minus est, à meliore benedicitur. Sed Melchisedec non natura, sed sacerdotij dignitate Abraham progenitorum nostrum excellere dicimus. Ob quam quidem rē non solum cæteris honoribus eum, sed etiam decimarum oblationibus decorare summo studio nitentur. Leuitarum etenim filij decimas è populo, quanquam fratres essent, accipiebant. Melchisedec, cuius generatio inter eos haudquaquam annumeratur (ex Leui namq; tribu natus non erat) decimas ab Abraham sumpsit, eiq; benedixit. Quæ notæ profectò Christi cuncta fuere. Ipse namq; veluti in vmbis obrubatus, quanquam sine generatione esset (ex tribu enim Iuda fuit) inter sacerdotes tamen qui legis decreto sacerdotis officium assequerentur, numeratur, decimasq; è filijs Leuitarum, id est, è sacerdotio, quod lege statutum fuerat, assumit. Quod quemadmodum antè in Melchisedec, sic etiam in Aaron deinde peractum esse accepimus. Ex filijs enim Leui & ipse decimas accipiebat, cum notā sacerdotij Christi gereret. Ergo quemadmodum sacerdotium quandoq; ad alios traduceretur, alterq; modus sacrificandi introduceretur, alteraq; institutio exoriretur, in Melchisedec planè ostendimus. Verum enim uero cum modus sacrificandi mutandus esset, lex etiam ipsa mutaretur, necesse erat. Quamobrem Paulus quoq; hunc in modum philosophatur: Si ergo, inquit, consummatio per sacerdotium Leuiticum erat, (Populus enim sub ipso legem habuit) quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedec alium surgere sacerdotem, non tamen secundum ordinem Aaron dicere? Translato enim sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio fiat. Et amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudinem Melchisedec exurgit alius sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum vitæ insolubilis. Contestatur enim, quoniam tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Videtis ne vt antiquum sacerdotium, quod lege statutum fuerat, nullo pacto homines perfectos reddere posset: sed noui mandati certè introductio, quæ longè melior longèq; vtilior extiterit. Si enim in eo sacerdotio perfectio esset, cur non, inquit, potius secundum ordinem Aaron alter sacerdos exurgeret, sed secundum ordinem Melchisedec, quem similitudinem notamq; Christi fuisse accepimus? Qui non amplius carnis affectu, sed virtute vitæ æternæ sacrificat. Alit namque nos mysticis arcanisq; sacrificijs in perpetuum Christus. At secundum carnem Aaron sacrificabat. Bouem enim ouiumq; cædes fiebant, cinisq; vitulæ cum aspergeretur, coinquinos purgabat, cæteraq; huiuscemodi fiebant, quæ nullo pacto homines

A mines perfectos reddere possunt. Sanguis enim taurorum & hircorum peccata delere non poterat. Cum igitur alter sacrificandi modus nobis tradendus esset, qui moribus illis antiquis inueteratisque liberaret, alter quoque sacerdos introduceretur, necesse erat. Qua propter si testamentum nouum Deus promiserit, antiquo iam pridem vetustate confecto, is qui secundum ordinem Melchisedec sacerdos exurgeret, cui etiam iure optimo in æternum accommodaretur, nullus profectò alius, quàm dominus noster Iesus Christus esset, cui vnà cum patre & spiritu sancto sit gloria in secula seculorum, Amen.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRI

ni in Genesim Liber VI.



DIVVS Paulus Christum pōtificem apostolumq; nostræ professionis esse ostendit, & quum doctrinam Euangelicam introduxisset, quæ longè melior antiquo testamento longèq; excellentior habeatur, alterum testamentum longè præclarior se traditurum promisit. Quod quomodo ita se habeat, clarissimè patet. Siquidē lex iram operatur, peccatūq; possit concipere: gratia quam saluator noster ob suam humanitatem nobis largitus est, saluos nos reddere possit. Non enim, inquit, veni, vt iudicem mundum, sed vt mundus saluus per me fieret. Sed quod Christus sacerdos pontifexq; secundum ordinem Melchisedec in æternum fuerit, quanquam ex Leuitica tribu humanam carnem non assumpsisset, satis iam ostendisse superioribus libris arbitrator. Quod autem iustificatiōis nostræ mysterium, quod fide assequi possimus, vetustiore, quàm lex obtineat prædictionem, idq; inter eos, qui ex Israele procreati sunt, prædiceretur: vt nullo scilicet pacto genus humanū saluum euadere posset, nisi opera Christi, qui impiū iustum reddit, culpamq; soluit, quodq; heredes Dei, eiusq; coniunctissimi socij ij fierent, qui ex promissione, quæ de Isaac ad Abraham fuit, certissimè forent, ex sacrarum literarum monumentis, indagatiōe operaq; adhibita ostendemus. Sacratissimus enim Paulus, quum ad Romanos scriberet: Quid igitur, inquit, dicemus inuenisse Abraham primogenitorem nostrum, secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim scriptura dicit? Credidit autē Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Eī autem qui operatur, merces non reputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Eī verò qui non operatur, credēti autem in eum, qui iustificat impiū, reputatur fides eius ad iustitiam, secundum propositum gratiæ Dei, sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus acceptam fert iustitiam sine operibus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, beatus vir cui non imputauit dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc in circuncisione manet tantum, an etiam in præputio? Dicimus enim, quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiā. Quomodo ergo reputata est: in circuncisione, an in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio. Et signum accepit circuncisionis signaculum iustitiæ & fidei, quæ est in præputio, vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam, & sit pater circuncisionis, non his tantum, qui ex circuncisione sunt, sed his, qui sectantur vestigia eius, quæ est in præputio fidei patris nostri Abraham. Ad hæc, cum mysterium Christi magis affirmare

D mare

Roman. 4 mare vellet. Non enim, inquit, per legem promissio facta est Abraham & semini eius, ut hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei. Si enim qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio, ideo ex fide ut secundum gratiam, firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed ei qui ex fide est Abraham, qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est: Quia patrem multarum gentium posuisti ante Deum, cui credidisti, qui viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. Audisne, quemadmodum Paulus sursum deorsumque testaretur, quod gratia, quæ Abraham iustum redderet, non ei cum circumcisus, sed in præputio esset, tradita fuerit: Sed etiam hæredes donorum Dei iuste habendi sunt, qui fidem primogenitoris Abraham, quæ in præputio constat, imitari voluerint, non ipsi, qui ob Mosis legem se extollere, summaque arrogantia detineri soleant, quique patrem carnalem Abraham eo gloriatur habere, quod pater multarum gentium appellaretur: quanquam Israel vna duntaxat gens esset, etsi ad maximam sese multitudinem propagasset. Sed quod omnes, qui ex omni, ut ita dixerim, ciuitate regionemque congregati fuerint (quoniam conformes Christi ob fidem Abraham sint in spiritualemque fraternitatem vocati) nulli profecto dubium est, quum patrem ipsum, ut eis promissum fuerat, obtinuissent. Quod autem omnes, qui ex Abraham nati fuerant, salui sint, nullo pacto affirmare possum. Non enim omnes, qui ex Israele processerant, ipsi Israelitæ sunt, nec etiam quia semen Abraham sunt, idcirco omnes filij eius habentur. Sed hos profecto filios eius dicimus esse, qui propter præputium ei coniuncti fuere. Promissio namque atque gratia, quæ hominem iustum reddere possit, non ei cum circumcisus esset, sed in præputio largita est, quemadmodum sacra litera recitant. Sed quod munus id iustitiæ, quod fide acquirimus, non ad Abraham solum transierit, quanquam ad eum duntaxat promissio fuerit, sed ad omnes quoque, qui crediderint, sapientissimi Pauli verbis latissime patet, cum his, quæ ante retulimus, hæc quoque addidisset: Non est autem, inquit, scriptum propter ipsum solum, quia reputatum est illi ad iustitiam, sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Iesum dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Ergo iustitia, quæ iustum hominem facere potest, munus quasi coeleste viaticumque supernæ felicitatis est, & inter Abraham filios numerantur, non qui ex eo secundum carnem descenderint, sed qui ei conformes fuerint, eademque sentientes in Christum crediderint: qui certe illi quoque æterna præmia consequentur, cum Israel, qui carnis duntaxat voluptatē sequeretur, ob incredulitatem suam repudiatus fuerit. Sed hoc mysterium Christi in Isaac quoque mirum representatur. Sed age ipsa Mosis verba in medium adferamus. Post hæc verba Factum est, inquit, verbum domini ad Abraham, dicens: Noli timere Abraham: Ego protector tuus sum, & merces tua copiosa est valde. Dicit autem Abraham: Domine, quid dabis mihi, cum sine filio peream? Filius autem meus, qui ex ancilla mea natus est, hic Damascus Eliezer est. Et dixit Abraham: Quia non dedisti mihi semen, seruus meus erit meus hæres. Et statim vox domini facta est ad eum, dicens: Non erit hæres tuus iste: sed qui egredietur ex te, ille erit hæres. Eduxit autem eum foras, & dixit ei: Suspice in caelum iam, & numera stellas, si poteris numerare eas, & ait: Sic erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

Sara. Genes 11
Agar. Genes 16
Beata Sara, quæ princeps interpretatur, cum forma liberali specieque ingenua esset, coniuncta Abraham contubernalisque fuit. Sed Agar, quam incolatum interpretari possumus, quasi secundo illicitoque thoro Abraham subministrabat. At Sara, quum nondum

nondum filium peperisset, magno mœrore animi afficiebatur, præsertim cum Agar in Israelem iamiam peperisset. Quod quum res ita se haberent, Deus Abraham ita alloquitur: Ego protector tuus sum, & merces tua copiosa valde. Sed quid ad hæc Abraham responderit, audiamus: Domine, quid dabis mihi, cum sine filio peream? Filius autem meus qui ex ancilla mea natus est, hic Damascus Eliezer est. Sed aspice quæso vim orationis: Quid, inquit, dabis mihi domine? Intelligisne quæ admodum nulla re terrestri sese egere ostenderet: Nam si maiores, inquit, facultates fortunamque mihi tradideris, nullum certe solatiū assequi possum, nisi legitimam mihi filium dederis, quem libero ingenuoque thoro natum, hæredem mihi ipse statuerem. Sed aspice quæso, quemadmodum ipsa natura sponte, sineque vlla lege vtilitatem honestatemque mirum in modum cognouerit. Nam etsi filium Abraham, Ismaelem habuisset, sine tamen filio ipse se querulando appellat. Eum enim qui ex notho maculatoque thoro natus fuerat, nullo pacto natura filium appellare dignatur. Non enim radicabit, inquit scriptura sacra, in profundum. Sed quod si quibusdam quandoque hominibus ex ancilla filij procreati fuerint, exilis res imbecillisque habeantur, nullumque libertatis munus assequi valeant, Abraham verbis latissime patet, cum dicat: Sed qui ex ancilla mea natus est, hic Damascus Eliezer est, hoc est, qui ex ancilla mea natus fuerit, sanguinis mihi osculum erit, hoc enim Damascus significat. Sed ad protectionem quoque Ismaelem auxiliūque diuinitus Abraham datum esse intelligimus, cum Eliezer nomen ita interpretamur. Ac si dicat: Pro sanguine proprio, amoreque in eum, protectio mihi ex Deo auxiliūque ancillæ filius saltem conflauit. Quid igitur mihi daturus es domine, si legitimum filium non mihi concesseris successorem? Ridiculum certe tuus Abraham inter homines habebitur, cum ex libera coniuge liberos non procreassem. At clementissimus Deus haud passus est, ut iustus diu mœrore afficeretur, sed ex eo non multum post temporis filium procreandum promissit, semenque eius par numero stellis fore adseruit. Innumerarum enim gentium patrem, quanquam vinculis in presentiarum sterilitatis adstringeretur, eum affirmat. Quod credidit, inquit, Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Hoc enim præmium optimus quisque, qui fide Deum ex animo coluerit, profecto assequitur. Testatur etenim Deus hominem cuncta assequi posse, modo in eum crediderit. Sed qui incredulitatis inertiamque vitio detentus sit, is arrogans certe insolensque habetur, poenasque propterea luet. Credidit igitur Abraham Deo, & iustitiæ præmium assecutus est. Sed de ijs, quæ ei Deus promiserat, certior em se fieri petit: quod dispensationis gratia sese iuramento Deus constringit. Non enim ancipitem animum eius reliquit, sed:

Ego, inquit, Deus sum, qui eduxi te de regione Chaldæorum, ut hanc terram tibi in hæreditatem concederem. Qui ait: Domine, in quo cognoscam, quod hæreditabo eam? Dixitque Deus ad Abraham: Accipe mihi vitulam triennem, & turturem & columbam. Accepitque omnia sibi, & diuisit ea in medium, posuitque ea opposita sibi inuicem: aues autem non diuisit. Descenderunt autem aues supra corpora diuisa eorum, conscenditque cum eis Abraham. Circa autem solis occasum, excessus cecidit super Abraham, & ecce timor tenebrosus magnus cecidit super eum. Dictumque ad Abraham est: Cognosces intelliges, quia peregrinum erit semen tuum in terra aliena, & non propria: subiugabuntque eos & oppriment quadringentis annis. Gentem autem, cui seruient, iudicabo ego. Post hæc vero egredientur huc cum suppellectili multa: tu vero ibis ad patres tuos cum pace, nutritus in senio bono. Quarta autem generatione reuertentur huc. Nondum enim

completa sunt peccata Amorrhæorum. Cum autem sol ad occasum fuisset, flamma facta est, & ecce clibanus fumigans & lampades ignis, quæ transierunt inter medium diuisorum horum.

Iuramentum Chaldæorum. Sed studiosus quisque modum iuramenti, adhibita cura, inuestigabit. Quid namque diuisæ quoque bestię significant, quid auium volatus, quid ad ipsas bestias earum conuentus, quid Abrahæ consensio velit, quid denique flamma, quæ inter diuisa corpora transiuit. Mos vetustissimis Chaldæis erat, diuisis animantium corporibus se iure iurando adstringere, sequi hunc in modum diuidendos quasi prædicere, si quoquo tempore seu modo iuramentum transierint. Abraham ergo cum Chaldeus esset, suamque patriam egrederetur, quas cum intrarent, caeremonias agere consueverunt, eas Deus optimus dispensationis gratia iussit, quibus mysterium quoque Christi perpulchrè connexeretur. Sed quum diuisa corpora in terram extenderentur, quasi Deus per ea transiturus esset, aues, inquit, quam plurimæ ad ea volitabant, & Abraham quoque secus eam conscendit, id est, prope eam accedens, ne quid aduersi eis veniret, attentis oculis tuebatur, & quæ iurandi gratia oblata fuerint, immundarum auium cibus efficeretur. Sed ad occasum, inquit, solis, excessus timorque magnus super Abraham cadit. Quam quidem rem quomodo intelligere debeamus, ipse pro viribus explanabo. Apud Chaldæos optima omnium opinione sancitum erat, ut volatus auium curiosè inspicerent. Deus igitur dispensationis gratia permittit, ut quemadmodum eis consuetum fuerat, ita futura possint aucupari.

Volatus auium quid Chaldæis. Sed quum complures ad diuisa corpora aues concurrissent, maximo metu Abraham detentus fuit, & quemnam finem id omen habiturum esset, aut ad quos portentum hoc pertineret, animo dubius fuit. Absurdum etenim videbatur, ut aues immundæ ad sacrificia aduolarent. Sed immundæ apud eos aues habitæ sunt, quæ carnes soleant edere. Quod cum id omen non prosperum sibi fore suspicaretur, anxius sanè fuit. Sed ea anxietate protinus liberatur. Nō enim, inquit, aduersa tibi venient, ut tu suspicaris, sed scias velim, semen tuum in exteram regionem peragraturum, multosque illud oppressurum, ex quorum numero Aegyptij quoque erunt, quorum notam aues eæ, quæ ad sacrificia volitant, præ se certissimè ferunt. Sed sis bono animo quæ so. Parum namque eis officient, statimque pœnas aduersarij luent. At tui ibis, inquit, ad patres tuos, quum nutritus in bona senectute fueris. Post hæc: Ad occasum, inquit, solis flamma ignis, clibanusque ac lampades inter diuisa corpora transiebant, quibus Deum more Chaldæorum iurandum attulisse profectò intelligimus.

Aues immundæ quæ sint Chaldæis. Ita enim & diuus Paulus id accipit, quum dicit: Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, per semetipsum iurauit, dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. Homines enim per maiorem sui iurant, & omnis controuersie eorum finis ad confirmationem est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iurandum, ut per duas res immobiles, quibus est impossibile mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendum propositam spem. Dispensationis igitur gratia Deus promissionem suam iuramento adstrinxit, quanquam sese nunquam mendacem exhibere consueuisset, ut, quemadmodum diuus Paulus refert, firmissimum solatiū habeamus: quod quin effectum suum obtineat, nulli profectò dubium est. Sed altius orationem nostram repetendam censeo. Cum Agar Ismaelem parturiret, Sara Abrahæ coniunx iniquo id animo ferebat. Non enim patiebatur, ut ancilla partum suum gloriaretur. Quapropter maximis eam primis molestijs probrisque afficiebat. Deinde domus quoque ipsa propulsit, & quocumque ire voluerat, consentiente coniuge libertatem concessit. Sed ut sacræ literæ recitant,

Genesis 16

Innue-

A Inuenit eam angelus domini apud fontem aquæ in deserto, in via Sur. **Genesis 16**
Dixitque ad eam angelus domini: Agar ancilla Saræ, unde venis, & quo vadis? A facie, inquit, Saræ dominæ meæ fugio. Dixit autem angelus domini ad eam: Reuere ad dominam tuam, & humiliare sub manibus eius.

Reuersaque est Agar, ac iugum seruitutis sibi imposuit. Deus quoque circumcisionem hoc in tempore Abrahæ statuebat.

Genesis 17
Circumcisio. Tu autem, inquit, testamentum meum seruabis, tu & semetuum post te, in generationes tuas. Circumcidetur autem omne masculum vestrum & circumcidemini carnem præputij vestri: & erit in signum fœderis inter me et vos. Et infans vester octo dierum circumcidetur, omne masculum in generationes vestras. Et qui seruus est & argento emptus ab omni filio alieno, qui non sit de semine tuo, circumcisione circumcidetur seruus domus tuæ, & qui argento emptus est. Et erit testamentum meum in carne vestra in testamentum æternum. Et in circumcisus masculus, qui non circumcidetur carnem præputij sui octaua die, peribit anima illa ex genere suo, quia dissipauit testamentum meum.

Qui quum diuinis legibus obtemperandum putaret, mox se totamque familiam suam, ceterosque & Ismaelem circumcidit. Sed cum Sara filium peperisset, ægro animo erat, ut Ismael cum nothus esset filius, domi moram traheret, atque luderet, eisdemque honoribus filio suo ornaretur.

Genesis 21
B Quamobrem vidit, inquit, Sara filium Agar Aegyptiæ, qui natus ab Abraham fuit, ludentem cum Isaac filio suo: & accedit ad Abraham lachrymans, ut moris est mulieribus. Dixitque: Eijce ancillam hanc de domo, & filium eius. Non enim erit hæres filius ancillæ huius cum filio meo Isaac. Durum autem, inquit, apparuit verbum hoc coram Abraham de filio suo. Dixit autem Deus ad Abraham: Non sit durum verbum hoc coram te de puero & ancilla. Omnia enim quaecumque Sara tibi dixerit, audi vocem eius: quia in Isaac vocabitur tibi semen. Filium autem ancillæ huius in gentem magnam faciam eum, quia semen tuum est. Surrexit autem Abraham mane, & accepit panes & utrem aquæ & dedit Agar, & posuit in humeris eius & puerum, & dimisit eam. Quæ cum abiisset, errabat in deserto apud puteum iuramenti. Defecit autem aqua de utre, & proiecit puerum sub tusnam abietem, recedensque sedebat contra eum longe, quasi ictum sagittæ. Dixit enim: Non videbo mortem filij mei, & sedit contra eum. Sed cum puer clamasset, fleuit. Exaudiuit autem Deus vocem pueri de loco, ubi erat: & vocauit angelus Dei Agar de coelo, dixitque ei: Quid est Agar? Noli timere. Exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco, ubi erat. Surge ergo & accipe puerum, & tene in manu tua eum. In magnam enim gentem faciam eum. Et aperuit Deus oculos eius, viditque puteum aquæ viuæ, & iuit & impleuit utrem aqua, & potauit puerum. Et erat Deus cum puero, & creuit.

Diuus Abraham, quum amore filij detineretur, Ismaelem fouebat. Sed quum

D iij diuino

diuino oraculo admonitus esset, vt soli Isaac adhæreat, quia in eo facta esset promissio, Agar statim reliquit, eamque cum puero ex ædibus discedere iussit. Lex enim mysterium Christi iam in se certè repræsentabat. Sed orationem nostram altius repetamus. Sic enim facile quisque intelliget, quemadmodum res Christi lege Mosi antiquiores sint, & iustitia, quam ob fidem in Christo assequimur, vetustiorum prædictionem obtineat, quam circumcisio, quæ in carne cõficitur. Abrahæ namque argumentum datur circumcisio fidei in præputio, vt sapientissimus Paulus refert. Sed Abraham cum legitimi filij pater non esset, nõ æquo animo ferebat. Nam quamuis Aegyptiæ filium haberet, tanta tamen anxietate mœrorèq; animi detinebatur, ac si neminẽ filium genuisset. Attamen cum in legitimo filio, id est, Isaac promissionem accepisset, in eoq; patrẽ se infinitarũ gentium futurum intellexisset, protinus credidit, ac ob fidem, quam Deo præbuit, iustũ se certissimè reddidit; sed certiorẽ q; se fieri postulabat, si terram illam, quam ei ostenderat (tibi namq; inquit, dabo terram hanc) quandoq; valeat possidere. Vnde, in quo cognoscam, inquit, domine, quod hæreditabo hanc? Tũ Deus: Diuisa, inquit, corpora tolle, vitulamq; triennem, capram, arietem, turturẽ atq; columbam. Quæ quum accepisset, ea quæ ex animantibus quatuor erant pedibus, in medium scindit, oppositaq; sibi ipsa, hoc est, ordinatim ea disposuit; sed aues haudquaquam diuisit. Ea verò, quæ ex volucribus sacrificijs officere voluerunt, longissimè propulsabat. Cumq; sol in occasum esset, Deus specie ignis diuisa animantium corpora discurrebat. Sed quam ijs rationem spiritualem accommodare possimus, opera danda est. Principio Israel Deo veluti primus habitus est filius. Filius enim, inquit, primogenitus meus Israel. Sed cum ex ancilla quasi procreatus esset, etsi seruitute eum Aegyptiorum liberauerit, inter filios tamen numerare noluit, quum ea ipse natura optima sit, quæ liberos ingenuosq; filios maximi faciat. Sed eum populum profectò quærebat, qui ei fide adhereret, hoc est, eum qui ex promissione in Christo procreandus esset; ex quo etiam cõplures multarum gentium patres descendere possent, cum Abraham principium obtinuissent. Non enim Israelitæ, qui carni adhæserunt, eam gloriam quæ Abrahæ promissa fuerat, hæreditate acquisierunt; sed ij, qui ex gentibus ob fidem salui euaserunt, quemadmodum Paulus quoq; adserit. Non enim, inquit, per legem promissio Abrahæ facta est, vt hæres esset mūdus; sed per iustitiam fidei. Describimus enim patrem Abraham, qui in præputio credidimus, & secundum similitudinem à Deo iustificati sumus. Sed Paulus cum legis peritus sit, Christi mysterium nobis mirificè explicat, cum ad Galatas, qui post fidei perfectiõem, retro recesserant, hũc in modum arguendo scribat: Dicite mihi, inquit, qui sub lege vultis esse, legem non legistis; Scriptum est enim; Quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem; quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Vnum enim in monte Sina, in seruitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Hierusalẽ, & seruit cõ filijs suis. Illa autem, quæ sursum est Hierusalẽ, libera est, quæ est mater nostra. Scriptũ est enim; Latrare quæ nõ parit, erũpe & clama, quæ non parturit; quia multi filij desertę, magis quàm eius, quæ habet maritum. Nos autem fratres, secundum Isaac promissionis filij sumus. Sed quomodo tunc, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eũ, qui secundũ spiritũ, ita & nunc. Sed quod dicit scriptura: Et ecce ancillã & filiũ eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaq; fratres nõ sumus filij ancillæ, sed liberæ; qua libertate Christus nos liberauit. State ergo, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. Intelligisne quemadmodum duorum testamentorum Saram scilicet & Agar esse monstrauerit. Ancillã enim cum matre Iudæorũ, hoc est, terrestrẽ Hierusalẽm comparat, quum legibus seruitutis sese obnoxiam reddidisset, nulloq; pacto primam liberamq; id est, Saram sequi voluisset, cum princeps eõ

inter.

Interpretaretur, quæ supernæ Hierusalem notam præ sese tulerit, omniumq; mater, qui fide iustificati, Deiq; promissione, vt filij Abrahę sint, vocati fuerint, certissimè habeatur. Nos enim, inquit, secundũ Isaac promissionis filij sumus. Liberi namq; opera Christi euasimus, per quem & in quo diuinum supernumq; spiritũ obtinuimus. Inter filios enim Dei adscripti sumus, cũ abba pater, clamamus, sed hæredes quoq; eorum bonorum sumus, quæ sanctissimis viris Deus promiserat. Ob quam quidẽ causam, & se ipse quodammodo iuramento adstrinxit. Filius namq; hoc est, eius mysteriũ, loco iuramenti quasi accipitur. Pater enĩ cũ iurat per filiũ, veluti per potentiam suam solet iurare. Et hoc est iurare Deum per seipsum, cũ eiusdem substantiæ, eiusdemq; diuinitatis cũ filio sit. Diuinus etenim Moses, cũ nobis Deum iuramentum in mediũ protulisset: Extendã, inquit, in cœlum manum meã. Dextera enim patris filius est, qua cuncta teneat, cuncta agat, cunctaq; gubernet, par est, & ea, quæ non sunt, vt sint, producat, & ea, quæ iam fuerint, vt benè sint, curã nimis exhibeat. Ergo loco iuramenti Deus, quo filios promissionis certos faceret, saluatoris nostri mysteriũ accepit. Sed Christus quoq; quasi vitulã, caprã, arietis, turturis, colubæq; speciem gerit, quod huiusmodi ratione pro viribus explicare conabor. Sed scriptura sacra filiũ sæpenumero ob vim maximã eius, inuictissimã diuinãq; potentiam vitulo cõparare solet. Mas enim semper fœmina fortior habetur, cũ eam semper ducat atq; excellat. Filius namq; cum patrem omnium Deumq; principium habeat, cunctarum certè creaturarum naturã maiestatemq; excellit. Cũ autẽ humanã assumpsisset naturã, sub lege veluti cuiusdã ducis imperio constitutus est. Quãobrem, nõ veni, inquit, soluere legẽ, sed adimplere. Quod humanitati quoq; Christi accomodandũ existimo, si rectè intelligere velimus. Christus ergo vitula habitus est, cũ humanam naturam accepisset, vituli personam. i. Mosẽ in se gerẽs, legem scilicet, quam ipse Moses tulit. Sed ob eam causam caprã assimilatur, quia se ipse pro peccatis nostris, vt sacre testantur literæ, obtulit. Capra etenim vt pro peccatis offeratur, lege sancitũ est. Sed arietem eõ comparatur, quæ rationalium ouium pastor sit. Vnus enim, inquit, vester magister est Christus. Et nos populus pascuæ eius, & oues manus eius, vt diuus Dauid inquit. Sed cum fratribus similis esset, seq; ipsum exinanisset, aries quidem accipitur, sed dux etiam intelligi potest. Arietes enim semper gregibus præsumt. Ergo vitula appellatur, quia sub lege natus est. Caprã quoq; eum intelligas velim, quæ eam pro peccatis sacrificare solcant. Arietẽ etiã idcirco appellatus est, quia dux profectò habetur, cuius vestigia qui sequi voluerint, festinarintq; bonis in pascuis pinguiq; loco, vt Propheta inquit, profectò collocabuntur, sed in atrijs quoq; dñi sacris, donec veniat, certè diuertent. Nam si ipse nos in supernis mansionibus collocauerit, cũ & aries habitus sit, princepsq; propter eã gregis, atq; sub lege veluti vnus ex hominibus cõstitutus fuerit, legemq; sicuti Deus, superauerit, meritò is omnis nostra iustitia est, etsi inter iniquos reputatus, pro totiusq; humani generis salute occisus fuerit. Ad hæc, turturis columbæque speciem gerit. Nam ipse intellectualis ac facundissima turtur est, illaq; eloquentissima avis, quæ e cœlo Euangeliorum præconijs in toto orbe terrarum iucundissimè suauissimèque cecinit. Quem ipsa quoq; sponsa, gentium scilicet Ecclesia affatur: Ostende, inquit, mihi faciem tuam, & audire me fac vocem tuam, quia vox tua suavis est, & faciestuapulchra. Ipse certè ea columba est, quæ simplex, innocens, sinèque villo dolo habetur. Non enim inuentus est, inquit, dolus in ore eius. Sed triennis vitula, quæ accipitur, cæteraque bestiarum genera, perfectionem diuinitatis vnigeniti planè ostendunt. Sed bestias, inquit, diuisit, aues tamen duæ integræ permanferunt. Quia enim vnigenitus Dei filius carnem assumpsit, quasi diuiditur, & ad duplicem quandam contemplationem huiuscemodĩ oratio extenditur. Nonnunquam enim diuinam eius ineffabilemque e Deo natiuitatem intelligimus, nonnunquam humanitatis eius mysterium enarramus, cum rem huius dispensationis

D iij pro-

Pfalm. 15
Actor. 2
Pfalm. 88

Esaiæ 62

Genesis 21

Actor. 5

profundissimam explicamus, aperimusque eis, qui eam profus ignorant. Sed quis eius oratio duplex quodammodo habeatur, vnus tamen & idem duntaxat Christus est. Neque enim post carnis coniunctionem in duas res potest diuidi, neque in duos filios scindi, sed vnus profecto indiuisusque Christus est. Quod huiuscemodi nota aues ille duæ, quæ diuisæ non sunt, nimirum ostendunt. Aues enim, inquit, non diuisit. Sed Christus veluti terrestris ob humanitatem, vitulus, capra & aries accipitur. Vt tamen coelestis supernusque cum Deus sit, auis intelligitur. Sed quod caro eius corruptionem non viderit, quemadmodum sacræ literæ recitant, neque, vt Psalmista inquit, profecerit inimicus in eo, neque filius iniquitatis appofuerit nocere ei, rursus Abraham ostendit, quum veluti in figura futuram Israelis in Aegypto oppressionem, eiusque liberationem mirifice præuidisset. Circa enim, inquit, solis occasum, clibanus ignis fumigans, & lampades per diuisa corpora penetrabant. Lex enim, quam Moses adidit, antiquior profecto ipsa est, qui ex promissione crediderint. Sed seruitutem etiam Israelis, liberationemque eius multis antè temporibus prædicebat. Verbum tamen Dei nouissimis huius seculi temporibus, & quasi vesperi carnem assumpsit. Quod certè nil aliud clibanus ignis lampadesque, quæ diuisa corpora transibant, significant, quam diuinam ineffabilemque naturam in ignis specie ad humanam naturam peruenisse: Sed erat, inquit, flamma ignis, & lampades ignis & clibanus ignis. Venerandum etenim admirabileque humanitatis Christi mysterium, qui iniquo animo contumacesque fuerint, clibanus ignis flamma summa intolerabilisque poena efficitur. Iudæos namque insolentes arrogantesque, qui huiuscemodi mysterium probro contumeliosque temerè affecerint, Psalmista hunc in modum puniendos affirmat, quum, ponens eos, dicat, vt clibanum ignis in tempore vultus tui domine, in ira tua conturbabis eos, & deuorabit eos ignis. Sed tempus itaque vultus Dei & patris, humanitatem Christi profecto significat. Siquidem vultus imagoque patris, filius habeatur. Ergo his, qui humanitatis Christi mysterium credere noluerint, horribilis flamma clibanusque certissime erit. Sed his, qui eius aduentum cognouerint, lampades erunt, quæ in tenebris luceferent, caliginisque diabolicæ crassitudinem dissiparent, & laqueis vbique occultè multitudinem incensis eorum, qui in eum crediderint, offendere haudquaquam permetterent. Ita enim & Deus filium suum per Esaiam appellat: Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur in lucem iustitia mea, & salutare meum sicut lampas incendatur. Salutare enim iustitiæque nobis à patre filius traditus est. Quandoquidem opera eius salui euaserimus, & mortem, quæ diu generi humano dominata fuerat, superauerimus, incorruptibilemque vitam rursus obtinuerimus, & ad eum certissime statum, quo principio creati sumus, peruenerimus. Sed quod, cum Christus in mundum venisset, eiusque mysterium vbique orbis terrarum prædicatum fuisset, lex Mosi Evangelicæ eruditioni veluti meliori perfectiorique pareat necesse sit, hinc facile patet. Nam quum Sara filium non procreasset, Agar tamen Ismaelem peperisset, aduersus liberam inuehi cepit. Quod quum Sara eius contemptionem ægro animo ferret, supplicijs eam afficiebat. At illa fugam arripuit, per desertumque diu errabat. Quam quum angelus è cælo rogaret, quoniam accederet aut vnde veniret, à facie, inquit, Saræ dominæ meæ fugio. Sed reuertere, inquit angelus, ad dominam tuam, & sub manibus eius humiliare. Lex profecto multis antè temporibus Israelem parturiebat. Sed quum ancilla esset (spiritus namque libertatis haud in ea erant) populum, qui Aegyptum exierit, quasi filium ante Evangelicam disciplinam peperit. Quod cum elato animo propterea esset, quosque Christus genuit, persequeretur, diuersis modis capiebatur. Quamuis enim apostolos Iudæorum senatus prohiberet, quominus Christum prædicent (quum dicat, præcipimus vobis, ne amplius in Christi nomine doceatis) tamen etiã atque etiã eorum doctrina augebatur, totumque orbem terrarum

rarum complectebatur. Ecce etenim, inquit, impleuistis Hierusalè doctrinam vestram. Videte, vt Aegyptia aduersus Sarã arroganter inuehatur, magnaque cum audacia liberam aggrediatur, sed ab ea profecto propediem superabatur, fugamque propterea rapit. At angelica voce, vt ad liberam redeat, admonetur, hoc est, ad liberam ingeniamque disciplinam accederet, sub eaque se ipsa humiliaret. Lex enim per figuras notasque Evangelicæ disciplinæ, quodammodo seruit, quum decus in seipsa veritatis exile quoddam & imbecille obtineat. Per angelos igitur olim lex Mosi tradita est, per vocem quoque angelicam institutis Christi pareat, vocationique ingenuæ ceruicem suã quali inuicta subiiciat, iubetur. Hoc enim profecto significat, quod angelus Agar præcepit, vt sub manibus Saræ se humiliaret. Sed hoc quoque animaduertamus, necesse est. Has foeminas duo testamenta Paulus interpretatus est, alterum scilicet, quæ in seruitutem generat, atque cum filiis seruit; alteram, quæ libertatis præ se dignitatem fert. Quod autem cum Christus apparuisset, circumcisio quoque spiritualis statim oriretur, necesse fuerit, ex his facile patet, quæ Abraham didicit. Lege etenim diuina docetur, vt omnino circumcisionem adeat. Carnalibus enim exemplis, vt arbitror, mentem suam Deus exprimere voluit. Circumcidetur enim, inquit, omne masculum tuum. Quod si contempserit, morte interitumque succumbent. Omne namque masculum, inquit, quod non circumcidetur carnem præputij sui die octauo, pereat anima illa de loco suo, quia testamentum meum dissipauit. Videte quemadmodum huiuscemodi circumcisio nota quædam verè spiritualisque circumcisionis extiterit: Die enim octauo agitur, quo Christus è mortuis resurrexit, ac tempus adfuit, quo spiritus sancti participes fieri, eiusque circumcisionem consequi valeamus, quæ profecto non carnis dolorem adferret, neque maculam eius deleteret, sed animarum morbos mirum in modum curaret. Nam cum Christus resurrexisset, mortisque sustulisset imperium, tum primitias sancti spiritus discipulis suis tradidit. Afflauit enim, inquit, eis, dicens: Accipite spiritum sanctum. Quod cum nondum spiritus fuerit, & idcirco primum eis afflauerit, Ioannes Evangelista affirmat, cum dicit: Nondum spiritus erat datus, quia Iesus nondum glorificatus fuit. Glorificatus etenim est, cum octauo die è mortuis resurrexisset. Quamobrè spiritus sanctus quoque ad nos venit, in eoque circumcisi sumus non circumcisione manu facta, qui profecto modus circumcisionis magnopere Deum delectat. Nam & B. Paulus: Non qui, inquit, in manifesto Iudæus est, nec qui in manifesto in carne circumcisus, sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisione cordis in spiritu, & non litera, cuius laus non ex Deo, sed ex hominibus est. Verum enim uero, cum disciplina Christi legem superasset, populique fidelium vndique conflarent, qui inter filios liberè numerari iure optimo possunt, cum spiritum seruitutis non habeant (clamant namque, abba pater) tum profecto Iudæorum synagoga propulsa est, eiusque populus expers promissionis fuit. Sed quæ quandoque reuertetur, acceptique Deo erunt, eiusque humanitatem bonitatemque consequentur, cum omnium saluatore liberatoreque Iesum Christum cognouerint, sacra quoque scriptura nimirum declarat. Isaac enim & Ismael cum adolescentuli essent, inter sese iocabantur, sed iocus ille insecutio quædam, vt arbitror, fuit. Ismael enim Isaac persequabatur. Quod Sara, cum libera esset, iniquo animo ferebat, ad Abrahamque dicebat: Eijce ancillam, & filium eius è domo. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Quod etsi durus hic sermo Abrahæ fuerit, tamen quia oraculo Dei admonitus est, vt verbis Saræ obediat, Agar pane & aqua munitam vnã cum filio suo è domo discedere iussit. Quæ profusa lachrymis, mærorumque animi affecta, domo discedit, per desertumque diutissime errat. Sed cum puer siti deficeret, aperuit, inquit, Deus oculos Agar, & vidit fontem aquæ viue, & potauit puerum. Aspice quæso, quemadmodum adolescentulorum quoque iocus ad cognitionem mysterij Christi mirifice nos perduceret. Ismael enim Isaac persequabatur. Quod autem Israel, hoc est, ancillæ filius, filium liberæ, Christianum scilicet populum persequeretur, Paulus certè declarat, cum dicit: Sed quomodo

Exodi 32

Acto. 6

Ioannis 3

Galatas 4

Genesis 15

Ibidem.

1. Cor. 15

Roman. 8

Ioannis 7

Coloss. 2

Genesis 21

tunc

Galat. 4 tūc is, qui secundū carnē natus fuerat, persequatur eū, qui secundum spūm, ita & nūc. Nā cū Ismael, Iudeorum scilicet cōuentus aduersus eos, q̄ ex libera fuerint, armamouisset, cōmeatum exilem habens, eiicitur. Panē & aquam enim dūtaxat, hoc est, modū quendam cognitionis cæremoniarum determinatū, q̄ non posset omnino interimī, obtinebat. Deus enim parua quandā Israelis reliquiem semēq; reliquit. Ero namq; , inquit, in parua eis sanctificationem in regionibus, quocunq; iuerint. Parua em̄, inquit, Iudæorū erit sanctificatio, cū in gentes disperli fuerint, eo q̄ legem Mosi implere nō possent. Præter enim pauca quædā, circumcisionē scilicet, sabbatūq; ocium nihil aliud profectō obseruant. Pane igitur & aqua, q̄ in seruitutē generat, i. Iudæorū conuentus stipatur. Sed Abraham non æquo animo ferebat, cū Agar discederet. Sed cū Deus id iuberet, ipse quoq; permittebat. Nā per magno dolore Christi discipuli afficiebātur, cū Iudæi ab eis obstinati discederēt. Sed cū Deus id permitteret, ipsi quoq; æquo animo ferebant. Nam Paulus quoq; ita refert: Quā tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optabā enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, q̄ sunt cognati mei secundū carnē, qui sunt Israelitæ. Sed cū Iudæorum mater propulsa esset, multisq; annis à veritate aberrasset, magno periculo fuit, ne omnino pereat. Quod si q̄q; ad Deum cōuer si fleuerint, misericordiam certissimē consequentur. Aperiet em̄ Deus oculos mētis eorum, & videbunt fontem aque vitæ, hoc est, Christū; cūq; biberint, magna et ipsi lætitia afficientur, atq; cū loti, vt inq̄t Propheta, fuerint, mundi efficiuntur. Sed q̄ fons vitæ Christus sit, Psalmista certē declarat, cū ad cœlestem patrem ita refert: Quā multiplicasti misericordiam tuam Deus. Filij autem hominum in protectione alarū tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quia apud te est fons vitæ. Quod nullus alius, q̄ Christus ipse profectō est, cui cum patre & spū S. sit gloria in secula seculorum, Amen.

Ezech. 36
Psal. 35

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI in Genesim Liber VII.

Genesis 22



RT factū est post verba hæc, Deus tentabat Abrahā, dixit que ad eū: Abrahā, Abraham. Qui dixit ei: Ecce ego. Et dixit Deus: Accipe filiū tuum dilectū, quē diligis, Isaac, & vade in terrā sublimē, & offer eū ibi in holocaustū super vnum ex mōtib; quē dixero tibi. Hæc cū Deus ad Abrahā dixisset, mox asinā, vt scriptū est, attulit, duosq; seruos accepit. Cūq; dilectū filium arripuisset, ad sacrificandū eū perrexit. Quod cū in locum ei præstitutū vix triduo peruenissent: Sedete, inq̄t, vos hic cū asina. Ego vero & puer trāsibimus vsq; ad locū hunc. Cumq; adoraauerimus, reuertemur ad vos. Filiū deinde lignis pro sacrificio oneratum sequi iubet. Sed cum filius patrē rogasset, vbinā sit ouis ad immolandum, cū ligna, inq̄t, pater ignemq; habeamus, Deus, inq̄t, fili providebit sibi ouē ad holocaustū. Cōstructa itaq; ara, ligna collegit. Cūq; puerū super eā prostrasset, gladiumq; strinxisset, angelica voce prohibetur, q̄ minus puerū interficeret. Cognouit em̄, inquit, Deus animum tuū rectum. Deinde cū arietē in sabec plāta egregium, nimeaq; magnitudinis vidisset, eum loco pueri sacrificauit. At filium secum saluum ducens, ad seruos reuersus est. Quum historię igitur amplitudinem longitudinēque in breuem quandam orati-

A rationem construxissemus, quæ ad saluatoris nostri mysterij demonstrationē pertineant, exprimamus, nullum certē laborem recusabimus. Quod si cuncta, quæ historia continerentur, spiritualis contemplationis oratio complecti non posset, ne mo certē miretur. Nam in vbertate historię spiritualis nonnunquam intellectus absconditur, quemadmodum in floribus quoque, qui nimio odore flagrascent, fieri solet. Si quis enim folia, quibus flores extrinsecus teguntur, amputauerit, quod vtile bonumq; intrinsecus sit, nudum profectō inueniet. Allegoriam igitur ipsam aggrediamur. Sed quod Abraham tentaretur, vt filium suum vnigenitum, quem eximia charitate diligebat, sacrificaret, molestēq; propterea tāquam pater ob naturæ vinculum ferret, vtilitatem tamē rei anteponeret, autoritas illa profectō, quam saluator noster dixerat, nimirum declarat. Sic enim, inquit, Deus dilexit mūdum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui in eum crediderit, non pereat, sed habeat vitam æternam. Nam si quid quoq; humanum dicere liceat, vt rem clariorem reddamus, egrē quodammodo Deus ferebat, cū filium suum ad mortē pro salute humani generis traderet, quanq̄ certō sciret, quod nihil prorsus aduersi posset pati, cū Deus & ipse natura esset. Sed cū vtilitatem, quæ ex eius morte sequeretur, animaduertit, quod omne scilicet genus humanum saluum posset euadere, perpetuoq; viueret, amorem illum singularē in filium contemplit. Quāobrem Paulus quoq; magnopere admiratur, cū dicit: Qui filio suo non pepercit, sed eum pro nobis omnibus tradidit. Sed dic quæso, quōnam pacto amorē in nos intelligere remus Dei, si mōrre etiā affici nō videretur, cū filium suum pro salute hoīum traderet: Hoc enim intelligimus, cū Paulus, nō pepercit, inquit, filio suo. Quod nunq̄ de rebus minimis dici solet, sed de his, quas maximī facimus, quemadmodū: Libera eos, dixerit, qui ad mortē ducuntur, & redimere eos, qui occiduntur, nō parce. Quod itaq; de Abrahā quoq; intelligere possumus, cū ei: Accipe filiū tuum, quē diligis, diceretur. Sed seruos duos, qui senem triduo sequebātur, notam profectō duorum populorū, Israelis scilicet & Iudæ, qui in seruitutē vocati fuerint, esse dixerim. Qui cū præcepta duntaxat Dei oportere sequi, quemadmodū illi Abrahā, arbitrarētur, neq; filiū eius, per quē omnia creata sunt, neq; patris hæredē intellexerūt. Cuius profectō imaginē Isaac, cū paruulus adhuc filius esset, in vniūq; paternis positus, atq; potestātē eam, quæ principī cōueniat, nondum indutus, certissimē gerit. Semper enim Deus dñs filiusq; perfectissimus, & est, & fuit. Sed quia cunctis ignotus esset, præsertim sceleratissimis Iudæis, qui tantum mō carnē inspiciunt, id circo paruus quidā existimatur. At optimus quisq; pro mentis suæ capacitate eū intelligit. Et paruus quidē in paruis percipitur: magnus inter magnos habetur. Propheta enim David, magnus, inquit, & terribilis est super oēs, qui in circuitu eius sunt, hoc est, super eos, qui ob nimīā curam, solertiam, sagacitatēq; animi ad eū accesserint. Et Paulus quoq; quosdā parturiebat, quousq; formaretur Christus in eis. quousq; magni ineffabilesq; eius diuinitatis caractères in eorū animos perpulchrē imprimeretur. Quod autē serui Abrahā triduo sequerentur, & ad sacrā sublimēq; terrā ascendere cōhiberentur, sed ibi cū asina cōsedere, nil aliud profectō significat, q̄ duos populos, qui legis institutis Deū vsq; ad tertium tēpus, hoc est, vltimū, quo Christus nobis apparuit, sequebantur. Tribus namq; tēporibus, præterito, inquā, presenti, futuroq; totū id seculū numeratur. In tertio igitur tempore, hoc est, in nouissima seculi ætate Christum venisse sacra testantur eloquia. Etenim cū Israel legis institutis vsq; ad saluatoris nostri aduentum Deum sequeretur, ipsum saluatorem, quum pro hominum genere vniuerso ad crucis patibulum ascēderet, noluit sequi. Quinetiā ob nimīa scelera sua prohibitus est, quo minus eū intelligeret. Obcæcatus etenim aliqua ex parte est. Quod per asinā, quæ tum seruis aderat, intelligere possumus. Hæc em̄ bestia expers oīno rationis habetur. Quod si qs expers rationis est, obcæcatus sit necesse est. Irrationabilitas em̄, vt ita dixerim, nostre

Mysteriū.

Ioannis 3

Roman. 8

Prouer. 24

Psal. 99

Galatas 4

coeci-

cacitatis est. Sed quod pater vnà cum filio se à seruis seiunxisset, discessissetq; ab eis. Ego enim, inquit, & puer transibimus hucusq; Cumq; adorauerimus, reuertemur ad vos, nil aliud certè significat, quàm Deum ex Iudæis ad tempus discessisse, in finemq; seculi ad eos rediturum, cum in Christum ipsi crediderint. Quando enim omnes gentes in eum crediderint, tunc etiam omnis Israel saluabitur. Sed quod Abraham apertè non diceret, quod ad immolandū filium ascēdit, sed potius hucusque transiturum se fingeret, argumentum profectò est, quod Iudæorum populus Christi mysterium non intellexerūt; crediderit, quod ita se habeat, Christi verbis, quæ ad Iudæos discipulosq; suos habuit, facile pater. Vobis enim, inquit, datū est cognoscere mysteria regni Dei; reliquis in parabolis loqui. Sed cū puer lignis pro sacrificio paterna manu oneraretur, & vsq; ad sacrificij locum proficisceretur, Christum profectò significat, qui super humerum suū crucē vehens, extra portā, nō humana vi coactus, sed sua sponte, patrisq; voluntate passus est, vt ipse ad Pilatū adseruit: Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi datum tibi desuper esset. Quod autem Isaac lignis oneratus mortem passionemq; euaserat, & aries loco eius ad sacrificandum datus fuerat, Christum certissimè repræsentat, qui, quàmuis ex substantia patris esset, in templo tamen suo, quod ex virgine sumpserat, patibulo crucis affixus est. Sed cū Deus natura esset, qui neq; pati, neq; mori potest, & morte & passione sese liberauit, Attamen corpore, quod ipsi pater perfecisse dicitur, in odorem suauitatis ad patrem suum ascendit. Sic enim Psalmista tanq; ex persona eius inquit: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autē perfecisti mihi. Holocausta et pro peccatis noluisti, tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus volui. Sed quod ea, quæ ex historia in præsentia sumpsimus, ad Christum per optimè pertinerent, ipse profectò Dauid declarat, cū dicit: In capite libri scriptum est de me. Liber namq; in quinque partes diuisus, ille profectò est, quem Moses sapientissimè scripsit, cuius principium & veluti caput totius libri ea pars habita est, quam Genesim appellamus; vbi de Christo hæc scripta sunt. Sed quod caput apud scripturam sacram semper principium significet, beatus Paulus nimirum affirmat: Nam omnis, inquit, viri caput Christus est. Caput autem mulieris, vir: sed caput Christi, Deus. Principium enim viri Christus est, quum ex nihilo eum produxisset. Principium autem rursus mulieris vir est, propter hoc quod dictum est verèq; actum: Hæc vocabitur virago, quia ex viro suo assumpta est. Christi itaq; principium, Deum esse adseruit, quum ex eo natura filius sit, principiumq; genitorem suum, qui sine principio est, habeat, quanquam cœternus ei sit. Ergo, vt arbitror, Christi mysterium historiæ optimè accommodatum est. Quamobrem Abraham ipsum summis laudibus, summisq; præconijs efferre oportet, eiusq; fidem integritatemq; extollere, ac diuinæ sapientiæ altitudinē admirari. Tentabatur, inquit, Abraham, non quod Deus mysterium ignoraret. Nihil enim diuinam scientiam latet. Vnde, quis, inquit, est, qui mihi consilium suū abscondit; continet autem verba in corde suo, me autem putat latere. Sed & voce Esaiæ: Ego sum, inquit, Deus, & non est amplius præter me: annuncians nouissima, antequam ea fierent, & statim confecta sunt. Insuper ergo, & amens, & stolidus ille profectò esset, qui Deum futura ignorare adsereret. Attamen tentat Abraham Deus, cū necesse esset, vt non Dei modo scientia commendetur, rerumq; experientia inter optimos viros clarus imprimis habeatur, verum etiam scripturæ sacræ sententia summis præconijs efferatur: quod diuinis scilicet institutis libenti paruerit animo, eaq; omnibus rebus suis anteposuerit. Ad eò enim bono animo promptaq; mente fuerat, vt & singularem in filium amorem contemneret, & eius occisionis supplicia parui faceret; præsertim quum in eo solo patrem se multarum gentium fore speraret. Sed quum nullo pacto Deum posse mentiri certissimè sciret, puerum ad immolandum alacri animo offerebat: non quia eorum spe, quæ ei Deus pro-

Aus promiserat, destitutus esset, sed quia diuinæ potentia totum id negocij attribuebat. Certò enim sciebat, q; quæcunq; Deus promiserat, semper perficere cōsuevit. Quod quis rem amaram detestabilemq; experiretur, grande tamē sibi facinus vendicauit. Nam ex his, quæ acciderant, mirabile inauditumq; resurrectionis mysterium, atq; magnum venerandumq; humanitatis vnigeniti certissimè didicit. Quam obrè et Paulus: Fide, inquit, obrulit Abraham Isaac, cū tentaretur, & vnigenitū offerbat, qui susciperet repromissiones. Ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans, quia & à mortuis suscitare eum potens est Deus. Vnde eū et in similitudinē accepit. Nam cū Deus post mortem Emmanuelis, Abraham veluti radicem innumerarum gentiū fore promississet, idcirco ineffabilē illam dilectionem, quam erga genus humanum habeat, experientia ipsa docere voluit, cū filio suo nō peperisset, sed eum pro nobis omnibus, qui opera fidei iusti euasimus, primogenitorisq; nostri Abraham filij effecti sumus, tradidisset. Quod si quid etiā humanū coniectari oporteat, quoniam animo credis Abraham fuisse, cū filium Isaac ex præcepto Dei sacrificare deberet, præsertim cum vir iam senectute confectus, vnum duntaxat filium obtineret, ac ob nimiam senectutem alterum procreare nō posset, & coniugem iam & ipsam ætate proiectam haberet: quem tamen singulari amore prosequeretur, quem vnicum filium possidebat, quem deniq; omnibus rebus omnibūque fortunis suis chariorem habebat, quin interficeret, non dubitauerit: Sed qua manu quæso gladium aduersus adolescentulum filium interpellere potuisset, quòue animo tam miserabilē tamq; detestabilem occisionē auderet inire: nōne merore quàm maximo, animiq; ægritudine angī deberet, varijsq; cogitationum procellis ob amorem in filium fluctuari: Sed cū diuino oraculo admonitus esset, omnium quasi immemor, ad prosequendum, quod Deus iusserat, summo studio properabat. O virum præclarum, o admirabilem omniq; laude dignum. Obrulit enim filium rationale illud sacrificium, legemq; naturæ penitus spreuit, & amorem in filium parui fecit, & amoris diuino rem nullam terrestrē anteposuit. Quamobrem summam gloriam summamq; laudē affecutus est, amicusq; Dei habitus est, & quæ sperauerat, optimum finē adepta sunt. Factus est enim multarum infinitarumq; gentium pater in Christo, cui cū patre & spiritu sancto est honor & gloria in secula, Amen.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI
in Genesim Liber VIII.



AD eos, qui opera Christi iusti euaserint, eiq; voluntate patris, participationeq; spiritus sancti cōiuncti fuerint, sapientissimus Paulus hunc in modum scripsit: Despondi enim vos vni viro virginem castā exhibere Christo. Sancti etenim Christi discipuli veluti præcones quidam, spōsarumq; ductores habentur, & eos, qui longè aberant, propinquos fecerunt, Christoq; insolubili vinculo colligarunt. Ecclesiā enim suam Christus veluti sponsam sibi exhibuit, cū eam pater filio suo quasi despōderet. Sed quod discipuli Christi, ceteriq; sancti, quin mediatores inter Ecclesiā ipsūmq; essent, nulli profectò dubium. Nā Dauid ille propheta clarissimus cū huiusmodi mysteriū nobis declarare vellet, hunc in modū Ecclesiā affatur: Audi, inquit, filia & vide, & inclina aurē tuam, & obliuiscere populū tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorē tuum, quoniam ipse est dominus Deus tuus. Quod cū

2. Corin. 11 Paulus quoque affirmaret eos, qui crediderant, veluti sponsam Christo despondet. Sed hoc tam admirabile, tamque venerandum mysterium, ex his verbis latissime patet. Scriptum est enim, quod d

Genes. 24 Abraham cum esset senex prouectus in diebus suis, & dominus benedixisset ei in omnibus, dixit puero suo maiori domus sue, qui omnibus rebus eius præerat: Pone manum tuam super femur meum, & coniurabo tibi dominum Deum cœli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo Isaac a filiabus Chananæorum, cum quibus ego habito, inter eos, sed in terram, in qua natus sum, ibis, & ad tribum meam, & accipies vxorem filio meo Isaac inde. Hæc cum Abraham puero suo præcepisset, mox ille manum suam femori dñi sui supponens, iurauit: atque ita fit, vt per oēs, qui ex Abraham procreandi essent, eum iurasse intelligamus. Deinde camelis decem ex Abraham facultate oneratis, Mesopotamiam celerrime petiit, ciuitatemque Nachor proficiscitur, camelosque suos extra moenia ciuitatis apud puteum aquæ pascēdos vesperi reliquit, cum mulieres ad aquam hauriendam accederent, Deumque summis precibus orat, vt viam eius rectam reddere velit, virginemque ei ostenderet, quæ non robore modo, sed etiã hospitalitate benignitateque prædita esset. Erit enim, inquit, virgo, cui ego dixero: Inclina paululum hydriam, vt bibam. Et dicat, bibe tu, camelosque tuos potabo, quousque cessauerint bibere. Ipsa est, quæ parasti puero tuo Isaac. Sed nondum orationem compleuit, & ecce virgo, quæ erat forma præter cæteras honesta ac liberali. Cumque ab ea aquam ad bibendum peteret, bibe, inquit ea, tu, camelosque tuos libenti animo potabo. Quod statim eam profecto, quam querebat, esse percipiebat. Quam obrem armillas ac inanes accipiens, virgini obtulit. Sed ea cum domum redire vellet, sequere, inquit, & tu. Quo cum venissent, hilari eius fronte excepit. At ille diuitias dñi sui magnis certe laudibus efferebat, easque vni genito filio suo patrem largitum fuisse affirmabat. Sed cum seruus iam discedere vellet, rogant parentes puellam, an libenter cum eo abiret, e domoque paterna discederet. Libenter, inquit, illa cum eo abirem. Sed cum domum Abraham peruenisset, libenti eam aīo Isaac accepit, consolatusque est, quousque ob matris mortem mœrore detineret. Historiam ergo, quam longa profusaque esset, tamen eam pro viribus breuiter reddere curauimus. Nunc igitur contemplationem eius adhibita indagatōne aggrediamur. Ea enim profecto intelligimus, quemadmodum Christi mysterium multis ante temporibus repræsentaretur, Abraham filio suo Isaac, ex feminis, inquit, Chananæis vxorem tradere haudquam voluit, sed ad eorum regionem, qui idolis dediti erant, seruum suum continuò misit, vt summo studio vxorem, quæ Isaac conueniat, inueniret. Deus etiã ac pater oīm congregationem Iudæorum noluit coniungere Christo, qui profecto in Isaac intelligitur, cum & ipse tunc vltima seculi ætate, quemadmodum Isaac, natus esset: tum etiã dilectus a patre, ac lætitia exultatioque haberetur, vt & Isaac ipse interpretari potest. Sed quod Chananæi notam Iudæorum gerant, ex ipsa noīe interpretatiōe facillime patet. Præopti enim ad subiectionem humilitatemque interpretantur. Sed quoniam quæso ad subiectionem præoptiores vilioresque homines vsque inueniri possint, quæ Iudæi sint: Nam postea quæ Christum negauerint, omnibus certe hominibus vbi que terrarum subiecti sunt, vilissimique inter oēs habentur. Ergo Abraham non ex Chananæis, sed è Mesopotamia filio suo vxorem deduci voluit. Nam & Ecclesia non ex Iudæis, vt paulo ante retulimus, sed ex gentibus saluatori nostro voluntate patris operaque seruorum fidelissimi

mo-

A morum, discipulorum scilicet Christi, spiritualiter coniuncta est. Ipsi namque discipuli quaestores, ministrique arcanorum Dei habentur, & quæque Christus possideat, penes se habent. Quicum Iudæam, quemadmodum & Abraham seruus Chananæus, reliquissent, ad regionem eorum, qui simulachris dediti fuere, profecti sunt. Cumque superna sapientia præditi essent, donisque spiritus sancti muneribusque referti, Dei bona diuitiasque omnibus pollicitabantur. Sed aspice quæso, quemadmodum seruus ille Abraham nullo nomine vocitaretur, vt oīno discipuli fidei probique ministri notam gereret. Si ille apud aquam vesperi diuertit, Deumque sibi in adiutorium implorat, ac virginem probare in aqua auebat. Discipuli quoque Christi in prouincias gentium vesperi perrexerunt, hoc est, cum id seculum in nouissima tempora peruenisset. Idonea etenim robustaque Ecclesia, vt sermonem viuificum ex fontibus saluatoris, vt sacris literis proditum est, haurire possit, & quæ ad vitam æternam pertineant, attribueret sufficientissime valeat. Rebecca etenim seruum camelosque eius libenter potauit. Sed seruum notam Iudæorum in præsentia accipiamus, par est. Homines enim profecto habentur, qui legem tanquam quandam paedagogum sequantur, Christi que mysterium quousque perfecte intelligere non possint, tamen non sine doctrina sunt, sed inter gentes & bestiam nihil inter est, cum camelis merito cõparentur. Prophanum etenim id animal lege habitum est. Quod tales profecto sunt, qui Deum verum haud sanè cognouerint. Ecclesia igitur adeo vbera fertilibusque est, vt alios suos, non eos modo, qui ex Iudæis, verum etiã, qui ex gentibus vocati fuerant, sacris diuinisque aquis rigare mirifice possit. Sed cum huiusmodi virginem discipuli inspexissent, mox eam armillis ornarunt, eiusque aures in auribus decorarunt, hoc est, præclaram venustissimamque eam ob virtutem audiendi reddiderunt. Id enim aures ornatae significat, sed ob manuum etiam opera celebrè eam fecerunt. Hoc enim armillæ, quæ manibus impositæ fuerunt, sanè declarant. Seruus Abraham diuitias dñi sui his, qui Carran inhabitant, enarrabat. Et Abraham vnus duntaxat filium hæredem habere affirmabat, quæ singulari amore diligebat. Diui quoque apostoli diuitias illas Dei & patris ineffabiles, hoc est, spem, vitam, sanctificationem gentibus summo studio prædicarunt. Sed vnum quoque solumque filium Christum esse demonstrarunt, qui ex Deo & patre natura natus est, ac omnium hæres habetur. Interrogatur virgo, si libenti animo cum seruo iter arripere velit, quæ statim annuit. Ecclesia quoque gentium amore Christi quousque maximo detinetur. Quod Dauid profecto ostendit, cum de gentium grege ita refert: Apparatum cordis eorum exaudivit auris tua. Sed postquam Isaac Rebeccam sibi vxorem duxerat, consolatus est, inquit, de matre sua. Atque ita fit, vt Christum mœrore affectum fuisse intelligamus, cum Iudæorum conuentus, ex quibus carnem ipse assumpserat, ob nimiam eorum incredulitatem mortem quasi obiret. Sed cum Ecclesiam sibi desponsasset, eo certè mœrore sese relaxauit. Ita enim propheta ad Ecclesiam clamant: Et erit, sicut lætatur sponsus super sponsam, sic lætabitur dñs super te, cui sit gloria in secula seculorum, Amen.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRI

ni in Genesim Liber IX.



HAEC sunt generatiões Isaac filij Abraham: Abraham genuit Isaac. Erat autem Isaac quadraginta annorum, quando accepit Rebeccam filiam Batuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban Syri, sibi in vxorem. Precabatur autem Deum Isaac pro Rebecca vxore sua, quia sterilis erat. Exaudivit autem Deus eum, & concepit in utero Rebecca vxor eius, exulta-

Eij bantque

bantque infantes in ea. Dixit autem: Si ita mihi fieri debuit, cur mihi hoc? Absit autem audire a domino, & dixit dominus ei: Duæ gentes in utero tuo sunt, & duo populi diuidentur de ventre tuo, & populus populum superabit, & maior natu seruiet minori. Impleti sunt autem dies, ut pareret. Et huic erant gemini in utero eius. Exiuit autem filius primogenitus rufus totus, sicut pellis densus, vocauitque nomen eius Esau. Deinde exiuit frater eius, & manus eius tangebatur calcaneum Esau, vocauitque nomen eius Iacob. Isaac autem erat annorum sexaginta, quando peperit eos Rebecca. Creuerunt autem adulescentes, et erat Esau homo sciens venari, rusticus: Iacob autem homo simplex habitans domum. Dilexit autem Isaac Esau, quia venatio eius erat ei cibus, Rebecca autem diligebat Iacob. Coxit autem Iacob coctionem, venitque Esau de agro deficiens, & dixit Esau ad Iacob: Da mihi comedere de cocto isto frumento, quia deficio ego. Idcirco vocatum est nomen eius Edom. Dixit autem Iacob ad Esau: Redde mihi hodie primogenita tua. Dixitque Esau: Ecce ego pereo, & cur habeam hæc primogenita? Et dixit ei Iacob: Iura mihi hodie. Et iuravit ei. Reddidit autem Esau primogenita sua Iacob. Iacob vero dedit Esau panem & coctam lenticulam, & comedit, & bibit. Surgensque abiit, & parui fecit Esau primogenita sua.

Genesis 15 Deus cum summa veritas sit, Abraham patrem multarum gentium fore promisit, omnemque numerum superaturos, qui ex eo procreandi essent, sursum deorsumque affirmavit. Sicut enim arena, inquit, quæ numerari non potest, erunt, & sicut stellæ multitudinem. Sed hæc tam magna præclaraque promissio non in Israele solum, verum etiam in gentibus quoque effectum sortita est. Fide enim vocati sunt. Quos equidem ex promissione facta in Isaac esse existimo, quemadmodum sapientissimus Paulus adserit. Sed quum scriptura, inquit, præuidisset, quod ex fide gentes iustificat Deus, prænucciavit Abraham, quod benedicentur in te omnes gentes. Itaque qui ex fide sunt, benedicuntur cum fidei Abraham. Qui enim ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt. Scriptum est enim, quod maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Quod autem in lege nemo iustificetur, apud Deum manifestum est. Iustus enim ex fide viuunt. Sed lex non est ex fide, sed qui fecerit ea, viuunt in ipsis. Aspicias ergo, quemadmodum Paulus ea, quæ Deus Abraham promiserat, non per eos, qui lege educati fuerunt, sed per eos, qui fide iustificati sunt, effectum suum sortita fuisse adsereret? Lex enim idcirco causa dispensationis introducta est, non ut promissionem tolleret, sed ut homines erudiret, sensimque ad fidem perduceret. Quumque eorum, quæ iam venerant, imbecillitatem arguisset, fidem, gratiam iustificationemque in Christo per necessariam esse ostendit. Nam & Paulus ita inquit: Fratres secundum hominem dico, tamen hominis approbatum testamentum nemo irritat, aut aliter disponit. Abraham autem dictæ sunt repromissiones & semini eius. Non dicit autem, & seminibus, tanquam de multis, sed tanquam de vno, & semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico testamentum approbatum à Deo. Lex, quæ post quadringentos quadraginta annos facta est, non reprobatur, ut destruat promissionem. Si enim ex lege hæreditas, non amplius ex promissione. Abraham autem per repromissionem largitus est Deus. Quod statim causam quoque adducit, quare lex antea introducta fuerit, ita inquit: Quid ergo? Lex præuaricationum gratia addita est, quousque veniat semen, cui promissum est, constituta per angelos in manu mediatoris. Sed mediator vnus non est, Deus autem vnus est. Lex ergo contra promiss-

A promissiones Dei? Absit. Si enim lex data est, quæ potest viuificare, verè ex lege esset iustitia. Sed inclusit scriptura, omnia sub peccato ut promissio ex fide Iesu Christi detur credentibus. Sed antequam fides venisset, sub lege custodiebamur inclusi ad futuram gloriam reuelandam. Itaque pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide iustificemur. Quum autem venisset fides, non amplius sub pædago sumus. Omnes enim filij Dei estis per fidem in Christo Iesu. Nemo igitur dubitet, quin lex eorum, qui sub ea erudiebantur, imbecillitatem posset arguere, quum ipsa lex culpæ peccatorumque obnoxia esset. Vbi enim, inquit, non est lex, nec præuaricatio. Rursusque: Peccatum autem nesciui, nisi per legem. Sed mandatum, inquit, quum venisset, peccatum reuixit. Ego verò mortuus sum. Rursusque: Quousque lex esset, peccatum erat in mundo. Peccatum autem non reputabatur, quum lex non esset. Igitur lex homines ad Christum certissime educauit, eosque præuaricantes arguit. Ipsaque experientia docet, quemadmodum nullo pacto poenam effugere possent, qui neglecta lege, in libidines sese præcipitarunt. Quocirca Christi certè humanitate indigebant huiuscemodi homines, qui eos in fide & misericordia iustos redderet. Oratio igitur dispensationis, quæ ob humani generis salutem facta est, præclare ostendit prædictionem mandati, quod Moses edidit, per necessariam esse, cum statim gratia Christi peruenisset, in mediumque semen illud adferret, quod antea præfagebatur, hoc est, eos, qui in Christum crediderant. Ita etenim Abraham innumerarum gentium pater certissime esset. Sed aspice quæso, quemadmodum salutis nostre figura in Esau quoque et Iacob perbellè reformaretur. Deus enim Abraham ita affatur: In Isaac vocabitur tibi semen. Quod Paulus, cum legis peritissimus esset, hoc oraculum hunc in modum interpretari voluit: Abraham autem, inquit, dictæ sunt repromissiones, et semini eius. Non autem seminibus, tanquam de multis, sed tanquam de vno, & semini tuo, qui est Christus. Ergo quæ Abraham Deus promiserat, in Christo effectum suum sortita sunt, ad eiusque notam imaginemque Isaac politus est, quem in lætitiâ exultationemque conuertere possumus. Sed quæ Christus exultatio sit, ipse David declarat, cum ex persona eorum, qui salutem eius opera consequi desiderarent, hunc in modum refert: Exultatio mea erue me à circumstantibus meis. In Christo enim seductiones omnium sanguinolentissimorum sedauimus, eiusque virtute scorpiones serpentesque conculcauimus, & super aspidem & basiliscum, qui in eum credidimus, tutè securè ambulamus. Sed ex terrorum quoque vocibus prophetarum latissime patet, quemadmodum Christus lætitiâ exultatioque appelletur. Ita enim referunt: Et oriri faciet dominus iustitiam & exultationem coram omnibus gentibus. Factus est enim Emmanuel, non solum his, qui ex Israele, verum etiam, qui ex omnibus gentibus populisque crediderint, iustitia & exultatio. In eo enim iusti euasimus, in eo prisce maledictionis ignominiam absterimus, in eo peccato mortemque relaxati, lætitiâ exultationemque induti sumus. Et quid præterea supernæ diuinæque gratiæ sit, quod eius gratiam vberissime assequuti non sumus? Quam obrem & Deum ita laudare accepimus: Exultet anima mea in domino. Induit enim me vestimento salutis, & tunica lætitiæ. Sed quænam ipsa lætitiæ tunica sit, sacratissimus Paulus declarat. Quotquot enim, inquit, in Christo baptizati estis. Rursusque: Induimini dominum Iesum Christum, & carnis prouidentiam nolite facere ad voluptates. Ergo Isaac quum exultatio interpretetur, nostræ contemplationi præclare accommodauimus. Sed huic Rebecca coniunx fuit, quæ quam maxima patientia rectè interpretatur, quæ quia personam Ecclesiæ gerat, latissime patet, cum & ipsa in patientia proficiat. Nam filios suos, quos fide spirituque peperit, nulla alia re, quam patientia saluos posse euadere docet. Quandoque enim Christus: In patientia, inquit, vestra, possidebitis animas vestras. Quandoque Paulus: Patientia, inquit, opus est, ut cum voluntate Dei feceritis, promissionem accipiatis. Sed aspice quæso, quemadmodum Rebecca sero parturiret, sterilis namque erat. Quod cum diuina liberalitate precibusque Isaac duos filios peperisset, duo profecto populi, Israel scilicet &

Exodi 4 gentiū repræsentantur. Quorū alter primogenitus fuit. Antea enim per legē vocatus est, alter post eū, q̄ fide ad Christū peruenerit. Sed ex ipsis quoq; noībus, cor porūq; aspectu lineamentisq; quisq; profectō intelliget, quantū inter eos mēte moribusq; intersit. Esau em̄ quercus interpretatur, hoc est, durus quidā atq; crudelis. Ita em̄ & Deus Israelē alloquitur: Scio q̄a durus es, & neruus ferreus tua ceruix est, & frons tua ænea. Iacob verō supplantatorē significat, i. callidum astutūue, qui scilicet superare alios sciuerit. Quē enim quisq; vicerit, eū profectō supplantat. Sed vincit non is populus, qui legē sequitur, sed is profectō, qui Christū coluerit, peccatiq; culpam propulsauerit, ac mortis aculeum generosē cōfrēgerit. Esau rufus totus, et tanq̄ pellis pilosus densusq; fuit. Iacob lenis habitus est. Sed q̄ rufus, nil aliud, q̄ irā furorēq; significet, nulli dubium est. Siquidē verum sit, q̄ qui præpotenti ira furorēq; citantur, rubicūdi efficiuntur. Sed nemo profectō dubitat, quin feris immanibus cōueniat, q̄ pilosum densumq; sit, q̄ Israel huiuscemodi mores habeat, certissimē constat. Nā furore potius, q̄ ratione gubernatur, & ad temeritatē immanitatēque pronus profectō est. Quāobrem sanctissimos illos prophetas principio occiderunt, in Christūq; deinde impiē sceleratēq; egerunt. Sed lenitas humanitatis argumentū habetur. Māsuētissimus nāq; mitissimūsq; nouus Christicolarum populus est. Corporis etenim lenitas decorē animæ profectō solet ostendere, quemadmodum densitas rubedōq; furorē immanitatēq; præ sese certissimē fert. Rebecca mater vtriusq; duntaxat fuit. Christus quoq; Ecclesiā sibi virginē castam exhibuit, q̄ profectō idonea esset, vt duos populos spūaliter possit regenerare. Etenim quo ad aduentū Christi pertineat, ipsos vtiq; in vnum hominem nouū certissimē creasset, faciens pacē, & recōcilians ambos in spūitu, quemadmodū sacris literis proditum est. At Israel primogenitus, effrenatus contumāxque semper iuniori populo fuit. Quod hinc perspicuū debet esse, cū in materno vtero infantes ipsi gestirent, futurā inter se similitatē quasi significant. Sed q̄d maior natu excellētior maiore primogenitōq; sit, ille profectō, qui cuncta nouerit, statim significauit. Populus em̄, inq̄t, populū superabit, & maior natu seruiet minori. Sed mysteriū, q̄d ex fratribus vtriusque colligere possumus, prophetarū quoq; vocibus multis ante tēporibus p̄dicabatur, & Israelē inferiorē gentibus fore varijs modis antea nunciabatur. Quod Deus in ipso q̄q; partu plane ostēdit. Eiectus nāq; Esau ex vtero materno antea est. Iacob autē eū sequebatur. Qui q̄d fratrem suum supplantaturus superaturūsq; esset, cū eius calcaneū apprehenderet, certe significat. Hæc in præsentia ex troporū specie, partūque eorum cōtemplari potuimus. Sed age reliquas quoq; res eorū alijs argumentis pro viribus indagemus. Vita em̄, quā vterq; degebat, mentem animūq; vtriusq; plane ostendit. Nā pares certe ætate fuerunt, sed moribus menteq; plurimū inter sese differebant. Esau etenim cōtinuō peragrabat, venationibusq; mirū in modū oblectabatur. Iacob vrbhanitate, affabilitate comitateq; præditus erat. Cūq; simplicitate innocentiaq; polleret, domi libenter moram semper trahebat. Ille in effrenatas libidines sese præcipitauit, resq; vilissimas atq; caducas muneribus optimis suisque rebus perpetuis anteposuit. Hic cū optimarum rerum cupidus esset, ea semper, quibus præclarus posset euadere, vndiq; summa cum diligentia quærebat. Emit etenim Esau primogenita, quum ipse ea parui fecisset, ventrisq; potius saturitatem, quā dignitatem autoritatēque suam quæsiuisset. Idcirco Edom appellatus est, hoc est, terrestris. Terrestris namque infimiq; animi profectō hic est, qui suam dignitatem contemnit, natiuitatis suæ primatum spernit, effrenatam voluptatem, veluti rem excellentiorem elegantiorēque eligit, oblectamentum carnis, quod celerrime euanescit, sibiq; maximum detrimentum adfert, omni studio sequitur. Quamobrē diuus Paulus eum, qui tam turpem vitam elegerit, fornicatorem sceleratūq; optimo iure appellat, & eos qui in libidinem prolabantur, cum Esau meritō comparat. Etenim cū effrenatam libidinem oblectamentūq; carnis

nis incusaret. Ne quis, inquit, fornicator aut sceleratus sit, sicut Esau, qui pro vno cibo primogenita sua vendidit. Ergo cum adolescentulorum moribus vitāq; peruersitatem Iudæorum, synceritatēq; gentium comparantes, quæ ad propositū nostrum pertineant, expromamus. Israel enim instar Esau rusticus, terrestris, insolens, bellicosus, sanguinolētus habitus est. Ita enim & propheta ipsi testantur, cū quandoq; dicant: Laqueos statuerunt, vt interimerent viros. Quandoque quasi ex persona Christi, quum eos maledictis lacefferet: Quoniam gratis absconderunt mihi in interitulaqueos suos, vanē exprobrauerunt animam meam. Veniat illis laqueus quē ignorant, & venatio quam occultauerunt, apprehēdat eos. Miserunt etenim quosdam ex Phariseis, & ex his, qui Herodiani appellantur (quos ego publicanos esse adsererem) qui eum tentarent, ac dicerent: Licet ne dari censum Cæsari, an non? Ergo populus Israeliticus venator iure optimo habitus est. Sed nouus Christicolarum populus, quemadmodum diuus Iacob, vrbhanus, mitis, mansuetus, constans, simplex, innocens, habitans domum, vt sacris literis proditum est. Verumenimvero mansuetissima eorum multitudo, qui fide saluī euaserint, Ecclesiam veluti quādam ciuitatē celeberrimam, optimis legibus institutisq; ornatam sibi constituit, & vitam conuersationēque suam tanquam domum firmissimam, omni tempestate fluctibusq; superiorem condidit, mentemq; suam omni simplicitate refertam, omniq; prauitate vacuum habuit, & illos qui viam rectam haud sequuntur, quā maximo odio habuit. Nam & Dauid de his ita refert: Dominus habitare facit vnus moris in domo. Vnius etenim moris is ritē habetur, qui in Christo simplex est; & idcirco in domo habitat. Sed de Israele: Multæ, inquit quidam ex prophetis, diuersæq; viæ tuæ sunt. Ergo vitam illam sanctissimā cōuersationēq; in Christo, quam sequuntur Christicolæ, veluti domum inhabitant, & huiuscemodi gloriam quasi coronam suis capitibus imponentes, summamq; felicitatem id esse existimantes, quandoque, Letatus sum, inquit, in his, quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus. Quandoq; Vnam petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam delectationem domini, & protegar à templo sancto eius. Audisne, vt rem singularē, felicemq; esse censuerint, vt in domo domini habitarent, diuinisq; atrijs moram traherent? Quam habitationem non corpoream equidem dicerem, sed eam certē, quam mente constantissima vitāq; sanctissima homines consequuntur. At diligebat Isaac Esau, quia eius venatio cibi ei erat. Primogenitus namq; Israel superna diuināq; dilectione dignus habitus est, cū legis obseruantiam, veluti quēdam cibum Deo offerret. Inter etenim Israelitas viri quoq; sanctimonia virtutēq; præditi fuere, Deumq; toto animo dilexerunt, ac legem summo studio obseruarunt. Esaias enim, quum Hierusalem quasi fornicata esset, sic eam arguit: Iustitiam multis temporibus in ea dormiuit, hoc est, q̄ euit, cessauitq; quum complures in ea fuissent, qui legem haud obseruarent. Ergo principio dignitatē apud Deū primogenitus Israel meruit, sed eam perpetuō non obseruauit, sed veluti primogenita sua iuniori populo, qui post eū venerat, hoc est, gētibus tradidit, cū in carnis illecebras effrenatasq; libidines prolapsus esset. Nā cū rex nuptias filio suo ageret, vt sacris Euangeliorū literis proditū est, cōuiuasq; ad nuptias inuitaret: Ecce, inquit, prandium meum parauit. Tauri mei & saginati occisi sunt, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi verō recusarent, & vnus, Vxorē, diceret, duxi, habe me excusatum; alius, Agrum emi, non possum venire, nonne Esau imitati fuere, quum carnalem terrestrēque oblectationem diuinæ gloriæ anteponerent, & quasi primogenita sua alijs venundarent? Quod quum hoc illi egissent, mox gentes qui in eum crediderunt, imitati sunt, & gloriam quam Israel habiturus erat, ipsi obtinuerunt; ob nimiamque obedientiam, benedictionem adepti sunt, fortesque euaserunt, vt quæque Deo accepta sint, generosē possint peragere. Ita nanque Psalmista inquit: Desiderium pauperum

Genesis 25

Psalm. 118

Psalm. 34

Matth. 22

Psalm. 67

Esaias 1

Matth. 22

Psalm. 9

exaudiuit dominus, præparationi cordis eorū intendit auris tua. Magis enim Chri-
sticolarum populus, quam Iudæorum, diuinis institutis obtemperat, quamuis ille
ante legem didicerit. At multitudo gentium, etsi diuinam legis disciplinam non
acceperit, facilius tamen in Christum credidit, eiusque institutis aurem suam appo-
suit. De quibus Psalmista hunc in modum testatur: Populus, quem non cognoui,
seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Sed de Israele, quum à recta via se de-
traxisset, & quasi formore mentis claudicasset: Filij, inquit, alieni mentiti sunt mi-
hi: filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. Sed semitæ rectæ, quæ
ad Christum perducunt, legis profectò doctrina, prophetarumque oracula sunt.
At qui cum Iudæi ad legis prophetarumque finem, id est, Christum peruenissent,
tum præ nimia infania fatuitateque claudicarunt, aduersusque saluatorem nostrum se-
mente prauissima incitarunt, & autorem vitæ morte mulctare ausi sunt. Sed quod
nouus Chricolarum populus, quum diuinis institutis paruisset, benedictionem,
quam Israel affecutus esset, adeptus fuerit, hinc latissime patet, quum sacris lite-
ris ita mandatum sit:

Psalm. 17

Rectæ se-
mitæ.

Genesis 27

Factum est autem, inquit, cum Isaac senuisset, & debiles oculos ad viden-
dum haberet, vocauit Esau filiū suū primogenitū, dixitque ei: Fili mi. Qui ait:
Ecce adsum. Et dixit ad eum: Ecce senui, & nescio diem mortis meæ. Nunc
igitur accipe vas tuum & pharetram & arcum, & exi in agrum, & venare
mihi venationem: & fac mihi pulmenta, sicut diligo ego, & adfer mihi, vt
comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar.

Hæc pater ad Esau dixit. Qui statim ad venandum se contulit, ad obtinendamque
venationem se generosè parauit. Sed Rebecca Iacob persuasit, vt Esau fratrem
suum præueniat, eiusque benedictionem arripiat. Sed quum hoc agere ille pertime-
sceret: Ne timeas, inquit Rebecca, sed duos hædos pingues tenerosque ex agro con-
tinuò adfer, pulmentaque ea conficiam, quæ pater tuus libenter comedere consu-
euit, humerisque tuis pelles hædorum imponens, hisque collum tuum cooperiens, den-
sitate fratris tui pilositateque ingenuè imitari, manusque paternas, si te fortè tetige-
rint, fugere te faciam. Quod cum persuasus à matre egisset, pulmentumque manibus
accepisset, mox ad patrem ingressus, ait: Pater. Qui ait: Ecce adsum. Quis es tu fili?
Ego sum, inquit, Esau primogenitus tuus. Sicut mihi dixisti, sic feci. Surgens
sede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua. Quod quum se-
nex, quod oblatum est, comedisset, ad adolescentulum inquit: Appropinqua mihi,
& osculare me fili. Cumque appropinquasset, osculatus est eum. Et odorauit odorem
vestimentorum eius, & benedixit eum, dicens: Ecce odor filij mei, sicut odor agri
pleni, quem benedixit dominus. Det tibi dominus de rore cœli, & de pinguedine
terræ, & multitudine frumenti & vini, & seruiant tibi gentes, & adorent te princi-
pes: et esto dominus patris tui, & adorabunt te filij patris tui. Qui te maledixerit, ma-
ledictus erit. Qui verò te benedixerit, benedictus erit. Iacob verò hunc in modum
benedictionem paternam affecutus est. Deinde Esau quum ex agro venationem
adferret, patrique obtulisset, quid frater egerit, statim didicit. Intellexit enim fratrem
suum, Isaac patrem circumuenisse, & magna cum fraude benedictionem arripuisse.
At cum magna lachrymarum effusione patrem interrogasset, num vna duntaxat
tibi benedictio pater sit, benedic quæso me, ait etiam pater: Ecce, inquit ille, de pin-
guedine terræ erit habitatio tua, & de rore cœli desuper, & in gladio tuo viues, fra-
tri tuo serues. Erit autem, cum volueris, poteris iugum eius de collo tuo detrahe-
re. Amplitudinem historiarum in breuem quandam orationem producetes, per pauca
qui hoc opus lecturi sunt, proposuimus, cum ea quæ sensu capiuntur, contemplationi po-
tius accommodare par esse existimassemus. Nā ante eos, qui fide ad Christum accesserunt,

Mysteriū.

Arriit Israeli Deus omnium præcepit, vt vitam integram sanctamque, veluti quoddam
munus præclarum fructumque benignitatis & quasi lamborum optimorum effe-
ctum offerret, quam vitam maiores nostri optimis legis institutis consequebantur,
quamuis ea quasi in notis superfluitateque literæ veluti in quadam materia latitaret.
At non omnino eos, qui spiritus opera diligentissimeque contemplatione eam volue-
rint indagare, certissime fugiebat, quod certè venatio illa Esau mirum in modum
declarat, quum pater Isaac eam summo desiderio expeteret. Præcepit igitur Deus
Israeli, vt ante retulimus: qui libenti animo id se facturum promisit. Ita etenim in-
quit, quum in Choreb in concionem congregati essent, Deusque in ignis specie
ad montem Sinai descendisset: Omnia quæcunque dominus dixerit, faciemus &
audiemus. Quod quamuis ita se facturos promiserint, tamen inertes ac segnes
sefe reddiderunt. Quamobrem supplantator ille Iacob, hoc est, nouus fidelisque
populus accedit, & ea quæ Deus magnopere appetit, continuò offert, cum sum-
ma negligentia summæque tarditate primogenitus populus, vt fidem quam diui-
na natura tanquam cibum quendam accipere consuevit, offerret, detineretur. Quod
saluator quoque noster declarat, quum Samaritanorum conuersionem significas-
set, hunc in modum ad discipulos suos loqueretur: Ego cibum, inquit, habeo co-
medere, quem vos nescitis. Sed quum id enucleare vellet: Cibus, inquit, meus est,
vt faciam voluntatem eius, qui me misit, & perficiam eius opus. Sed quod nullam
utilitatem illa promissio Iudæis attulerit, quum ea quæ Deus promiserat, haudqua-
quam peregrissent, nulloque propterea impedimento gentibus fuerint, quin redem-
ptorem suum agnoscerent, eumque summo obedientiæ honore prosequerentur,
ipse saluator declarat, quum hanc proposuisset similitudinem: Homo, inquit, habe-
bat duos filios. Et accedens ad primum ait: Fili, vade hodie, & operare in vinea. Qui
respondens, ait: Nolo. Postea verò poenitentia ductus, abiit. Accedens autem ad al-
terum, dixit similiter. Qui respondens, ait: Eo domine. Et non iuit. Quis horum,
inquit, duorum fecit voluntatem patris sui? Qui scilicet in vineam profectus est,
etsi principio negligentia quadam detentus, paululum sese contumacem exhibu-
isset. Aspice ergo, quemadmodum hæc similitudo vtrisque fratribus mirifice ac-
commodaretur, & Esau scilicet, quum ad venandum se proficisci, idque libenti ani-
mo gerere promississet, & Iacob, quum quod antea negauerat, quam benedictionem
paternam assequeretur, hoc deinde profectus fuisset. Ita etenim nouus Chricolarum
populus benedictionem rapit, cum Iudaicam vitam quasi dissimularet: quæ-
admodum & Iacob ipse Esau densitatem hædorum pellibus sapientissime imita-
retur. At statim patrem clamitantem audit: Manus quidem manus Esau, vox au-
tem vox Iacob. Sed vt Chricolarum populo accommodare possimus, quo pacto
& Iudaicæ vitæ formam ipse habuerit, eamque imitatus fuerit, & vocem ab eis diuer-
sam obtinuerit, pro viribus, quod sentimus, explicare conabimur. Sacra scriptura
manum rerum clarissimarum argumentum semper accipere solet. In quantum ete-
nim eadem Iudæis Chricolæ opera agunt, legem & ipsi profectò sequuntur, &
intellectu spiritusque se immolant, in odoremque suauitatis se offerunt. Ita namque & saluator
humani generis, qui legem nobis Euangelicam tulit, aperte inquit: Non veni soluere legem
aut prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amē quippe dico vobis: Quousque
transeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non transibit à lege, donec omnia
fiant. Audisne, vt Chricolæ legem adimplerent, cum circuncisionem spiritus, non carnis
suscepissent: Intramus enim in illam requiem Christi, in ipsosque sabbatū agimus, &
internum abditumque Iudæum ostendimus. Hoc enim cum manus Esau illum ha-
bere dixisset, profectò significat. Sed vocem omnino ab eo diuersam habemus. Non
ea Iudæorum loquacitate vtimur, neque redemptorem nostrum negantes maledi-
ctis eum laceessimus: sed eum vna cum patre summis laudibus efferimus, & dominum sal-
uatorem, redemptoremque appellamus. Sed operæ precium profectò existimo, si vim
quocumque

Exodi 24

Ioannis 4
Ibidem.

Matth. 21

Genesis 27

Manus.

Matth. 5
Lucæ 16Matth. 13
Lucæ 21

quoque vtriusque benedictionis adhibita indagatioe perscrutemur, & quicquid nobis mente venerit, expromamus. Maximè nanque utilitati omnibus, qui hoc opus lecturi sunt, fore arbitramur. Igitur diuus Isaac ad Iacob sic inquit: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit dominus. Det dominus tibi de rore cœli, & pinguedine terræ multitudinem frumenti & vini, & seruiant tibi gentes, & adorent te principes; & esto dominus fratris tui, & adorabunt te filij patris tui. Qui te maledixerit, maledictus erit: qui verò te benedixerit, benedictus erit. Permixta quodammodo historia in his esse videtur, duobusque testibus veritas ipsa lucefcit, ac rebus ipsis magis magisque clara dilucidatque redditur. Nam huiuscemodi benedictio, non in Iacob solum, verum etiam in Christo, hisque qui iusti euaserint, ni mirum perficitur, quum ipsi filij quoque Isaac per promissionem iure optimo habeantur. Ergo prædictionem hanc benedictionis Christo nouoque populo accommodare possumus, quum ipse Christus dux princepsque generis humani sit, secundusque Adam habeatur, & quasi radix humanæ naturæ certissimè constet. Cuncta etenim noua in Christo sunt. In sanctamque & incorruptibilem vitam nos ipse restituit. Sed vt arbitror, ratio benedictionis odorem illum Christi profectò significat, qui veluti quendam suauissimum iucundissimumque odorem ex sacratissima sua carne tanquam ex diuersis florum generibus, quum in campis agrisque tempore veris florescunt, eum hominibus proferat. Ita enim se in Canticis Canticorum ipse appellat: Ego, inquit, flos campi, & lilium conuallium. Lilium nanque rosaque ob humanitatem quasi è terra sine vlla peccati macula ortus est, orbique terrarum ob rerum gestarum magnitudinem, odorem quendam suauissimum protulit. Sed Christus cum agro ex Deo benedicto iure optimo comparatur, quum ille profectò odor sit, quo Deum & patrem cognoscimus. Nam & sapientissimus Paulus hunc in modum refert: Deo autem gratiarum actio, qui semper nos in Christo triumphare facit, & odorem cognitionis sue manifestat. Doctrina etenim apostolorum dominus noster Iesus Christus tanquam odor cognitionis Dei & patris hominibus cognitus est. Nam, si quis, inquit, filium nouerit, patrem quoque ob identitatem æqualitatemque naturæ certissimè nouit. Quod cum hæc omnia Christo accommodari possint, nouo quoque Christicolarum populo mirum in modum conueniunt. Vnigenitus etenim Dei & patris filius, veluti ros cœli, terraque pinguedo, nobis ob communionem spiritus à Deo largitus est, diuinæque naturæ, opera eius participamus, ac frumenti vinique multitudinem, hoc est, roboris lætitiæque assequimur. Quandoquidem verum illud sit, quod panis cor hominis roboret, & vinum cor hominis lætificet. Panis ergo vinumque spiritualis intellectualisque roboris ac lætitiæ argumentum est. Sed & hominibus, qui in Christo crediderint, hæc mirificè conueniunt. Fortes etenim constantesque in vera piaque religione sumus, rectaque sentimus. Potestatem nanque accepimus, vt super serpentes & scorpiones, supraque inimici potestiam ambulemus: quod ob frumenti multitudinem intelligere possumus. Sed & vini vbertatem quoque accepimus. Spe enim gaudemus, factique sumus lætantes, vt sacris literis proditum est. Superna nanque domicilia, incorruptibilem scilicet longæuamque vitam expectamus, simulque cum Christo regnare, quemadmodum sensus orationis nobis intelligere præbeat. Sed ad ipsum rursus Emmanuelem benedictio ipsa reflectitur. Seruient, inquit, tibi gentes, & adorent te principes, & esto dominus fratris tui. Etenim cum carnem humanam assumpsisset, primogenitus inter fratres multos extitit. At non ob eam causam Deus cunctorumque dominus non habetur. Adoramus enim eum tanquam dominum, omnibusque veluti Deus dominatus est, qui per gratiam in fraternitatem vocati fuere. Quis enim, inquit, in nubibus æquabitur domino, aut quis similis Deo in filiis Dei? Dominatus est ergo Emmanuel veluti Deus his, qui in fraternitate eius assumpti sunt, & ipsi flectentur omne genu, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua cōfitebitur, quod domi-

A dominus Iesus Christus in gloria Dei patris est. Qui te maledixerit, inquit, maledictus erit: qui verò te benedixerit, benedictus erit. Quo nihil profectò clarius esse potest. Nam qui Christum contumelijs, probris maledictisque afficiunt, maledicti profectò sunt. Sed qui eum laude benedictioneque prosequi student, supernis diuinisque donis referti sunt. Quamobrem Iacob benedictio ad ipsum Emmanuelem eosque qui in eum crediderint, iure optimo referri potest. Sed & alteram quoque benedictionem, quæ ad primogenitum Israelem, cuius notam Esau gerit, facta fuerit, perspiciamus. Ecce, inquit, de pinguedine terræ erit habitatio tua, & de rore cœli desuper, & in gladio tuo viues, fratrique tuo seruias. Erit autem, cum volueris, poteris iugum eius à collo tuo soluere. Lex enim opera Mosis Israeli loco benedictionis tradita est: sed ea profectò verbum Christi erat, quod per angelos ministerio profecutum est. Sed quod ipse maioribus nostris loqueretur, sapiētissimus Paulus persuadere potest, cum dicit: Multiphariè multisque modis, olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio. Sed sermonem suum saluator noster legem esse ostendit, quum dicit: Amen quippe dico vobis, quousque transeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non transibit à lege, donec omnia fiant. Quod quum ita se habeat, sermo Christi lex certè fuit, quæ per angelos loco benedictionis Israeli tradita est: sed Christum rorem cœli terraque pinguedinem esse intelligimus. Vt enim angeli supernis spiritualibusque roribus irrigati mirificè pullulāt, sic terra pinguis imbribus intellectualibus suffusa, frugem vberimum spiritualemque certissimè fundit. Sed nos qui opera fidei Christo coniuncti fuerimus, pane vinoque locupletati sumus. At Israel horum expers omnino est. Non enim in Esau benedictione id additum fuit. Sed alio quoque modo mysticè benedictionis Iudæi expertes prorsus habentur, cum legis cultui id traditum non sit: sed fidei potius populo referuatum esset. Nam in pace continua, Christi opera collocati sumus. At Israel in bellis atrocissimis fuit, terram ille promissionis sensu hæreditate acquisiuit, quæ notam illius superne intellectualisque obtinuerit, cuius etiam Christus meminit, cum dicit: Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram. Nos inter filios Dei spiritus sancti gratia adscripti sumus, & ad Christum veluti ad fratrem nostrum, quum ei sponte paremus, accedimus. Sed Israel homini subditus est, legemque Mosi oneratur, & pœnam, si eam transgressus fuerit, statim capitale luit. Fratri enim, inquit, tuo seruias, hoc est, subditus eris non sponte, etsi tibi similis natura. Homo nanque Moses fuit, nobisque similis, & quo ad humanitatem, nihil plus hominibus habuit. Deus etenim Israelem Mosi populum appellabat, cum in eremo vitulum illum conlasset. Ita enim ad eum loquitur: Descende hinc statim: inique enim populus tuus egit, quem eduxisti de terra Aegypti. Sed & Paulus hunc in modum de lege Mosi refert: Cum aliquis, inquit, legem transgressus fuerit, sine vlla misericordia in duobus aut tribus testibus moritur. Sed quod Israel iugum, hoc est, legem Mosi, cum Christus eum ad fidem vocasset, dispositurus esset, hinc latissimè patet. Erit autem, inquit, quum volueris, poteris iugum eius à collo tuo soluere. Qui enim ex Israel in Christum crediderint, ex collis suis iugum legis soluerunt, quum intolerabilis esset. Vocati nanque per fidem in liberam ingenuamque dignitatem sunt, in Christo Iesu domino nostro, cui sit gloria in secula seculorum, Amen.

D. CY-

Exodi 24
Actor. 6
Hebræo. 1
Matth. 13
Lucæ 21
Matth. 5
Exodi 33
Hebræo. 10

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXANDRI

CHIEPISCOPI ALEXANDRI

ni in Genesim Liber

X.



MERVUM illud profectò est, quòd qui rectam viam Christi-
stumq; sequi voluerint, supplicijs persecutioneq; durissima affi-
cientur. Nam iniquitatis filij, quum clarorum hominum virtu-
tem reprehensionem quodammodo suæ prauitatis existimēt,
veluti immanes quedam feræ, in eos crudeliter ruunt. Vitia e-
nim tum deprehendi solent, cum virtutes in medium adferun-
tur, & quæ honesta & legitima sunt, flagitiosa quidem & tur-
pia indicant. Atq; ita fit, vt cum scelerati homines victos se per-

spexerint, inuidiæ statim iacula inter se fabricant, ac ignem odij permagnum incē-
dunt. Vitam etenim probatissimorum virorum, suæ infantiæ causam suorumq; sce-
lerum esse existimant. Qui quamuis in manus eorum inciderint, non tamen ab e-
is superari conuinciq; Deus permittit. Nunquam enim Deus, qui pro ipso pericula
adeunt, relinquit, quinimo eos generosè tuetur, cunctisq; periculis liberat, atq; cla-
rissimos reddit. Ea enim quæ perpeffi fuerint, veluti quædam certamina eis propo-
nebat. Quod & sacratissimus Paulus contestatur, cum inquit: Fidelis autem Deus
est, qui non patietur vos tentari supra id, qd potestis: sed faciet cum tētatione etiam
prouentum, vt possitis sustinere. Sed & ipsi quoque, qui huiusmodi certamina ini-
erunt, hunc in modum in libro Psalmorum clamitant: Probasti nos Deus, igne nos
examinaisti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribu-
lationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transiuimus per
ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Audisne quemadmodum non in-
iquo fuerint animo, cum viri illi sanctissimi probarentur, quin etiam æquo animo,
hilarisq; fronte omnia tolerauerint: Meliores etenim sese ipsi reddebant, ipsaq; expe-
rientia rerum clariores euaserunt: & ob varia diuersaq; tormentorum genera, ni-
mia charitate Deum piissimum dilexerunt. Transiuimus nanque per ignem, inquit
unt. Vt enim optimum quodq; thus cum igni inhæserit, tum odoris sui suauitatē
emittit: sic anima sancta quum laboribus periculisq; velut igne examinata est, tum
clariorem perfectioremq; suam virtutem certissime reddit. At de omni viro san-
ctissimo diuus ille Dauid hunc in modum iterum refert: Immittet angelus domini
in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Sed & ipse quoq; auxiliij opisq; autor sic
ait: Quoniam in me sperauit, liberabo eum. Clamabit ad me, & exaudiam eū, cum
ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum. Longitudine dierum re-
plebo eum, & ostendam illi salutare meum. Sed quidnam aliud quæso salutare Dei
optimo iure censeatur, quàm eius sermo, qui ob humani totius generis salutem,
humanam carnem seruicq; formam assumpsit: Ita nanq; eum per Esaiam appellat:
Et videbunt gentes iustitiam meam, & salutare meum sicut lampas accēdetur. Dei
nanq; & patris filius, gloria nobis, iustitia, salutareq; fuit. In eo enim iusti euasimus,
honorēq; filiorum adoptiuorum consecuti sumus. Sed quòd salui eius opera eua-
serimus, mortemq; fugerimus, ex his latissime patet. Nam saluator ipse noster, ve-
luti lampas accensa hominibus, qui in nocte tenebrisq; diu sedebant, apparuit, lumi-
nēq; diuino animas in eum credentium illustrauit. Idcirco, ego sum, inquit, lux mū-
di. Quòd autem, vt saluator ipse testatur, beati erunt qui persecutionem patiuntur,
cœlestemq; hæreditatem obtinebunt, ipsumq; omnium parentem patronum habe-
bunt,

2. Corint. 1

Psalm. 65

Psalm. 33
Psalm. 90Salutare
Dei.

Esaiæ 62

Math. 5

Abunt, mysteriumq; Christi clarè intuebūtur, ex beati Iacob vita rebusq; gestis facile
percipi potest. Sed quæ de eo sacræ literæ referunt, in medium adferre, operæ pre-
cium duxi, vt qui hunc librum lecturi sunt, rem facilius intelligere possint, quæ ita
se habent.

Molestus, inquit, erat Esau Iacob de benedictione, qua benedixit ei pater Genesis 27
eius. Dixitq; Esau in mente sua: Vtinam appropinquent dies mortis pa-
tris mei, vt occidam Iacob fratrem meum. Annunciata sunt autem Re-
becca verba filij sui senioris. Et mittens vocauit Iacob filium suum iunio-
rem, & dixit ei: Ecce Esau frater tuus minatur occidere te. Nunc ergo fili-
audi vocem meam, & surgens fuge in Mesopotamiam ad Laban fratrem
meū in Charan, & habita cū eo aliquot dies, donec transeat furor & ira fra-
tris tui, & obliuiscatur quæ feceris ei, & mittens vocabo te illinc, ne priuer
vobis duobus vno die. Deinde licitam discessionis causam filio suo exco-
gitauit. Accedens enim ad Isaac: Proxima sum, inquit, vitæ meæ propter
filias filiorum Heth. Si accipiet Iacob vxorem ex filiabus huius terræ, cur
mihi viuendum sit? Ne igitur præter voluntatem paternam beatus Iacob
e domo discederet, & idcirco tristitia patri iræq; foret, mulier callide seni
persuadet, vt filio facultatem discedendi præbeat. Itaq; Isaac vocans Iacob,
benedixit ei, mandauitq; dicens: Non accipies vxorem ex filiabus Chana-
an. Surgens fuge in Mesopotamiam, in domum Bathuel patris matris tuæ,
& accipe tibi ipsi vxorem illinc ex filiabus Laban fratris matris tuæ. Deus
autem meus benedicat te, & augeat te, & multiplicet te, & eris in congre-
gationes gentium. Et det tibi Deus benedictionem Abraham patris mei, &
semini tuo post te, vt hæredes sint terræ incolatus tui, quam dedit Deus
Abrahæ.

Quemadmodum enim historia recitat, & Isaac & coniugem eius Rebeccam mi-
rum in modum admirari oportet hanc, quia coniugem velut maiorem se pro filio
suo præcabatur. Illum, quia quum naturam veluti ducem optimam sequeretur, sta-
tim quod matri haud placebat, filio suo negauit. Verumenimvero optimis eum
moribus rectaque religione educatum huiuscemodî rebus admonere voluit, vt
paternam virtutem imitaretur. Omnibus enim in rebus quum diuus Iacob pater-
nis institutis pareret, hoc etiam argumentum suæ pietatis in Deum, ac fidei claris-
simum demonstrauit. Sed vt interna profundaq; contemplatio desiderat, explican-
dum cenfeo. Sed antea, quàm rem aggrediamur, id memorare oportet, vt nostram
contemplationem, clariorem dilucidiorēq; reddamus. Rebecca ante partum fili-
orum suorum, quum utrosq; in vtero suo ferret, ægro molestoq; animo erat, quòd Genesis 25
non modicè in vtero exultarent gestirentq;. Deinde anxia mœroreq; animi oppres-
sa, quidnam gestio illa significet, Deum optimum rogat, ac dicit: Si ita mihi fieri de-
bet domine, cur mihi hoc? At ille: Duæ, inquit, gentes, & duo populi ex vtero tuo
diuidentur, & populus populum superabit, & maior natu seruiet minori. Ergo
propterea Esau & Iacob in notam duorum populorum, Israelis scilicet & Christi-
colarum accipiēdi, quod & primatum amiserit, cum primogenita sua vendidisset, Ibidem.
dignitatēq; suam alteri cessisset, & quòd benedictione priuatus fuerit, cum sero
& quasi secundus venationem suam attulisset. Idcirco iniquo aduersus fratrem ani-
mo erat, & eum impiè sceleratēq; interficere excogitabat. Pari ratione primogeni-
tus quoq; Israel nouo fidelisq; Christianorum populo infestus erat, & odio eū quàm Mysteriū.

F maxi-

maximo habebat: quod primum apud Deū statum obtinuerit, in locumque primo geniti filij adscriptus fuit, atque superna benedictione refertus, opera spiritus Christi, gratiam adsecutus est. Israeliticus ergo populus Christianis odio fuit, quantumque ad voluntatem suam vimque conatum pertineret, homicida & ipse extitit. Insequatur enim eum, & simultatis inuidiaque iaculis acerrime feriebat. Sed Rebecca Iacob filio persuadet, ut domum paternam, fratremque suum Esau relinqueret, & ad Laban hominem simulachris deditum proficisceretur. Quod & Isaac ipse adolescentis pater annuit. Vxorem enim ex filijs potius Laban, quamuis simulachra veneraretur, quam ex Chananaeis filium suum ducere voluit. Nam & novo Christianorum populo, cum laboribus periculisque fatigaretur, diuersisque ac varijs persecutionibus afficeretur, Ecclesia, cuius notam Rebecca prae se fert, furorem impetumque sanguinolentissimorum hominum fugere, seque ad filias Laban, hoc est, ad gentes conferre consulebat. Quod & ipse sponsus Rebeccae, hoc est, Christus annuit, ut nullam scilicet coniunctionem spiritualem (argumentum enim coniunctionis matrimonium constat) cum his habeat, qui furore quam maximo incensi, in sceleratas libidines, homicidia errorisque inextricabiles sese incluserunt, ac viros sanctissimos magis magisque occidere appetuerunt. Quod quidem diuos apostolos, qui fidelis populi primitiae fuere, egisse perspicuum est. A grege enim & ipsi Iudaeorum, quemadmodum & Iacob Chananaeorum, se seiunxerunt, & ciuitates prouinciasque transeuntes, furorem persequentium fugere properabant. Hunc enim in modum & Christus eis praecipit: Quum persequentur vos, inquit, in hanc ciuitatem, fugite in aliam. Sed & eos, qui sanguine Israelis processerunt, contumacesque praeterea ac contumeliosos sese reddiderunt, hoc modo affantur: Vobis erat necesse primum loqui sermonem Dei. Cum autem eum expellitis, & non dignos vos iudicatis vita aeterna, ecce vertimur in gentes. Sic enim praecipit nobis dominus. Audisne quemadmodum sponsus Ecclesiae, hoc est, Christus discipulos suos gentium regiones petere praeeperit, ex illisque filios procreare, ac patres se quasi populorum efficere: Quamobrem & sapientissimus Paulus his, qui crediderant, sic ait: Nam si decem milia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Sed quod Deus fidelis Christianorum populo perpetuo adesse promiserit, eique largam semper benedictionem tribuere, ex his, quae diuus Isaac ad beatum Iacob dixerat, quum paterna domo discederet, latissime patet. Deus autem, inquit, meus, benedicat te fili, & auget te, & multiplicet te, & eris in congregationes gentium; & dicit tibi benedictionem Abrahae patris mei. Populus enim Christianorum, opera Christi, benedictionem adsecutus est, & in magnam se multitudinem propagauit, cohaereditque sanctorum patrum sunt. Recumbent enim cum Abraham & Isaac & Iacob in regno caelorum, ut saluator noster adseruit. Sed eius quoque voce benedicti euasimus. Nam ad patrem suum ita pro nobis precatur: Pater serua hos in veritate. Atqui et Rebecca mater quoque Esau fuit, nihil tamen nostrae contemplationi officiet. Esau enim notam filiorum Israelis: Rebecca vero personam Ecclesiae gerit. Arramen & ipsi Israelitae, quin Ecclesiae filij sint, nemo dubitat. Non in antiquum illum vetustumque populum assumpti sunt, sed inter nouum fideliumque numerati. Si quae enim, inquit Apostolus, noua in Christo creatura sit. Ipse nanque duos populos in vnum hominem nouum creauit, faciens pacem, ut sacrae litterae attestantur, & reconcilians utrosque in vno spiritu ad patrem. Inter medium enim parietem sepes dissoluit, & legem antiquorum mandatorum nouis decretis destruxit. Sed Iacob benedictione paterna quasi viatico fultus, ad propositum sibi viam properabat. At quae rursus ei in via acciderant, proponenda sunt.

Et exiuit, inquit, Iacob a puteo iuramenti, & profectus est in Charan: &

repe-

reperit locum, & dormiuit ibi. Occidit enim sol. Et accepit ex lapidibus eius loci, & supposuit capiti suo, & dormiuit in loco illo, & somniauit. Et ecce scala firmata in terra, cuius summitas tangebatur caelum, & angeli Dei ascendebant & descendebant super eam. Dominus autem confirmatus erat super eam, & dixit: Ego sum Deus Abrahae patris tui, & Deus Isaac, noli timere. Terram super qua dormis, tibi dabo & semini tuo. Et erit semen tuum sicut arena terrae, & dilatabitur ad mare, & occasum & orientem. Et benedicetur in te omnes tribus terrae, & in semine tuo. Et ecce ego tecum sum custodiens te in omni via, quocumque ieris, & reducam te in hanc terram: quia non derelinquam te, quousque faciam omnia, quae locutus sum tibi. Et surrexit Iacob mane de somno, & dixit, quod dominus est in loco isto, & ego nesciui. Et timuit, dixitque: Quam terribilis est locus iste. Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta caeli. Et surrexit Iacob mane, & accepit lapidem, quem supposuit capiti suo, & erexit eum in statuam, & effudit oleum super summitatem eius. Et vocauit Iacob nomen loci illius, domum Dei.

Puteum iuramenti nomen ciuitatis esse accepimus. Sic enim scriptum est:

Factum est autem in die illa, & accedentes pueri Isaac, annunciauerunt ei de puteo, quem foderunt, dixeruntque: Non inuenimus aquam. Et vocauit illum iuramentum. Propter hoc appellauit nomen ciuitatis, puteum iuramenti, usque in hodiernum diem.

Sed propterea quoque puteus iuramenti appellata est, quod Geraritarum principes, Abimelech scilicet, & qui cum eo erant, iuramentum pacis ibi cum Isaac pepigerunt. Iacob igitur & domum paternam, & ciuitatem & gentem suam reliquit. Ob quam quidem rem, moerore quam maximo afficiebatur. Voluebat enim animo, quemadmodum vagum se peregrinumque debeat esse, alienam incolere patriam, aliorum se imperio subijcere, inconsuetumque seruitutis iugum subire. Nam & nobiles quoque principibus pareant, necesse est. At Deus qui corda renesque hominum scrutatur, statim succurrit, animumque iusti tanto moerore animi angit, tantaque tristitia affici nullo modo patitur. Sed monstrauit, quemadmodum magna multitudo angelorum sursum deorsumque volitans, omnes qui se Deo dedicarint, generose tueretur. Hoc enim, ut arbitror, per somnium diuus Iacob erudiebatur. Scalam enim vidit, quae sursum

Hierem. 18
Apoca. 2

Scala,

F ij deorum

deorum liberarentur, verum Deum, quem colere venerarique didicerant, non ubique terrarum esse, neque cuncta, quæ sub cælo sunt, intueri existimabant. Sed beatus Iacob, quod fide defuerat, quum in patria esset, discessu suo assequitur. Discit enim Deum in omni loco esse, & cælum quidem inhabitare, sed totum orbem terrarum adimplere, miroque modo eum regere atque gubernare, omnèsque spiritus qui cælum incolunt, eius imperio parere, quum sursum deorsumque discurrere eos imperaret, ipsumque principem atque imperatorem habere. Idcirco admiratus est, dicens: Dominus est in loco isto, & ego nesciui. Sed cum lapidem eiusmodi somnij causam esse arbitraretur, quibus poterat eum honoribus prosequeretur. Quamobrem eum erexit, oleumque super eum effudit, & locum illum, domum Dei portamque cæli appellabat. Hæc incultiori quadam expositione dicta sint. In obscuritatem enim historię explicare oportuit. Nunc ad contemplationem spiritualem nostram vertamus orationem. Nouus fidelis- que Christicolarum populus, qui quasi primitiæ inter sanctos apostolos intelligerentur, furorem sanguinolentissimorum Iudæorum fugere euitaréque properabat. Et quum è ciuitate in ciuitatem proficisceretur, gentium greges innumera- biles sibi despondebat. Vt enim ad Laban filias, quum Esau eum perterret, & immaniter eum occidere niteretur, perrexit, sic & iste gentiles sibi spiritali con- iunctione copulare vehementer desiderabat. Sed quum in Christo, qui lapis preciosissimus elegantissimusque atque angularis habetur, quieuisset (Hoc enim super lapidem dormire significat) profectò non solum eum terram illam inhabitare, sed diuos angelos obtinere, qui sursum deorsumque volitantes eum defenderent. Vnde & saluator noster: Videbitis, inquit, cælos apertos, & ange- los Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Hoc enim scala illa significat, diuorum scilicet spirituum sursum deorsumque discursionem, qui ad eorum tutelam è Deo mittuntur, qui salutem assequi debeant. Confirmatus au- tem scalæ Christus erat, & ad eum vsque spiritus sancti attingebant, eumque principem habebant: non quia eiusdem naturæ essent, sed tanquam dominum atque Deum venerarentur. Sic enim & Dauid inquit ad eum, qui in adiutorio altissimi habitare voluerit: Quoniam angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pe- dem tuum. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Super enim serpentes & scorpiones, & super omnem potentiam in- imici, Christo saluatore nostro opitulante calcauimus: sed & Deum eius opera videre digni euasimus, atque magna cum fiducia hanc vitam degere, cum ipse semper adsit, defendat, saluet, frugiferòsque reddat. Ecce enim vobiscum sum, inquit, omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Sed quod innum- erarum gentium parentes discipuli sacri euaserint, easque fide Christi quasi partu spiritali genuerint, hinc percipi potest, quum beatus Paulus ad eos, qui opera sua crediderant, hunc in modum scriberet: Nam si decem milia pæda- gogorum habueritis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Semen igitur apostolorum par numero arenæ certissimè constat, quum in ortum & occasum, austrum atque septentrionem propagatum sit. Vbique enim Christus colitur atque veneratur. Sed & lapi- dem, qui erectus perfususque oleo fuerat, Christum repræsentare quis dubitet, quum & ipse oleo lætitiæ præ confortibus suis linitus esset, è mortuisque re- surrexisset: quod erectio lapidis perbellè significat, quamuis mortem sponte ob- fisset: Magna enim voce magnòque præconio apostoli dominum nostrum Iesum Christum linitum à patre in spiritu sancto, è mortuisque resurrexisse tertio die præ- dicant, cui vnà cum patre & spiritu sancto sit gloria in secula seculorum, Amen.

D. CY-

D. CYRILLI AR-
CHIEPISCOPI ALEXANDRI

ni in Genesim Liber

XI.



ON est dubium fratres charissimi, quin omnium super- norum ciuium sententia, corona optima à Deo meritò do- narentur, qui diuinum sermonem audiunt, rectamque di- sciplinam sequuntur. Nam omnium quidem rerum id præ- stantissimum est, ad finemque optimum homines profectò perducit. Ita enim & saluator noster adserit: Simile, inquit, est regnum cælorum homini negociatori, quærenti bo- nas margaritas. Inuenta autem vna preciosa margarita, a-

Matth. 13

bijt & vendidit omnia bona sua, & comparauit eam. Bonas igitur margaritas inquiramus necesse est, vt inter eas illam singularem preciosamque margaritam, hoc est, Christum inueniamus. Sed quænam aliæ optimæ margaritæ iure ha- bendæ sunt, quas oportet inquirere, vt earum opera ad illam preciosissimam margaritam valeamus peruenire, quam viri sanctissimi, qui, vt ille propheta ce- cinit, lapides sancti sunt, qui in terram voluuntur: Adhibita ergo indagazione, quæ sancti dixerunt quæq; egere, inuestigemus. In his enim religionis nostræ mysteri- um, hoc est, Christum, quibusdam quasi notis scitè sapienterque inumbratum inspiciemus, eiusque dispensationis prædictionem, quamuis obscuritate quadam obumbratam inueniemus. Sed huic nostro proposito res gestas beati Iacob ac- commodemus, vt ex eius historia velut apes, ex optimis quibusque floribus fla- grantiora carpentes, totius dispensationis Euangelicæ fauum mirum in modum copulemus. Quod si cuncta, quæ ipse gesserit, nostræ contemplationi respondere non valeant, nemo molestè ferat. Nam quæ gesta sunt, alia personæ, à qua gesta sunt, accommodantur, alia aliam profundamque sententiam præ se ferunt, & ad Christi mysterium mirificè reformantur. Sed quæ literæ sacre recitant, aggre- diamur.

Cumque, inquit, Iacob surrexisset, profectus est in terram orientis, ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem autem Rebeckæ matris Iacob & Esau. Et vidit, & ecce puteus in campo. Erant autem tres greges ouium ibi, quiescentes in eo. Ex puteo enim illo potabant greges. Lapis au- tem erat magnus in ostio putei, & congregabantur illuc omnes greges, & voluebant lapidem ab ostio putei, & potabant oues, & restituebant lapidem iterum super ostium putei in locum suum. Dixit autem eis Iacob: Fratres vnde estis vos? Qui dixerunt: De Charan sumus. Dixit au- tem eis: Cognoscitis Laban filium Nachor? Qui dixerunt: Cognoscimus. Et dixit: Bene valet? Qui dixerunt: Bene valet. Et ecce Rachel filia eius veniebat cum ouibus. Et dixit Iacob: Adhuc multa dies est. Potate oues, & euntes pascite. Qui dixerunt: Non poterimus, quousque conue- niant omnes pastores, & euoluant lapidem ab ostio putei, & potemus oues. Adhuc ipso loquente illis, Rachel filia Laban veniebat cum ouibus

Genesis 29

F iij patris

Domus Dei.

Roman. 8
2. Thessa. 2

Psal. 117
Esaia 28
Ephesio. 2
Acto. 4

Ioannis 1

Psal. 90

Lucæ 10

Matth. 28

1. Corin. 4

Lapis.
Psal. 44

patris sui. Hæc enim pascebat oves patris sui. Factum est autem, quum vidisset Iacob Rachel filiam Laban fratris matris suæ, accedens voluit lapidem ab ostio putei, & potavit oves Laban fratris matris suæ: & osculatus est Iacob Rachel, & exclamans vocem suam, fleuit. Et annunciauit Rachel, quod nepos patris eius, & quod filius Rebeccæ est: & currens annunciauit patri suo secundum hæc verba. Factum est autem, cum audisset Laban nomen Iacob filij sororis suæ, cucurrit in occursum suum ei. Et complexus eum osculatus est, & introduxit eum in domum suam: & narrauit Laban omnes sermones istos. Et dixit ei Laban: Ex ossibus meis, & ex carne mea es tu.

Genesis 28 Post illam supremam ineffabilemque Dei visionem, revelationemque (Scalam enim è terra in cælum vsque attingentem vidit, dominumque super eam constitutum, ac angelos sursum deorsumque cursitantes, Deumque semper ad futurum sibi ipse audiuit, ac semen suum in innumerabilem gentium multitudinem propagandum post lapidis in notam Christi, vt ita dixerim, erectionem) tunc magna cum fiducia, rerumque futurarum spem firmissimam in Deum tenens, ad peragrandum sese properabat, & in terram ad ortum positam proficiscitur, & cõpluribus se pastoribus notum fecit, quod & ipse scilicet artem pascendi mirum in modum exercuerit. Quod cum se peritum huiusce rei monstrare voluisset, multa, inquit, adhuc dies est. Nunc igitur potantes oves, eutes pascite. Sed & à Rachel filia Laban cognoscitur, cum veluti primitias suæ bonitatis exhibens, oves eius potare curam adhibuisset. Nam cum optimis semper moribus educatus esset, insignibusque virtutibus præditus, considerabat quam turpe est, virginem, nubilem ætatem gerentem, pastores expectare: & ubi lapidem ipsi voluerant, ob imbecillitatem foemineam pudoremque virginem, oves suas vltima omnium potaret. Sed & lex quoque pietatis eum mirifice compellebat, vt ei que ex sanguine suo erat, sese vtilem exhiberet. Quamobrem cum solus lapidem ab ostio putei voluisset, libenti animo oves eius potavit. Sed memorandum est, quod diuus Moses eodem officio vsus est, cum ex Aegypto in prouinciã Madianorum proficisceretur. Tum enim & ille cum pastores lethro filias magnis iniurijs laceffere offendisset, iniuriam propulsauit, & oves earum potavit. Ita namque sacræ literæ contestantur: Discessit Moses à facie Pharaonis, & habitauit in terra Madian. Cum venisset autem in terram Madian, sedit super puteum. Sacerdoti autem Madian erant septem filie pascentes oves patris sui lethro. Accedentes autem hauriebant aquam, donec impleverunt piscinas, vt potarent oves patris sui lethro. Accedentes autem pastores, expulerunt eas. Surgens autem Moses, liberauit eas, & potavit oves earum. Accesserunt autem ad lethro patrem suum, qui dixit eis: Cur festinastis venire hodie? Quæ dixerunt: Homo quidam Aegyptius liberauit nos à pastoribus, & hausit nobis aquam, & potavit oves nostras. Qui dixit filiabus suis: At ubi est, & quare sic dereliquistis hominem? Vocate eum, vt comedat panem. Habitauit autem Moses apud hominem. Intelligisne, quemadmodum eadem senserint consonaque inter se fuerint, quæ vterque gessit? Nam Moses solus pastorum iniuriam propulsauit, aquam hausit, lethro greges potavit. Iacob quoque solus lapidem voluit, quamuis id multi pastores antea facere non consueuerant, aquam hausit, Laban oves potavit. Ille ad viri simulachris dediti lares accessit, hic ad Laban cultorem simulachorum profectus est. Sed cum Iacob notam fidelis populi accommodassemus, age ad sublimem contemplationem historiam conuertamus. Populusque creatur, vt Dauid adserit, nullus profectò alius, quam Christicolarum populus optimo iure censeatur, par est.

Mysterium.

Psalms, 101

A est. Hic enim ob fidem in Christum dignitatem illam primogeniti filij adeptus est, ac primum Israellem supplantando longè propulit. Nam qui caput erat, hoc est, præsul, vt sacræ literæ volunt, cauda factus est: & qui ante alios vocatus est, sequax nunc aliorum est. In dorsum enim positi sunt, postque gentes incedunt. Populus ergo Christicolarum supplantator ritè appellandus est, notamque diui Iacob præ se fert certissime. Sed huius populi quasi primitiæ sacri discipuli intelligantur, par est, quum ex Israelis certè sanguine profecti sint. At quum religionem Christi accepissent, spiritusque gratiam velut coronam quandam obtulissent, qui ex sanguine suo processerant, longissime propulsarunt. Quamobrem eos, quum furerent, sauirent, atque veluti canes rabirent, omittunt. Quumque Christum non modò religionis autorem, verum etiam omnibus in rebus factorem, sanctosque spiritus socios vendicassent, spèque superna quasi viatico munirentur, atque se ipsos, parentes multarum gentium futuros sperarent, quum semen suum, hoc est, eos, qui opera fidei spiritusque nascendi, in Christoque instituendi essent, ad ortum quasi ad occasum, ad austrum atque septentrionem propagandum existimarent, paternis laribus, patria Palestinæque libenti animo discesserunt, ad gentesque sese contulerunt. Vnde & eas sic alloquuntur: Vos ergo genus electum estis, regale sacerdotium, gens sancta, populus in adoptionem, vt eius virtutes nunciatis, qui ex tenebris vos vocauit ad admirabilem suam lucem, qui olim non populus, nunc verò populus Dei in Christo. Sed nemo profectò dubitabit, quin apud scripturam sacram parentes populorum iure appellarentur, qui officium prædicationis assumpserint. E regione igitur Iudæorum discipuli discedentes, insolentemque illam contumeliosamque plebem relinquentes, ad gentes sese, vt saluator noster præceperat, conferebant. Sed quod pastores spirituales habeantur, diuinæque disciplinæ magistri, hinc facile patet, quum officium suum exercere curam quam maximam habuisset. Doctrinam enim Christi præceptoris sui statim in medium adferunt, & viam, qua, quod vtile sit, consequi valeant, mirifice ostendunt. Ita namque & diuum Iacob, quum & ipse pastor esset, pastores eos agere, qui ex Charan erant, admonere accepimus. Multa enim, inquit, adhuc dies est, nondum tempus est, vt pecora congregentur. Potantes ergo, eutes pascite. Audisne, vt pastoribus iusserit, vt oves suas, quum adhuc multa dies esset, pascerent? Quod & sapientissimus ille discipulus idem agere senioribus populi præcipiebat: Seniores igitur, inquit, qui apud vos sunt, hortor consenex ego, & testis Christi passionum, qui & futuræ gloriæ, quæ reuelari debet, particeps sum, pascite gregem Dei, qui apud vos est. Sed quum per vrbes prouinciasque cursitarent, populis, qui credebant, complures pastores præficiabant, gregemque Christi rationalem regere, bonisque in pascuis atque pinguius locis eum pascere, ad diuinamque scripturam velut ad pascua quædam floridissima eum perducere, ipsos magnopere admonebant. Diuinus etenim sermo animum nostrum mirifice audit. Ad pastores ergo spirituales hinc in modum dicendum est: Cura, quæ in campo viridia sunt, & incides pascua, & congrega herbam montanam, vt habeas oves in vestitum. Sed alios quoque præter gentes discipuli veram adferentes doctrinam docuerunt, eos scilicet, qui inter eos, cum sapientes doctique viri haberentur, pastores rectoresque essent. Sed quod discipuli domini fortiores excellentioresque illis habeantur, ex his percipi potest. Lapis namque grauissimus puteo apponebatur, quem vix tanta pastorum copia amouere poterat. Iacob verò solus hunc amouit. Sed quid puteus, quid lapis significet, pro viribus explicemus. Hinc enim quantum roboris prudentiæque inter pastores & pastores interfit, facile percipere possumus. Solent sæpenumero literæ sacræ Dei scientiam aquæ adsimilari. Quæque mortales immortales efficiat, saluator noster sic attestatur, cum ad patrem suum huiusmodi orationem fecisset: Pater hæc est vita æterna, vt co-

Esaia 9

1. Petri 1

1. Petri 1

Ezech. 34

Aqua.

Ioann. 17

Ioannis 4 gnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Sed & illi feminæ Samaritanæ hunc in modum inquit: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu utiq; petisses eum, & dedisset tibi aquam viuam. Sed aquam viuam, sermonem suum disciplinamq; viuificatissimam suam appellat, ut opinor. Ad Iudeos etiam sic loquitur: Si quis litit, veniat ad me, & bibat. Atq; etiam voce Prophetæ eos, qui post legis disciplinam ad aliorum se rudem falsamq; doctrinam contulerunt, sic reprehendit: Excessit, inquit, cælum super hoc, & stupuit, dicit dominus: quia duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi foueas contritas, quæ non poterunt aquam continere. Aquam ergo viuam, diuinum sermonem esse intelligimus. Sed magna ipse in profunditate iacet, & sine magno labore, magnoq; sudore quisq; eum haurire non potest. Non enim quisque eum facile ad se detrahit, cum obscuritas eius, velut lapidis grauissimus ostium putei cooperiat. Quamobrè, cum nostras ferè vires excellat, magnis laboribus, sudoribusq; magnis opus est, ut eum, qui rationales oues pascant, amouere possint, et eis sermonem quasi aquam ex profundo puteo hauit, perfruendam apponerent. At pastores gentilium, hoc est, eorum sapientes eloquentesq; viri, quamuis plurimi sint, veritatem tamen Dei, eiusq; diuinorum decretorum disciplinam haudquam agnoscere possunt, quin etiam temerè eam tumultuant atq; obfuscant. Non enim rectè de eo sentiunt. Nam et si naturam diuinam profitentur, dignitatem tamen diuinitatis quibuscumq; voluerint, attribuere non erubescunt. Sed vnus est Christi pastoribus lapidem illum, hoc est, obscuritatem diuini sermonis, quamuis grauis immobilisq; ut ita dixerim, habeatur, generosè amouere potest, & veritatem nudam dilucidamque gentibus explicare, ac vnum Deum verum ostendere. Nam & diuus Paulus, cum Athenas prædicando venisset, & eloquentibus illis viris Atheniensibus aquam viuam apponeret: Viri, inquit, Athenienses in omnibus vos superstitiosissimos video. Transiens enim & perspicuus cultus vestros, inueni & aram, in qua superscriptum est: Ignoto Deo. Quem ergo vos ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis. Aspice igitur quemadmodum et si pastores populi essent atque magistri, vix lapidem, quum magni ponderis esset, è puteo amouere possunt. Quum enim rectè Deum colere arbitrantur, longè à veritate aberrant. Aram namque constructam, ignoto Deo, hoc est, & illi dæmoni, qui nondum cognitus fuerat, dedicant. Quod quum veram de Deo, rectamq; opinionem habere putarent, Paulus argute eos capit, astuteque ad suam voluntatem eos perducit, & quem illi ignorando venerabantur, Christum ipse esse affirmat. Quem enim vos ignorantes, inquit, colitis, hunc ego annuncio vobis. Videte quemadmodum puteum ipse aperuerit, lapidemque amouerit, viuificamque disciplinam eis proposuerit. Multum ergo inter se pastorum ingenia differunt. Illi enim, quamuis complures essent, à recta tamen Dei opinione plurimum aberrant, & decretorum obscuritate superati, ad ea se conferebant, quæ sibi faciliora esse viderentur. Hic verò quanquam solus sit, veritatem tamen in medium adfert. Solus etenim Iacob lapidem voluit, ouesq; Rachel potauit. Sed & virginem, cum forma liberali esset, amore dignam existimauit. Osculatus est enim, inquit, Rachel, Labanq; patri eius continuo cognitus est. Quem ille contubernalem sibi fecit, & nimia charitate dilexit, & inter cõsanguineos suos annumerauit. Ex ossibus enim, inquit, meis, & ex carne mea es tu. Rachel igitur ouem Dei rectè interpretari possumus, quæ personam Ecclesiæ gerat, quis dubitat: cū & ipsa ouis Christi habeatur, priscisq; gregibus annumerata, in saluatorisque atrijs liberatorisq; nostri commorata. Quamobrè, et alias, inquit, oues habeo, quæ non sunt de hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient. Et fieri vnum ovile, & vnus pastor. Discipuli enim Christi Ecclesiam eius, hoc est, rationales oues pascebant, eiusque amatores euaserunt,

atq;

atq; mediatores effecti sunt, ut eam Christo puram, immaculatam, castam, sanctamque sponderent. Sed quod Israelitæ principium causamq; generis sui ex gentibus detraxerint, ex verbis Laban facile quisque intelligere potest. Etenim quamuis simulachris deditus esset, Iacob tamen virum religiosum complectitur, consanguineumq; suum, hoc est, Rebeckæ filium esse affirmat, è carneq; sua atq; ossibus processisse adserit. Diuum enim Abraham, cum apud terram adhuc Chaldæorum esset, & in præputio, moribus institutisq; gentilium educatus, Deus vocauit, & signum accepit circumcisionem, sigillum fidei, quæ in præputio est, ut sacræ literæ cõtestantur. Ex stirpe ergo gentilium primogenitus quoque Israel processit, et si ob legis instituta alter esse videatur. In Christo tamen vterque populus vnus euasit. Etiam enim differentiam, qua inter sese dissentiebant, funditus sustulit, quum legem tulisset, circumcisionemque è medio abstulisset, quibus inter sese dissidebant. In vnum enim hominem instaurati sunt, eademque opera spiritus sentiunt. Quamobrè & Christus ad patrem suum cœlestem sicut: Ut sicut ego & tu vnum sumus, ita & isti in nobis vnum sint. Ipse enim pax nostra est, qui inter medium pariterem sepes dissoluit, ut paulò antè retuli, & dissidia è medio sustulit, & opera spiritus insolubili vinculo charitatis nos copulauit. Ergo cum Laban diuum Iacob amplecteretur, eumque ex suis ossibus carneque esse fateretur, nil aliud, quam coniunctionem familiaritatemque, quæ opera fidei, spiritus sancti quoque, inter eos effecta est, nimirum significat. Ad hæc, aliud quoque ex literarum sacrarum monumentis excerpere, ad nostrumq; propositum reducere, par esse existimo.

Dixit enim, inquit, Laban ad Iacob: Quoniam frater meus es, non seruius mihi gratis. Dic ergo mihi, quæ merces tua est? Laban autem erant duæ filiae. Nomen maiori Lia, & nomen minori Rachel. Sed oculi Liæ imbecilles erant. Rachel autem erat pulchra specie, & formosa vultu valde. Dilexit autem Iacob Rachel, & dixit: Seruiam tibi septem annos pro Rachel filia tua iuniore. Dixit autem Laban: Melius est, ut dem eam tibi, quam eam dem alteri viro. Habita mecum. Seruiuitque Iacob pro Rachel annos septem, & erant coram eo quasi pauci dies, eo quod diligebat eam. Dixit autem Iacob ad Laban: Redde mihi vxorem meam, cõpletæ enim sunt dies meæ, ut intrem ad eam. Cõgregauit autem Laban omnes viros illius loci, & fecit nuptias. Et factum est vespere. Et accipiens Laban Liam filiam suam, introduxit eam ad Iacob, & intrauit ad eam Iacob. Deditq; Laban Zelpham ancillam suam Liæ filiae suæ in ancillam. Factum est autem mane, & ecce erat Lia. Dixit autem Iacob ad Laban: Cur hoc mihi fecisti? Nonne pro Rachel seruiui apud te? Et quare me decepisti? Dixit autem Laban: Non est sic in loco nostro, ut demus iuniorem antea, quam seniorè. Comple igitur septennium eius, & dabo tibi et hanc pro opere, quod operaberis apud me, & adhuc septem alios annos. Fecit autem sic, & compleuit septennium. Et dedit Laban Rachel filiam suam ei vxorè, & dedit Laban Rachel filiae suæ Balam ancillam suam ei in ancillam, & intrauit ad Rachel. Dilexit autem Rachel magis, quam Liam, & seruiuit ei septem alios annos. Verba quidem historiae adeò clara sunt, ut nulla prorsus expositione indigeant. Nil enim obscuri in eis est, nisi quisq; fortassis, quod huiusmodi res curiosè inuestigare soleat, dubitauerit, cur duas vxores, præsertim cū sorores inter se essent, duxerit? Absurdum namq; profectò, & scelus quoddam esse videtur. Quod paucis per soluendum

censeo.

Genesis 17

Ioann. 17
Ephes. 2

Genes. 29

Vxorū
pluralitas

cenſeo. Nam maiores noſtri operam maximam dabant, vt complures filios procrearent. Magnam etenim felicitatem id eſſe arbitrabantur. Quamobrem non ſolum non duas vxores ducere probro ſibi quiſq; exiſtimabat, ſed etiam complures coire foeminas, vt genus humanum propagare poſſent, rem honeſtiſſimam eſſe cenſebant. Nam & Deus loco benedictionis, procreatione filiorum attribuebat. Atq; ita fit, vt non modo illis viris ſanctiſſimis, qui ante Moſen fuerat, hoc munus Deus ſe largiturum promiſerit, verum etiã his, qui legis diſciplinam acceperunt.

Exodi 27 Dixit enim: Non enim erit ſine foetu, neq; ſterilis inter filios Iſrael. Itaq; hanc vocẽ non pro lege accipiemus, ſed promiſſionem potius eſſe dicemus. Nam ea, quæ pene nos ſunt, inſtitutis legibusq; humanis reguntur: quæ verò noſtras vires excellunt, ipſamq; naturam ſequuntur, nullis humanis legibus, nullis inſtitutis parere dignantur. Quocirca perſpicuum cunctis eſſe debet, qd non opifex creatorq; noſter, neq; ſterilem fore ſine foetu inter filias Iſraelis adſeruit. Sed ſi legẽ obſeruauerint, & ipſam quoq; ſterilem foecundam euadere poſſe, ſicuti Deus promiſit. Ergo maxima curæ noſtris maioribus fuit, felicitatemq; ſummam exiſtimabant, ſi complures filios procreare poſſent. Nos verò, qui in Chriſtum traducti ſumus, vt fructum ſpiritualem adferamus, etſi matrimonium honore proſequimur, munus tamen illud, quod excellentius ſit, magniſq; laudibus apud ſcripturam ſacram commẽdatur, omni ſtudio eligimus atq; ſectamur, vt ſoli ſcilicet Deo adhæreamus, nullaq; res mundanæ nobis impedimento ſint. Qui enim, inquit, cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ mundi ſunt, quò placeat vxori, & diuiſus eſt. Sed de his hoc loco ſatis dictum ſit. Nuncautem, quæ ad cõtẽplationem noſtram pertineant, in medium adferamus, par eſt. Labor, quẽ apoſtoli ad prædicandum gentibus tolerabant, non ſine mercede erat, nec ſine præmio ſudor ille, quẽ pro diſciplina Chriſti diuulganda libentiſſimè effundebant. Dixit enim Laban: Non ſeruiẽs mihi gratis. Sed quẽ principio retuli, ruruſus memorẽ, opere præcium duco. Vt enim memini, cũ aliquid ſpiritualem cõtẽplarer, perſonã Iacob modò ſacrorum apoſtolorum choro accommodare ſoleo, cum primitiæ fuiſſent eorum, qui opera ſpiritus fideiq; ſancti iuſtiq; euaderint: mō Chriſto Ieſu domino noſtro, cũ & ipſe primitiæ quali generis humani ſit, cũ primogenitus inter multos fratres exiſtat, cũ ſecundus Adam, cum radix deniq; poſt illam primam ſecunda humanæ naturę habeatur. Nam cõtẽplatione noſtram, quemadmodum res ipſæ poſtulant, ita accommodemus, neceſſe eſt. Etenim ſi à noſtro propoſito aberrauerimus, finẽ non conſentaneũ, neq; noſtræ cõtẽplationi conueniẽtem faciemus. Quamobrem perſonã Iacob in præſentiarũ Emmanueli accommodandam exiſtimo, cũ cœleſtis ſponſus ſit. Labanq; filias, hoc eſt, ſynagogã Eccleſiamq; ob diuinam naturã ſuam ſine vilo quali labore acceperit. Propriũ enim diuinæ naturæ eſt, vt quodcunq; voluerit, ſine vilo labore aſſe qui poſſit. Ita nãq; & optimus ille propheta Eſaias inquit: Non eſuriet neq; laborabit, neq; eſt inuentio prudentiæ eius. Nulla em̄ re diuina natura eget, ſed perfectiſſima in ſeipſa eſt, cũ vires extrinſecus ab aliquo nõ acquirat, neq; vt corpora ſolent, ita & ipſa cibo potuq; roboretur, ſed ex ſe potẽtiſſima perfectiſſimaq; ſit. Quapropter & cœlos firmat, & vim alijs, qbus ipſa voluerit, attribuire poteſt. Sed quemadmodũ cõtẽplari dicitur, quĩ nata nullo mō ad triftitiã ſit (Ad Iudeorũ enim matrẽ, hoc eſt, ſynagogã: Et triftitia, inquit, in oĩbus his me afficiebas. Et B. Paulus: Nolite, ait, triftitia afficere ſpiritum ſanctum, qui habitat in vobis) ſic & laborare dicitur, non quia aliquem laborem ſuſtinuerit. Nam ſi laborare conſueuiſſet, tũc certẽ magnos labores toleraſſet, cum hãc machinam protuliſſet, reſq; maximas difficultatũque adſequeretur, quas ſi quis adſequi voluerit, magnos intolerabilesq; labores tolerare, neceſſe eſt. Etenim ſi res humanas conſiderantes, ſupernã quoq; naturã laborare dicamus, Deũ perfectò ſummis laboribus, ſummisq; ſudoribus obrui,

Genetiſ. 2. & 9.

Exodi 27

In hæreticos bigamos digamosq;

1. Corin. 7

Mysteriũ.

1. Cor. 16 Roman. 8

Iacob.

Naturæ diuinæ proprium. Eſaiã 40

Hierem. 6 Epheli. 4

Eſaiã 1

demer-

demergiq; adferemus, cũ non ſolum mundum, ſed etiam res tam cœleſtes, q̄ terreſtres gubernet. Sed nullũ perfectò laborem ſuſtinet, cũ nihil cum humana natura cõmune habeat, ſed omnem creaturã excellat, cunctaq; ſuapte potentia regat atq; gubernet. Igitur non ſine mercede, ſineq; labore Chriſtus primã Iudæorũ ſynagogã, cuius notã Lia, quã laborantem renouatamq; interpretamur, præ ſe fert, ſibi cõiunxit. Laborauit enim, cũ ab Aegyptijs diutiſſimè opprimeretur. Quumq; eam ad paternum cultum religionẽque priſtinam reſtituiſſet (à cultu enim ſimulachrorum ad Dei veri cognitionem eam traduxit) Quocirca per Moſen Deus eam ita alloquitur: Audi Iſrael: Dominus Deus tuus ſum ego, & non erunt tibi dii aliĩ præter me. Sed Rachel, hoc eſt, Eccleſiam gentium magis dilexit. Quamobrem ad diuum Moſen de Iudæorum ſynagoga ſic loquitur: Loquutus ſum ad te ſemel & bis, dicens: Vidi populum hunc, & ecce populus duræ ceruicis eſt. Dimitte me, & diſperdam eos, & delebo nomen eorum ſub firmamento cœli, & faciam te in gentem magnam & fortem, multò magis, quã ipſa ſit. Sed eos, qui leuem expeditamq; mentem habuerant, non ſtatim ad perfectam excellentemq; diſciplinã Euangelicam perducere oportuit, ſed multis antea lenioribus diſciplinis, & lege Moſaica, quali quibuſdam exercitationibus erudiri. Vnde & cœleſtis ſponſus, quĩ iuniorem filiam, hoc eſt, Eccleſiam gentium dilexerit, maiorem tamen laborando ſibi coniunxit. Iacob enim pro Lia ſeptem annos ſeruiuit. Sed quòd laborem quodammodo inierit, cum Iſraelem Aegyptiorum ſeruitute relaxaſſet, facile perſpicere poſſumus. Omnis enim creatura aduerſus eos arma commouit. Ergo non ſine certamine Iſrael liber euasiſt, ſed magno cum labore operãq; legis Deo ad hæſit, quemadmodũ Iacob ſeruitus declarat. Sed cum ſeptem annos ob maiorem natuſeruiſſet, Rachel quoq; hoc eſt, iuniorem, quam principio amore ſingulari dilexit, ſibi coniunxit. Antea enim, etſi poſtea, introducta fuerat Eccleſia gẽtium, ouisq; Dei vocata eſt. Rachel enim ouem interpretamur, vt paulo antè retulimus. Sed quòd Chriſtus ob Rachel quodammodo laborauerit, diuus Iacob nimirum declarat, cum propter eam ſeptem ruruſus annorum laborem toleraſſet. Si em̄ Chriſtus, quãuis natura Dei filius eſſet, ob Eccleſiam labores inire debuerat, tum certè eos adiuit, quum Herodis perſequutionem principio, quum inſidias Phariſæorum, quum calumnias principum, quum ſputa hominum, quum alapas, cum flagella, quum inſaniam militum, quum ipſam denique mortem in ligno turpiſſimè tolerauit. Sed Lia atque Rachel Laban filia fuerunt, qui ſimulachra venerabantur. Ex gentilibus etenim prima Iudæorum ſynagoga perfecta eſt. Iacob nãque ex radice ſtirpẽque gentilium genus ſuum detraxit. Sed ſecunda poſtque primam Eccleſiam fuit. At Lia oculi, inquit, imbecilles fuere. Rachel pulchra ſpecie, formoſaque vultu vehementer erat. Sed de Iudæis Chriſtum ita affatum accepi-mus: Dimittite eos, cæci ſunt, & duces cæcorum. Veſtri verò beati oculi, quia vident, & aures veſtræ, quia audiunt. Ergo imbecillitatem oculorum Iudæorum, oculi Lia repræſentant, quum nullo pacto ſaluatorem humani generis Chriſtum inſpicere potuiſſent. Sapientiam verò atq; prudentiam gentium, quæ in Chriſtum crediderint, pulchritudinẽque atque acumen ingenij, rerũque præclare geſtarum celebritatem Rachel illa pulchritudo venuſtaq; præ ſe certiffimè fert. Nam ad Iudæorum matrẽ, hoc eſt, ſynagogam, ſic ille Propheta clamitat: Ecce nõ ſunt oculi tui, neque cor tuum pulchrum. Ad Eccleſiam verò gentium Chriſtus ſic inquit: Oculi tui columbæ ſunt. Concupiuit enim decorem eius, vt ſacer ille Pſalmiſta cecinit. Ergo mediatore ſacro Moſe, diuiſque ſpiritibus Chriſtus Iudæorum ſynagogam principio ſibi coniunxit. Deinde interueniente beato Ioanne Baptiſta Eccleſiã quoq; quali ſecundam coniugem ſibi deduxit. Hic enim cũ hæc diuinas nuptias nobis oſtenderet: Qui habet, inquit, ſponſam, ſponſus eſt. Amicus autem

Lia.

Exodi 1. & 2.

Exodi 20

Exodi 33 & 34

Rachel.

Matth. 2. 3 Matth. 22 Ioannis 18 Marci 15 Luca 23 Ioannis 19

Matth. 15 Luca 10

Eſaiã 1

Cantic. 1 Pſalm. 44

Ioannes Baptiſta.

Ioannis 3

tem

Ecclesia sponsa. tem sponsi, quistat & audit, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo me-
um gaudium completum est. Illum oportet crescere, me vero minui. Sed dos hu-
ius sponsæ, misericordia fidelisque est. Sic enim supernus cœlestisque sponsus ore
Osee 2 prophetarum ad eam inquit: Despondebo te mihi ipsi in seculum, & desponde-
bo te mihi in iustitia, & in iudicio, & in misericordia, & in miserationibus: & de-
spondebo te mihi in fide, & cognosces dñm. Ante enim Ecclesiam gentium, ma-
Ibidem. iorem natu sibi coniunxit. Sed eiusmodi coniunctio non in seculum facta est.
Ita enim de ea inquit: Ipsa vxor mea non est, & ego vir eius non sum, & dedi ei libel-
lum repudiij in manus eius. Expulsa enim sicut fornicata est, & in rebus turpissimis
Hierem. 3 vituperata. Quodam enim in loco sic iterum inquit: Si emiserit vir vxorem suam,
& abierit ab eo, & fuerit alteri viro, nunquid rediens redibit ad eum amplius? nõ-
ne maculata maculabitur mulier illa: Et tu fornicata es in pastoribus multis, & re-
uerterbaris ad me, dicit dominus. Tolle in directum oculos tuos, & vide vbi non
fuiſti confusa. In vijs ipsis sedisti quasi cornix deserta, & maculasti terram in forni-
cationibus tuis, & in vitijs tuis, & habuisti pastores multos in offensionem tibi-
psi. Facies meretricis facta est tibi, sine pudore ad omnes fuisti. Non sicut domini
me vocasti, & patrem & autorem virginitalis tuæ. Hæc de maiore natu dicta sunt.
Rachael autem iuniorem, hoc est, Ecclesiam gentium perpetuò sibi despondet,
sed sibi, sic enim intelligendum cenſeo. Despondit quidem olim sibi Iudæorum sy-
nagogam, sed mediatore Mose: cõiungitur autem ei Ecclesia gentium, sed suavo-
ce ad hoc eam vocat, quemadmodum quisque solet facere. Quum enim sponsa ad
Cantic. 8 eum clamaret: Ostende mihi, inquiens, faciem tuam, & audire me fac voem tu-
am, ipse sua sponte annuebat. Maiores etenim nostri cum audiebant loquentem,
Hebræ. 1 sed per Moſen, aut aliquem prophetarum. In nouissimis autẽ seculi temporibus
ipse filius per se nobis locutus est, vt sapientissimus Paulus attestatur. Sed ad hæc
natiuitatem quoque filiorum Iacob inuestigemus, par est. Multum enim ad no-
stram contemplationẽ conducit scire, quod ipsi fuerint, è quibusq; matribus pro-
cesserint.

Genesis 29 Lia igitur maior natu quatuor filios, Ruben scilicet, Simeonem, Levi
atq; Iudam peperit. Sed cum Rachel adhuc sterilis sineq; foetu esset, obe-
amq; causam vehementer angeretur, filium sibi adoptare excogitauit. Et
ecce, inquit, ad Iacob Bala ancilla mea, intra ad eam, & pariet super genua
mea, & faciam ego filium ex ea. Quo peracto duo ex ea filij, Dan scilicet &
Neptalim orti sunt. Quod & Liam egisse legimus. Nam & ipsa cum Zel-
pham ancillam suam clamdestino introitu ad Iacob cubile introduxisset,
duo ex ea quoq; filij Iacob, Gad scilicet & Aser nascuntur. Sed quid deinde
sequutum est, audiamus. Iuit, inquit, in diebus messis frumenti Ruben in a-
grum, & inuenit mala mãdragoræ in agro, & attulit ea ad Liam matrẽ su-
am. Dixit autem Rachel Liæ forori suæ: Da mihi de mãdragoris filij tui.
Dixit autem Lia: Nonne satis tibi est, quod cepisti virum meum? Nun-
quid & mãdragoras filij mei capies? Dixit autem Rachel: Non sic. Sed
dormiat Iacob tecum hac nocte pro mãdragoris filij tui. Intravit autem
Iacob ex agro vesperi, & exiit Lia in occursum eius, & dixit: Ad me ho-
die intrabis. Conduxi enim te pro mãdragoris filij mei. Quo facto, pe-
perit iterum Lia Isachar. Post autẽ eum Zabulon. Sed cum tot filios Isra-
el genuisset, recordatus est, inquit, Deus Rachel, & exaudiuit eam domi-
nus, &

A nus, & aperuit eius vterum, & concipiens, peperit Iacob filium. Dixit autẽ
Rachel: Abstulit Deus meus opprobrium meum, & vocauit nomen eius
Ioseph, dicens: Adijciat Deus mihi filium alterum. Peperit autẽ vltra hũc,
Beniamin. Sed ita de ea literæ sacræ recitant: Factum est autem, inquit, cũ ap- **Genesis 29**
propinquasset Chabratha, vt veniret in terram Epatha, peperit Rachel,
& aggrauata est in partu. Factum est autem, cum difficile ea pareret, dixit
ei obstetrix: Confide, hic enim erit tibi filius. Factum est autem, cum relin-
queret animam suam (moriebatur enim) vocauit nomen eius Benoni, id
est, filius doloris mei: pater autem vocauit eum Beniamin.
Rachel igitur cum difficile pareret, in eo ipso partu mortem obiit. Iacob ergo filij
hunc in modum nati fuere. Sed quisnam scripturæ sacræ internus sit intellectus,
ille profectò intelligit, qui omnia scit, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ **Coloss. 2**
absconditi sunt, vt sacratissimus Paulus refert. Nos verò, quum oculos oppressos
caligine habeamus, ad eum, qui cœcos illuminat, clamemus: Reuela oculos me- **Psal. 118**
os, & considerabo mirabilia de lege tua. Ergo ad ea, quæ principio retuli, me con-
feram, par est. Nam Liam maiorem natu cum Iudæorum synagoga rectè compa-
rauimus. Rachel iuniorem Ecclesiam esse affirmamus. Sed eiusmodi rei fidem
velut fundamentum iniicientes, quæ sequuntur, facile construemus. Lia igitur
maior natu, quatuor filios peperit. Deinde ex duabus ancillis, Bala scilicet & Zel-
pha totidem nati sunt. Sed postquàm mãdragoras, quas Ruben in agro reperit,
Lia & Rachel inter sese partitæ fuerant, rursus vtraque mater euasit. Et Lia post
illos quatuor filios Isachar quoque, qui merces interpretatur, atque Zabulon, qui **Isachar.**
benedictionem bonamque voluntatem significat, parit. Rachel verò Ioseph, **Zabulon.**
qui additio Dei interpretatur, & Beniamin, quem filium doloris vocauit, enixa **Ioseph.**
est. Verumenimvero, quæ maior natu habetur, hoc est, synagoga, Deo multitu- **Beniamin**
dinem Iudæorum primaprocreauit. Quod perspicuum esse debet, quum eos, qui
ex ea nati sunt, filios Deus appellet. Ad Moſen enim: Filius meus, inquit, primoge- **Exodi 4**
nitus Israel. Et Esaiæ voce sic refert: Audi cœlum, & auribus percipe terra, quoni- **Esaiæ 1**
am dominus loquutus est. Filios genui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Sed
ob eam causam filij Dei appellati sunt, quia parentes liberos nullisque seruitutis
vinculis detentos obtinuerunt. Quamobrem & Paulus, quum maiorum suorum li-
bertatem ostendere vellet: Ego autem, inquit, viuebam sine lege aliquando. Sed **Roman. 7**
illud, ego, ad initium generis sui, hoc est, maiores suos refert. Sed quod eos iugũ
legis subire oportuerit, & si ex liberis parentibus orti essent, natiuitas quatuor fili-
orum, qui ex ancillis nati sunt, quum altera alteri vicinã quodammodo coniunctã
que inter se esset, mirum in modum declarat. Sed in eiusmodi natiuitate aliquid
quoque certè mysterij latet. Qui enim ex Bala nati sunt, Dan scilicet & Nephta- **Mysteriũ.**
lin, Rachel adscribuntur. Qui verò ex Zelpha, inter Liæ filios numerantur, iuni-
oresque habentur ijs, qui ex Bala profecti sunt. Sed quispiam fortassis meritò am-
biget, quur Balæ ancillæ filij Rachel adscribuntur, quum libera ipsa sit, notamq;
Ecclesiæ præ se ferat: Quia diui prophætæ cæteri que sancti patres inter Hierusa-
lem filios seruientes principio numerabantur, quàmuis Ecclesiæ quodammodo
filij haberentur. Eadem enim sentire videntur, quum aperte dixissent, quando-
que scilicet Christi mysterium coruscabit, & innumeris notis idem multis an-
te temporibus formassent, & sub oculos certè præcorum venire curassent. Sed
qui post eos in seruitutem nati sunt, Christum libertatis autorem non acceptarunt.
Sed quod maiores illi iunioribus longè meliores habeantur, hinc percipi potest,
quum Deus voce Esaiæ sic referat: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis

Esaie 1 Sion, plena iudicij: In qua iustitia habitauit, nunc autem homicidæ. Intelligisne quemadmodum Hierusalem plenam iudicij, hoc est, æquitatis iustorumq; hominum habitaculum fuisse adseruit: At deinde homicidis referta est. Quod quidem ex ipsis quoq; nominibus perspicere possumus. Nam qui ex Bala nati sunt, alumni Ecclesiæ habentur. Qui autem ex Zelpha, hostes profecti sunt. Etenim Dan, iudicium, Nephtalim dilatationem rectè quisq; interpretabitur. Quod quidem prophetarum prædicationem nemo esse dubitat. Christus enim orbem terrarum in æquitate iudicare debebat, & contra criminatorem Satan, qui nos occiderat, sententiam ferre, & genus humanum restaurare, & ex magna angustia in cordis dilatationem conuertere. Quod & Beatus Dauid ex persona quasi eorum, qui in Christo spirituq; sanctificati sunt, apertissimè canit: Viam, inquiens, mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Sapiētissimus verò Paulus, cū eos, qui è Corintho in Christum crediderant, & eadem cum gentilibus rursus sentire voluerant, reprehendat, sic refert: Os nostrum patet ad vos o Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris. Eandem autem habentes remunerationem, tanquàm filijs dico: Dilatamini & vos, & nolite iugū ducere cum infidelibus. Sed quòd Christus iudicium rectum iustumque exercuerit, Dauid rursus declarat, cum personam eorum, qui iniuria laceffiti sunt, sibi ipse imponeret, atq; ad saluatorem humani generis clamaret: Exurge domine & intende in iudicium meum, Deus meus, & dominus meus in causam meam. Sed & ipse saluator noster apertè inquit: Nunc iudicium mundi huius est, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Vidēsne quemadmodum propheta Christi mysterium æquum nobis iudiciū futurum, cordisq; dilatationem prædixerant: Nati sunt igitur ex Bala Dan & Nephtalim, hoc est, iudicium & dilatatio. Ex Zelpha autem Gad & Afer. Quorum Gad, tentatio, Afer diuitiæ interpretantur. Sed nonne quæso Iudeorū populi, qui post primos nati sunt, huiusce homines fuerant: Quod ex his certè, quæ aduersus Christum gesserant, facilè intelligere possumus. Nonnulli enim cum his, qui Herodiani vocantur, eum tentabant, dicentes: Magister scimus, quòd verax es, & non est tibi cura de aliquo. Non enim aspicias in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. Licetne dare censum Cæsari, an nō: Vt enim beatus Euangelista testatur, accesserunt tentantes, vt eum laqueo capere possent. Nonnulli cum auari cupidique pecuniarum essent, filium excipere nullo pacto voluerunt, sed eum interficere excogitabant. Dicebant enim inter se: Hic est hæres, venite occidamus eum, vt hæreditas nostra fiat. Quòd autem Pharisei, sceleratissimi que Scribarum cœtus, pecuniæ lucrique cupidissimi fuerint, hinc profectò patebit, si ea legere velis, quæ de his sacræ literæ referunt. Dominus etenim noster Iesus Christus, quum diuitias terrenas relinquendas, omnesque facultates pauperibus egenisque erogandas prædicaret, qui supernam felicitatem cupiunt, vt illos æternos thesauros consequi possint, Scribis & Phariseis, quum auariissimi essent, ridiculo videbatur. Vt enim Euangelista refert: Audiebant hæc Pharisei & Scribæ, quum auari essent, & subsannabant eum. Sed quòd res quoque minimas summa cum diligentia curaque inquirerent, nihilque eorum omitterent, quæ legis institutis offerre homines tenerentur, quàmuis lex parum de eiusmodi rebus curauit, ipse saluator declarat, quum ad eos hunc in modum loquitur: Væ enim, inquit, vobis Pharisei & Scribæ hypocritæ, quia decimatis mētham & anethum & cyminum, & diuisistis grauiora legis, iudicium & misericordiam & fidem. Ergo Gad tentatio, Afer diuitiæ interpretamur, & vterque ex Zelpha ancilla natus est post Dan & Nephtalim, qui ex Bala orti sunt. Sed tempus, quod ante saluatoris nostri aduentum erat, hunc in modum describetur, quo scilicet

A scilicet Rachel, hoc est, Ecclesia gentium adhuc sterilis erat. Quam complures filios parituram, innumeratumq; gentiū parentem multis antè temporibus Esaie ce-
Esaie 54.
Galatas 4.
Psalm. 112.
Esaie 60.
Esaie 49.
Psalm. 112.
Esaie 60.
Esaie 49.
**Mandra-
goræ.**
1. Cor. 15.
2. Thess. 4.
Roma. 11.
Ifachar.
Zabulon.
G ij rum

cinat. Lætare enim, inquit, sterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis, quia plures sunt filij desertæ magis, quàm eius, quæ habet virum. Sed & diuus Dauid mirificè declarat, quum de Deo dicit: Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Deus etiam omnium parens sic inquit: Tolle in circuitu oculos tuos, & vide. Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Rursusq; Ecce isti de longe venient, & illi à Septentrione, & isti à mare, isti autem ex terra Persarum. Sed age si placet, quo tempore quoq; modo sterilis peperit, adhibita indagatione inuestigemus. Post eos igitur, qui ex ancilla nati sunt, Ruben primogenitus Iacob filius mandragoras inuenit in agro, quas statim Lia matri suæ offert, quæ Rachel, quum eas peteret, tribuit. Et Lia quum mandragoras accepisset, duos iterum filios parit, Isachar scilicet & Zabulon. Deinde meminit Deus Rachel, & apertò vtero eius, parit & ipsa Ioseph, & quum moreretur Benjamin. Sed quòd Lia synagogam Iudæorum, Rachel Ecclesiam gentium repræsentet, sæpenumero diximus. Quamobrem eadem iterum replicare, quasi rem superuacua omittentes, cuius notam mandragoræ præ se ferunt, quos Ruben primogenitus inuenit, inquiramus, quid quoque eorum æqua in vtralsq; scēminas partitio significet, quid etiam filiorum natiuitas repræsentet, cum eorum quasi nomina Christi mysterium parturire videantur. Mandragoræ igitur in agris oriri solent, malæque pulchra producunt. Quæ quicumque comederit, maximo somno detineatur, par est. Nam & qui artem medendi profitentur, mandragorarum naturali operatione longas vigilias ægrotantium curare solent. Qui Christi certè mysterium ænigmaticè repræsentant. Ipse enim pro nobis relictus somno quodammodo est, mortemque obiit, quàmuis resurrexit. Deus enim natura erat, quàmuis carnem assumpserat.

B Vbi verò mors veluti somnus accipitur, ibi etiam vita requirèda est. Totum enim Christi mysterium in his quodammodo contemplatur. Nam & sacratissimus Paulus eos, qui leuitate quadam in aliam se opinionem incluserant, sic reprehendit: Tradidi enim, inquit, vobis in primis, quod & accepi, quia Iesus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas. Et paulò post: Si autem Christus prædicatur, quòd è mortuis resurrexerit, quomodo dicunt in vobis aliqui, quòd resurrectio mortuorum non erit? Nam quum primus inter homines Christus mortem dormitionem esse monstrasset (vita etenim natura fuit) humano generi, veluti quædam ianua viæque extitit, vt ipsam mortem deuincere deglutirèque posset. Quocirca Paulus, quum sapientia spirituque refertus esset, eos, qui mortui sunt, sursum deorsumq; dormientes appellat, quasi paulò post Christus eos resuscitaret. Si enim credimus, inquit, quòd Christus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Mandragoras ergo dormitionis ac soporis argumentum esse, perspicuum est. Quas Ruben, quum primogenitus esset, inuenit, deinde matri suæ obtulit, quæ sorori suæ distribuit. Primi enim, qui ex Israel primogenito nati sunt, Christi mysterium intellexerunt, consequutiq; sunt. Quod & matri suæ, Hierusalem scilicet, veluti rem præclaram, quam suo ingenio suaq; industria inuenerunt, adserunt, eamq; læto animo sit, mirum in modum exhortantur. Ante enim vocationem gentium, diui Christi discipuli omnes, qui totam Iudæam inhabitant, docuerunt. Quòd etsi omnes haud crediderant, cum omnibus doctrina Christi prædicata fuisset, reliquæ tamen eorum salutæ sunt, vt literæ sacræ referunt. Sed quòd ante gentes Iudææ crediderint, nulli dubium est. Nam Lia, quum mandragoras accepisset, duos filios, Isachar scilicet & Zabulon peperit, & Isachar merces, Zabulon benedictio prosperitatisque interpretatur. Nam vt paulò antè retuli, quum Iudæorum synagoga sanctorum opera apostolorum, quasi filio-

rum suorum Christi mysterium accepisset, mater sanè eorum filiorum euasit, qui apud Deum mercede amplissima benedictionibusq; prosperatur. Sed quòd fides, quam in Christum habemus, non sine mercede sit, remissio statim peccatorum nos satis docebit. Sed ad hæc, dominus etiam Iesus fidem non paruam adhibebit, cum dicat: Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Nò minus tamen & Paulus ipse declarat, cum inquit: Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus eum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem cōfessio fit ad salutem. Quæ igitur maior elegantiorq; merces inueniri posset, quàm animam suam quisq; saluam faceret. Sed quòd res excellentissima sit, omnibusq; rebus anteponenda, ipse saluator affirmat. Quid enim, inquit, proderit homini, si totum mundum lucratus fuerit, anima verò sua detrimentum patiatur? Aut quid dabit homo computationem animæ suæ? Merces ergo eorum, qui in Christum crediderint, præclara perutilisq; sit, latissimè constat. Quòd autem & eos, qui in Christum Iesum iusti euaserunt, benedictionem quoq; consequi oportuerit, hinc facile percipere possumus. Sanctificati enim benedictique in spiritu sumus, vt David beatissimus refert: Benedictio domini super vos. Et: Benedicti vos domino, qui fecit cælum & terrã. Et Deus etiam ore Esaiæ ad matrem eorum fidelium, hoc est, Ecclesiam, sic inquit: Pōnam spiritum meum super semen tuum, & benedictiones meas super filios tuos. Quòd & beatissimus Paulus ad eos, qui opera fidei iusti euaserunt, sic scribit: Benedictus Deus & pater domini Iesu Christi, qui benedixit vos in omni benedictione spiritali. Sed qui supernam benedictionem consequuti sunt, cur non in omne opus bonum eos prosperare dicemus, quum via piorum recta sit, præparataq; via piorum habeatur? Via etenim domini iudicium est. Sed de Iudæorum synagoga sic Deus inquit: Ecce ego includam viam eius in scolopibus, & reedificabo vias eius, & semitam eius non inuenies. Nos verò, quum per planam expeditamque viam ad superna domicilia mitteret, ministris suis sanctissimis: Aperite portas, iubet, vt intret populus, qui custodit iustitiam, & custodit veritatem, qui tueretur veritatem, & custodit pacem. Et rursus: Iter facite populo meo, & lapides à via proijcite, ne per media scandala se offendentes, à bonis se studijs declinent. Eos igitur, qui mercede benedictionibusque apud Deum prosperantur, Lia maiornatu peperit. Sed Rachel quoque pari ratione acceptis à Lia sorore sua mandragoris, Ioseph filium parit. Etenim Ecclesia gentium, quum per apostolos ex Iudæorum synagoga, quasi sorore sua Christi mysterium accepisset, mater illius populi profectò euasit, qui semper in additionibus est, & in innumerabilem gentium se multitudinem propagat. Ioseph enim additio Dei interpretatur. Addita namque Ecclesia gentium gregibus Israelis est. Vnde & saluator noster: Et alias, inquit, oues habeo, quæ non sunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Grex igitur Ecclesiæ priscis ouilibus, vt paulò antè retuli, additus est, & sese magnum in numerum profectò extendet, donec & ipse Benjamin, doloris scilicet filius, vltimis quasi temporibus oriatur. Sed quis nam ipse doloris filius sit, cuius partu mater sua cessabit, & in alteram quasi vitam se transmigrabit (Rachel enim, quum Benjamin pareret, mortem obiit) inuestigandum est. Sed ille potius hoc nouit, qui omnia scit, cæterisq; fortassis homines, qui perspicaciores nobis, sapientioresque habentur. Sed nos, quod in mentem nostram venerit, exponemus, quemadmodum cæteris in locis facere consueuimus. Nam, vt ipse existimo, neminem alium doloris filium dixerim, quàm populum illum, qui vltimis temporibus seculi oriundus est. Eo etenim tempore filius quoq; iniquitatis erit, qui aduersatur superbitq; aduersus omnem, qui dicitur Deus, aut

A veneratur. Atq; ita sit, vt in templo Dei sedeat, & seipsum Deum esse ostendat. Hic certè sanctis repugnabit, & inter eum ferasq; immanes nihil intererit. Vt enim saluator noster inquit: Erit tūc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neq; erit. Sed quòd aduersus nullos alios sceleritatem immanitatemq; suam exercebit, quàm aduersus viros sanctissimos, ipse quoq; saluator noster subiunxit: Et si diminuti non fuissent dies illi, non saluaretur omnis caro: sed propter electos diminuentur dies illi. Quoniam igitur fideles homines viriq; electi eo tempore quàm maximam persecutionem patientur, summissq; iniurijs laceffentur, innumerisq; supplicijs atq; tormentis afficientur, fatendum est, quòd tempus illud diminuetur. Præmissimus etenim Deus ita voluit, vt qui pati debeant tormenta, quibus afficerentur, facile possent tolerare. Nam & sapientissimus Paulus ita refert: Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere. Cum igitur Benjamin, hoc est, vltimus dolorisque filius natus fuerit, Rachel quoq; cessabit. Ecclesia enim, hoc est, nos, qui opera fidei spiritusq; Deum adepti sumus, in alteram vitam transmigrabimus. Sed non mireris, si mortem Rachel obierit, neq; animo sis perturbato, cum consideras quòd casu venerit, & prepter eà credis Ecclesiam cessandam quandoq; morteq; quodam modo extinguendam. Nam cum Ecclesiam audis, credentium sanctam multitudinem intelligas velim, quæ cum mundo carneq; moritur, tum veluti quadam via ad illam sanctissimam vitam, quæ in Christo est, conuersationemq; perueniet. Vnde & beatus Paulus vehementer eos coarguit, quum dicit: Si mortui estis ab elementis mundi, quid sicut viui dogmatizatis? Rursusq; eos, qui vitam hanc dissolutam, libidinosasq; voluptates propulsauerant, sic alloquitur: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita cum Christo in Deo. Quando Christus apparebit vita vestra, tunc et vos cum eo apparebitis in gloria. Sed & membra quoq; nostra, hoc est, fornicationem, immundiciam, & quæ huiusmodi sunt, mortificare certissimè docet, mortem credentium profectò significat, quæ in Christo intelligitur, quum in alteram quasi vitam eos perducatur. Siquidem verum illud sit, quòd quum corrupti sumus, incorrupti efficiemur, & pro morte immortalitatem, pro imbecillitate robur, pro ignominia gloriam, pro determinatis istis temporibus longeuam illam sempiternamq; vitam compensabimus. Sic enim & cum ipso Iesu domino nostro, dulcissimo humanissimoq; principe semper erimus, qui cum patre & spiritu sancto viuunt & regnat in secula seculorum, Amen.

Vndecimi & vltimi Libri commentariorum in Genesim

F I N I S.

1. Thessa. 2

Matth. 24

Marci 13

2. Corint. 1

Ecclesia:

Coloss. 3

1. Corin. 15


Antichri-
stus.

vene

✿ D. CYRILLI AR. ✿
CHIEPISCOPI ALEXANDRI

ni Commentariorum in Leuitia
cum Libri XVI.

*De uariis ueteris legis sacrificiorum et
rituum sensu allegorico et mystico.*



*Coloniae ex officina Melchioris Nouesiani,
Anno M. D. XLVI.*

SOD CYRILLI ARCHIEPISCOPI
Alexandrini in Leuiticum Præfatio.



Icut in nouissimis diebus uerbu Dei ex Maria, carne uestitu processit in huc mundu, & aliud quide erat, quod uidebatur in eo, aliud quod intelligebatur. Carnis namq; aspectus in eo patebat omnibus, paucis uero & electis dabatur diuinitatis agnitio. Ita et quum per prophetas, uel legislatoru uerbu Dei profertur ad homines, no absq; copotentibus profertur iudumetis.

Nam sicut ibi carnis, ita hic litera uelamine tegitur: ut litera quide aspiciatur taquam caro, latens uero intrinsecus spiritalis sensus tanqua diuinitas sentiat. Tale ergo est, quod & nunc inuenimus, libru Leuitici reuoluentis, in quo sacrificioru ritus, & hostiaru diuersitas, ac sacerdotu ministeria describuntur. Sed hanc secundu litera (qua taquam caro uerbi Dei est, & indumentum diuinitatis eius) digni fortassis uel aspiciant uel audiant, & indigni. Sed beati sunt illi oculi, qui uelamine litera obrectu intrinsecus diuinum spiritum uident: & beati sunt, qui ad hanc audienda mundas aures interioris hominis deferunt. Alioqui aperte in his sermonibus occidentem literam sentient. Si enim, secundum quosdam etiam nostrorum, intellectum simplicem sequar, & absq; ulla (ut illi ridere nos solent) stropha uerbi et allegoriae nubilo uocem legislatoris excipiam: ego Ecclesiasticus, sub fide Christi uiuens, & in medio Ecclesie positus, ad sacrificandum uitulos & agnos, & ad offerendam simulam cum thure & oleo, diuini precepti autoritate compellar. Hoc enim agunt, qui deseruire nos historiae, & seruare legis literam cogunt. Sed tempus est nos aduersum improbos presbyteros uti sanctae Susannae uocibus, quas illi quidem repudiantes historiam Susannae, de catalogo diuinorum uoluminum desecarunt: nos autem & suscipimus, & opportune contra ipsos proferrimus, dicentes: *Angustiae mihi sunt undiq;.* Si enim consenseru uobis, ut legis literam sequar, mors mihi erit: si autem non consenseru uobis, non effugiam manus uestras. Sed melius est me absq; opere incidere in manus uestras, quam peccare in conspectu domini. Incidamus ergo & nos (si ita necesse est) in obrectationes uestras, tantum ut ueritatem uerbi Dei sub litera tegmine coopertam, ad Christum iam dominum conuersa cognoscat Ecclesia. Sic enim dixit & Apostolus: *Quia si conuersus quis fuerit ad dominum, auferetur uelamen.* Vbi enim spiritus domini, ibi libertas est. Ipse igitur nobis dominus, ipse sanctus spiritus deprecandus est, ut omnem nebulam, omnemq; caliginem (qua peccatorum sordibus creta, uisum nostri cordis obscurat) auferre dignetur, ut possimus legis eius intelligentiam spiritualem & mirabilem contueri, secundum eum, qui dixit: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Igitur quam possumus breuissime, pauca perstringamus ex multis: non quidem singulorum uerborum explanationi studentes (hoc enim facere, per ocium scribentis est) sed quae ad aedificationem Ecclesiae pertinent, proferentes, ut occasiones potius intelligentiae auditoribus demus, quam expositionum latitudinem persequamur, secundum illud quod scriptum est: *Da occasionem sapienti, & sapientior erit.*

D. CY.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

ni in Leuiticum Liber I.

De uario sacrificiorum ueteris legis genere, & eorum exegefi.



UOCAVIT autem dominus Moſen, & locutus est illi de tabernaculo testimonij, vt promulgar et filijs Israel sacrificiorum & munerum leges, & ait: Si homo munus offerat Deo, offerat ex bobus & pecudibus, id est, agnis vel hœdis: si uero ex auibus, turtures uel pullos columbarum. Si uero nō homo, sed anima offerat munus Deo, ex simila, inquit, offerat panes azymos in clibano coctos, uel certam simulam ex sartagine in oleo consperſam, aut ex craticula in oleo ni-

hilo minus subactam.

Tum deinde edocemur, quia fermentatum nihil omnino oportet offerri ad altare Dei, neq; mel uſquam sacrificijs admisceri, sed sale saliri omne sacrificium uel munus. Secundo in loco de primitiarum preceptis sacrificijs, quae recentia, tosta, & bene purgata offerri domino iubet. Post haec sub eadem legis continentia de sacrificijs salutaribus subiungitur. Primo ex bobus, secundo ex ouibus: in quibus tamen liceat, siue in agnis, siue in hœdis, uel foeminas offerre, uel mares: & nihil praeter haec animalia decernit in sacrificijs salutaribus offerendum. Sed repetamus paululum, & videamus primo omnium, quid est quod dicit: Homo ex uobis si offerat munus, quasi uerò possit alius aliquis offerre quam homo, & utiq; suffecisset dicere: Si quis ex uobis offerat munus, sed nunc dicit: Homo ex uobis si offerat munus, in consequentibus uerò dicit: Si autem anima offerat munus. In posterioribus porro, quum secundo iam loquitur dominus ad Moſen, & mandat de sacrificijs pro peccato offerendis, ita dicit: Si pontifex peccauerit, offerat illud & illud. Si omnis synagoga peccauerit, uel si princeps peccauerit, uel si una anima peccauerit, mandatur singulis quibusq; quid offerant. Quid ergo: inanem putamus esse istam personarum distinctionem: ut aliud quidem offerendum sub hominis appellatione, aliud sub animae, aliud sub pontificis, aliud uerò sub synagoga, aliud etiam sub principis, uel unius animae cognominatione mandetur? Ego interim pro exiguitate sensus mei hoc in loco hominem quem appellauit, & primum in omnibus posuit ad offerendum munus Deo, intelligendum esse omne humanum genus arbitror. Et ipsum dici hominem, qui holocaustum offerat vitulum ex bobus sine macula. Iste autem vitulus sine macula, uide si non ille saginatus est vitulus, quem pater pro regresso ac restituto sibi illo qui perierat filio, quicq; omnem substantiam eius dilapidauerat, iugulauit, & fecit conuiuium magnum, & laetitiam habuit, ita ut laetarentur angeli in caelo super uno peccatore poenitentiam agente. Neque absurdè per adolescentiorem illum filium, qui dimisso patre abiit in regionem longinquam, hominem ipsum, genusq; humanum (ut dictum est) intelligas. Nempe Deum, qui ipsum genuerat, de-

Hij reliquit

reliquit homo, & oblitus est Dei creatoris sui, quum suafu serpentis mandatum domini transgressus est, & deligno vetito comedit. Tunc itidem in regionem longinquam abiit, regionem peccati & tenebrarum, regionem calamitatis & miseriae, quum paradiso propulsus, hanc lachrymarum vallem subiit, vbi suis irrati-
 nabilibus feruens cupiditatibus, ad porcos pascendos, & siliquas eorum comeden-
 das adactus est ob inopiam & famem. Homo ergo iste, qui perierat, & inuentus
 est, qui nihil habuit propriae substantiae, quod offerret (euncta nanque dilapidaue-
 rat, viuens luxuriose) inuenit istum vitulum, coelitus quidem missum, sed ex patriar-
 charum ordine, & connexis ex Abraham generationum successione venien-
 tem. Et idcirco non dixit vitulum, & siluit, vt videatur vitulus quicumque mandatus
 sed vitulum ex bobus, id est, ex patriarcharum generatione venientem. Est autem
 masculus sine macula. Masculus vero est, qui peccatum (quod est foemineae fragili-
 tatis) ignorat solus. Ergo ille masculus, qui solus sine macula est, qui peccatum non fe-
 cit, nec dolus inuentus est in ore eius: & qui acceptus coram domino offertur ad os-
 tium tabernaculi, non est intra ostium, sed extra ostium. Extra ostium enim fuit
 Iesus, quia in sua propria venit, & sui eum non receperunt. Non est ergo ingressus
 tabernaculum illud, ad quod venerat, sed ad ostium eius oblatus est holocaustum,
 quia extra castra passus est. Nam & illi mali coloni venientem filium patrisfam-
 lias eiecerunt foras extra vineam, & occiderunt. Hoc est ergo, quod offertur ad os-
 tium tabernaculi, acceptum coram domino. Et quid tam acceptum, quam hostia
 Christi, qui seipsum obtulit Deo?
 Et tunc imponet manum suam, inquit, super caput hostiae, & iugulabit vitulum
 coram domino. Et offerent filij Aaron sacerdotis, sanguinem, & effundent
 sanguinem ad altare in circuitu, quod est ad ostium tabernaculi testimonij.
 Potest quidem videri ob hoc dictum, quod de filiis Aaron erant Annas & Caiphas,
 & caeteri omnes, qui consilium agentes aduersum Iesum, pronunciauerunt eum
 reum mortis, & effuderunt sanguinem eius circa basim altaris tabernaculi testi-
 monij. Ibi enim effunditur sanguis, vbi erat altare & basis eius, sicut ipse dominus
 dixit: Quia non capit perire prophetam extra Hierusalem. Posuit ergo & manum
 supra caput vituli, hoc est, peccata generis humani imposuit super corpus suum. Ipse
 est enim caput corporis Ecclesiae suae. Sed & hoc fortasse non sine causa fit, quod
 quum superius dixisset, Applicabit eum ad ostium tabernaculi testimonij, in poste-
 rioribus repetit, & iterum dicit: ad altare, quod est ad ostium tabernaculi testi-
 monij: quasi non eundem locum sub eadem narratione semel designasse sufficeret, nisi
 quia forte hoc intelligi voluit, quod sanguis Iesu non solum in Hierusalem effu-
 sus est, vbi erat altare & basis eius, & tabernaculum testimonij: sed & quod super-
 num illud altare, quod est in caelis (vbi Ecclesia primitiuorum est) idem ipse sanguis
 asperferit, sicut & Apostolus dicit: Quia pacificauit per sanguinem crucis suae, siue
 quae in terra sunt, siue quae in caelis. Recte ergo secundo nominat altare, quod est
 ad ostium tabernaculi testimonij, quia non solum pro terrestribus, sed etiam pro
 caelestibus oblatus est hostia Iesus. Et hic quidem pro hominibus ipsam corpora-
 lem materiam sanguinis sui fudit. In caelestibus vero, ministrantibus (si qui inibi
 sunt) sacerdotibus vitalem corporis sui virtutem, velut spiritale quoddam sacrifici-
 um immolauit. Vis autem scire, quia in eo duplex hostia fuit, conueniens terre-
 stribus, & apta caelestibus: Apostolus ad Hebraeos scribens, dicit: Per velamen, id
 est, carnem suam. Et iterum, interius velamen interpretatur caelum, quod pene-
 trauerit Iesus, vt adsistat nunc vultui Dei pro nobis: Semper, inquit, viuens ad in-
 gressus est Iesus, coeque sequenter & sacrificium duplex intelligendum est, per quod &
 terrestria saluarit & caelestia. Denique & ea, quae sequuntur, plus caelesti sacri-
 ficio

ficio quam terreno videntur aptanda.
 Et decoriantes, inquit, holocaustum, diuident illud membratim: & im-
 ponent filij Aaron sacerdotis ignem super altare, & contipabunt ligna in igne,
 & imponent filij Aaron sacerdotis diuisa membra, & caput, & adipem, & li-
 gna, quae sunt super altare: intestina vero & pedes lauabunt aqua, & im-
 ponet sacerdos oia super altare. Hostia est & sacrificium, odor suauitatis domino.
 Quomodo decorietur caro verbi Dei, quod hic vitulus nominatur: & quomodo
 membratim diuidatur a sacerdotibus, operae precium est aduertere. Ego puto, quod
 ille sacerdos detrahit corium vituli oblati in holocaustum, & deducit pellem, qua
 membra eius conteguntur, qui de verbo Dei abstrahit velamen literae, & interna
 eius, quae sunt spiritualis intelligentiae membra, denudat. Et haec membra verbi in-
 terioris scientiae, non in humili aliquo loco ponit, sed in alto & sancto, id est, super
 altare collocat: quum non indignis hominibus, & humilem vitam ac terrenam du-
 centibus, pandit diuina mysteria: sed illis, qui altare Dei sunt, in quibus semper ar-
 det diuinus ignis, & semper consumitur caro. Super hos ergo tales membratim di-
 uisus iste holocausti vitulus collocatur. Diuidit namque membratim vitulum, qui ex-
 planare per ordinem potest, & competenti distinctione differere, quis sit profectus
 Christi simbram contigisse, quis vero pedes eius lauasse lachrymis, & capillis capi-
 tis extersisse. Quanto autem ipsi potius sit, caput eius vnxisse myrrha, & in pectore
 eius recubuisse, quid habeat eminentiae. Horum ergo singulorum causas differe-
 re, & alia quidem incipientibus, alia vero ipsi, qui iam proficiunt in fide Christi, alia au-
 tem illis, qui iam perfecti sunt in scientia & charitate eius, aptare, hoc est membra-
 tim vitulum diuisisse. Sed & qui nouit ostendere, quae fuerint legis principia, quis
 etiam in prophetis profectus accesserit, quae vero in Euangelij plenitudo perfecti
 onis habeatur, vel qui docere potest, quo verbi lacte alendi sunt paruuli in Christo,
 & quo verbi olere refouendi sint, qui infirmetur in fide, quis etiam sit cibus solidus
 & fortis, quo impinguandi sint athletae Christi. Qui haec singula nouit spirituali rati-
 one diuidere, potest talis doctor ille sacerdos videri, qui imponit super altare holo-
 caustum per membra diuisum. Addit & ligna altari, quo ignis animetur & ardeat, a
 quo non solum de corporalibus virtutibus Christi, sed etiam de diuinitate eius, ser-
 mo miscetur. Desurfum enim est diuinitas Christi, qui ignis iste festinat. Conueni-
 ter ergo omnia haec, quae in corpore a saluatore gesta sunt, caelestis ignis absumpsit,
 & ad diuinitatis eius naturam cuncta restituit. Ligna tamem adhibitis ignis iste succē-
 ditur, vsque ad lignum enim, in carne passio fuit Christi. Vbi autem suspensus est in ligno,
 dispersio carnis finita est. Resurgens enim a mortuis, ascendit ad caelum, quo iter e-
 ius natura ignis ostendit. Vnde & Apostolus dicebat: Quia etiam cognouimus Chri-
 stum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Holocaustum namque carnis eius per li-
 gnū crucis oblatum, terrena caelestibus, & diuinis humana sociavit. In tranea sane cum
 pedibus aqua dilui iubet sermo praecipit, sacramentum baptismi sub figurali praedi-
 catione denuncians. Nam interna diluit, qui conscientiam purgat: pedes abluit, qui con-
 summationem suscipit sacramenti. Et is scit, quia qui mundus est, non indiget, nisi vt
 pedes lauet: & quia partem quis habere non potest cum Iesu, nisi lauerit pedes eius.
 Verum si haec etiam ad moralem locum inclinare velis, habes & tu vitulum, quem
 offerre debeas. Vitulus est, & quidem valde superbus, caro tua: quam si vis munus
 domino offerre, vt eam castam pudicamque custodias, adduc eam ad ostium taber-
 naculi, id est, vbi diuinorum librorum suscipere possit auditum. Masculinum sit
 munus tuum, foeminam nesciat, concupiscentiam respuat, fragilitatem refugit,
 nihil dissolutum requirat aut molle. Impone etiam manum tuam super hostiam
 tuam, vt sit accepta domino, & iugula illam coram domino, hoc est, impone ei con-
 tinentiae frenum, & manum disciplinae ne auferas ab ea, sicut imposuit manum car-
 ni suae

Coloss. 3 ni suae ille, qui dicebat: Macero corpus meum, & seruituti subijcio, ne forte quum alijs praedicauero, ipse reprobus efficiar. Et iugula eam coram domino, mortificas sine dubio membra tua, quae sunt super terram. Sed & filij Aaron sacerdotis offerunt sanguinem eius. Sacerdos in te est, & filij eius, mens quae in te est, & sensus eius, qui merito sacerdos & filij sacerdotes appellantur: soli enim sunt qui intelligunt dominum, & capaces sunt scientiae Dei. Vult ergo sermo diuinus, vt rationabili sensu carnem tuam in castitate offeras Deo, secundum quod Apostolus dicit: Hostiam viuentem, sanctam, Deo placet, rationabile obsequium vestrum. Et hoc est per sacerdotem vel filios sacerdotis offerre sanguinem ad altare, quum & corpore & spiritu quis castus efficitur. Sunt enim & alij, qui offerunt quidem holocaustum carnem suam, sed non per ministerium sacerdotis. Non enim scientes, nec secundum legem, quae in ore sacerdotis est, offerunt: sed sunt quidem casti corpore, animo autem inveniuntur incesti. Aut enim gloriae humanae concupiscentia maculantur, aut cupiditate auaritia polluantur, aut inuidiae ac liuoris infelicitate sordescunt, vel furentes odij, & irae immanitate vexantur. Quicumque tales sunt, licet corpore casti sint, tamen non offerunt holocausta sua per manus & ministerium sacerdotis. Non est enim in eis consilium & prudentia, quae sacerdotio fungitur apud dominum; sed sunt ex illis quinq; virginibus stultis, quae virgines quidem fuerunt, & castitatem corporis seruauerunt, oleum autem charitatis & pacis, & reliquarum virtutum in vasis suis condere nescierunt. Et idcirco exclusae sunt a thalamo sponsi, quoniam sola carnis continentia ad altare dominicum non potest peruenire, si reliquis virtutibus & sacerdotalibus ministerijs deseratur. Et ideo qui haec legimus, vel audimus, in vtraque parte operam demus casti esse corpore, recti mente, mundi corde, moribus emendati, proficere in operibus, vigilare in scientia, fide & actibus, gestis & intellectibus esse perfecti: vt ad similitudinem hostiae Christi conformari mereamur; per ipsum dominum nostrum Iesum Christum, cum quo, Deo patri omnipotenti cum spiritu sancto est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Primi Libri FINIS.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRI

ni in Leuiticum Liber II.

De sacrificiorum generibus, hoc est, de muneribus & salutaribus, & pro peccatis: & quomodo offert pontifex pro peccato suo, & pro peccato synagogae, uel pro anima, quae ex populo terrae peccauerit, non uoluntate.



Vperior quidem de principio Leuitici disputatio edocuit nos legem sacrificiorum, quae munera appellantur, vt si homo munus offerat, ex animalibus id offerret. i. ex bobus, vel ouibus, vel etiam capris. Si uero ex auibus, turturum par, aut duos pullos columbarum adhiberet. Si uero anima offerat munus, similia offerat ex libano. i. panes azymos, aut similia oleo conspersam ex sartagine, vel etiam craticula. Si aut sacrificium offerat primitiarum, de primis frugibus, vt similia sit recens. i. noua signi quae ea torrerit uult, & medio fracta esse: ne multum minuta sit, quia primitiae sunt, & bene purgata sit. Oleum quoque & thus, vt imponantur super eam, & sic offeratur. At uero si quis offerat sacrificium salutare, ex bobus iubetur offerre, vel etiam ex ouibus siue capris.

capris. Et exceptis his, nullum aliud sacrificij genus subsistit in salutaribus hostijs. Nam pro peccatis solum non uoluntarijs, generaliter quidem anima iubetur offerre, sed post haec per diuersas itur, variasque personas: & iubetur, si quidem Pontifex sit, qui deliquit, & offert sacrificium pro peccato, vt vitulum holocaustum offerat, sed non in eo ritu, quo illum pro munere obtulit. De hoc enim tantum adipem, & duos renes cum adipibus suis, & adipem, qui tegit interiora, imponet super altare holocaustorum. De sanguine quoque eius intinget digitum suum, & resperget septies coram domino, & linet ex eo cornu altaris incensi: caeteras autem carnes cum corio, & internis, & stercore, extra castra igni cremare iubetur in loco mundo. Obseruandum sane est, quod in peccato pontificis non addit legislator, quia per ignorantiam, aut non uoluntate peccauerit. Neque enim cadere ignorantia poterat in eum, qui, vt caeteros doceret, prouectus est. Si autem totius synagogae peccatum fuerit, vitulum nihilo minus in holocaustum synagoga debetur offerre. Sed in peccato synagogae dicitur: Si ignorauerit, & latuerit uerbum ab oculis synagogae, & fecerit, quod contra mandatum domini est. Vnde apparet etiam omnem synagogam delinquere per ignorantiam: quod & dominus confirmat in Euangelijs, quum dicit: Pater remitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Quod si princeps fuerit, qui offert hostiam pro peccato, hircum ex capris iubetur offerre, non holocaustum: sed tantum, vt de sanguine eius imponat sacerdos super altare, & omnem adipem eius offerat in altari: reliquum autem sacerdotibus remaneat ad edendum, sanguine tantum ad basim altaris effuso. Si uero anima fuerit, inquit, vna, quae offert pro peccato, capram foeminam offerat, ritu scilicet eodem, quo hircum superius diximus immolatum. Quod si non ualuerit, inquit, manus eius ad capram vel agnum, par turturum offeret, aut duos pullos columbarum. Quod si neque hoc inueniat, decimam partem ephi similaginis sine oleo & sine thure mandatur offerre. Haec quidem nobis singula priori lectione recitata sunt. Verum explanatio eorum (quam tempore excludebamur) omissa est: de qua nunc paucis commoneo studiosos quosque, & eos etiam, qui praeteritarum meminerint lectionum, absurdum non puto, quantum ad ea, quae nuper recitata sunt, uirgeamur. Et primo uelim uidere, quae sit ista differentia, quae alia quidem dicit hominem offerre, alia animam, alia pontificem, alia synagogam, alia principem, alia unam animam ex populo terrae. Et puto quidem hominem, illum debere intelligi, qui ad imaginem & similitudinem Dei factus est, & irrationabiliter uiuit. Hic ergo munus offert Deo vitulum, cum carnis superbia uicerit ouem, cum irrationabiles motus, insipientesque correxerit: hircum, cum lasciuiam superauerit. Offert etiam par turturum, cum non fuerit solus, sed mentem suam uerbo Dei, uelut uero coniugi sociauerit: sicut hoc genus auium, unum dicitur & castum seruare coniugium. Offert etiam duos pullos columbarum, cum & ipse intellexerit mysterium, quo oculi sponsae sicut columbae dicuntur ad plenitudines aquarum, & collum eius sicut turturis. Haec ergo sunt hominis, secundum quod supra exposuimus, munera: anima autem munera longe inferiora describit. Anima haec neque vitulum habet, neque ouem, neque hircum, quem offerat Deo: sed ne par quidem turturum, aut duos pullos inuenit columbarum: similia tantum habet, ex ipsa panes azymos offeret a libano, ex ipsa in sartagine opus factum, uel a craticula oleo permixtum. Vnde uidetur mihi hic anima, quae appellata est, homo ille, quem Paulus animale hominem nominat, intelligendus: qui etiam si peccatis non uirgeatur, nec sit praecipuus ad uitia, non tamen ha-

Leuiti. 1

Leuiti. 1

Leuiti. 3

Pontificis expiatio. Leuitici 4

* Altas, pfectus. Multitudinis expiatio.

Luca 23 Principis expiatio.

Leuitici 9

Moralitas

Turtur.

Columba Cantic. 5 Cantic. 5

bet aliquid in se spiritale, & quod figuraliter carnis verbi Dei reputetur. Sic enim ipse de eo Paulus apostolus dicit: Quia animalis homo non percipit, quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter dijudicatur spiritualis autem examinat omnia. Iste ergo, qui anima nominatur, non potest offerre omnia, quia examinare non potest omnia; sed offert solam simillam & panes azymos, id est, communem hanc vitam: verbi gratia, in agricultura, aut nauigando, aut in aliquibus communis vitæ vñibus positam. Offert tamen etiam ipse in unius Deo, licet solam simillam dicatur offerre, oleo scilicet tantum conspersam. Omnis enim anima eget oleo diuinæ misericordiæ, nec præsentem vitam euadere quæ spiritam potest, nisi ei oleum cœlestis miserationis adfuerit. Secundo in loco, primitiarum, i. de iniitijs frugum, mādatur oblatio. Quod si benè meministi, in die Pentecostes fieri lex iubet, in quo illis planè vmbra data est, nobis autè veritas referata est. In die enim Pentecostes oblato orationū sacrificio, primitias aduentus sancti spiritus, apostolorū suscepit Ecclesia. Et verè hæc fuerunt recentia, quia erat nouum: vnde & musto repleti dicebantur. Et fuerunt igitur tostæ igneæ namque lingue supra singulos confederunt. Et media fracta: frangebantur enim media, cum litera separabatur à spiritu. Et benè purgata: purgat namque oēs sordes præsentia sancti spiritus, remissionem tribuens peccatorum. Oleum quoque misericordiæ huic sacrificio infunditur, & thus suauitatis, per quod Christi bonus odor efficitur. Post hæc de sacrificijs salutaribus dicit, quæ ex animalibus, i. ex bobus, vel capris atque ouibus offeruntur, & nihil his vltra substituitur ad immolandum. Sed ne de his quidem, quæ superius in offerendis muneribus fuerunt substituta. Iste enim, qui salutes hostias offert, sine dubio iam suæ salutis est conscius. Et ideo, qui ad salutem peruenit, necesse est, vt quæ magna & perfecta sunt, offerat. Sic enim & Apostolus dicit: Perfectorum autem est cibus solidus. Dehinc ad offerendas pro peccatis victimas, sacrificiorum ordo dirigitur, in quo & secundo dicitur: Loquutus est dñs ad Moysen, dicens: Anima quæcunque peccat coram domino, non voluntate. Recte animam dicit, quæ peccare describit. Non enim spiritum vocasset, quem diceret peccaturus sed ne hominè quidem hūc diceret, in quo nequaquam imago Dei peccato interueniente constaret. Non est ergo spiritus ille, qui peccat. Fructus enim spiritus, vt describit Apostolus, charitas est, gaudium, pax, patientia, & cætera his similia, qui etiā fructus vitæ appellantur. Denique & alibi dicit: Qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem: & qui seminat in spiritu, de spū metet vitam æternam. Quò ergo alius est, qui seminat, et aliud est, in quo seminatur: Seminatur autem vel in carne, cum peccatur, vt metatur corruptio: vel in spiritu, cum secundum Deum viuatur, vt metatur vita æterna. Constat utique animam esse, quæ vel in carne, vel in spiritu seminatur & illam esse, quæ in peccatum ruere possit, vel conuerti à peccato. Nam corpus sequela eius est, ad quodcunque direxerit, et spiritus dux eius est ad virtutem, si eum sequi velit. Sed hæc generaliter dicta sunt. Nunc verò per species diuiduntur. Si pontifex, inquit, qui vnctus est, peccauerit, vt populum faceret peccare, offeret pro peccato suo vitulum de bobus sine macula domino. Terror simul & misericordia in diuinis legibus ostentantur: ita sanè in hominibus nihil tutum est, ne pontifex quidem. Et quis pontifex: ipse qui vnctus est, ipse qui sacris ignibus diuina succendit altaria, qui Deo munera & salutes hostias immolat, qui inter Deum & hominem medius quidam repropitiator interuenit. Ne iste, inquam, ipse immunis manet à contagione peccati. Sed vide misericordiam Dei, & plenius eam Paulo docente cognosce. Ipse enim ad Hebræos scribens, dicit: Omnis namque pontifex ab hominibus assumptus, pro hominibus constituitur ad offerendas hostias Deo. & paulò post: Lex, inquit, homines constituit sacerdotes infirmitate habentes, vt possint sicut pro sua, ita etiam pro populi infirmitate offerre. Vides ergo dispensationem

dispensationem diuinæ sapientiæ. Sacerdotes statuit, non eos, qui omnimodè peccare non possent, alioqui non essent homines: sed eos, qui imitari quidem debeant illum, qui peccatum non fecit. Offert autem hostias primo pro suis, postea etiam pro populi delictis. Sed quid præcipuè in huiusmodi sacerdote mirandum est: Non vt non peccet, quod fieri non potest: sed vt agnoscat & intelligat peccatum suum. Nunquam enim emendat, qui se peccasse non putat simul quia & facilius potest indulgere peccantibus is, qui alicuius infirmitatis conscientia suæ remordetur. Quæ est autem oblatio sacerdotis pro peccato? Vitulus, inquit, ad holocaustum. Secundo inueniemus offerri à pontifice vitulum in holocaustum, semel pro munere, & semel pro peccato: sed ille, qui offertur in munere, super holocausti altare consumitur: qui verò pro peccato, extra castra cum corio ac intestinis ac stercore, in loco mudo iubetur exuri, ad ipibus solis in altari oblati, & renibus. Quæ singula diuidere ac discernere, quamuis & supra nostras vires sit, & supra auditum veltrum, tamen aliquas vobis ad intelligendum occasiones conquirere, atque in medium proferre tentabimus. Vide ergo, ne fortè Iesus, quem Paulus dicit pacificasse per sanguinem suum, non solum quæ in terris, sed quæ in cœlis sunt, idem ipse sit vitulus, qui in cœlis quidem non pro peccato, sed pro munere oblati est: in terris autem, vbi ab Adam vsque ad Moysen regnavit peccatum, oblati sit pro peccato: & hoc est passum esse extra castra. Extra illa, opinor, castra, quæ viderat Iacob, angelorum Dei castra cœlestia, de quibus scriptum est in Genesi: Et suspiciens Iacob, vidit castra Dei in apparatu, & occurrerunt ei angeli Dei, & dixit Iacob, quum videret eos: Castra Dei sunt hæc. Extra illa ergo castra cœlestia, est omnis, in quo habitamus nos, locus iste terrenus, in quo in carne passus est Christus. Quòd verò dicit, quia cum stercore exurit & intraneis: videne fortè ad comparationem cœlestium corporum corpus istud humanæ naturæ, sterco figurally appelleretur: terrenum enim est, & de terra sumptum. Sed & cophinus ille stercoreis, qui ad radices succidendæ ficulneæ mittitur, quid aliud, nisi mysterium susceptæ in corpore dispensationis ostendit: Nectamen ei interna deesse dicuntur: quamuis enim vilem serui gesserit formam, plenitudo tamen diuinitatis in eo habitat. Hæc quamuis audacter discussa sint, tamen fidelium, quorumque nutriri semper ad maiora debet auditus, eadem quoque etiam de synagogæ vitulo accipienda sunt. In morali autem loco potest pontifex iste sensus pietatis & religionis videri, qui in nobis per orationes & obsecrationes, quas Deo fundimus, velut quodam sacerdotio fungitur. Hic si in aliquo deliquerit, omnem continuò, qui intra nos est, bonorum actuum peccare populum facit. Neque enim recti operis aliquid gerimus, quum in prauum declinauerit dux bonorum operum sensus. Et ideo ad huius emendationem, non qualiscunque hostia, sed ipsius saginati vituli requiritur sacrificium: similiter & synagogæ culpa, hoc est, omnium, quæ intra nos sunt, virtutum emendatio, non aliter, quam ex Christi mortificatione reparatur. Si verò princeps, inquit, peccauerit, hircum offeret ex capris. Princeps iste potest videri vis rationis, quæ intra nos est: quæ si peccet in nobis, & stultum aliquid agamus, pertimescenda nobis est illa sententia saluatoris, quæ dicit: Vos estis sal terræ, si autem sal infatuatum fuerit, ad nihilum valet, nisi vt projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Habet ergo iste & hostiam suam.

Sed & anima, inquit, vna si peccauerit, capram foeminam similiter offeret. Secundum illam substitutionem hostiarum, quam superius memorauimus, Sed fortasse dicent auditores Ecclesiæ: Melius ferè agebatur cum antiquis, quum nobiscum, vbi oblati diuerso ritu sacrificijs, peccantibus venia præstabatur: apud nos vna tantummodo est venia peccatorum, quod per lauacri gratiam in initio datur, nulla post hæc peccantibus misericordia, nec venia vlla conceditur. Decet quidem districtioris esse disciplinæ Christianorum, pro quo Christus mortuus est. Pro illis oues, hirci, bo-

Colof. 1
Roman. 5
Lege caute.

Hebræ. 13

Genesis 32

Lucæ 12

Coloff. 2

Lucæ 11

Matth. 5

Peccata remittendi modi scriptem. Lucæ 11

Matth. 5

Iacobi 5

Lucæ 7

1. Petri 4

Psal. 6

Psal. 40

Psal. 31

Confessio peccatorum coram sacerdote.

Iacobi 5

1. Cor. 13

Ioannis 15

1. Corin. 5

Psal. 101

Leuitici 4

ci, boues iugulabantur, & aues, & similia conspergebatur: pro te filius Dei iugulatus est, & iterum te peccare delectat: Et tamen ne tibi hæc non tam erigant animos pro virtute, quam pro desperatione deiciant: audisti quanta sint in lege sacrificia pro peccatis, audi nunc quantæ sint remissiones peccatorum. In Evangelio est ista prima, qua baptizamus in remissionem peccatorum: secunda remissio est in passione martyrii: tertia est, quæ per eleemosynam datur. Dicit enim saluator: Veruntamen date, quæ habetis, & ecce omnia munda sunt vobis. Quarta nobis sit remissio peccatorum, quando & nos remittimus peccata fratribus nostris. Sic enim dicit ipse dominus & saluator: Quia si remiseritis fratribus vestris ex corde peccata, & vobis remittet peccata vestra pater vester: si non remiseritis fratribus vestris ex corde, nec vobis remittet pater vester. Et ipse in oratione nos dicere docuit: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Quinta peccatorum remissio, cum conuerterit quis peccatorem ab errore vitæ suæ. Ita enim dicit scriptura diuina: Quia qui conuertifecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, saluat animam eius à morte, & cooperit multitudinem peccatorum. Sexta quoque sit remissio per abundantiam charitatis, sicut & ipse dominus dicit: Amen dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et Apostolus dicit: Quoniam charitas operit multitudinem peccatorum. Est adhuc & septima, licet dura & laboriosa, per penitentiam remissio peccatorum, cum lauat peccator lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachrymæ suæ panes die ac nocte, cum non erubescit sacerdoti domini indicare peccatum, & quærere medicinam, secundum eum, qui ait: Dixi, pronuntiabo aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti impietatem cordis mei. In quo impletur & illud, quod Iacobus apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiæ, & imponat ei manus, ungentes eum oleo in nomine domini, & oratio fidei saluabit infirmum: & si in peccatis fuerit, remittetur ei. Et tu ergo cum venis ad gratiam baptismi, vitulum offers, quia in morte Christi baptizaris: cum verò ad martyrium duceris, hircum obtulisti, quia autorem peccati diabolum iugulasti. Cum autem eleemosynam feceris, & erga indigentes affectum misericordiam sollicita pietate impenderis, altare sacrum hœdis pinguibus onerasti. Quod si ex corde peccatum remiseris fratri tuo, & iracundia & timore deposito, mittem intra te & simplicem recollegeris animum, immolasse te arietem, vel agnū in sacrificium obtulisse confide. Porro autem, si diuinis lectionibus instructus, meditando sicut columba, & in lege domini vigilando die ac nocte, ab errore suo conuerteris peccatorem, & abiecta nequitia ad simplicitatem eum columbæ reuocaueris, atque etiã adhærendo sanctis, feceris eum societatem turturis imitari, par turturum aut duos pullos columbarum domino obtulisti. Quod si illa (quæ & spe & fide maior est) charitas abundauerit in corde tuo, ita ut diligas proximum tuum, non solum sicut teipsum, sed sicut ostendit ille, qui dicebat, maiorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis: panes similaginos in charitatis oleo subactos, sine villo fermento malitiæ & nequitia, in azymis sinceritatis & veritatis obtulisse cognosce. Si autem in amaritudine fletus fueris, luctu, lachrymis & lamentatione confectus, si carnem tuam maceraueris, & ieiunijs ac multa abstinentia aridam feceris, & dixeris, quia sicut in frixorio confixa sunt ossa mea: tunc sacrificium simillæ à sartagine vel craticula obtulisti. Et hoc modo inuenieris tu verius & perfectius secundum Euangelium offerre sacrificia, quam secundum legem offerre non potest Israel. Sed videamus, quid etiã de his, quæ nuper recitata sunt, sentiendum sit.

Si autem, inquit, anima vna peccauerit nolens ex populo terræ, faciendo vnum ab omnibus mandatis domini, quod fieri non debuit, et dereliquerit, et notum fuerit illi peccatum, quod peccauit, & adduxerit donum suum capram de hœdis, foeminam sine macula adducet pro peccato, quod peccauit.

Et

Et omnem post hæc sacrificij ritum, secundum quod supra exposuimus, enarravit. De anima, quam sub peccato factam dicit offerre, qualiter sentiendum sit, in superioribus, prout potuimus, explanauimus. Quod verò in hoc loco addidit, anima, dicens, si peccauerit ex populo terræ, non videtur mihi ociosum. Quis enim dubitaret, quod ea, quæ dicit lex, ad animas vel ad populum, qui sunt in terra, dicerentur? Quid ergo necessarium fuit, ut ad hoc, quod dicit, anima vna si peccauerit, adderet, ex populo terræ? Sed videndum est, ne forte ad distinctionem alterius populi, qui non est de terra, hæc anima, quæ peccauit, de populo terræ esse dicatur. Neque enim conuenire hoc dictum potest illi, qui dicebat: Nostra autem conuersatio in cœlis est: unde & saluatorem expectamus dominum Iesum. Quomodo ergo istam animam merito dixerim de populo terræ, quæ nihil habet commune cum terra: sed tota in cœlis est, & ibi conuersatur, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quod & redire desiderat, & esse cum Christo? Multo enim melius, sed permanere in carne necessarium dicit propter nos. Hæc ergo anima, quæ peccat, de populo terræ est, faciens vnum ex omnibus mandatis domini, quod fieri non debet.

Diu certè me in hoc sermone quidam stupor attonitum tenuit. Non enim consequenter dictum video, quod peccauerit anima, & fecerit vnum ex mandatis domini, quod fieri non debuit. Si enim mandatum domini est, quomodo fieri non debuit: quum utique ad hoc dentur mandata Dei, ut fiant. Et quomodo hic dicitur peccasse anima, quæ fecerit vnum de mandatis domini, quod fieri non debet? Et fortasse aliquibus videbitur error locutionis per interpretes factus: sed mihi curiosius inquirenti compertum est, omnes interpretes similiter protulisse: & ideo non eloquutionis error, sed profundioris intelligentiæ requirendus est sensus. In quantum ergo nobis occurrere potest, hæc mihi videtur absolutio. Mandata domini quædam data sunt ut fiant, quædam non ut fiant: sed ea, quæ fieri debent, necessitas poposcit humana, ut inserta illis proferrentur, quæ fieri non deberent. Verbi gratia (ut de his ipsis, quæ nunc habemus in manibus, sacrificijs proferamus exemplum) agnus immolari iubetur in Pascha, non quo veri agni hostiam per singulos annos requireret Deus, sed quo designaretur immolari debere illum agnum, qui tollit peccata mundi. Hoc ergo fieri voluit, illud noluit. Sic enim per Esaiam dicit: Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum, dicit dominus? Plenus sum, holocausta arietum & adipem agnorum, & sanguinem taurorum nolo atque hircorum. Audisti quomodo non vult hostiam arietum, nec adipem agnorum: dedit tamen mandatum, quo modo vel taurorum vel agnorum hostia deberet offerri. Sed qui legem spiritaliter intelligit, spiritaliter hæc quærere offerre. Si verò quis secundum speciem mandati carnalis obtulerit, hæc est anima vna ex populo terræ, quæ peccauit nolens, faciendo vnum de mandatis domini, quod fieri non debuit, & deliquit. Et ideo adiungit in subsequentibus: Et quum notum factum fuerit illi peccatum, quod peccauit, adducet munus suum ante dominum. Debet enim munus offerre anima, quum ei innotuerit, quia non quærere dominus carnale sacrificium. Quia sacrificium Deo, est spiritus contribulatus. Notum fit ergo ei peccatum suum, quum didicerit à domino dicente: Misericordiam malo, quam sacrificium, & quum agnouerit immolare sacrificium laudis in Ecclesia, & reddere altissimo vota sua per Christum dominum nostrum, cui est laus & gloria in secula seculorum, Amen.

Philipp. 3

Philipp. 1

Esai. 1

Psal. 50
Osee 6
Psal. 49

Secundi Libri FINIS.

D. CY-

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

in Leuiticum Liber III.

De eo, quod scriptum est: Si autem anima peccauerit, & audierit uocem iuramenti, & hic testis sit, aut uiderit, aut conscius fuerit, si non indicauerit, & ipsa accipiet peccatum eius. Et anima, quae tetigerit omnem rem immundam, aut morticinum, aut a fera captum, &c.



DE sacrificiis, quae offeruntur ab ijs, qui per ignoratiam, vel qui non uoluntate peccauerint, sermo est. Vnde & in superioribus, quum de pontificis sacrificio diceremus, obseruauimus non esse scriptum de eo, quia ignorauerit. Sed si quis bene meminit eorum, quae dicta sunt, potest nobis dicere, quia sacrificium, quod pontificem pro peccato diximus obtulisse, figuram Christi tenere, intelligere possumus. Et conueniens non uidebitur, ut Christus, qui peccatum nescit, pro peccato dicatur obtulisse sacrificium, licet per mysterium res agatur, & idem ipse pontifex, idem ponatur & hostia.

Vide ergo, si & ad hoc possumus hoc modo occurrere: Quia Christus quidem peccatum non fecit, peccatum tamen pro nobis factus est, dum, qui erat in forma Dei, in forma serui esse dignatus est: dum qui immortalis est, moritur, & impassibilis patitur, & inuisibilis uidetur. Et quia nobis hominibus uel mors, uel reliqua omnis fragilitas in carne, ex peccati conditione superducta est, etiam ipse, qui in similitudinem hominum factus est, & habitu repertus ut homo: sine dubio pro peccato, quod ex nobis susceperat, quia peccata nostra portauit, uel uolumen immaculatum, hoc est, carnem immaculatam obtulit hostiam Deo. Sed quid faciemus de eo, quod in consequentibus iungitur? Vbi enim dicit: Si quidem pontifex, qui unctus est, peccauerit, ibi additur, ut populum faceret peccare, offerret pro peccato suo. Quomodo ergo conueniet, quod per carnem, quam ex nobis suscepit Iesus, ipse peccatum factus, peccare fecerit populum? Ausculta & de hoc, si cum aliqua consequentia possumus respondere. Passio Christi credentibus quidem uitam, mortem uero non credentibus confert. Quamuis enim salus gentibus sit per crucem eius & iustificatio, Iudaeis tamen interitus est & condemnatio. Sic enim scriptum est in Euangelij: Ecce hic natus est ad ruinam & resurrectionem multorum. Et hoc modo per peccatum suum, hoc est, per carnem in crucem actam, in qua peccata nostra susceperat, nos quidem credentes liberauit a peccato: populum uero non credentem peccare fecit, quibus ad incredulitatis malum etiam sacrilegij accessit impietas. Et hoc modo pontifex iste per suum peccatum peccare populum fecit, dum in carne positus, & teneri potuit & occidi. Nam ponamus (uerbi gratia) si dominus maiestatis non uenisset in carnem, non arguisset Iudaeos, non eis fuisset gratis etiam ad uidentium, non utique teneri potuisset, nec ad mortem tradi: nunquam (sine dubio) uenisset & sanguis eius super ipsos, & filios eorum. Sed quia uenit in carnem, & pro nobis peccatum factus est, & haec pati potuit: idcirco ipse dicitur peccare populum fecisse, qui fecit eum in se posse peccare. Sed uideamus iam, quid agit: Et ista anima, quae audit uocem iuramenti, & testis est, uel quae uidit aliquid & conscia est, & non indicat, ex quo accepit etiam ipsa peccatum eius sine dubio, qui inique aut egit aliquid, aut iurauit. Hoc etiam secundum historiam nos aedificat & docet, ne unquam in peccatis alterius polluamus conscientias nostras, nec confen-

A sensum male agentibus praebemus. Consensum autem dico, non solum pariter agendo, sed etiam, quae illicitae gesta sunt, reticendo. Vis autem scire, quia consentiant haec etiam Euangelicis praecipis? Dominus dicit: Si uideris fratrem tuum peccare, argue eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum: quod si te non audierit, adhibe tecum adhuc duos uel tres: quod si nec ipsos audierit, dic Ecclesiae: si uero nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Sed Euangelicum praecipuum in eo perfectius datum est, quod iudicandi peccati modum, disciplinamque constituit. Non uult enim te, si forte uideris peccatum fratris tui, contumeliose euolare ad publicum, & proclamare passim, ac diuulgare aliena peccata, quod esset utique non corrigentis, sed potius infamantis. Solus, inquit, inter te & ipsum corripe eum. Vbi enim seruari sibi mysterium uiderit ille, qui peccat, seruabit & ipse emendationis pudorem: si uero diffamari se uiderit, illico ad denegandi impudentiam conuertetur, & non solum non emendaueris peccatum, sed & duplicaueris. Disce ergo ex Euangelicis praecipis ordinem. Primo, inquit, corripe eum solus inter te & ipsum. Secundo, adhibe tecum alios duos uel tres. In ore, inquit, duorum uel trium testium stabit omne uerbum. Tertio uero, dic Ecclesiae. Quomodo quidem tertio correptionem mandabat ad Ecclesiam deferendam: ita secundo uult duos uel tres adhiberi, quibus praesentibus correptus, si emendare se non uult, cum ad Ecclesiam delatum fuerit eius peccatum, possit dudum adhibitis testibus confutare. Frequenter enim accidit, ut uolens quis Euangelicum implere mandatum, calumniator uideatur, si crimen deferat ad Ecclesiam, & deficiat testibus. Ne hoc ergo accidat, idcirco duos uel tres testes in secunda correptione ei iussit adhiberi. Quum ergo & Euangelij tale mandatum sit, & lex praecipiat, quia si tacuerit, accipiet peccatum: sciendum est, quod si quis ea, quae uidet in delicto proximi sui, uel non indicat secundum regulam superius datam, uel in testimonium uocatus, non quae uera sunt, dixerit, peccatum, quod commiserit ille, quem caelat, ipse suscipiet, & poena commissi reuoluetur ad conscientiam. Sufficiens ergo in hoc capite ipse aedificauit textus historiae. Puto tamen, quod & illa anima, quae legit scriptum in lege Dei: Quia iurauit dominus, & non poenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec, audit uocem iuramenti, ut faciunt Scribae & Pharisei, semper haec meditantur: sed tacent, & enunciare populo nolunt, ne Christi testentur aduentum. Propterea ergo ipsi accipient peccatum, in quo non enunciantes ad populum, quae uera sunt, peccare faciunt Israel. Post haec & alia lex promulgatur.

B Anima, inquit, quaecumque tetigerit omnem rem immundam, aut morticinum iumentorum immundorum, & latuerit eum, & inquinatus est, aut si tetigerit immundiciam hominis, & omnem immundiciam, ex qua inquinatur, & caetera. Haec quidem apud Iudaeos indecenter satis & inutiliter obseruantur. Ut quid enim immundus habeatur, qui contigerit (uerbi causa) animal mortuum, aut corpus hominis defuncti: quid si prophetae corpus sit: quid si patriarchae, uel etiam ipsius Abrahamae corpus: & si eius ossa contigerit, immundus erit: quid si Helisaei ossa contingat, qui mortuum suscitauit, immundus erit ille, qui contingit & immundum faciunt ossa prophetae etiam illum ipsum, quem a mortuis suscitant: Vide quae inconueniens sit Iudaica intelligentia. Sed nos uideamus primum, quid sit tangere, et quis tactus, qui faciat immundum: quis uero sit tactus, qui faciat mundum. Apostolus dicit: Bonum est homini mulierem non tangere. Hic tactus immundus est. Hoc est enim illud, quod in Euangelio dominus dixit: Si quis uiderit mulierem ad concupiscendum, iam moechatus est in corde suo. Tetigit enim cor eius concupiscentiae uitium, & immunda facta est anima eius. Si quis ergo hoc modo tangit aliquam rem, id est, uel per mulieris concupiscentiam, uel per pecuniae cupiditatem, uel alio quolibet peccati desiderio, immundum tetigit, & inquinatus est. Oportet ergo te, si

Esaia 53
2. Corin. 5

Philipp. 3

Luca 2

Sapient. 2
Matth. 27Modus
correptionis
fraternae.

Deuter. 19

Psal. 109

4. Reg. 19

1. Corin. 7
Matthaei 5

Concupiscentia.

quid tale contigeris, scire quomodo offeras sacrificium, secundum ea, quæ in superioribus memorauimus, ut mundus effici possis. Vistibi ostendam, quæ est anima, quæ tetigit immundum, & immunda facta est: & rursum tetigit mundum, & facta est munda: Illa, quæ profluuium sanguinis passa est, & erogauit omnem substantiam suam in medicos, nec aliquid proficere potuit, per immundiciam peccati in hoc deuoluta est. Tetigerat enim peccatum, & idcirco flagellum carnis accepit. Sed postea, quam fide plena tetigit simbriam Iesu, stetit fluxus sanguinis, & repente facta est munda, quæ antè per tantum tempus vixit immunda. Et quemadmodum, quum tetigisset dominum & saluatorem, dixit ipse: Quis tetigit me? ego enim sensi virtutem exiisse de me: illam sine dubio virtutem, quæ mulierem sanauerat, & fecerat mundam: sic intelligendum est, quod si quis contigerit peccatum, exeat ab ipso peccato virtus quædam maligna, quæ eum, qui se contingit, faciat immundum: & hoc est verè contigisse immundum. Simili ratione etiam de morticino hominis, vel de morticino pecoris mundi aut immundi, dicendum est. Morticinum namque hominis contingit is, qui peccatis suis mortuum quempiam vel sequitur vel imitatur. Sed si singulorum differentia requirenda sunt, singula recensamus. Hominis morticinum (sicut supra diximus) illud possumus dicere, quod Apostolus ad Corinthios dicit: Scripsi, inquit, vobis in epistola, ut non commisceamini fornicarijs. Non utique fornicarijs huius mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: alioqui debueratis de hoc mundo exiisse. Nunc autem scripsi vobis, ut non commisceamini. Si quis frater nominatur fornicator, aut avarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumite. Istud est ergo hominis morticinum contingere, quasi ei se socium saltem in cibo præbuerit, qui in Christo homo effectus, rursus in peccatis est mortuus. Nam & illa vidua, de qua dicit Apostolus: Quia in delictis agens, viuens, mortua est: morticinum hominis dici potest. Sed alia anima morticina nihilo minus, quæ sunt in Ecclesia, requirenda sunt. Si simplices sint, quicquid nihil virtutis, nihil prudentia egerit, & iam in peccatorum sordibus volutentur: hos si quis sequatur vel tangat, eo tactu, quo supra exposuimus, morticinum animal tetigit. Quod autem Ecclesia habeat & animalia, audi quod dicit in Psalmis: Homines & iumenta saluos facies domine. Hi ergo, qui verbi Dei & rationabilis instituti studium gerunt, homines appellatur: qui verò absque huiusmodi studijs viuunt, & scientia exercitiano requirunt, fideles tamen sunt, animalia quidem, sed munda dicuntur. Sicut enim sunt quidam homines Dei, ita sunt & quædam oues Dei: scriptum est enim, quia Moses non erat ouis Dei, sed homo Dei: & Helias non erat ouis Dei, sed homo Dei. Sic enim ipse dicit: Si homo Dei sum ego, descendat ignis de celo, & consumat te, & quinquaginta tuos. Vis autem audire de ouibus Dei: Dicitur per Prophetam: Oues mee, oues sancte sunt, dicit dominus. Et iterum saluator dicit in Evangelio: Oues meæ vocem meam audiunt. Et non puto, quia dixisset de hominibus, quia vocem meam audiunt homines: sed hoc: Qui habet aures audiendi, audiat. Quod vocem Christi audiunt oues, ita homines verbum eius audiunt. Ista ergo sunt animalia, munda quidem propter Christum, morticina autem propter peccatum. Quæ si quis tetigerit, hoc est, si sequutus quis fuerit in peccato, immundus erit. Et si quis huiusmodi hominis morticinum contigerit, id est, eius, qui secundum rationem viuunt primo, & in verbo Dei semetipsum exercens, postmodum decidit in peccatum: si quis eum sequatur aut imitetur, hominis contingit morticinum, & erit immundus. Sed & a fera captum si contigeris, immundus eris. Quæ est fera: leo est, an lupus, qui rapit homines vel iumenta: Illa credo fera est, de qua dicit Petrus apostolus: Quia aduersarius uester diabolus, sicut leo rugiens circuit quærens, quæ deuoret. Cui resistite fortes in fide. & rursum, de quibus dicit apostolus Paulus: Intra bunt enim post discessum meum lupi rapaces, non parcentes gregi. Ab istis ergo feris, si videris captum, noli

Lucæ 8

Matth. 8

Morticinum hominis.

1. Corin. 5

1. Timot. 5

Psal. 35

4. Reg. 1

Hierem. 23
Ioannis 10
Lucæ 8

1. Petri 5

Act. 20

A noli eum sequi, noli contingere, ne & tu efficiaris immundus. Sunt præterea & alia immunda animalia, quorum morticinum vetat contingi. Immunda animalia sunt homines, qui extra Christum sunt, in quibus neque ratio, neque religio vlla est. Horum ergo omnium morticina, id est, peccata, si videas, dicit tibi legislator: Ne contigeris, ne accelleris, ne attrectaueris. Et ista sunt immundicia, quæ merito fugiendæ sunt. Homini autem tactum refugere, vel mortui corporis, cui magis sepultura religiosè cõferenda est, Iudaicæ hæc sunt & inutiles fabulæ, speciem quidem pietatis habentes, virtutem verò ipsius denegantes. Prima ergo lex de immunditijs data: Si quis iuramenti alicuius vel delicti testis fuerit, & non indicauit, per hoc immundus quodammodo effectus est etiã ipse societate peccati. Secunda lex, qua contingere immundum aliquid ac morticinum vetatur. Tertia nunc lex promulgatur eiusmodi:

Immundicia quæ sunt gienda.

Et anima, inquit, quæ iurauerit, pronuncias labijs suis male facere, aut bene facere, & non fecerit secundum omnia, quæcunque dixerit homini cum iuramento, & latuerit eum, & postea cognouerit, & peccauerit vnum aliquid de istis, pronunciet peccatum, quod peccauit: & offerat pro ijs, quæ deliquit, domino pro peccato, quod peccauit, foeminam de ouibus, &c.

Leuitici 19

Quomodo quidem, si pronunciauero labijs meis, vel iurauero benè facere, & non faciam, peccati reus sum, difficultas non est ostendere. Quomodo autem, si iurè, vel pronunciem malè facere, & non fecero, peccauerim verbo, assignare difficile est. Absurdum enim videtur (verbi gratia) ut si per iracundiam dixero, me hominem occisurum, & non fecero, ne peierare aut fallere videar, cogi ad explendum opus, quod temerè & illicitè promisi. Quæramus ergo, quæ sit res, in qua, si promittimus nos malè facere, & non fecerimus, peccamus: si verò fecerimus, excusemur à peccato, ut rationabiliter stari præcepti veritas possit. Quantum in hoc loco intelligendum

Male facere.

B videtur, malè facere, aduersari alicui est, & non indulgere ei, ut faciat quod vult. Et nos ergo, quum venimus ad dominum, & vouemus nos ei in castitate seruire, pronunciamus labijs nostris, & iuramus nos castigare carnem nostram, vel malè ei facere, atque in seruitutem eam redigere, ut spiritum saluū facere possimus. Sic enim iurasse se dixit, qui ait: Iuravi, & statui seruire omnia præcepta tua. Quia ergo carnis vox est, quæ dicit: Non enim, quod volo, ago: sed quod odi, illud facio: afflictus si ne dubio à spiritu & coarctata, resistit ei, & repugnat aduersus spiritum. Et nisi ei malè faciat, ut affligatur & infirmetur, non potest dicere spiritus: Cum infirmor, tunc potes sum. Huic ergo carni resistenti & repugnantanti aduersus spiritum, si quis iurauerit & pronunciauerit malè facere ac affligere & macerare eam, & non fecerit, peccati reus est, in eo, quod iurauit cruciare se carnem suam, & seruituti subicere, & non fecit. Eodem autem iuramento & spiritui decernit benè facere. In quo enim carni malè facit, spiritui benè facit. Si quis ergo hoc iurauerit & non fecerit, peccati efficitur reus. Vis autem scire, quia nec potest vni horum benè fieri, nisi alij malè feceris, audi etiam dominum dicentem: Ego occidam, & viuere faciam. Quid occidit Deus: carnem utique. Et quid viuere facit: spiritum sine dubio. Et rursum in sequentibus dicit: Percutiam, & ego sanabo. Quid percutit: carnem. Quid sanat: spiritum. Quod rursum ista proficiunt: ut fiat mortificatum carne, viuificatum spiritu, ne forte & tu mente seruias legi Dei, carne autem legi peccati, si mortificata non fuerit. Si verò istum ordinem promiseris, & seruire non quieris, audi quid legis ordo præcipiat: Si peccauerit, inquit, vnum aliquid de istis, pronunciet peccatum, quod peccauit. Est aliquod in hoc mirabile secretum, quod iubet pronunciare peccatum. Etenim cuiusuis generis pronunciana sunt, & in publicum proferenda cuncta, quæ gerimus: si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo, vel etiã intra cogitatione secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri. Proferri autem à nobis, aut ab illo, qui & accusator peccati est & incentor. Ipse enim nunc nos, ut

Psal. 118
Roman. 7

Carnis castigatio.
2. Corin. 12

Deuter. 31

1. Petri 3
Roman. 7

Confessio peccatorum

Esaiæ 45 Peccemus, instigat, ipse etiam, quum peccauerimus, accusat. Si ergo præueniamus eum in hac vita, & ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli inimici nostri præuenimus, & accusatores efficimur. Sic enim & alibi Propheta dicit: Dic tu iniquitates tuas prior, ut iustificeris. Nonne euidenter mysterium, de quo tractamus, ostendit, quum dicit: Dic tu prior: ut ostendat tibi, qua præuenire illum debeas, quia paratus est ad accusandū. Tu ergo, inquit, dic prior, ne te ille præueniat. Quia si prior dixeris, & sacrificium pœnitentiæ obtuleris secundum ea, quæ in superioribus diximus offerenda; & tradideris carnem tuam in interitum, ut spiritus saluus fiat in die domini, dicetur & tibi: Quia recepisti in vita tua mala, nunc verò hic requiesce. Sed & David eodem spiritu loquitur in Psalmo, & dicit: Iniquitatem meam notam feci, & peccatum meum non cooperui. Dixi, pronuntiabo aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti impietatem cordis mei. Vides ergo, quia pronuntiare peccatum, remissionem peccati meretur. Præuentus enim diabolus in accusatione, ultra nos accusare non poterit. Et si ipsi nostri accusatores sumus, proficit nobis ad salutem; si verò expectemus, ut à diabolo accusemur, accusatio illa cedit nobis ad pœnam; habet enim socios in gehenna, quos quum vicerit, criminum habuit socios. Multum erit nunc hostiarum diuersitates, & sacrificiorum ritus ac varietates exequi, & longè alterius operis, quàm eius verbi, quod in communi auditorio vulgus excipiat. Verum ut aliqua in transcurso perstringere videamur, omnis quidè penè hostia, quæ offertur, habet aliqd formæ & imaginis Christi. In ipsum namq; omnis hostia recapitulatur, in tantum, ut postquam ipse oblatus est, omnes hostiæ cessauerint: quia & tunc in typo & vmbra præcesserant, de quibus, prout potuimus, in superioribus differuimus: ut quò vitulus à pontifice oblatus, siue in munere, siue pro peccato, formam eius haberet, ostendimus. Per adipem verò, qui offertur in munere, operientes interiora & renibus coherentes, potest sancta illa eius anima intelligi. Quæ interiora quidè, id est, diuinitatis eius secreta velabat: renibus autem, hoc est, corporalium materiæ, quæ ex nobis castè sumpta fuerat, coherabat. Et media inter diuinitatem, carnemq; domini posita, sanctificandam sacris altaribus, & diuinis ignibus illustrandam conseruam secum ad cœlos naturam carnis imponit. Renunculi autem ignibus traditi, quis dubitet, quòd nullos in Christo fuisse indigent genitalium partium motus: Quòd verò de sanguine hostiæ septies ante dominum sacerdos respergere memoratur, euidenter spiritus septemplex gratia sub mysterio designatur. Quatuor cornua altaris, quæ sanguine linuntur, Christi passionem referri quatuor Euangelij indicant. Penna iecoris, quæ offertur, in iecore ira iugulatur: in penna, velox & concita vis furoris ostenditur. Reliquus autem sanguis, qui ad basim altaris effunditur, puto quòd illius gratiæ formam designet, qua in nouissimis diebus, postquam plenitudo gentium subintrauerit, omnis, qui relictus fuerit Israel, ad vltimum velut ad basim altaris positus, effusionem sanguinis Christi etiam ipse suscipiet. De agnis verò & hœdis, turturibus & columbis, & similia conspersa in oleo, aut in panibus azymis cocta, quantum respati potuit, supra dictum est. Videamus nunc, quæ lex proponitur in offerendis hostijs pro peccato.

Leuitici 5 Et loquutus est, inquit, dominus ad Moysen, dicens: Anima si qua ignorauerit, & peccauerit non volens a sanctis domini, offeret pro delicto suo dño arietem immaculatū de ouibus, emptū precio argenti siclo sancto, in eo quod deliquit, & peccauit a sanctis, reddet: & quintas adijciet ad illud, & dabit illū sacerdoti, & sacerdos exorabit pro eo in ariete delicti, et remittet ei. In superioribus legimus, quod duæ minores hostiæ sacrificijs substituebantur: ut vbi dixit offerendam (verbi causa) ouem aut hœdum, addidit, quod si non sufficet manus eius ad hœdum aut agnum, offerat par turturū, aut duos pullos columbinos. et

A iterū: Si nec ad hoc sufficet, offerat similaginem. In hac verò lege, vbi de peccato, quod in sanctis committitur, differit, nullam substitutionem inferioris hostiæ secundæ vel terciæ subrogauit, sed statuit solum arietem offerendum: nec aliter ostendit solui posse peccatum, quod in sancta committitur, nisi arietem iugulauerit. Et non simpliciter arietem, sed arietem precio emptum, & certo precio, siclo, inquit, sancto. Quid igitur, si quis pauper fuerit, et non habuerit siclo sanctū, vnde mercari possit arietem, peccatum eius non soluetur? Quærendæ sunt ergo vnicuique diuitiæ, ut peccatum eius possit absolui. Verū, si dignetur dominus vel oculos nobis ad videndū, vel vobis ad audiendum aures cordis aperire, quid sibi velit legislatoris sensus oportet mysterijs, requiremus. Et primò quidem videamus hoc ipsum, quod recitatum est secundum literam, quale sit. Videtur planè de ijs dicere, in quorum manibus sancta commissa sunt. i. quæ in domini donis oblata sunt. Verbi gratia: Vota & munera, quæ in Ecclesijs Dei ad vsum sanctorum, & ministeriū sacerdotum, vel quæ ob necessitatē pauperum à deuotis & religiosis mentibus offeruntur, de his, si qualibet præsumptione subtraxerit quis, decernit lex, ut si rememoratus fuerit peccasse se, & sponte compunctionem cordis acceperit (de eo enim, qui non sponte compungitur, sed alio arguente conuincitur, difficilius remedium est) hic ergo, quod sponte recordatus fuerit peccatum suum, reddet, inquit, illud ipsum, quod subtraxerat: & addet ad illud quintas, & offeret arietem pro peccato siclo sancto. Quod dicit, addet ad illud quintas, simpliciores, quintas æstimant ita dictū, ut verbi causa, si quinq; nummi subtracti sunt, vnus addatur, ut pro quinq; sex reddere iubeatur. Sed qui in disciplina numerorum peritiā gerunt, longè aliter istius vocabuli numerum supputant. Nā et in Græco non habet πέντομ, quod simpliciter quintas facit: sed habet ἐπιπέντομ, quod nos quidem possumus dicere, super quintas, nisi diceretur istud specialis cuiusdā numeri apud illos esse vocabulum, quo indicaretur pro quinq; alios quinq; dandos, & vnum super: ut verbi gratia, intelligatur qui furatus sit quinq; nummos, ipsos quidem quinq; restituere debere vno superaddito. Nec tamen continuo hæc pro furtis aut fraudibus solum intelligenda sunt: sed quod etiam, si quis pro vrbibus necessarijs sibi de sanctis pecuniam sumpsit, & moras attulit in restituendo, huiusmodi lege constringitur. Quæ lex etiam secundum literam ædificare debet audientes. Valde enim utilis & necessaria est obseruatio, ijs præcipue, qui Ecclesiasticis dispensationibus præsumunt: ut sciāt sibi ab ijs, quæ in vsum sanctorum oblata sunt, cautius ac diligentius obseruandum. Sed & nos, quibus ista forte non accidunt, videamus, qua ex parte sermo legis ædificet. Et ego hodie, licet peccator sim, tamen quia dispensatio mihi verbi dominici credita est, sancta Dei videtur habere commissā. Neq; nunc primū, sed sæpe iam & olim dispensatione hac erga vos vtimur. Si quis ergo ex vobis suscepit à me dominicam pecuniā, & (ut fieri solet) egressus Ecclesiam, & diuersis occupationibus seculi raptus, obliuioni, quæ audierat, dedit, nec opus aliquod ex verbo, quod suscepit, impleuit: iste est, qui pecuniam de sanctis susceptam non reddidit. Vnde vel his auditis, in memoriā reuocet, quæ fuerant dudum sibi in verbo Dei commissā, neglexit. Reddat ergo & hoc, quod accepit, & addat ad quintas, eo modo, quo antè iam diximus. i. ut bis quinq; sint, & vnus superaddatur. Videamus ergo, quò quinq; isti reddantur. Quinq; que numerus frequenter, imò penè semper pro quinq; sensibus accipitur. Scire ergo debemus, hoc modo istos quinq; sanctis posse restitui: ut si fortè præsumimus abuti eis in secularibus actibus, & impedimus vsum eorum in ijs, quæ non secundum Deum gessimus, restituamus nunc ipsos quinq; sanctis actibus, religiosisque ministris, & alios eis quinq; addamus, qui sunt interioris hominis sensus, per quos vel mundi corde effecti, dominum videmus: vel aures habemus ad audienda ea, quæ docet Iesus, vel odorē capimus illum, quæ dicit Apostolus: Quia Christi bonus odor sumus, vel etiam gustū sumimus illū, de quo dicit Propheta: Gustate & videte, quòd

1. Io ann. 1 niam suavis est dominus. Vel tactum illum, quem dicit Ioannes: Quia oculis nostris inspeximus, & manus nostrae palpauerunt de verbo vitae. His autem omnibus unum superaddimus, ut ad unum Deum haec cuncta feramus. Et haec quidem de restituendis ijs, quae qualibet culpa ex sanctis ablata fuerant, dicta sint. Quid verò dicemus de sacrificio arietis precio empti, & precio sicuti sancti, qui pro peccati expiatione debetur offerri: Diues futurus est, qui precio arietis possit delicta purgare. Quae sunt istae diuitiae, requiramus. Docet nos sapientissimus Salomon, dicens: Redemptio animae viri, propriae diuitiae eius. Audis verba Sapientiae, quod necessarijs cum proprietatibus vim vniuscuiusque sermonis enunciat. Diuitias dicit aptas ad animae redemptionem, & diuitias non alienas, neque communes, sed diuitias proprias, per quod ostendit esse quasdam diuitias proprias. Sed hoc euidentius dominus in Euangelijs declarauit, cum dicit: Quod si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? ostendens praesentis seculi diuitias non esse nostras proprias, sed alienas. Transeunt enim, & sicut umbra praeter eunt. Propriae verò sunt illae diuitiae, de quibus Propheta dicit: Et ad te congregabo diuitias gentium. Ex his fortasse diuitijs & Abraham diues factus est valde in auro, & argento, & pecoribus, atque omni suppellectili. Vis tibi ostendae, ex quibus thesauris descendant istae diuitiae: audi Apostolum dicentem de domino Iesu Christo: In quo sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae absconditi. Et in Euangelijs dominus dicit: Quia scriba diues profert de thesauris suis noua & vetera. De his & apostolus Paulus dicit: Quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia. Ex his ergo diuitijs, quae de thesauris sapientiae & scientiae proferuntur, mercandus nobis est aries iste, qui offerri debeat pro peccatis, illis scilicet, quae in sancta commissa sunt, & sicuti sancti annumeratione mercandus. Iam superius diximus, quod omnis hostia typum ferat & imaginem Christi, multo magis aries, qui & pro Isaac quidem a Deo substitutus est immolandus. Sicuti igitur sancto comparandus nobis est Christus, qui peccata nostra dissoluat. Sicutus sanctus, fidei nostrae formam tenet. Si enim fidem obtuleris, tanquam precium a Christo, velut arietem immaculatam in hostiam dato, remissionem accipies peccatorum. Sentio plane, quod in explanando vires nostras mysteriorum superat magnitudo, sed quamuis non valeamus cuncta differere, tamen sentimus cuncta repleta esse mysterijs. Et ideo studiosis quibusque indicia posuisse sufficiat, quibus excitati, ad altiora horum & profundiora perueniant: & intelligant, ex quibus vitulus quaeratur in hostiam, ex quibus ouibus aries providendus sit. Habeo enim (inquit Iesus) & alias oues, quae non sunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere, ut fiat & vnus pastor & vnus grex. Sciant etiam, ubi turtures, ubi columbae requirendae sunt. Oculi, inquit, columbae super plenitudines aquarum. Ad aquarum ergo plenitudines properandum est: & in his enim sponsae describitur pulchritudo. Et collum, inquit, tuum sicut turturis. In columbis oculi praedicantur. Quod enim dixit, columbae super plenitudines aquarum: ferunt hoc genus auis, cum ad aquas venerit, quia ibi solet accipitris insidias pati, venientem de super inimicum, volitantis umbra in aquis inspecta deprehendere, & oculorum perspicacia fraudem periculi imminetis euadere. Quod & si tu ita prospicere potueris, insidias diaboli & cauere, sacrificium Deo colubas obtuleris. Sed & quibus tanta cura sunt, illud etiam requirant, ex quibus eis agris similia debet offerri. Ego arbitror, quod ex illius terrae segetibus, quae facit alia centesimum, alia sexagesimum, alia trigesimalum fructum. Requirit etiam, nisi plus, quam debet, curiosum videtur, quibus molentibus similia ista ad sacrificia praepararetur. Nec eos lateat duas esse, quae molunt: quarum vna assumitur, & alia relinquitur. Ex illius ergo mola, quam assumenda est, similia oportebit offerre. Sed & sicutus sanctus, qui ad arietis precium necessarius dicitur, vide vnde, & quomodo perquirendus sit. Sicutus, pecuniae dominicae nomen est, & in multis scripturarum locis diuersis appellationum nominibus pecunia dominica memoratur. Sed

A Sed quaedam proba, quaedam verò reprobata dicitur. Proba erat illa pecunia, quam paterfamilias peregrè profecturus vocatis seruis, dedit vnicuique secundum virtutem suam. Proba erat & illa pecunia, quae denarius nominatur, qui cum mercenarijs partus est, & a nouissimis datus est usque ad primos. Scire ergo te oportet, quia est & alia pecunia reprobata. Audi prophetam dicentem: Argentum reprobum vestrum. Est ergo quaedam pecunia proba, quaedam verò reprobata: propterea Apostolus, velut ad probabiles trapezitas: Probantes, inquit, omnia, quod bonum est obtinentes. Solus enim est dominus noster Iesus Christus, qui te huiusmodi artem possit edocere, per quam scias discernere, quae sit pecunia, quae veri regis imaginem tenet, quae verò sit adulterina, & ut vulgo dicitur, extra monetam formata: quae nomen quidem habeat regis, veritatem autem regiae figurae non teneat. Multi namque sunt, qui nomen Christi habent, sed veritatem non habent Christi: & propter hos dicit Paulus: Oportet enim haereticos esse, ut probati manifesti fiant inter vos. Idcirco igitur & in praesenti lectione legislator omnino ad mysticum & spiritalem respiciens sensum, addidit, ut aries iste, qui ob hoc comparatur, ut peccatum possit absolvere, non qualicumque sicuti, hoc est, non qualicumque pecunia, sed sicuti sancto comparetur. Quod si non respiciebat ad mysterium, quid rationis esse videbatur, ut aries emptus offerretur ad hostiam, & pro certo precio: non sufficit nomen pecuniae sicuti nominasse, sed addidit, & sicuti sancto? Quid si haberet aliquis in gregibus suis arietes optimos, & diuinis sacrificijs dignos: aut quid, si aliquis ita pauper est, ut sicuti sanctum habere non possit: Haec est legislatoris moderatio, ut nisi quis habeat certum pecuniae modum, peccatum eius non possit absolui. Quod aperte secundum litteram absurdum: secundum spiritalem verò intelligentiam certum est, quod remissionem peccatorum nullus accipiet, nisi detulerit integram, probam, & sanctam fidem, per quam mercari possit arietem: cuius natura haec est, ut peccata credentis abstergat. Et haec est sicutus sanctus, probata (ut diximus) & sincera fides: id est, ubi nullus perfidiae dolus, nulla haeretice calliditatis perversitas admiscetur: ut sinceram fidem offerentes, precioso Christi sanguine, tanquam immaculatae hostiae diluamur: cum quo est Deo patri omnipotenti, & cum spiritu sancto gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Tertij Libri FINIS.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRI
in Leuiticum Liber III.

De eo, quod scriptum est: Si peccauerit anima, & praeteriens praeterierit praeccepta domini, & mentietur proximo, & caetera.



I secundum diuinæ legis fidem, haec quae leguntur nobis, dominus locutus est ad Moysen: puto quod tanta Dei verba non debeant secundum incapacitatem audientium, sed secundum maiestatem loquentis intelligi. Dominus, inquit, locutus est. Quid est dominus? Apostolus tibi respondeat, & ab ipso discite, quia dominus spiritus est. Quod si tibi Apostoli sermo non sufficit, audi ipsum dominum in Euangelijs dicentem: Quia Deus spiritus est. Si ergo dominus & Deus spiritus est, quae spiritus loquitur, spiritaliter debemus audire. Ego adhuc & amplius dico: quia quae dominus loquitur, non spiritalia tantum, sed & spiritus esse credenda sunt. Non de meo sensu haec, sed de Euangelijs approbabo. Audi dominum & saluatorem nostrum ad discipulos suos dicentem: Verba

Matth. 25

Matth. 20

Esaiæ 1

1. Thessa. 5

1. Corin. 10

2. Corin. 3

Ioannis 4

Ioannis 6

Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Si ergo ipsius saluatoris voce discimus, quia verba quæ locutus est apostolis, spiritus & vita sunt, nequaquam dubitare debemus, quod etiam quæ per Moſen locutus est, spiritus & vita credenda sunt. Sed videamus, quæ sunt, de quibus nunc, prout possumus, aliqua dicere debeamus.

Leuitici 6 Et locutus est, inquit, dominus ad Moſen, dicens: Anima quæcunque peccauerit, & præterierit præcepta domini, & mētiatur proximo suo pro deposito, aut societate, aut rapina, aut nocuit aliquid proximo suo, aut inuenit perditionem, mentiatur de ea, & iurauerit inique de vno ab omnibus, quæcunque fecerit homo, vti peccet in his: & erit quum peccauerit, & deliquerit, & reddet rapinam quam rapuit, aut iniuriam quam nocuit, aut depositum quod commendatum est ei, aut perditionem quam inuenit: ab omni re, pro qua iurauit iniuste, et restituet ipsum caput, & quintas in super augebit, & cuius est, ei reddet, qua die conuictus fuerit.

Hucusque interim peccati species exponuntur, postea verò purgatio eius per hostias imperatur. Si qui infirmi sunt, & incapaces profundioris mysterij, edificentur ex litera: & hi sciant, quia si quis præteriens præterierit præcepta domini, & mentitus fuerit proximo super deposito, aut societate, aut rapina, peccati ingentis statuitur reus. Sed absit hoc ab Ecclesia, vt ego credam esse aliquem in ea, & vt sanctorum quis tam infeliciter agat, vt depositum proximi sui neget, aut societatem fraude contamine, aut vel ipse aliena diripiat, aut ab alijs rapta suscipiat, & pro his, si ab eo requiratur, contra conscientiam iuret. Absit inquam, vt hæc ego de aliquo fidelium sentiam. Confidēter enim dico de vobis, quia vos non ita didicistis Christum, neque ita edocti estis: sed neque lex ipsa, hæc sanctis & fidelibus præcepit. Vis scire, quia non ad sanctos & iustos ista dicantur, audi Apostolum distinguētem: iusto, inquit,

Ephesio. 4 lex non est posita, sed iniustis, & non subditis, scelestis & contaminatis, patricidis, matricidis, & horum similibus. Quia ergo huiusmodi hominibus Apostolus legem dicit impositam: Ecclesia Dei, quam absit in huiusmodi facinoribus maculari, relicta alijs litera, sanctius ædificetur à spiritu. Videamus itaque nos, quod est depositum, quod fidelium vnusquisque suscepit. Ego puto quod ipsam animam nostram & corpus depositum accipiamus à Deo. Et vis viderem aliud depositum, quod accepisti à Deo: Ipsi animæ tuæ Deus imaginem suam & similitudinem commendauit. Istud ergo depositum tam integrè tibi restituendum est, quam à te constat esse susceptum. Si enim sis misericors, sicut & pater tuus in cœlis misericors est, imago Dei in te est, & integrum depositum seruas: si perfectus es, sicut & pater tuus in cœlis perfectus est, imaginis Dei in te depositum manet, similiter & cætera omnia ipsius, si iustus, si sanctus, si mundo corde, & omnia quæ in domino præsto sunt per naturam, si tibi per imitationem subsistant, depositum apud te diuinæ imaginis saluum est. Si verò econtrario agas, & pro misericorde crudelis, pro pio impius, pro benigno violentus, pro quieto turbulentus, pro liberatore raptor existas, abiecta imagine Dei, diaboli in te imaginem suscepisti, & bonum depositum tibi diuinitus commendatum abnegasti. An non hoc erat, quod sub mysterio Apostolus electo discipulo Timotheo mandabat, dicēs: O Timothee, bonum depositum custodi: Ego etiam illud addo, quod & Christum dominum depositum suscepimus, & spiritum sanctum depositum habemus. Vidēdum ergo nobis est, ne hoc sancto deposito non sanctè vtamur: & quum nos in consensum sui peccata sollicitant, iure mus nos non suscepisse depositum. Quod utique si habeamus in nobis, peccato consentire non possumus. Sed & ipse sensus rationalis, qui in me est, comendatus mihi est, vt eo vtar ad intelligentiā diuinorum mysteriorum. Memoria, iudicium, ratio,

Lucæ 6
Matth. 5
1. Timot. 1

2. Timot. 1
1. Theſſ. 4
Philip. 2
1. Ioannis 1
2. Petri 1
2. Corin. 6
Ephesio. 2
1. Corin. 1
Coloff. 1
Lucæ 15
Matth. 22
Matth. 5
Matth. 16
Eſaiæ 3
1. Corin. 4
Matth. 9

A & omnes qui intra me sunt motus, commendata mihi videntur à Deo, vt eis vtar in ijs, quæ præcipit lex diuina. Si verò ad malas artes solers & perspicax vertatur ingenium, & rebus Dei abutamur in ijs, quæ non vult Deus, hoc est abiurare depositum, & beneficia vertere in perfidiam. Videamus nunc, quid etiam societas intelligenda sit. Putas est aliquis, qui secundum literam commoneri debeat, ne fortè in ratione pecuniæ, vel quolibet alia specie societatis, socium fraude decipiat: Vltimæ miseræ est illa anima, in quam cadere adhuc fraudis hoc genus potest. Veruntamen, quoniam multa est in homine fragilitas, etiam de his commoneamus: quia nec Apostolum piguit ista mandare, dicit enim: Neque circumscribat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est de his omnibus Deus. Nunc verò requiramus, quæ sit etiam societas spiritus. Audi de his ipsis verbis Apostolum dicentē: Si quod solatiū charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum. Vide societatis legem quomodo intellexit apostolus Paulus. Audi & Ioannē, quomodo vno eodemque spiritu proloquatur. Et societatem, inquit, habemus cum patre, & cum filio eius Iesu Christo. Et iterum Petrus dicit: Cōsortes, inquit, facti estis diuinæ naturæ, quod est socij. Et iterum dicit apostolus Paulus: Quæ enim societas luci ad tenebras: Quod si luci ad tenebras societas nulla est, potest ergo societatem lux habere cum luce: Igitur si nobiscum patre & filio & spiritu sancto societas data est, videndum nobis est, ne sanctam istam, diuinamque societatem peccando abnegemus. Si enim agamus opera tenebrarum, certum est, quia societatem negauimus lucis. Sed & sanctorum socios nos dicit Apostolus, nec mirum. Si enim cum patre & filio dicitur nobis esse societas, quomodo non & cum sanctis, non solum qui in terra sunt, sed & qui in cœlis: Quia & Christus per sanguinem suum pacificauit terrestria & cœlestia, vt cœlestibus terrena sociaret. Quod euidenter indicat, vbi dicit gaudium esse in cœlis super vno peccatore penitentiam agente. Et rursus, quum dicit eos, qui resurgunt à mortuis, futuros esse sicut angelos Dei in cœlo: & quum ex integro hominibus cœlorum regna promittit. Hanc ergo societatem dirumpit & abnegat, quicumque malis actibus suis, malisque sensibus ab horum coniunctione separatur. Post hoc de rapina dicitur. Raptores sunt boni & mali. Boni quidem illi, de quibus dicit saluator: Quia regnum cœlorum diripiunt. Sunt autem & mali raptores, de quibus dicit Propheta: Et rapina pauperum in domibus vestris est. Apostolus verò abruptè pronūciat, dicēs: Nolite errare, quia neque adulteri, neque molles, neque masculorum cōcubitores, neque fures, neque rapaces regnū Dei possidebunt. Est tamē aliquid, & secundū spirituale intelligentiā culpabiliter rapere, sicut illi laudabiliter rapiūt regna cœlorum. Vt verbi causa dicamus: Si homo nondum purgatus à vitijs, nondum segregatus à prophanis & sordidis actibus, velit se cœtui sanctorum & perfectorum latenter ingerere, & sermonem quo perfecta & mystica tractantur, audire: huiusmodi homo secretorum & perfectorum scientiam non benè rapit. Meminisse enim oportet præcepti saluatoris, quod dicit: Quia nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, alioqui & vtres rumpentur, & vinum peribit: ostendens quod anime nondum renouatæ, sed in vetustate malitiæ perduranti non oportet nouorum mysteriorum, quæ per Christum mundus agnouit, secreta committi. Addit dehinc legislator: Aut si quid nocuit proximo, vel si inuenit perditionem. Lex literæ hoc videtur mandare, vt si quis inuenit, quod alius perdidit, & requisitum fuerit, reddat, nec periuret pro eo. Est & hæc utilis audiētibus edificatio. Multi enim sine peccato se putant esse, si alienū quod inuenerint, teneant, & dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere. Discant ergo peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inuenta non reddat. Veruntamen si hoc tantum, quod secundum literam putatur, legislator voluisset intelligi, potuerat dicere: Si inuenit quod perierat, vel quod aliquis perdidit: nunc autem cum dicit, inuenit perditionem: amplius nos aliquid intelligere voluit. Qui nimis peccant, in scripturis perditio appellantur. Sicut in Ezechiele propheta legitur

Ezechi. 18 mus dictum: Perditio, inquit, factus es, & non subsistes in æternum tempus. Est ergo, qui multum quærendo inuenit perditionem, vt verbi gratia dicamus: Hæretici ad construenda & defendenda dogmata sua, multum perquirunt & discutunt scripturas diuinas, vt inueniant perditionem. Quum enim multum quæsierint testimonia, quibus adstruant quæ per præuè sentiunt, perditionem sibi inuenisse dicendi sunt. Sed si fortè aliquis horum, audiens in Ecclesia verbum Dei catholice tractari, respiscat & intelligat, quia quod inuenerat, perditio est: reddet, inquit, quod inuenit, & iste qui perditionem inuenit, & ille, qui rapinam. Sed & ille qui depositum abnegauit, & omnis quicumque aliqua ex parte animæ nocuit proximi, & iurauit iniuste: restituet, inquit, ipsum caput, & quintas superaugebit, & ei cuius est reddet, secundum eam duntaxat expositionem, quam de quintis addendis antea iam diximus.

Erofferet, inquit, domino arietem de ouibus sine macula, precio in id, quo deliquit: & orabit pro eo sacerdos coram domino, & remittetur ei pro vno ab omnibus, quæ fecit & deliquit in eo.

Diximus in superioribus, quid est offerre arietem, & hunc precio sicli sancti emptum: nunc superest, vt differentiam illam dicamus, quod ibi posuit precium sicli sancti, hic tantummodo precium dixit, nec quantitatem precij, nec nomen pecuniæ designauit. In superioribus enim, vbi pro peccato, quod in sancta commissum fuerat, lex mandabat, siclium sanctum diximus nominatum, & siclium nomen esse pecuniæ: vt alibi obolus, alibi dragma, alibi mna, vel talentum, vel minutum, æs, vel denarius dicitur. Hic ergo nihil horum nominatur, sed tantum precio offerendus aries dicitur. Interest sanè inter peccare in sanctis, & peccare extra sancta. Vis & alibi videre hanc ipsam distinctionem, audi quomodo in Regnorum libris dicit Heli sacerdos ad filios suos: Si peccauerit quis in hominem, exorabit pro eo sacerdos: si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo? Similiter & Ioannes apostolus dicit: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt oretur. Quia ergo diuersitas peccatorum est, discere ex spiritali lege debemus, in quibus peccatis tantummodo emendus sit aries, in quibus verò siclo sancto mercandus: qui etiam sint isti, qui vendant arietes, requiramus. Ego arbitror ipsos esse istos, qui arietes ad sacrificium distrahunt, qui sunt & illi, qui oleum ad lampades virginum vendunt, de quibus dicebant illæ prudentes stultis virginibus: Ite ad vendentes & emite vobis. Qui ergo alij vendunt vel oleum luminibus, vel arietes sacrificijs, nisi prophetæ sancti & apostoli: qui mihi cum peccauero, ostendunt & consilium dant, quomodo debeam corrigere errores meos, & emendare peccata. Vendit mihi Esaias arietem ad sacrificandum pro peccato, cum mihi dicit, tanquam ex Dei persona: Holocausta arietum, & adipem agnorum, & sanguinem taurorum & hircorum nolo. Et paulò post subiungit: Aufer te nequitias ab animis vestris & à conspectu oculorum vestrorum, discite bonum facere. Eripite iniuriam accipientem, iudicate pupillo, & iustificatè viduam, & venite disputemus, dicit dominus. Et si fuerint peccata vestra vt foenicium, vt niuem de albabossi autem vt coccinum, vt lanam candidam efficiam. Vendit mihi arietem & Danielis 3 Daniel, quum dicit: Quia non est locus ad sacrificandum in conspectu tuo, vt possimus inuenire misericordiam: sed in anima contribulata & spiritu humilitatis suscipiamur, velut in multitudine agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie. Vendit nobis & arietem sacrificij Dauid, cum dicit: Sacrificium domino spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernet. Cum ergo singuli prophetarum, vel etiam apostolorum consilium ijs, qui delinquant, dederint, quo possint corrigere vel emendare peccatum, merito his vendidisse arietes ad sacrificium videbuntur. Quid autem precij à comparantibus sumant, illud opinor legèdi studium, vigilias audiendi verba Dei, & super omnia dignissimum precium,

A cium, obedientiam puto, de qua dicit dominus: Obedientiam malo, quam sacrificium, & dictorum audientiam magis quam holocausta. Post hæc subsequitur: **1. Reg. 15**

Et locutus est, inquit, dominus ad Moysen, dicens: Præcipe Aaron & filijs eius, dicens: Hæc est lex holocausti: hoc holocaustum in concrematione sua erit super altare tota nocte vsq; in mane, & ignis altaris ardebit super illud, nec extinguetur, & induet se sacerdos tunicam lineam, & campestre lineum induet circa corpus suum, & auferet hostiam, quam consumpserit ignis, holocaustum de altari, & ponet illud secus altare, & dispoliabit se stola sua, & induetur stola alia, & eijciet hostiam, quæ cremata est extra castra, in locum mundum, & ignis super altare ardebit, nec extinguetur. Et cõburet super illud sacerdos ligna mane, & cõstipabit in illud holocaustum, & imponet super illud adipem salutaris, & ignis semper ardebit super altare, nec extinguetur.

Audis semper debere esse ignem super altare: & tu si vis esse sacerdos Dei, sicut scriptum est: Omnes enim vos sacerdotes domini eritis. & ad te enim dicitur: Gens sancta sacerdotum, populus in acquisitionem. Si ergo sacerdotium vis agere animæ tuæ, nunquam recedat ignis de altari tuo. Hoc est, quod dominus in Euangelij præcepto, vt sint lumbi vestri accincti, & lucernæ vestræ ardentes. Semper ergo ignis fidei & lucerna scientiæ accensa sit. Sed & quod dixit, lumbi vestri, dominus in Euangelio: hoc quidem est, quod nunc legislator præcipit, vt campestri lineo præcingatur sacerdos, & ita veteri cinere deposito innouet sacrosignes. Oportet enim etiam nos dicere: Ecce vetera trãsi erunt, & facta sunt omnia noua. Campestri enim lineo cingitur, vel sicut alibi dicitur, femoralibus vtitur, qui luxuriam fluxæ libidinis cingulo restrinxerit castitatis. Ante omnia enim sacerdos, qui diuinis assistit altaribus, castitate debet accingi. Nec aliter purgare vetera, & instaurare poterit noua, nisi lineis induatur. De lineis sæpe iam dictum est: & tunc maximè, quum de indumentis sacerdotalibus dicebamus, quòd species ista formam teneat castitatis. Quia origo lini ita è terra æditur, vt ex nulla admixtione concepta sit. Obseruandum tamen est, quòd alijs indumentis sacerdos vtitur, dum est in sacrificiorum ministerio, & alijs, quum procedit ad populum. Hoc faciebat & Paulus, scientissimus pontificum, & peritissimus sacerdotum: qui quum esset in cœtu perfectorum, tanquam intra sancta sanctorum positus, & stola perfectionis indutus, dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam autem non huius mundi, neq; principum huius mundi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio abscondito, quã nemo principum huius mundi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam dominum maiestatis crucifixissent. Sed post hæc, tanquam ad populum exiens mutat stolam, & alia induitur longè inferiore, quam illa. Et quid dicit: Nihil, inquit, aliud iudicauit me scire inter vos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum. Vides ergo istum doctissimum sacerdotem, quomodo indutus, quum esset inter perfectos, velut inter sancta sanctorum, alia vtitur stola doctrinæ: quum verò exiit ad eos, qui incapaces sunt, mutat stolam verbi, & inferiora docet. Et alios lacte potat, vt paruulos alios oleribus nutrit, vt infirmos: alijs verò fortes præparat cibos: his scilicet, qui pro possibilitate sumendi exercitatos habent sensus ad boni vel mali discretionem. Sic sciebat Paulus mutare stolas, & alia vti ad populum, alia in ministerio sanctorum. Ipse autem pontificum pontifex, & sacerdotum sacerdos, dominus & saluator noster, de quo dicit Apostolus, quia pontifex sit futurorum bonorum, audi quòd primus hæc fecerit, & ita discipulis suis hæc imitanda reliquerit. Euangelium refert de eo, & dicit, quia in parabolis loquebatur ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis: seorsum autè soluebat eas discipulis suis. Vides quomodo ipse docuit, alijs indumentis

mentis uti debere pontificem, quum procedit ad turbas, alijs quum eruditjs & perfectjs ministrat in sanctis. Vnde optandum nobis est, & agendum, ne tales nos inueniat Iesus, ita imparatos, & ita seculi sollicitudinibus alligatos: ut cum turbis loquatur nobis in parabolis, ut videntes non videamus, & audientes non audiamus: sed potius inter eos inueniri mereamur, ad quos dicit: Vobis datum est nosse mysteria regni Dei. Post hoc:

Lucæ 8

Leuiti. 6

Hæc est, inquit, lex sacrificij, quod offerent filij Aaron sacerdotis ante altare coram domino. Aufert ab eo plenam manū de similagine sacrificij cum oleo eius, & cum omni thure eius, quæ sunt ad sacrificium, & imponent super altare hostiam, odorem suauitatis, memoriale eius domino: quod autem superfuerit ex ea, manducabit Aaron & filij eius. Azyma edetur in loco sancto, & in atrio tabernaculi testimonij manducabunt eam. Non coquetur fermentata, partem illis hanc dedi ab hostijs domini, sancta sanctorum sunt, sicut pro peccato & pro delicto, omnes masculi sacerdotum edent eam: legitimum æternum in progenies vestras ab hostijs domini. Omnis, qui tetigerit ea, sanctificabitur.

In his quæ proposita sunt, mos quidē sacrificandi sacerdotibus datur, & obseruantia, quibus colitur Deus, ut vel purificari populus videretur, vel etiam in necessarijs victus causa consuleretur sacerdotibus & ministris. Offerendæ enim similæ in sacrificio mensura posita est, quæ decima pars ephi appellatur: huic oleum superfunditur, & thus superponitur. Sed quum ad altare peruenerit sacerdos, inquit, plenam manum ex ea sumet, & ita intra plenitudinem manus concludat, & oleum quod infusum est, & thus quod superpositum est: ut sit hoc libamen & sacrificium Deo in odorem suauitatis. Cætera, inquit, maneat sacerdotibus ad edendum. Sed edenda ea tradidit lex in loco sancto, in atrio tabernaculi, ita ut nihil fermentetur ex eis: hanc enim, inquit, dedit partem sacerdotibus, & hæc sunt sancta sanctorum. Sed & illud obseruari voluit, ut soli masculi edant ex ea, foemina nulla contingat. Addidit hoc, ut qui tetigerit ea, sanctificetur. Sed si velimus nunc ab eis, qui in manifesto Iudæi sunt, requirere de singulis, qua ratione illud hoc modo dictum sit, aut illud alio modo, absoluta nobis responsione satisficient, dicentes: Ita visum est legem danti, nemo discutit dominum suum. At eos ita dicentes in cæteris, de hoc nouissimo sermone requiramus, ut dicant quomodo omnis, qui tetigerit ex sacrificio sanctorum, sanctificetur. Si homicida tetigerit, si prophanus, si adulter, si incestus, sanctificatus erit: Nō enim excepit aliquem, sed dixit: Omnis qui tetigerit ex ea, sanctificabitur. Ponamus enim, quia etiam nunc integer sit status illius templi, offerantur hostiæ, sacrificia consummentur. Ingressus est aliquis templū scelestus, iniquus, impurus: inuenit carnes ex sacrificijs propositas, tetigit eas, an sanctificatus continuò pronuntiabitur: Enimvero nullo modo, vel rei natura, vel veritas religionis hoc recipit: & ideo redeundum nobis est ad expositiones Euangelicas atq; apostolicas, ut lex possit intelligi. Nisi enim velamen abstulerit Euangeliū de facie Moysi, non potest videri vultus eius, nec sensus eius potest intelligi. Vide ergo, quomodo in Ecclesia apostolorum, discipuli adsunt ijs, quæ Moses scripsit, & defendunt ea, quod & impleri queant, & rationabiliter scripta sint: Iudæorum verò doctores, & impossibilia hæc, & irrationabilia, sequentes literam, faciant. Igitur sacrificium, propter quod hæc omnia sacrificia in typo & figura præcesserant, vnum & perfectum immolatus est Christus. Huius sacrificij carnem si quis tetigerit, continuò sanctificabitur, si immūdus est: sanabitur, si in plaga est. Sic deniq; intellexit illa, de qua paulò ante memorauimus, quod profluuū sanguinis patiebatur, quia ipse esset caro sacrificij, & caro sancta sanctorum: quia verò intellexit, quæ esset caro sancta sanctorum, id-

Math. 9

circo

A circo accessit & ipsa. Ipsam quidem carnem sanctam contingere nō audeat: nondum enim mundata fuerat, neq; quæ perfecta sunt, apprehenderat: sed fimbriam tetigit vestimenti, quo sancta caro tegebatur. Et fidei tactu virtutem elicit ex carne, quæ se ab immundicia sanctificaret, & plagam quam patiebatur, sanaret. Non tibi videtur isto magis ordine verba stare posse, quibus per Moysen dicit: Omnis qui tetigerit ex carnibus sanctis, sanctificabitur: Has enim carnes, quas nos exposuimus, tetigerunt omnes, qui ex gentibus crediderunt. Has tetigit ille, qui dicebat: Fuimus enim & nos stulti aliquando & increduli, errantes, feruientes desiderijs & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Sed quum benignitas & humanitas illuxit saluatoris nostri Dei, saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & reuocationis spiritus sancti. Et alibi dicit: Et hæc, inquit, fuistis, sed sanctificati estis, & iustificati in nomine domini nostri Iesu Christi, & spiritu Dei nostri. Si enim quis, ut diximus, tangat quidem carnem Iesu, eo modo quo superius exposuimus, totaq; fide ac omni obedientia accedat ad Iesum, tanquam ad verbum carnem factum, iste tetigit carnem sacrificij, & sanctificatus est. Tangit autem carnes verbi & ille, de quo dicit Apostolus: Perfectorum autem est cibus solidus, eorum qui pro possibilitate sumendi exercitatos habent sensus ed discretionem boni ac mali. Tangit ergo & ille carnem verbi Dei, qui interiora eius discutit, & occulta potest explanare mysteria. Et nos si habuerimus talē intellectū, ut possimus singula quæ scribuntur in lege, spiritali interpretatione discernere, & obiectum vniuersi quæ sermonis sacramentum in lucem scientiæ subtilioris educere: si ita docere possemus Ecclesiam, ut nihil ex ijs quæ lecta sunt, remaneret ambiguum, nihil relinqueretur obscurum: fortassis & de nobis dici poterit, quia tetigimus carnes sanctas verbi Dei, & sanctificati sumus. Sic autem accipio & illud, quod dictū est: quia omnes masculi ex sacerdotibus edent eam: nulla enim foemina, nec remissa & dissoluta anima poterit edere carnes sanctas verbi Dei: masculus quæritur qui eas edat. Masculi quippe sunt, qui perducuntur ad numerum: nusquam foemina, nusquam paruuli numerantur. Vnde & Apostolus dicebat: Quum autem factus sum vir, depoliui quæ erant paruuli. Talis ergo iste masculus, & talis vir quæritur, qui carnes sanctas possit comedere: & comedere quidem non in quocunq; loco, sed in loco sancto, in atrio tabernaculi. Audiant hæc qui scindunt Ecclesias, & peregrinas ac prauas inducentes doctrinas, putant se sacras carnes extra templum Dei, & extra aulam dominicam posse comedere. Prophana sunt eorum sacrificia, quæ cōtra mandati legem geruntur: nam in loco sancto edi iubentur, intra atria tabernaculi testimonij. At verò atria tabernaculi testimonij sunt, quæ fidei murus ambit, spei columnæ suspendunt, charitatis amplitudo dilatat. Vbi hæc non sunt, carnes sanctæ nec haberi possunt, nec comedi. Benè autem, quod & ea, quæ ex sacrificio similaginis offeruntur, plena manu cum oleo offeruntur & thure in odorem suauitatis domino. Istum autem locum breuiter explanauit apostolus Paulus ad Philippenses dicens: Repletus sum accipiens ab Epaphrodito ea, quæ nobis missa sunt in odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo. In quo ostendit, quod misericordia quidem erga pauperes, oleum infundit in sacrificio Dei. Ministerium verò, quod sanctis deferretur, suauitatem thuris imponit. Sed hoc plena manu fieri debere præcipitur. Sic enim idem Apostolus dicit: Quia qui parçè seminat, parçè & metet: qui autem seminat in benedictione, de benedictione & metet. Est tamen aliquid in ipso sacrificio, quod memoriale appellatur, quod offerri domino dicitur. Ego si possem die ac nocte in lege domini meditari, & omnes scripturas memoria retinere, memoriale sacrificij mei domino obtulisset. Certè, si non omnia possumus, saltem ea, quæ nunc docentur in Ecclesia, quæ recitantur, memoriæ commendemus: ut exeuntes de Ecclesia, & agentes opera misericordiæ, & implentes diuina præcepta, sacrificium cum thure & oleo offeramus in memoriam domini. Ex his ergo edocemini, ut quæ

Ad Titū 3

1. Corin. 6

Hebræo. 5

1. Corin. 13

Philip. 4

2. Corin. 9

K audi-

auditis in Ecclesia, tanquam munda animalia velut ruminetis ea, reuocetis ad memoriam, & cum corde vestro, quæ dicta sunt, conferatis. Quod si aliqua memoria superfuerint, & intellectum vestrum superauerint, facite quod præsentis mandati autoritas præcipit dicens: Quod autem superfuerit ex his, manducabit Aaron & filij eius. Si quid superfuerit, & excesserit intellectum tuum, vel memoriam tuam, serua Aaron: hoc est, reserua sacerdoti, reserua doctori, vt ipse hæc manducet, ipse discutiatur, ipse exponat. Sicut & alibi idem Moses dicit: Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi: presbyteros tuos, & dicent tibi. Ipsi enim sciunt, quomodo hæc azyma debeat manducari, & in azymis synceritatis & veritatis exponi. Additur in sequentibus:

Leuiti. 6

Et locutus est dominus ad Moysen, dicens: Hoc munus Aaron & filiorum eius, quod offerent domino in die, qua vnixeris eum: Decimam partem ephi similaginis in sacrificio semper: dimidium eius mane, & dimidium eius post meridiem: in sartagine ex oleo fiet, & conspersam offeret eam teneram: sacrificium de fragmentis, sacrificium in odorem suauitatis domino. Sacerdos qui vnctus fuerit pro eo ex filiis eius, faciat ea: lege æterna omnia consummabuntur, & omne sacrificium sacerdotis holocaustum est, & non edetur. In cæteris quidem præceptis pontifex in offerendis sacrificijs populo præbet officium: in hoc verò mandato, quæ propria sunt, curat, & quod ad se spectat, exequitur. Iubetur enim ex die, qua vnctus fuerit, semper & in perpetuum offerre similaginem oleo conspersam, teneram ex sartagine: id quod cognominat sacrificium ex fragmentis in odorem suauitatis, & hoc lege æterna permanere, & transmitti ad posteros iubet. Addit sanè obseruandum, quod nequaquam sacrificium sacerdotis, hoc est, quod pro seipso offert, edatur à quoquam, sed holocaustum fiat, quod est igni absumi. Præceptum quidem secundum literam clarum est: velim tamen videre, quis in hoc typus & quæ figura formetur. Dimidium sacrificij huius mane vult offerri, & dimidium vespere, cum certa mensura similæ oleo conspersæ, teneræ à sartagine. Vide si non hoc (vt ego suspicor) sacrificium sacerdotis, hæc ipsa sit lex, quæ per Moysen promulgatur. Cuius dimidium mane iubetur offerri, dimidium verò ad vespere: quoniam legem in duas partes diuidi præcepit, in literam videlicet & spiritum. Et dimidiam quidem partem, quæ est litera, offerri iubet mane, primo scilicet legis tempore, quod illis, quibus tunc secundum literam data est, nouam lucem & nouum protulit diem. Dimidium verò eius offerri iussit in vespere. In vespere enim nobis datus est saluatoris aduentus, in quo pars illa dimidia, hoc est, sensus vel spiritus legis, secundum quod lex spiritalis est, offeratur oleo conspersa & tenera. Oleum ad misericordiam reuocatur, quæ debet in sacerdotibus abundare tenera ad subtilem & puram intelligentiam pertinet. Quod autem ad sartagine dicitur, in quo nihil remissum haberi ad luxuriam, nihil fluitans ad libidinem possit. Quod autem sacrificium ipsum ex fragmentis nominauit in odorem suauitatis, puto quod fragmenta sacerdotum velit intelligi, quæ legis per eos litera frangitur, & cibus ex ea latens intrinsecus spiritalis eligitur, vt audientes turbæ reficiantur. Sicut & dominus fecisse refertur in Euangelijs, vbi benedixit panes & dedit discipulis: & discipuli confringentes apposuerunt turbis. Et quum satiati fuissent omnes, superfuerunt, inquit, fragmentorum cophini duodecim. Istud est ergo sacrificium ex fragmentis, quum minutatim, quæ sunt legis, sancta discutimus, vt spiritalem ex his cibum, purumque capiamus. Et hæc, inquit, est lex æterna. Ioannes quidem apostolus in Apocalypsi dixit esse Euangelium æternum. Inuenimus & hic scriptum esse legem æternam. Sed isti qui secundum literam legem sequi volunt, velim mihi nunc dicerent,

Ioannis 6

Apoca. 14

A dicerent, quomodo lex huius sacrificij esse possit æterna, quum vtiq; destructo templo, subuerso altari, & omnibus, quæ dicebantur sancta, prophanatis, ritus iste sacrificiorum non potuerit permanere. Quomodo ergo æternum dicent, quod olim cessasse, & finitum iam esse constat? Restat, vt secundum eam partem lex hæc æterna dicatur, qua nos dicimus legem esse spiritalem, & per eam spiritalia offerri posse sacrificia, quæ neque dirumpi vnquam, neque cessare possunt. Non enim in loco sunt, qui subuertitur, aut in tempore, quod mutatur, sed in fide credentis, & in corde sacrificantis. Sanè quod ait: Non edetur de sacrificio sacerdotis, sed holocaustum erit: certum est ad domini & saluatoris nostri personam referri. De illius enim sacrificio non edetur, sed holocaustum erit. Hoc in loco sacrificium, verbum ipsum accipiendum est & doctrina, de qua nullus edet, hoc est, nullus disputat, nullus retractat, sed holocaustum est: quicquid enim dixit, quicquid statuit, æterna consecratione perdurat. Nec aliquis ita insanus inuenitur, aut prophanus, qui retractare de eius sermonibus possit, quos tanquam holocaustum Deo oblatum, in omni cultu & veneratione habere debemus. Quia cælum & terra transibunt, verba autem eius non transibunt: sed semper manent, sicut & ipse semper manet cum ipso Deo patre & spiritu sancto: quibus sit gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Lucæ 21

Quarti Libri FINIS.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRI in Leuiticum Liber V.

B De eo, quod scriptum est: Hæc est lex hostiæ peccati, in loco, quo iugulantur holocausta, occident, & id quod peccati est, & cætera.



Locutus est dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad Aaron & filios eius, dicens: Hæc est lex hostiæ peccati: In loco quo iugulantur holocausta, occident, & id quod peccati est coram domino, sancta sanctorum sunt. Sacerdos qui offert illud, edet illud: in loco sancto edet, in atrio tabernaculi testimonij. Omnis qui tangit de carnibus eius, sanctificabitur: & quando cunq; aspersum fuerit ex sanguine eius super vestimentum, quod cunq; respersum fuerit, ipsum lauabitur in loco sancto: & vas fictile, in quocunq; coctum fuerit, confringetur. Si autem in vase æreo coctum fuerit, defricabit illud & diluet aqua. Omnis masculus ex sacerdotibus edet ea, sancta sanctorum sunt domino: & omnia quæ pro peccato sunt, ex quibus illatus fuerit sanguis eorum in tabernaculum testimonij ad expiandum, in loco sancto non edentur, sed igni comburentur. Hæc omnia nisi alio sensu accipiamus, quam literæ textus ostendunt, sicut iam sæpe diximus, cum in Ecclesia recitantur, obstaculum magis & subuersionem religioni Christianæ, quam hortationem, ædificationemque præstarent. Si verò discutatur, & inueniatur, quo sensu hæc dicta sunt: & digna Deo, qui hæc dicere scribitur, aduertantur, fiet quidem Iudæus, qui hæc audit, sed non ille qui in manifesto, sed qui in occulto Iudæus est: secundum illam differentiam Iudæi, quam distinguit apostolus Paulus, dicens: Non enim, qui in manifesto Iudæus est, neque quæ manifestè in carne est circumcisio: sed qui in occulto Iudæus est circumcisio cordis, qui spiritu, non

Romano. 2

K ij literat

litera; cui laus non ab hominibus, sed ex Deo est. Quam differentiam Iudæi visibilis, & Iudæi inuisibilis, non intelligentes impij hæretici, non solum ab his scripturis refugerunt, sed & ab ipso Deo, qui legem hanc & scripturas diuinas hominibus dedit, atq; alium sibi dominum præter illum, qui cælum & terram condidit, confinxerunt; quum utiq; fidei veritas vnum eundemq; dominum legis & Euāgeliorum teneat, visibilibus & inuisibilibus creatorem, quia & cognationem plurimam visibilia cum inuisibilibus seruant, ita vt Apostolus dicat: Quia inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sicut ergo cognationem sui adinuicem gerunt visibilia & inuisibilia, cælum & terra, caro & anima, corpus & spiritus, & ex horum coniunctionibus constat hic mundus: ita etiam sancta scriptura credenda est ex visibilibus constare & inuisibilibus, veluti ex corpore quodam, literæ scilicet, quæ videtur, & anima, sensus, qui intra ipsam deprehenditur & spiritus, secundum id, quod etiam quædam in se cœlestia teneat, vt Apostolus dicit: Quia exemplari & vmbra deseruiunt cœlestium. Quia ergo hæc ita se habent, inuocantes dominum, qui fecit scripturæ animam, & corpus, & spiritum: corpus quidem ihs, qui ante nos fuerunt; spiritum verò ihs, qui in futuro hæreditatem vitæ æternæ consequentur, per quem perueniant ad regna cœlestia, eam nunc, quam diximus, legis animam requiramus, quantum ad præsens interim spectat. Nescio autem, si possumus etiam ad spiritum eius ascendere in ihs, quæ nobis de sacrificijs lecta sunt. Habemus enim eum, quem diximus in occulto Iudæum, sicut ostendimus, quia non carne, sed corde circumciditur: & ita ostendere pergamus, quia & sacrificat non carne, sed corde, & quia edit de sacrificijs, non carne, sed spiritu. Sed videamus iam, quæ sunt ipsa, quæ referuntur in lege. Et locutus est dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad Aaron & filios eius, dicens: Hæc est lex hostiæ peccati, & cætera, quæ in præsentis loco narrantur. Et ante iam dixisse nos meminimus; quia lex ferè eadem mandatur, sed alia quidem datur filijs Israel, & alia filijs Aaron, alia etiam (sicut iam pridem obseruauimus) Moysi & Aaron: est & alia lex, quæ soli Moysi datur, ita vt nec Aaron legis illius particeps fiat. Quorum per singula distinctiones & diuersitates, quis ita scientiæ dono illuminatus a Deo est, vt possit aperte, integreq; differere? Inuenimus enim in consequentibus, præceptum domini ad solum Moysen dari, & iuberi, vt pectusculum arietis perfectionis Moysi detur, sicut præcepit, inquit, dominus Moysi. In qua portione, neque Aaron, neque filij eius, particeps sunt. Et si inuenitur lex, quæ pertinet ad arietem perfectionis, non posse peruenire vsq; ad Aaron, neque ad filios eius: multo magis nec ad reliquos filios Israel, sed ad solum Moysen, qui erat amicus Dei. Verum quid opus est, quæ postmodum recitanda sunt, præuenire: Nunc interim lex recitata est, quæ ad Aaron & filios eius promulgatur, lex hostiæ peccati, hoc est, hostiæ, quæ offertur pro peccato. In loco, inquit, in quo iugulantur holocausta, ibi occident & id, quod pro peccato est, in conspectu domini sancta sanctorum sunt. Multa quidem iam Deo iuuante de sacrificiorum ritu secundum spiritalem intelligentiam in superioribus dicta sunt: sed & nunc, si gratia domini nos visitare dignetur, & vos orationibus adnitamini, addemus quæ dederit dominus. Hostiarum quædam quidem sunt Dei solius, ita vt nullus hominum participet ex ipsis, quædam sunt Aaron sacerdotis & filiorum eius; quædam ipsius, & filiorum & filiarum eius, ita vt etiam uxorem sacerdotis de eis edere liceat. Quædam verò sunt sacerdotum & filiorum eius, atq; totius populi, de quibus edere liceat etiam filios Israel. Deniq; quædam communes & indifferentes omnibus, de quibus liceat edere cunctos filios Israel. Speciale tamen hostiarum habent participium etiam sacerdotes & filij sacerdotum: quandoquidem ex omni hostia, quam edit sacerdos, etiã filios edere licebit. Igitur cum istæ sint hostiarum differentia, illam quam diximus solius Dei esse, ex qua neq; Moysen, neq; Aaron, neque filios eius participare fas est, aliquando quidem holocausto-

mata

mata nominari inuenimus. Aliquādo verò nō holocausto mata, sed holocausto mata veluti si dicamus, quod totum fructus sit, illud scilicet, quod offertur. Est ergo prima legislatio de sacrificijs, si tamen vel obseruatis, vel retinetis diligenter, quæ lecta sunt ac differta, & non transcurrunt aures vestras in vanum, vel quæ à nobis dicuntur, vel quæ ex diuinis voluminibus recitantur. Prima ergo est hostia holocausto mata: neq; enim oportebat aliam primò hostiam nominari, nisi eam, quæ omnipotenti Deo offerebatur. Secunda hostia est, quæ ad edendum sacerdotibus mancipatur. Tertia, de qua etiam filios Israel cōtingere vel edere, ipsos scilicet, qui offerunt, fas est. Sed filios Israel non omnes, nisi illos tantum, qui mundi sunt. Soli enim qui mundi sunt, de sacrificijs edere iubentur. Verum istas omnes hostias, tu qui in occulto Iudæus es, nolo in animalibus requiras visibilibus, nec in mutis pecoribus inueniri putes. Istas hostias intra te ipsum require, & inuenies eas intra te habere. Intra te ipsum nosce greges bouum, illos qui benedicuntur in Abraham. Intellige habere te & greges ouium & greges caprarum, in quibus benedicti & multiplicati sunt patriarchæ. Intellige etiam intra te esse aues cœli. Nec mireris, quod hæc intra te esse dicimus. Intellige te & alium mundum esse paruum, & esse intra te solem, esse lunam, esse etiam stellas. Hoc enim si ita non esset, nequaquā dixisset dominus ad Abraham: Aspice cælum, & vide stellas, si numerari possunt à multitudinem: sic erit semen tuum. Nec mireris, inquam, si dicitur ad Abraham, quia sic erit semen tuum, sicut stellæ sunt cœli: de illis scilicet, qui ex fide eius geniti rationabiliter viuunt, ac diuinas leges ac præcepta custodiant. Audi amplius aliquid saluatorem ad discipulos dicentem: Vos estis lux mundi. Dubitāsne esse intra te solem & lunam, ad quem dicitur, quia sis lux mundi? Vis adhuc amplius aliquid de teipso audire, ne fortè parua de te & humilia cogitans, tanquam vilem negligas vitam tuam? Habet hic mundus gubernatorem suum, habet qui eum regat & habitet in ipso, omnipotentem dominum, sicut ipse per Prophetam dicit: Nōne cælum & terram ego repleo, dicit dominus: Audi ergo, ipse omnipotens dominus, quid etiam de te, hoc est, quid de hominibus dicat: Habitabo, inquit, in eis, & inter ipsos ambulabo. Plus aliquid addit erga personam tuam: Et ero eis, inquit, in patrem, & ipsi erunt mihi in filios & filias, dicit dominus. Habet hic mundus filium Dei, habet & spiritum sanctum, secundum quod dicit Propheta: Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. & iterum alibi: Spiritus enim domini repleuit orbem terrarum. Audi & tibi quid dicit Christus: Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Et de spiritu sancto dicitur: Et effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt. Quum ergo videas habere te omnia, quæ mundus habet, dubitare non debes, quod etiam animalia, quæ offeruntur in hostijs, habeas intra te, & ex ipsis spirituales debeas offerre hostias. Sed de his, prout potuimus, in superioribus explanauimus. Nūc verò illud addimus, quod dicit: Quia in loco, in quo iugulantur holocausta, ibi etiam hostiæ pro peccato. Vide q̄ multa misericordia & benignitas Dei est, vt vbi holocaustum iugulatur, illud quod soli Deo offertur, ibi etiã hostia, quæ pro peccato est, immolari iubeatur: vt scilicet intelligat se, qui peccauit, & pœniteat conuersus ad dominum, & cōtribulati spiritus hostiam iugulat, in loco iam sancto stare, & sociari ihs, qui pertinent ad Deum. Ibi ergo immolatur hostia pro peccato, vbi et holocaustum. In conspectu, inquit, domini est. Fortassis in conspectu domini est offerre sacrificium, & offerre nō in conspectu domini. Quis ergo est, qui offert in cōspectu domini: ille opinor, qui non exijt à conspectu domini, sicut Cain, & effectus est tremēs & timens. Si quis ergo est, qui habet fiduciã ad stare in conspectu domini, & non fugit à facie eius: nec a conspectu eius peccati conscientia declinat, iste in conspectu domini offert sacrificiū. Hanc ergo hostiam, quæ offertur pro peccatis, dicit esse sancta sanctorū. Mafus aliquid audere vult sermo, si tamē & vester sequatur auditus. Quæ est hostia, quæ pro

K iij pecca-

Romano. 1

Hebræo. 8

Genesis 12

Genesis 15

Matth. 5

Hierem. 23

Leuiti. 26

Psal. 32

Sapien. 1

Matth. 28

Ioelis 2

Genesis 4

peccatis offertur, & est sancta sanctorum, nisi vnigenitus filius Dei dominus meus Iesus Christus: Ipse solus est hostia pro peccatis, et ipse est hostia sancta sanctorum. Sed quod addidit, sacerdos, inquit, qui offert illud, edet illud: videtur difficile esse ad intelligendum. Illud enim, quod edendum dicit, ad peccatum referritur videtur: sicut & alibi dicit de sacerdotibus Propheta: Quia peccata populi mei manducabunt. Unde & hic ostendit, sacerdotem peccatum offerentis comedere debere. Saepe ostendimus ex diuinis scripturis, Christum esse & hostiam, quae pro peccato mundi offertur, & sacerdotem, qui offerat hostiam. Quod vno verbo Apostolus explicat, quum dicit: Qui seipsum obtulit Deo. Hic ergo est sacerdos, qui peccata populi comedit & consumit, de quo dictum est: Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedec. Saluator ergo & dominus meus peccata populi edet. Quomodo edet peccata populi: Audi quid scriptum est: Deus, inquit, noster ignis consumens est. Quid consumit Deus ignis: Nunquid tam inepti erimus, vt putemus quod Deus ignis ligna consumat, aut stipulam, aut scenum: sed consumit Deus humana peccata, illa absumit, illa deuorat, illa purgat, secundum quod alibi dicit: Et purgabo te igni ad purum. Hoc est manducare peccatum eius, qui offerat sacrificium pro peccato. Ipse enim peccata nostra suscepit in semetipso, ea tanquam ignis comedit & absumpsit. Sic denique e contrario eos, qui permanent in peccatis, mors dicitur deglutisse, sicut scriptum est: Deglutit mors praeualens. Hoc puto esse, quod in Euangelio saluator dicebat: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur: Atque vti nam & mea terra accendatur igni diuino, vt vltra non adferat spinas & tribulos. Sic intelligere debes & illud, quod scriptum est: Ignis accensus est ab ira mea, comedit terram & generationes eius. Dicit ergo lex: Sacerdos qui obtulerit, edet illud in loco sancto, in atrio tabernaculi testimonij. Consequens enim est, vt secundum imaginem eius, qui sacerdotium Ecclesiae dedit, etiam ministri & sacerdotes Ecclesiae peccata populi accipiant, & ipsi imitantes magistrum, remissionem peccatorum populo tribuant. Debent ergo & ipsi sacerdotes ita perfecti esse, & in officijs sacerdotilibus eruditi, vt peccata populi in loco sancto, in atrijs tabernaculi testimonij, ipsi non peccando consumant. Quid autem est in loco sancto manducare peccatum: Locus erat sanctus, in quem peruenerat Moses, secundum quod dictum est ad eum: Locus enim, in quo stas, terra sancta est. Similiter ergo & in Ecclesia Dei locus sanctus est, fides perfecta, & charitas de corde puro, & conscientia bona, qui in his stat in Ecclesia, in loco se sancto stare cognoscat. Neque enim in terra quaerendus est locus sanctus, in quam semel data sententia est a domino dicente: Maledicta terra in operibus tuis. Fides ergo integra, & sancta conuersatio, locus est sanctus. In hoc itaque loco positus sacerdos Ecclesiae, populi peccata consumat, vt hostiam iugulans verbi Dei, & doctrinae sanctae victimas offerens, purget a peccatis conscientias auditorum. Edet ergo sacerdos carnes sacrificij in atrio tabernaculi testimonij, quum intelligere potuerit, quae sit ratio in his, vel quae mysteria, quae describuntur de atrijs tabernaculi testimonij. Ad haec enim atria secreta & recondita nullus accedit. Nulli haec, nisi sacerdotibus patent, si tamen patent, id est, si scientia sua & intellectu mystico potuerint eorum secreta penetrare. Scio autem esse & alia quaedam in Ecclesia dogmata secretiora, quae adire nec ipsis sacerdotibus liceat. Illa dico, vbi arca reconditur, vbi vna cum manna & tabulae testamenti. Illuc nec ipsis quidem sacerdotibus datur accessus: sed vni tantum pontifici, & huic semel in anno, certis quibusdam & mysticis purificationibus conceditur istud intrare secretum. Sunt & alia Ecclesiae dogmata, ad quae possunt etiam peruenire Leuitae: sed inferiora sunt ab ijs, quae sacerdotibus adire concessum est. Scio & alia esse, ad quae possunt accedere etiam filij Israel, hoc est, laici: non tamen alienigenae, nisi adscripti iam fuerint in Ecclesiam domini. Credo fidem patris & filij, & spiritus sancti (in qua credit omnis, qui sociatur Ecclesiae Dei) tertiam generationem mystice dicta. Verum tamen

scien-

A sciendum est, quod ex hostijs, quae offeruntur hic, & conceduntur sacerdotibus ad edendum, non penitus omnia conceduntur: sed pars ex ipsis aliqua Deo offertur, & altaris ignibus traditur. Vt sciamus etiam nos, quod etsi conceditur nobis aliqua ex diuinis scripturis apprehendere & agnoscere, sunt tamen aliqua, quae Deo reseruanda sunt: quae quum intelligentiam nostram superent, sensusque eorum supra nos sit, ne forte aliter a nobis, quam se habet veritas, proferantur, melius igni ista seruamus. Et ideo etiam in hoc loco, quae quidem concessa sunt hominibus ad edendum, prout potuimus, intra tabernaculum domini consumpsimus. Si quae vero supersunt, & vel vos in audiendo, vel nos superant in dicendo, seruemus igni altaris, tanquam eam partem, quae pro peccato super altare domini iubetur offerri. Et haec est, inquit, lex arietis, qui pro delicto est, sancta sanctorum. In loco, in quo iugulant holocaustomata, iugulabunt & arietem, qui pro delicto est coram domino, &c. Videtur quidem in scripturis diuinis frequenter peccatum pro delicto, & delictum pro peccato indifferenter & absque aliqua distinctione nominari. In hoc tamen loco inuenitur esse discretum. Nam cum superius in hostia pro peccato ritum sacrificij atque ordinem tradidisset, nunc separatim mandat sacrificium pro delicto. Et quum eodem ordine, atque obseruantia cuncta mandantur, & addat in nouissimis, sicut id, quod pro peccato est, ita & id, quod pro delicto est, lex vna erit eorum: tamen voluit ostendere esse aliquid differentiae in his, quibus sacrificia diuisa mandauit. Certè ego puto delictum quidem esse commissum leuius aliquanto, quam peccatum. Nam inuenimus de peccato dici, quod sit peccatum ad mortem: de delicto non legitur, quod esse dicatur ad mortem. Scio tamen & illam differentiam, quae nonnullis sapientum visa est, quod delicto quidem non facimus ea, quae facere debemus: peccatum vero sit, cum committimus ea, quae committere non debemus. Sed haec, quoniam non semper in scripturis diuinis sub ista distinctione inuenimus, idcirco generaliter affirmare non possumus. Igitur eodem modo atque eadem traditione de sacrificio, quod pro delicto offertur, accipiendum est, quod & supra exposuimus de eo, quod pro peccato est. Similiter enim iubentur adipēs arietis, qui circa renes sunt, & ijs, qui interiora operiunt, poni super altare: vt & tu, qui haec audis, scias omne, quod est intra te crassius, & operit interiora tua, debere te offerre igni altaris, vt purgentur omnia interiora tua, vt dicas & tu, sicut Dauid dicebat: Benedic anima mea dominum, & omnia interiora mea, nomen sanctum eius. Nisi enim ablata fuerit crassitudo illa, quae tegit interiora tua, non possunt subtilem & spiritalē capere sensum, nec possunt intellectum capere sapientiae, & ideo dominum laudare non possunt. Quod si oblatum fuerit omne, quod pingue est de renibus, & de omnibus interioribus viscerum, tunc verè purgatus omni vitio libidinis iugulasti hostiam pro delicto, & obtulisti sacrificium Deo in odorem suauitatis. Sacerdotis, inquit, qui offeret illud et repropitiabit pro delicto, ipsius erit. Discant sacerdotes domini, qui Ecclesijs praesunt, quia pars eis data est cum ijs, quorum delicta repropitiauerunt. Quid autem est repropitiare delictum: si assumpseris peccatorem, & monendo, hortando, docendo, instruendo adduxeris eum ad poenitentiam, ab errore correxeris, a vitijs emendaueris, et effeceris eum tale, vt ei conuerso propitius fiat Deus, pro delicto repropitiare diceris. Si ergo talis fueris sacerdos, et talis fuerit doctrina tua, et sermo tuus, par tibi datur eorum, quos correxeris, vt illorum meritum tua merces sit, et illorum salus tua gloria. An non et Apostolus haec ostendit, cum dicit, quia quod superaedificauerit quis, mercedem accipiet: Intelligant igitur sacerdotes domini, vbi est eis data portio, et in hoc vacent atque operantur. Non se inanibus et superfluis actibus implicent, et sciant se in nullo alio partem habituros apud dominum, nisi in eo, quod offerunt pro peccatis, id est, quod a vitijs peccati conuerterint peccatores. Notandum etiam illud est, quod quae offeruntur in holocaustum, interiora sunt: quod verò exterius est, domino non offertur.

K iij tur,



Genesis 38 tur, nec cedit in holocaustomata. Talis fuit & ille filius Iuda, qui dicebatur Her, & interpretatur pellis, propter eam pessimus erat, & occidit eum Deus, quia isti tales domino non offeruntur. Et omne sacrificium, quod fiet in clibano, & omne, quod fiet in craticula vel in sartagine sacerdotis, qui offert illud, ipsius erit. Quid dicemus? Putamus ne, quod omnipotens Deus, qui responsa Mosi cœlitus dabat, de clibano, craticula & sartagine præciperet: & ut disceret populus per Mosen, quia per hæc Deus eis propitius fiet, si quædam in sartagine frixerint, quædam in clibano coxerint, quædam in craticula assauerint? Sed non ita Ecclesiæ pueri Christum didicerunt, nec ita in eum per apostolos eruditi sunt, ut de domino maiestatis aliquid tam humile, & tam vile suscipiant. Quin potius secundum spiritalem sensum, quem spiritus donat Ecclesiæ, videamus, quod sit istud sacrificium, quod coquatur in clibano, vel quis iste clibanus intelligi debeat. Sed ubi inueniam modum subito scripturam diuinam, quæ me doceat, quid sit clibanus? Dominum meum Iesum inuocare me oportet, ut quærentem me faciat inuenire, & pulsanti aperiat, ut inueniam in scripturis clibanum, ubi possim coquere sacrificium meum, ut suscipiat illud Deus. Et quidem inuenisse me puto in Osee propheta, ubi dicit: Omnes mœchantes, sicut clibanus succensus ad comburendum, & iterum: Incaluerunt, inquit, sicut clibanus corda eorum. Cor ergo est hominis clibanus. Istud autem cor, si vitia succenderint, vel diabolus inflammauerit, non coquet, sed exuret. Si verò ille id succenderit, qui dixit: Ignem veni mittere in terram: panes scripturarum & sermonum Dei, quos in corde suscipio, non exuro ad perditionem, sed coquo ad sacrificium. Et fortassis illa coqui dicuntur in clibano, quæ interiora sunt & recondita, nec proferri facile ad vulgus possunt. Sunt enim multa in diuinis scripturis huiusmodi, sicut apud Ezechielem, cum vel de Cherubin, vel de Deo, & illa magnifica visione describitur. Hæc si in clibano non coquantur, comedi ita ut sunt cruda non possunt. Neque enim credendum est, quod sit animal quoddam in forma leonis positum, quo vehatur Deus, vel aliud in forma vituli vel aquilæ. Hæc ergo, & si qua huiusmodi sunt, non sunt cruda proferenda, sed in cordis clibano sunt coquenda. Quid autem sit clibanus, sartago & craticula, nunc perquirendum est. Triâ itaque sunt hæc, in quibus sacrificia dicit præparari debere, in clibano, in sartagine, in craticula. Et puto, quod clibanus secundum sui formam, profundiora, & ea, quæ sunt inenarrabilia, significet in scripturis diuinis: sartago verò ea, quæ si frequenter ac sæpe versentur, intelligi ac explicari possunt: craticula autem, ea, quæ palam sunt, & absque aliqua attræctione cernuntur. Triplicis namque in scripturis diuinis intelligentiæ inueniri sæpe diximus modum, historicum, moralem, mysticum. Vnde & corpus inesse ei, & animam, & spiritum intelleximus, cuius intelligentiæ triplicem formam, sacrificiorum triplex hic modus appellatus ostendit. Sed & alibi inuenimus, id est, in his ipsis, quæ de sacrificijs memorantur, dici canistrum sanctum perfectionis, in quo tres panes haberi mandantur. Vides consonare sibi sacramentorum omnium formas: Canistrum perfectionis, in quo tres panes poni iubentur, quid aliud debemus accipere, nisi scripturas diuinas, cibos auditoribus tripliciter apponentes? Visti tibi & de Euangelijs similis mysterij proferamus exempla? Recolamus domini voces, ubi dicit, quia media nocte venit quidam ad amicum suum, pulsans ostium eius, & ait: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus mihi superuenit de via, & non habeo, quod apponam ei. In quibus, ut breuiter perstringamus, nox est hoc tempus vitæ: & tres panes sunt, vnus qui in clibano, alius qui in sartagine, tertius qui in craticula coquitur. Post hæc, & omne, inquit, sacrificium factum in oleo siue non factum, omnibus filijs Aaron erit, singulis æqualiter. Quod sacrificium est factum in oleo, vel quod est non factum in oleo? Sacrificium salutaris in oleo fieri iubetur, sicut supra iam diximus: sacrificium verò pro peccato non fit in oleo, dicit enim: Non superponet ei oleum, quum iam pro peccato est. Quod ergo pro peccato est,

A to est, nec oleum lætitiæ ei, nec thus suauitatis imponitur. Peccatibus enim dicitur 2. Corin. 12
Apostolus: Et lugeamus eos, qui ante peccauerunt, & non egerunt poenitentiam, Psal. 37
nec odor in eis suauitatis est, quia ex persona peccatoris dicitur: Computruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ. Hæc interim à nobis obseruata sunt de superiori capitulo, ubi lex sacrificijs tribuitur pro delicto. Non autem dubito multa esse, quæ nos lateant, & sensum nostrum superent. Non enim sumus illius meriti, ut et nos dicere possimus: Nos autem sensum Christi habemus. Ipse enim solus est sensus, 2. Corin. 11
cui patent vniuersa, quæ in legibus sacrificiorum intra literæ continentur arcanum. Si enim mererer, ut daretur mihi sensus Christi, etiam ego in his dicerem, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur. Sed nunc contenti paruitate sensus nostri, secundi capituli videamus exordium.

Hæc est, inquit, lex sacrificij salutaris, quod offeretur domino. Siquidem Leuitici 7
pro laudatione offeret illud, & adferet ad sacrificium panes laudationis ex simila factos in oleo, & lagana azyma vncta oleo, & similaginem conspersam in oleo, super panes fermentatos offeret munera sua, quia sacrificium laudationis salutaris eius est. Et auferet ab eo vnum de omnibus muneribus suis separationem domino, sacerdoti, qui effundet sanguinem salutaris, & carnes sacrificij laudationis salutaris ipsi erunt. Et in qua die donum offertur, manducabunt, & non derelinquent ex eo in mane.

Sacrificium hoc, quod salutare appellatur, in duas diuidit partes: vnâ quidem laudationis nominat, alteram voti: vtrumque tamē sacrificium salutare nominatur. Verum quoniam non est opus nobis nunc secundum literam instaurare sacrificia, requiramus in nobis, quisnam est tantus ac talis, qui sacrificium salutare, & sacrificium laudationis offerat Deo. Ego illum esse arbitror, qui in omnibus actibus suis facit laudare Deum, & impletur per eum illud, quod dominus & saluator noster dicit: Ut videant homines opera vestra bona, & magnificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Ille ergo obtulit sacrificium laudis, pro cuius actibus, pro cuius doctrina, pro cuius verbo & moribus, & disciplina, laudatur & benedicatur Deus. Sicut è contrario sunt illi, de quibus dicitur: Quia per vos nomen meum blasphematur inter gentes. Ezech. 36
Obserua tamen & hic, quomodo panes ex simila facti in oleo, & lagana vncta oleo, & simila conspersa in oleo ponuntur, & triplici iterum sacramento hostia salutaris offertur. Et ad vltimum: Sacerdoti, inquit, qui effundet sanguinem salutaris, ipsius erit. Superius dixit, sacerdoti, qui repropitiatus, ipsius erit: hic dicit, sacerdoti, qui effundet sanguinem sacrificij salutaris, ipsius erit. Digno quidem ordine vtitur. Prius enim repropitiatio querenda est, & post hæc offerendum sacrificium salutaris. Neque enim salus esse cuiquam potest, nisi prius sibi propitium faciat dominum. Sed & carnes, inquit, sacrificij laudationis salutaris ipsi erunt. Sæpe iam diximus, quod carnes in scripturis solidum indicant cibum, perfectamque doctrinam. Secundum scripturas enim scio esse animæ cibum quendam lactis, & alium cibum animæ olerum, & alium carnis, sicut ipse Apostolus de quibusdam dicit: Lactate vos potavi, non escamondum enim poteratis, sed & non adhuc potestis, adhuc enim estis carnales. Et iterum alibi dicit: Alius quidem credit manducare omnia, 1. Corin. 9
qui autem infirmus est, olera manducet. & rursum alibi: Perfectorum autem est cibus solidus. Hic ergo carnes sacrificij salutaris, quod offertur pro laudatione, ipsius iubentur esse sacerdotis. Ex simila verò tripliciter oblata, ut supra diximus, vnâ tantum, quod placuerit, sacerdoti deputatur: cætera, offerentis sunt laici: ita tamen, ut sub die comedantur, nec remaneat ex ijs aliquid in mane. Carnes ergo, in quibus solidus est cibus & perfecta scientia, sacerdotibus deputantur: quia debent in omnibus esse perfecti, in doctrina, in virtute, in moribus. Si enim hoc in se non habuerint, de

rint, de sacrificiorum carnibus non edent. Vnum verò illud, quod separatur, tanq̄
 præcipuum ex tribus, quæ ex similia præcepta sunt, in hoc illam partem scientiæ ar
 bitror designari, de qua superius diximus, quæ perfectam indicat, profundamque
 doctrinam. Sed requireres fortasse, cum superius fermentum penitus abiecerit de
 sacrificijs, quomodo nunc super panes fermentatos sacrificium mādāt imponi? Ve
 rùm diligentius intuere, quia non ad sacrificium, sed ad ministerium sacrificij fer
 mentatus panis accipitur. Quid ergo hoc sit, videamus. Dominus in Euangelijs
 humanam doctrinam Phariseorum, qui tradebant traditiones & præcepta homi
 num, fermentum appellat, quum dicit discipulis: Obseruate à fermento Phari
 sæorum. Fermentum ergo humana doctrina est: verbi causa, Grammatica ars, vel
 Rhetorica, vel etiam Dialectica, ex qua doctrina ad sacrificium quidē, hoc est, in
 ijs, quæ de Deo sentienda sunt, nihil suscipiendum est. Sermo verò lucidus & elo
 quentiæ splendor, ac disputandi ratio, ad ministerium verbi Dei decenter iubetur
 admitti. An non super hoc fermentum habebat verbi Dei sacrificium positum ille,
 qui dicebatur: Corruptunt mores bonos colloquia mala: Et: Cretenses semper mē
 daces, malæ bestiæ, ventres pigri: & alia his similia ex fermento sumpta Græcorū.
 Quod autem dicit, sub die comedetur, nec derelinquetur ab eo vsq; in mane: confe
 ramus cum cæteris sacrificijs, & videamus, quæ sit ratio, quod in hoc quidem sacri
 ficio salutari eadem die, qua offeruntur, præcepit comedenda. In alio verò sacri
 ficio etiam in secundam diem seruari indulget, & vsq; in tertiam: tertia verò iam die
 igni tradit, quæ superfuerunt, ne polluant offerentem. Quid ergo habeat ista diffe
 rentia, videamus. Sed verè indigemus auxilio Dei, qui oēs adipēs contegentes in
 teriora nostra dignetur abscindere, & omne crassioris sensus velamen auferre, vt
 hæc, secundum id, quod à Deo mandari dicitur, possimus aduertere. Conferamus
 igitur ipsam sibi scripturam diuinam, & qua aperuerit nobis absolutionis semitā,
 subsequamur. Inuenimus enim in sacrificio Paschæ, quod in vespera immolari iu
 betur: dari mandatum similiter, vt nihil remaneat ex carnibus vsq; in mane. Nō est
 hoc ociosum, quod hesternis carnibus vesci non vult nos sermo diuinus, sed recent
 ibus semper & nouis. Eos maximè, qui sacrificium Paschæ, vel sacrificium laudis
 immolant Deo, nouas eos carnes, & recentes ipsius diei edere iubet, hesternas pro
 hibet. Recordatus sum simile aliquid & prophetam Ezechielem dicere, cū ei do
 minus præcepisset, vt coqueret sibi panes in stercore humano. Respondit enim
 domino & dixit: O domine, nunquam contaminata est anima mea in morticino,
 aut immundum non introiuit in os meū: sed neq; caro hesterna introiuit in os me
 um. De quo sæpe apud memetipsum requirebam, quænam esset ista prophætæ ex
 ultatio, qua velut magnum aliquid ante Deum proferret, quia nunquam carnē he
 sternam manducaui. Sed vt video, hinc edoctus & ex istis imbutus mysterijs, hæc
 Propheta loquebatur ad Deum: quia non ita abiectus & degener sum sacerdos, vt
 hesternis, i. veteribus carnibus vescar. Audite hæc omnes domini sacerdotes, & in
 tētius intelligite, quæ dicuntur. Caro, quæ ex sacrificijs sacerdotibus deputatur, ver
 bum Dei est, quod in Ecclesia docent. Per hoc ergo figuris mysticis commonētur,
 vt quum proferre ad populum sermonem cœperint, non hesterna proferant, non
 vetera, quæ sunt secundum literam, proloquantur: sed per gratiā Dei noua semper
 proferant, & spiritalia semper inueniant. Si enim ea, quæ didiceris à Iudæis die he
 sterno, hæc hodie in Ecclesia proferas, hoc est hesternam carnem sacrificij edere. Si
 porrò meministis, etiam in oblatione primitiarum eodem sermone vsus est legis
 lator, vt sint, inquit, noua & recentia. Vides vbiq; ea, quæ ad laudes Dei pertinent
 (hoc enim est sacrificiū laudis) noua & recentia esse debere: ne fortè, cū vetera pro
 fers in Ecclesia, labia tua loquātur, & mēs tua sine fructu sit. Sed audi qd dicit Apo
 stolus: Si, inquit, loquar linguis, spūs meus orat, sed mēs mea sine fructu est. Quid
 igitur est: Orabo, inquit, spū, orabo & mente: psalmum dicam spiritu, psalmū dicā
 & men

A & mente. Ita ergo & tu si non ex eruditione spiritali, ex doctrina gratiæ Dei, præ
 sentem et recētem protuleris sermonem in laudibus Dei, os quidem tuum offert
 sacrificium laudis, sed mens tua pro sterilitate hesterna carnis arguitur. Nam et do
 minus de pane, quem discipulis dabat, dicebat eis: Accipite & manducate: non di
 stulit, nec reseruari iussit in crastinum. Hoc fortasse mysterij continetur etiā in eo,
 quod panem non portare iubet in via, vt semper recentes, quos intra te geris, verbi
 Dei proferas panes. Deniq; Gabaonitæ illi propterea condemnantur, & ligni cæ
 fores, vel aquæ gestatores fiunt, quia panes veteres ad Israelitas detulerunt, quibus
 lex spiritalis iubebat semper vti recentibus & nouis. Alia sanè sacramentorum fi
 gura est, quæ iubet etiam in altera die, quod superfuerit, edi, nihil verò in tertiam
 reseruari: de qua suis locis videbimus. Sed ne illud quidem nos lateat, esse quod
 dam tempus, in quo benedictio sit veteribus vesci. Nam de anno septimo, qui re
 missionis annus vel sabbaticus nominatur, ita dicitur: Manducabis, inquit, vetera
 & vetera veterum. Tunc sub septimi anni mysterio (vt diximus) benedictio est,
 vetera manducare, nunc verò prohibetur. Sed multū est, excessus habere per hæc
 singula, & ex occasione testimoniorum longius euagari, quum explanatio sacrifici
 orum nunc habeatur in manibus. Dicitur ergo in sequentibus:

Quod si votum fuerit, aut voluntarium sacrificauerit munus suū, quo
 cunq; die obtulerit sacrificium suū, edetur: & altera die, & quod superfue
 rit de carnibus sacrificij vsq; in diem tertium, igni cremabitur. Si autem
 manducans manducauerit ex carnibus die tertio, nō erit acceptum ei, qui
 offeret illud, non reputabitur ei, coinquinatio est. Anima autem, si qua man
 ducauerit ex eo, peccatum accipiet.

Hoc est nimirum, quod & Dauid dicit in Psalmis: Fiat oratio eius in peccatum: **Psalm. 108**
 quando nō solum nihil meriti, sed etiam culpæ multum ex sacrificijs queritur. Au
 dis enim legislator em decernere, quia si quis manducauerit ex eo, quod superfue
 rit in tertiam diem, peccatum accipiet. Vnde cognoscendum est, quanta humanæ
 conditioni peccatorum labes imminet, quum oriatur etiam inde peccatum, vbi
 hostia propitiationis offertur. Hæc credo cōsiderans beatus Dauid, dicebat in **Psalm. 118**
 mis: Peccata quis intelligit? Voti igitur, vel voluntatis sacrificium est, quo & secun
 da quidem die vesci fas est, penitus verò abiuratur in tertiam. Sed dat remediū ne
 gligentibus. Si, inquit, inualidus fueris, & non potueris omnes carnes sacrificij secu
 da die finire, nihil de his in tertia die comedes, sed igni trade, quod superest: si em
 vuleris post duos dies manducare de sacrificio, peccatum accipies. Ego (prout sen
 sus mei capacitas habet) in hoc biduo puto duo testamēta posse intelligi, in quibus
 liceat omne verbum, quod ad Deum pertinet (hoc enim est sacrificium) requiri &
 discuti, atq; ex ipsis omnem rerum sciētiam capi. Si quid autem superfuerit, quod
 non scriptura diuina decernat, nullam aliam deberet tertiam scripturam ad autori
 tatem scientiæ suscipi, quæ hic dies tertia nominatur: sed igni tradamus, quod su
 perest. i. Deo reseruemus. Neq; em in præsentī vita Deus scire nos oīa voluit, maxi
 mē cū id Apostolus dicat: Quia ex parte scimus, & ex parte prophetamus: cū
 venerit autē, quod perfectum est, destruentur illa, quæ ex parte sunt. Iste ergo
 ignis est, cui, quæ in tertium diem superfuerint, seruare debemus: & non temerita
 te præsumpta assumamus nobiscunctorum scientiam: vt meritō nobis dicatur ab
 eodem Apostolo: Nescientes, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmāt. Ne for
 tē ergo non fiat acceptum sacrificium nostrum, & hoc ipsum, quod ex scripturis di
 uinis cupimus scientiam capere, vertatur nobis in peccatum, seruemus eas mensu
 ras, quas nobis per legislatorem lex spiritalis enunciat.

Et carnes, inquit, quæcūq; tactæ fuerint ab omni immūdo, nō manduca
 buntur.

buntur, sed igni cremabuntur. Omnis mundus manducabit carnes: & anima, quęcunq; manducauerit carnes sacrificij salutaris, quod est domini, et immundicia eius in eo fuerit, peribit anima illa de populo suo. Et anima, quęcunq; tetigerit omnē rem immundā, vel ab immundicia hominis, vel quadrupedum immundorum, vel ab omni adominamento immundo, et manducauerit ex carnibus sacrificij salutaris, quod est domini, peribit anima illa de populo suo.

Triplices immūdicia causa hic legislator exposuit. Vnam, necarnes sacrificiorū aliqua immundicia contingantur. Aliā, ne is, qui edit carnes sacrificij, immundus sit, & immundicia eius in ipso sit. Tertiā, quod etsi carnes mundę sint, & ipse, qui edit, mundus sit, tamen ne contigerit aliquid immundum, vel a pecoribus, vel ab auisibus, vel ex omnibus, quę immunda pronuntiata sunt. Et hæc quidem voluntas est legis, de ritu sacrificiorum corporalium facientis. Secundum verò nostrę expositionis ordinem, vbi carnes sanctę, verba intelliguntur esse diuina, huiusmodi habenda est obseruatio: quia saepe accidit mundas carnes contingi ab aliquo immundo, vt (verbi causa dixerim) si quis de Deo patre ac de vnigenito eius & spiritu sancto, digno deitatis mysterio purum faciat, syncerumq; sermonem: similiter & de omnibus creaturis rationabilibus, tanquam a Deo factis ad hoc, vt caperēt & intelligerent eum: non autem consequenti mysterio adserat etiam carnis resurrectionem. Primus quidem eius sermo, quoniam perfectē & sanctē differuit, solidus cibus & carnes sanctę sunt. Hoc verò, qd his addit, resurrectionē carnis negando, quia alienum a fide est, superioribus iunctum perfectis & fidelibus verbis, sanctas carnes contaminauit & polluit: ideo ergo præcepit legislator, ne manducetur huiusmodi carnes, quibus immundicia infidelitatis alicuius adiungitur. Propterea & Apostolus dicit: Etenim diem festum celebremus, non in fermento veteri, neq; in fermento malitię & nequitię: sed in azymis synceritatis & veritatis. Secundum immundicię genus est, ne ipse, qui carnes edit, immundus sit, & immundicia eius in ipso sit: quod hoc modo intelligi potest, verbi gratia: Si sit aliquis naturę florentis & ardentis ingenij, non continuo aptus videbitur ad suscipienda verbi Dei mysteria: sed quæratur etiam hoc, vt prius a prophanis actibus & immundis operibus separetur, & ita demum eruditionis capax fiat, si prius capax fuerit sanctitatis. Simile his in Numeris inuenimus scriptum, vbi dominus carnes cęlicas dedit filijs Israel, & dicit: Sanctificamini in crastinum, vt manducetis carnes: hoc ostendens, qd nisi sanctificati essent prius, & mundi effecti, carnes eis non daret Deus. Bene autē clementiam Dei legislator ostendit, vt non diceret, quia non manducet carnes, in quo fuit immundicia, sed ait: in quo immundicia eius est. Nemo etenim ferē inuenitur, in quo nō fuit immundicia. Inueniri autem potest, in quo fuerit quidem, sed audita lege Dei vltra iam non sit. Quod si permanet in eo immundicia sua, & his auditis conuerti non vult & mundari, peribit, inquit, anima illa de populo suo. Tertia est immundicię species, qua is, qui mundus est, aliquid contingit immundum, & non tam suo peccato, q̄ aliena contagione polluitur: vt puta, si quis vtatur societate, amicitijs & consortio hominis liuidi, vel iracundi, vel adulteri, & ipse quidē proprijs actibus non inferatur sceleribus eius, videat tamen eum, & intelligat quomodo fratrem suū odit & homicida est, vel quomodo infidiatur alienę mulieri & adulter est, vel quomodo in cęteris quibusq; sacrilegus est, nec deprehēsis his discedit ab eius consortio, ipse est, qui contingit immūdum animal, vel auem, vel morticinum, & aliena immundicia ipse pollutus est. De diuersitatibus autem immundicundum hanc eandem præcepit formam, cum dicit: Nunc autem scribo vobis in epistola, vt nō commisceamini. Si quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut

A idolis seruiens, aut ebriofus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. In quibus omnibus quid est aliud quod præcepit, nisi ne alienis peccatis & immundicijs pollutamur: Deinde verò subiungit litera, quod sequitur:

Et loquutus est, inquit, dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad filios Israel, & dices: Omnem adipem bouum & ouium & caprarum non edetis, et adeps morticinorum, & a fera captorum non erit ad omnē opus, & in esca non edetur. Omnis, qui edit adipem ex pecoribus, ex quibus offeretis hostiam domino, peribit anima illa de populo suo. Et omnem sanguinē non edetis in omni abominatione vestra a pecoribus & volatilibus. Omnis anima, quęcunq; māducauerit sanguinē, peribit anima illa de populo suo. Adeps quidem eorum animalium, quę in sacrificijs offeruntur, & aliorum nonnullorum edi, vel in vsu haberi abnegat legislator: sanguinē verò omnis carnis comedi vetat. In superioribus locū mysticum pertractantes, vbi vitulus in holocaustū dabatur pro populo, & adipēs imponebantur altari: sanguinē quidem, quo ex parte aliqua cornua linebantur, reliquus verò ad basim effundebatur altaris: eorum accipimus figuram, qui residuus dicuntur Israel, & postq̄ plenitudo gentiū subintroierit, salutē in nouissimis sperant. Adipēs verò animam diximus Christi, quę est Ecclesia amicorum eius, pro quibus animam suam ponit. Potest ergo fieri & in hoc loco, vt quod mandat, neq; adipēs edat ex ijs, quę domino offeruntur, hoc est, qd & dominus dicit: Ne quis scandalizet vnum ex istis minimis, qui credunt in me. Quod autē sanguis nullius animalis edi iubetur, illud fortasse sit, quod de Israeliticis dicit Apostolus: Ergo si fracti sunt rami, vt ego inserar, bene propter incredulitatem fracti sunt: tu autē fide stas, noli altum sapere, sed time. Et iterum: Noli gloriari aduersum ramos, q̄ scilicet casui eorum nullus insultet: ne forte (sicut idē Apostolus dicit) & tu excidaris, & illi si non permanserint in incredulitate, inserantur. Sanguis autem puto, quod populus ille competenter intelligatur. Non enim ex fide, neq; ex spiritu Abraham, sed tantum ex sanguine eius descendunt.

Post hæc & loquutus est dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israel, dices: Qui offert sacrificium salutaris sui domino, offerat munus suum in sacrificio salutaris sui, manus eius offerēt hostiam domino. Adipēs, qui sunt super pectusculum & pinnam iecoris, offeret ea, ita vt ponantur donum coram domino: & imponet sacerdos adipem, qui est super pectusculum, super altare, & erit pectusculum Aaron & filijs eius. Et brachium dexterum dabit separationem sacerdoti a sacrificijs salutaribus vestris, qui offert sanguinem salutaris, & adipem ex filijs Aaron. Ipsi erit brachiū dexterum in parte. Pectusculum enim impositionis, & brachium dempionis accepi a filijs Israel, & sacrificijs salutaribus vestris, & dedi ea Aaron sacerdoti & filijs eius: legitimum æternum a filijs Israel est.

Sacrificium, quod dicitur salutare (quod sacrificium nemo offert domino, nisi qui sanus est, & salutis suę conscius) gratias domino refert. Nemo ergo, qui æger est animo, & languidus in operibus, offerre potest sacrificium salutare. Vis videre, quomodo nemo æger & languidus potest illud offerre sacrificium: Leprosus ille, quem in Evangelio dominus sanasse describitur, non poterat offerre hostiā, donec leprę aegritudine tenebatur. Cum autē accessit ad Iesum & mundatus est, tunc iubetur domino offerre munera ad altare, quod præcepit, inquit, Moyses in testimonium illius. Audisti quis sit, qui offerre debeat hostiam salutaris: audi nunc, quomodo debeat offerre. Manus, inquit, eius offerent hostiam domino. Nunquid non euidenter clamat

mat legislator, quia non homo est, qui offert hostiam, sed manus eius. i. opera eius. Opera namq; sunt, quæ commendant hostiam Deo. Si enim contracta sit manus tua ad dandum, & expansa ad accipiendum, intra te est adhuc lepra tua, & offerre non potes hostiã salutaris. Manus ergo eius offerent sacrificium salutaris, & manus eius offerent ea, quæ domino offerenda sunt. i. adipem, qui super pectusculum est, & pinnam iecoris. In hoc loco, ubi nos habemus: manus eius offerent hostiã Deo; in Græcis habetur pro hostia, ὄλοκαυρτ ὄματα, quod intelligitur, oẽm fructum. Per quod ostendit, non posse domino offerre omnem fructum, eum, qui infructuosus est, qui non adfert fructum iustitiæ, fructum misericordiæ, vel etiã fructus spiritus, quos enumerat Apostolus, charitatem, gaudium, pacem, patientiam, vnanimitatem, & cætera his similia. Vnde & in alio loco Propheta dicit: Et holocaustum tuum pingue fiat. Offeret ergo adipem, qui super pectusculum sunt, & pinnam iecoris, quæ superponantur altari. De adipibus sæpe iam diximus. Quod aut dicit, adipem, qui super pectusculum sunt; pectusculum tuum intellige esse cor tuum, de quo tibi auferendæ sunt malæ cogitationes (inde enim procedunt) & altaris igni tradendæ, vt possit cor tuum mundum effectum, dominum videre. Sed & pinnam iecoris præcepit offerendam. Diximus & antè, iecoris partem loco iracundiæ vel cupiditatis poni. Offeret ergo pinnam iecoris, qui ex se omne vitium iræ & furoris excidit. Adipem igitur sunt super pectusculum, imponuntur altari; ipsum verò pectusculum Aaron & filijs eius; sed & brachium dextrum separari præcepit, & esse muneris loco ex sacrificio salutaris. Vides, quibus muneribus honoratur sacerdos. Pectusculum accipit & brachium, sed brachium dextrum. Putamus non esse aliquid rationis, quod ex omnibus membris animalium, quæ iugulantur in sacrificijs, hæc potissimum membra delecta sint: Ego puto, qd si quis dicit se esse sacerdotem Dei, nisi habeat pectus ex omnibus mēbris electum, nō est sacerdos; & nisi habeat brachium dextrum, non potest ascendere ad altare domini, nec sacerdos nominari. Quod ergo est sacerdotis pectus, aut quale: Ego tale puto esse, qd plenum sit sapientia, plenum scientia, plenum omni diuina intelligentia. Et quid dico plenum intelligentia: Imo quod plenum sit Deo: quale est & brachium sacerdotis, quod ei offerunt filij Israel pro salute sua, qua saluantur. Formæ sunt singula ista, quæ scribuntur in lege eorum, quæ in Ecclesia geri debent. Alioqui nec fuisset necessarium legi hæc in Ecclesia, nisi ex his a edificatio aliqua audientibus præberetur. Si ergo sacerdos Ecclesiæ per verba & doctrinam, & multam sollicitudinem suam, & laborem vigiliarum conuertere potuerit peccatorem, & docere eum, vt meliorem viam sequatur, ad timorem Dei redeat, cogitet spem futurorum: a malis actibus desinat, & conuertatur ad bonos; si inquam tale opus fecerit, consequens est, eum, qui ipsius labore saluatur, Deo gratias agere, et offerre hostiam salutaris pro eo, qd salutem consequutus est. In qua hostia pars efficitur sacerdotis, pectusculum & brachium dextrum. Vt sit indicium, quod pectus eius, & cor, quod antè mala cogitabat, sacerdotis labore conuersum, recepit cogitationes bonas; & ita mundatum est, vt etiam dominum possit videre. Similiter in brachio illud indicium est, quod mala eius opera & sinistra, quæ sunt vtique praua & non bona, conuertit in dextera, vt sint secundum Deum. Et hoc est dextrum brachium, in quo pars dicitur esse sacerdotis. Sed & vos deprecamur, qui hæc auditis, detis pectuscula, offeratis pectora vestra sacerdotibus Dei, vt offerant ex his omne, quod crassum est, vt sacerdotalem eam faciant portionem. Date nobis etiam brachia, sed dextra à vobis poscimus brachia, sinistra minimè volumus, dextra à vobis opera requirimus. Sed & hoc, quod addit, pectusculum dici appositionis & brachium demptionis, non sine causa dictum videtur: & ideo velim requirere, quid est, quod apponendū est pectusculo, vt fiat pectusculum appositionis. Postea quàm ablatum fuerit à corde tuo omne, quod crassum est, & mundatum fuerit ab omni operimento, quod igni tradendū est, restat, vt ei

A vt ei apponatur gratia spiritus sancti, & tunc fiet pectusculum appositionis. Sed & brachium separationis siue demptionis, quod erit & brachium separationis: Scias & intelligas discernere, quæ sint opera lucis, & quæ sint opera tenebrarum, & separa actus lucis de tenebris, vt sint opera tua in lumine. Brachium tuum vtique efficitur brachium separationis; velcū separaueris te ab omni fratre inquietè ambulante; vel certe, cū secundum Prophetam separant se, & exeunt de medio peccatorum, qui portant vasa domini. Deniq; vernacula quadam consuetudine scripturæ, id commune esse dicitur, quod immundum est, sicut & ad Petrum vox de celo dicit: Quod Deus mundauit, tu comune ne dixeris. Consequenter ergo, si id, quod immundum est, commune appellatur: quod sanctum est, nominabitur separatū. Sed illud addimus: Si quis Dei solius seruus est, communis non potest dici: si quis autem communis est, dubium non est, quod multorum sit, & ideo comunis dicatur. Græde est in hoc sermone mysterium, quod Israel secundum carnem in vsum quidem habet, sed intellectum non habet comunem. Dicunt & illi hominem immundum, sed cur comunis dicatur, ignorant. Discat ergo ab Ecclesia Dei, qd qui sanctus est, solus Dei est, & cū nullo ei communio est: qui aut peccator est, & immundus & multorum est. Multi enim demones possident eum, & ideo comunis appellatur. Deniq; ille, qui in Euangelijs à domino curatus est, cū interrogatus esset, quod tibi nomen est: dixit: legio, multi enim sumus. Hæc licet in excessu quodam, necessariò tamen addita videtur, vt mysterium pectusculi impositionis & brachij separationis, quare scriptum sit, differeremus, quæ est æterna portio sacerdotibus data: qua dignos nos facere Deus dignetur, vt pro cordis puritate & operum probitate in diuino sacrificio habere participium mereamur per æternum pontificem dominum saluatorem nostrum Iesum Christum, cum quo est Deo patri cum spiritu sancto gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

B

Quinti Libri FINIS.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI
in Leuiticum Liber VI.

De indumentis pontificis & sacerdotum.



Ausam, quare hæc, quæ nobis recitantur, intelligi possint, aut non intelligi, breuiter ostendit Apostolus, dicens eius oculis posse veteris testamenti velamen auferri, qui conuersus ad dominum fuerit. Ex quo sciri voluit, quod quanto minus hæc nobis plana sunt, tanto maior esse debet ad dominum nostra conuersio. Et ideo omni virtute nitendum est, vt ab occupationibus seculi, & à mundanis actibus liberi, & ipsas etiam (si fieri potest) superfluas sodalium fabulas relinquentes, verbo Dei operam demus: & in lege eius meditemur die ac nocte, vt toto corde conuersi, reuelatam & apertam Mosi faciem possimus aspiceret: & maximè in ijs, quæ nunc recitata sunt de sacerdotibus indumentis, vel de consecratione pontificis: in quibus talia quædam dicuntur, vt etiam illum ipsum carnalem Israel ab historica intelligentia penitus excludant. Et ideo nobis ad hæc exponenda non humani ingenij viribus nitendum est, sed orationibus & precibus ad Deum animi nostri conuertendi. In quo etiã vestro adiutorio indigemus, vt Deus pater verbi det nobis verbum in apertione oris nostri, vt possimus considerare mirabilia de lege eius. Est ergo initium eorum, quæ hodie recitata sunt, in his verbis:

Hæc est vnctio Aaron, & vnctio filiorum eius ab hostijs domini, qua
L ij die

Galat. 5
Psalm. 19

Matth. 12
Matth. 5

Numer. 16

Actor. 10

Marci 5

2. Corin. 3

Leuitic. 7

die applicuit eos sacrificare domino, sicut præcepit dominus dare illis, qua die vnxit eos a filijs Israel, legitimum æternum in progenies eorum. Hæc est lex holocaustorum & pro peccato, & pro delicto, & consummationis & sacrificij salutaris, sicut mandauit dominus Mosi in monte Sina, qua die præcepit filijs Israel offerre munera sua coram domino in deserto Sina.

Quum proposuerit dicere legislator, hæc est vnctio Aaron & filiorum eius: non subiunxit, quæ esset vnctio, nec qualiter vnxisset, exposuit: sed hoc quidem in sequentibus facit. Nunc verò posteaquam dixit, hæc est vnctio Aaron & filiorum eius, nihil de vnctione subiungit. Profectò vt ostenderet, quæ hæc quæ supra dixerit, id est, pectusculum impositionis, & brachium separationis, ipsa esset vnctio Aaron & filiorum eius: nec putaremus illa pro carnalibus dicta, sed vt doceret etiam ipsa sub sacramento vnctionis inserta. Deniq; in sequentibus repetit ea, quæ superius exposuerat, & dicit: Hæc est lex holocaustorum & sacrificij pro peccato, hæc, id est, quæ supra exposita sunt, vt videatur esse ἀνακρίσις, id est, recapitulatio sacramentorum, quæ in superioribus latius fuerant enarrata. Post hæc verò subiūgit

Leuiti. 8

Et loquutus est, inquit, dominus ad Mosen, dicens: Sume Aaron & filios eius, & stolas & oleum vnctionis, & vitulum, qui est pro peccato, et duos arietes, & canistrum azymorum, & omnem synagogam conuoca ad ianuam tabernaculi testimonij. Et fecit Moses, sicut præcepit ei dominus: & conuocauit synagogam ad ianuam tabernaculi testimonij, & dixit Moses ad synagogam: Hoc est verbum, quod mandauit dominus facere. Et applicuit Moses Aaron fratrem suum & filios eius, & lauit eos aqua, & vestiuit eum tunica, & præcinxit eum zona: & vestiuit eum tunicam interiorem, & imposuit ei humeralem, & cinxit eum secundum facturam humeralis, & constrinxit eum in ipso. Et imposuit super eum logium, & imposuit super logium manifestationem & veritatem: & imposuit mitram super caput eius. Et posuit super mitram ante faciem eius laminam auream sanctificationis, sicut præceperat dominus Mosi,

1. Petri 2

Intentis auribus & vigilanti corde consecrationem pontificis vel sacerdotis audite: quia & vos secundum promissa Dei sacerdotes domini estis: gens enim sancta & sacerdotium estis. Accepit enim Moses secundum præceptum domini Aaron & filios eius: & primò quidem lauat, postea verò & induit eos. Considerate diligentius ordinem dictorum, primò lauat, postea induit. Non enim potest indui, nisi antè lotus fuerit. Lauamini ergo, & mundi estote, auferte nequitias vestras ab animis vestris. Nisi enim hoc modo lotus fueris, non poteris induere dominum Iesum Christum, secundum quod dicit Apostolus: Induite dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in concupiscentijs. Lauet te igitur Moses, ipse te lauet, & ipse te induat. Quomodo te lauare potest Moses, frequenter audisti. Sæpe enim diximus, quòd Moses in scripturis sanctis pro lege ponatur, sicut in Euangelio dictum est: Habent Mosen & prophetas, audiant illos. Lex ergo Dei est, quæ te lauat. Ipsa fordes tuas diluit, ipsa, si audias eam, peccatorum tuorum maculas abstergit. Ipse est Moses, hoc est, lex, quæ sacerdotes consecrat: neq; potest sacerdos esse, quem non lex constituerit sacerdotem. Multi enim sunt sacerdotes, sed quos non lauit lex, neque pueros reddidit verbum Dei, neq; abluit à peccatorum sordibus sermo diuinus. Sed & vos, qui sacrum baptisma desideratis accipere, & gratiam spiritus promereri, prius debetis ex lege purgari, prius debetis audito verbo Dei, vitia beluina rescare, & mores barbaros ferosq; componere: vt mansuetudine & humilitate suscepti,

Lucæ 16

Roma. 13

Esaiæ 1

apta, possitis etiam gratiam sancti spūs capere. Sic enim dicit dñs per Prophetā: Super quem requiescam, nisi super humilem & quietum, & tremētē sermones meos: Si humilis non fueris & quietus, nō potest inhabitare in te gratia spūs sancti: neque requiescet in te spiritus dñi, si non cum tremore suscipis verba diuina. Superbā namq; & contumacem animā, & fictam refugit spiritus sanctus. Debes ergo prius meditari legē Dei, vt si fortè actus tui intēperati sunt, & mores inconditi, lex te emendet & corrigat. Vis videre, quia Moses semper cum Iesu est, hoc est, lex cū Euangelijs: doceat te Euangelium. Quia cū transformatus esset in gloriā Iesus, etiam Moses & Helias simul cū ipso apparuerunt in gloria. Vt scias, quia lex & prophete & Euangelium in vnū semper veniunt, & in vna gloria permanent. Deniq; & Petrus, cū vellet ei tria tabernacula facere, de imperitiā notatur, tanq̄ qui nesciret, qd diceret. Legi enim & prophetis & Euangelio nō tria, sed vnum est tabernaculum, quæ est Ecclesia domini. Lauat ergo primò Moses sacerdotem Dei, & cū eum lauerit, & purgatū reddiderit sordibus vitiorum, post hæc induit eum. Sed cōsideremus, quæ sint ista indumenta, quibus induit Moses fratrem suum Aaron pontificem primū, si fortè possibile sit etiā tibi indui eisdem vestimentis, & esse pontificē. Est quidem vnus pontifex magnus, dñs noster Iesus Christus: sed ille non sacerdotum est pontifex, sed pontificū pontifex: nec sacerdotum princeps est, sed princeps principum sacerdotum. Sicut & rex non dicitur plebis, sed regum rex: & dominus non seruorum, sed dominus dominorū. Potest ergo fieri, si & quis lotus fuerit per Mosen, & fuerit ita mundus, quasi quæ Moses lauerit, tantus ille ac talis possit etiā peruenire ad hæc indumenta, quæ profert Moses, & stolas istas, quibus induit Aaron fratrem suū & filios eius. Sed nō solū indumentis opus est ad sacerdotales infulas, verū & cingulis. Sed priusq̄ de specie ipsa indumentorum dicere incipiamus, velim conferre illa infelicia indumenta, quibus primus homo cū peccasset, indutus est, cum his sanctis & fidelibus indumentis: & quidem illa dicitur Deus fecisse. Fecit enim, inquit, Deus tunicas pelliceas, & induit eas Adam & mulierē eius. Illæ ergo tunicae de pellibus erāt ex animalibus sumptæ. Talibus enim oportebat indui peccatorem, pelliceis, inquam, tunicis, quæ essent mortalitatis, quæ pro peccato acceptæ, & fragilitatis eius, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium. Si verò iam lotus ab his fueris, & purificatus per legem Dei, induet te Moses indumento incorruptiōis, ita vt nusq̄ appareat turpitudine tua, & vt absorbeat mortale hoc à vita. Videamus ergo, quali ordine pontifex cōstituitur. Cōuocauit, inquit, Moses synagogam, & dixit ad eos: Hoc est verbum, quod præcepit dominus. Licet ergo dominus de constituendo pontifice præcepisset, & dominus elegisset, tamen conuocatur & synagoga. Requiritur enim in ordinando sacerdote & præsentia populi, vt sciant omnes, & certi sint, quòd præstantior est ex omni populo. Qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium: & hoc adstāte populo, nequa postmodū retractatio cuiq̄, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem, quod & Apostolus præcepit in ordinatione sacerdotis, dicens: Oportet autem & testimonium habere bonum ab ijs, qui foris sunt. Ego autē & amplius video aliquid in eo, quod dicit, quia conuocauit Moses oēm synagogam, & puto qd conuocare synagogā, hic sit colligere, & in vnum congregare oēs animi virtutes: vt cū sermo de sacerdotalibus sacramentis habetur, vigilent omnes animi virtutes, & intēte sint. Nihil sapientiæ, nihil scientiæ, nihil delit industriæ, sed adsit omnis multitudo sensuum, adsit omnis congregatio sanctarum cogitationū, vt quid sit pontifex, quid vnctio, quid indumenta eius, conferens intra sacrarium cordis sui possit aduertere. Lauit ergo eum & induit. Quali indumento? Tunica, inquit, & præcinxit eum zonā, & iterum vestiuit eum tunicam talarē: vel, vt alibi legimus, interiorem. Duabus, vt video, tunicis per Mosen induitur pontifex. Sed quid facimus, quia Iesus sacerdotes suos, apostolos nostros prohibuit vt duabus tunicis: Et si dixerimus,

Esaia 66

Sapien. 1

Matth. 17

Genesis 3

2. Corin. 5

1. Timot. 3

Matth. 10

mus, quod Moses & Iesus, id est, lex & Evangelia, sibi inuicem consonarent: posset
 fortasse dicere alius, quia quod praecepit Iesus duas tunicas non habendas, non est contra
 rium legi, sed perfectius lege. Sicut & cum lex homicidium vetat, Iesus etiam iracun-
 diam resecat. Et cum lex prohibet adulterium, Iesus etiam concupiscentiam cordis ab-
 scindit. Sic ergo videtur & duabus ante tunicis pontificem, hic una apostolos induit
 se: si quidem etiam iste sensus probabilis sibi videtur. Ego tamen non intra huius in-
 telligentiae angustiam pontificalia sacramenta concludo, amplius mihi ex ista for-
 ma aliquid videtur ostendi. Pontifex est, qui scientiam legis tenet, & uniuscuiusque
 mysterij intelligit rationes: & ut breuiter explicem, qui legem & secundum spiri-
 tum, & secundum litteram nouit. Sciebat ergo pontifex ille, quem tunc ordinabat
 Moses, quia esset circumcisio spiritualis: seruabat tamen & circumcisionem carnis, quia
 incircuncisus pontifex esse non poterat. Habebat ergo iste duas tunicas, unam mi-
 nisterij carnalis, & aliam intelligentiae spiritualis. Sciebat quia & sacrificia spiritalia
 offerri debent Deo, offerebat tamen nihilo minus & carnalia. Non enim poterat esse
 pontifex eorum, qui tunc erant, nisi hostias immolaret. Ita ergo conuenienter il-
 le pontifex duabus indutus tunicis dicitur. Apostoli vero, qui dicturi erant, quia si
 circumdamini, Christus nihil vobis proderit. & qui dicturi erant: Quia nemo vos
 iudicet in cibo, aut in potu, aut parte diei festi, aut neomeniae, aut sabbatorum, quae
 sunt umbra futurorum: isti ergo ut huiusmodi secundum litteram legis obseruan-
 tias penitus repudiarent, nec occuparent discipulos Iudaicis fabulis, & imponerent eis
 iugum, quod neque ipsi, neque parentes eorum portare potuerunt: merito duas habere
 tunicas prohibentur, sed sufficit eis una, & haec interior. Nam istam, quae foris est,
 et quae desuper apparet, legis tunicam ipsi nolunt. Unam namque eis Iesus, & ipsam in-
 teriorem habere permittit. Imponit tamen Moses pontifici et humeralem, qui est
 humerorum quidem ex circūductione vestis ornatus. Humeri autem, operum tenent
 laboris indicia. Vult ergo pontificem esse etiam in operibus ornatum, nec sufficit so-
 la scientia: Quia qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum. Et
 cinxit, inquit, eum secundum facturam humeralis, iam & superius dixerat, quia cin-
 xerat eum zona super tunicam, & modo iterum cingitur secundum facturam hume-
 ralis. Quod est istud duplex cingulum, quo constrictum vult esse ex omni parte pon-
 tificem: Constrictus sit in verbo, constrictus in opere, expeditus ad omnia, nihil re-
 missum, nihil habeat dissolutum. Accinctus sit animi virtutibus, constrictus sit a cor-
 poralibus vitijs. Nullum animae lapsum, nullum corporis timeat: utroque cingulo sem-
 per utatur, ut sit sanctus corpore et spiritu. Bene autem est, quod & secundum facturam
 humeralis cingitur. Secundum facturam enim suam, & secundum opera sua cin-
 gulo virtutis utitur. Et post haec, inquit, imposuit super eum logium, quod est rati-
 onale, & imposuit super logium manifestationem et veritatem, et imposuit mi-
 tram super caput eius. Sed videamus, quid logium, quid rationale significet. Postea
 quam nuditas tecta est, & indumentis turpitudine velata, postquam munitus operi-
 bus, & cingulo utroque formatus, logium ei, id est, rationale traditur. Logium, sa-
 pientiae indicium est, quia sapientia in ratione consistit. Sed quae sit sapientiae huius
 & rationis virtus, ostendit. Imponit enim super rationale manifestationem et veri-
 tatem. Non enim sufficit pontifici habere sapientiam, et scire omnium rationem, nisi
 possit etiam populo manifestare, quae nouit. Ideo ergo imponitur ei rationale et
 manifestatio, ut possit respondere omni poscenti se rationem de fide et veritate. Pon-
 nitur autem super illud et veritas, ut non illa adstruat, quae proprio excogitare quirit
 ingenio, sed quae veritas habet nec unquam a veritate discedat, ut in omni sermone eius
 semper veritas maneat. Hoc est ergo superposuisse rationali manifestationem et ve-
 ritatem. Infelices illi, qui haec legentes, omnem intelligentiam suam erga sensum vestimen-
 ti corporalis effundunt. Dicant nobis, quale est vestimentum manifestationis, aut
 indumentum quale est veritatis? Si quis unquam vidit, si quis audiuit manifestationem
 et ve-

A & veritatem indumenta nominari, dicat nobis, quae sunt mulieres, quae ista texue-
 runt: In quo haec unquam sunt confectata extrino: Sed si verum vultis audire, sapi-
 entia est, quae huiusmodi confecit indumenta. Illa occultorum manifestationem, il-
 la texit rerum omnium veritatem. Hanc ergo oremus a domino ut accipere mere-
 amur, & ipsa nos talibus circumdabit indumentis. Sed & ipse ordo rerum quam san-
 ctus sit, & quam mirabilis, intueri. Non ante logium, & postea humerale, quia non
 ante sapientia, quam opera, sed prius opera haberi debent, & postea sapientia quaerenda.
 Tum deinde non ante manifestatio, quam rationale, quia non ante alios docere, quam nos instructi & rationabiles esse debemus. Super haec autem additur veritas,
 quia veritas est summa sapientia. Denique & Propheta hunc eundem ordinem
 seruat, quum dicit: Seminate vobis ad iustitiam, & metite fructum vitae: illuminate
 vobis lumen scientiae. Vides, quomodo non dicit primo, illuminate vobis lumen
 scientiae, sed primo, seminate vobis ad iustitiam. Et non sufficit seminare, sed meri-
 te, inquit, fructum vitae, ut post haec possitis implere, quod sequitur, illuminate vobis
 lumen scientiae. Sic ergo etiam hic imponitur humeralis ornatus, & id non sufficit, sed
 & zona constringitur. Sed & hoc quidem non satis est, secundum adhuc cingitur, ut
 ita demum rationale possit imponi, ut post haec manifestatio subsequatur & veri-
 tas. His indumentis pontifex utitur, tali ornatu debet indui, qui sacerdotium gerit:
 sed nondum finis. Et alius adhuc addendus ornatus est: necesse est enim, ut accipiat
 etiam coronam. Propterea accipit primo cydarim, quod est, vel operimentum quod-
 dam capitis, vel ornamentum. Et post haec superponitur ei mitra ante faciem, id est,
 a fronte pontificis lamina aurea sanctificata, in qua sculptum dicitur vocabulum Dei.
 Verum iste capitis ornatus, ubi nomen Dei impositum dicitur, post illa omnia, quibus
 inferiora corporis membra fuerant exornata, superponitur. In quo mihi indi-
 cari videtur, quod super omnia, quae vel de mundo, vel de caeteris creaturis senti-
 ri aut intelligi possunt, eminentior, tanquam auctoris omnium, scientia Dei sit. Et
 quia ipse caput est omnium, ideo & ornatus iste super omnia capiti superponitur:
 nihil enim post haec additur pontificis capiti. Et ideo miseri sunt illi, de quibus dicit
 Apostolus: Quia non tenet caput, ex quo omnis iunctura connexa & compaginata cre-
 scit in incrementum Dei in spiritu. Sed nos, si bene intellexerimus, quis sit sacerdo-
 tis ornatus, qui ve super omnia honor capitis eius, mysteriorum diuinorum profun-
 da rimantes, non scire tantum haec & audire, sed & implere desideremus & facere:
 Quia non auditores legis iustificabuntur apud dominum, sed factores. Potes enim
 & tu (ut saepe iam diximus) si studijs & vigilijs tuis, huiusmodi tibi praeparaueris
 indumenta, si te abluerit & mundum fecerit sermo legis, & unctio chrismatis, & gra-
 tia in te baptismi incontaminata durauerit, si indutus fueris indumentis duplicibus
 litterae ac spiritus: si etiam dupliciter accingar, ut carne & animo castus sis: si hume-
 rali operum & sapientia rationali orneris: si etiam mitra tibi, & lamina aurea, pleni-
 tudo scientiae Dei caput coronet: scito te (etiam si apud homines lateas & ignore-
 ris) apud dominum tamen agere pontificatum intra animae tuae templum. Vos enim
 estis templum Dei viui, si spiritus Dei habitat in vobis. Post haec, quae de consecrati-
 one eius dicuntur & de unctio, sparsim a nobis & saepe diffusa sunt. Quod autem
 dicit: Et applicuit Moses filios Aaron, & induit eos tunicas, & praecinxit eos zonas,
 & imposuit eis cydaras, sicut praecipit dominus Moysi, attendendum est, quae sit dif-
 ferentia minorum sacerdotum ad maiora sacerdotia. Istis neque bina indumenta tradun-
 tur, neque humeralis, neque rationalis, neque capitis ornatus, nisi tantum cydaris & zona,
 quae tunicam stringant. Et isti ergo accipiunt sacerdotij gratiam, & isti funguntur offi-
 cio, sed non ut ille, qui & humerali & rationali ornatur, qui manifestatione & verita-
 te resplendet, qui aureae laminae ornamento decoratur. Vnde arbitror aliud esse in
 sacerdotibus officio fungi, aliud instructum esse in omnibus & ornatum. Quis enim
 potest solenni ministerio fungi ad populum: pauci tamen sunt, qui ornati moribus, instructi
 L. iij. doctri-

doctrina, sapientia eruditi, ad manifestandam veritatem rerum sint peridonei, & qui scientiam fidei non sine ornamento sensuum & adsertionū fulgore depromat, quod aureæ laminæ capiti impositæ designat ornatus. Vnum igitur sacerdotij nomen, sed non vna vel pro vitæ merito, vel pro animi virtutibus dignitas. Et ideo in ijs, quæ lex diuina describit, veluti in speculo inspicere debet vnusquisq; sacerdotū, & gradus meriti sui inde colligere. Qui si se videat in his omnibus (quæ supra exposuimus) positum pontificalibus ornamentis, si conscius sibi sit, qd vel in sciētia, vel in actibus, vel in doctrina tantus ac talis sit, sciat se summū sacerdotium nō solum nomine, sed et meritis obtinere. Alioqui inferiorem sibi gradū positū nouerit, etiam si primi nomen acceperit. Non nos sanè debet præterire etiam hoc, quod potest à studio lectore proferri, in q̄ & ego saepe mecum ipse hēstitaui. In Exodo enim legēs, vbi de sacerdotalibus mandatur indumentis, inuenio octo esse species, quæ pontifici præparantur, hic verò septem tantum modo numerantur. Require ergo quid sit, quod ommissum est. Octaua species ibi ponitur cæpestre, siue (vt alibi legimus) femoralia linea, de q̄ hic inter cætera siluit indumenta. Quid ergo dicemus: obliuionem dabimus in verbis spiritus sancti, vt cum cætera omnia secundò enarrauerit, in vna eum specie superius dicta veritas latuerit: Non audeo hoc de sacris sentire sermonibus. Sed videamus, ne fortè, quoniam in superioribus diximus, hoc genus indumenti, indicium castitatis videri, quo vel femora operiri, vel constringi renes videntur ac lumbi, ne fortè, inquam, non semper in illis, qui tunc erant sacerdotes, has partes dicat esse debere constrictas. Aliquando enim & de posteritate generis, & successu sobolis indulgetur. Sed & ego in sacerdotibus Ecclesiæ huiusmodi intelligentiam non introduxerim. Alio nanq; video rem currere sacramento. Possunt enim & in Ecclesia sacerdotes & doctores filios generare, sicut & ille, qui dicebat: Filii mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Et iterum alibi dicit: Tametsi multa milia pædagogorū in Christo habeatis, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Isti ergo doctores Ecclesiæ, in huiusmodi generationibus procreandis, aliquando constrictis femoralibus vtuntur, & abstinēt à generando: quum tales inuenerint auditores, in quibus sciant se fructū habere non posse. Deniq; in Actis apostolorum refertur de quibusdā, quod non potuerunt, inquit, in Asia verbum Dei loqui, hoc est, imposita habuisse femoralia, & continuissē ne filios generarent: q̄ scilicet tales erant auditores, in quibus & semen periret, & nō posset haberi successio. Sic ergo Ecclesiæ sacerdotes, cum incapaces aures viderint, aut cum simulatos inspexerint & hypocritas auditores, imponāt campestre, vtantur femoralibus. Nō enim pereat semē verbi Dei, quia & dominus eadem mādāt & dicit: Nolite mittere sanctum canibus, neq; margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus, & conuersi dirumpant vos. Propterea ergo, si quis vult pontifex non tam vocabulo esse, quàm merito, imitetur Moysen, imitetur Aaron. Quid enim dicitur de eis: Quia non discedunt de tabernaculo domini. Erat ergo Moyses indefinenter in tabernaculo domini. Quod autem opus eius erat: vt à Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hæc duo sunt pontificis opera, vt à Deo discat legendo scripturas diuinas & sapius ruminando: aut populum doceat. Sed illa doceat, quæ ipse à Deo didicerit, non ex proprio corde, vel ex humano sensu, sed q̄ spiritus docet. Est & aliud opus, quod facit Moyses. Ad bellum non vadit, non pugnat contra inimicos: sed qd facit: Orat, & donec ille orat, vincit populus eius. Si relaxauerit et dimiserit manus, populus eius vincitur & fugatur. Oret ergo & sacerdos Ecclesiæ indefinenter, vt vincat populus, qui sub ipso est, hostes inuisibiles Amalechitas, qui sunt dæmones impugnantes eos, qui volunt pie viuere in Christo. Et ideo nos in his meditates, & hæc die ac nocte ad memoriam reuocantes, & orationi instantes ac vigilantes in eis deprecemur dominū, vt nobis ipse horum, quæ legimus, scientiam reuelare dignetur, & ostēdere, quomodo spiritalem

Exodi 28

Galat. 4

1. Corin. 4

Actor. 16

Matth. 7

Exodi 33

Exodi 17

A talem legem non solum intelligentia, sed & actibus obseruemus, vt spiritalem gratiam consequi mereamur, illuminati per legem spiritus sancti, in Christo Iesu domino nostro, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Sexti Libri FINIS.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRI
ni in Leuiticum Liber VII.

De eo, quod mandatum est Aaron & filiis eius, ut vinum & siceram non bibant, quum ingrediuntur tabernaculum testimonij, uel quum accedunt ad altare, & de pestusculo appositionis & brachio separationis, & de mundis uel immundis animalibus uel cibus.



B Lura quidem superiore lectione fuerant recitata, ex quibus temporis breuitate constricti, pauca admodum diximus. Non enim nunc exponendi scripturas, sed ædificandi Ecclesiam ministerium gerimus: quauis & ex ijs, quæ à nobis tractata sunt, prudens quisq; auditor euidenter ad intelligendum possit semitas inuenire. Et ideo ex ijs quoq; quæ nunc lecta sunt, quoniam cuncta non possumus, aliqua tamen, quæ ædificent auditores, veluti agri pleni, quem benedixit dominus, flosculos colligemus. Quid ergo sit, quod nunc nobis lectum est, videamus.

Genesis 27

Et locutus est dominus ad Aaron, dicens: Vinum & siceram non bibetis tu & filij tui tecum, quum intrabitis in tabernaculum testimonij, aut quum accedatis ad altare: & non moriemini. Legitimum æternum in progenies vestras, discernere inter medium sanctorum & contaminatorum, & inter medium immundorum, & inter medium mundorum, & instruere filios Israel omnia legitima, quæ locutus est dominus ad eos per manum Moysi.

Leuiti. 10

Lex euidenter datur & sacerdotibus & principi sacerdotum, vt cum accedunt ad altare, vino abstineant, & omni potu, qui inebriare potest, quem scripturæ diuinæ moris est siceram nominare. Vult ergo sermo diuinus sobrios esse domini sacerdotes: vt pote qui accedentes ad altare Dei, orare pro populo debeant, & pro alienis interuenire delictis: qui portionem in terra non habeant, sed ipse dominus portio eorum sit. Sic enim dicit de eis scriptura: Filij, inquit, Leui non dabitis partem in medio fratrum suorum, quia ego portio eorum, dominus Deus ipsorum. Vult ergo istos, quibus dominus portio est, sobrios esse, ieiunos, vigilantes in omni tempore: maximè autem quum ad exorandum dominum, & sacrificandum in conspectu eius altaribus præsto sunt. Quæ mandata in tantū vim sui seruāt, & omni obseruantia custodienda sunt, vt & apostolus hæc eadē noui testamenti legibus firmet: in quo similiter etiā ipse sacerdotibus vel principibus sacerdotum vitæ regulas ponēs, dicit eos nō debere esse vino multo seruietes, sed sobrios esse. Sobrietas verò omniū virtutum mater est, sicut e contrario ebrietas omnium vitiorum. Aperte enim pronunciauit Apostolus, dicens: Vinū, in quo est luxuria: vt ostenderet ex ebrietate veluti primogenitam filiam generari luxuriā. Tum præterea & saluator, domi-

Numer. 18

1. Timot. 3

Ephesio. 5

Lucas 21 domini & regis autoritate sacerdotibus simul & populis leges ac iura constituens. Attendite, inquit, ne forte grauentur corda vestra in ebrietate, & crapula, & in sollicitudinibus seculi, & veniat super vos subitaneus interitus. Audistis edictum regis æterni, & lamentabilem finem ebrietatis vel crapulæ didicistis. Si quis vobis peritus & sapiens medicus his ipsis verbis præciperet, & diceret: Attendite vobis, ne quis (verbi gratia) de illius vel illius herbæ succo auidius sumat; quod si fecerit, subitus ei veniet interitus: non dubito, quin vnusquisque propriæ salutis intuitu, præmonentis medici præcepta seruet. Nunc verus animarum, & corporum medicus, simulq; dominus, iubet ebrietatis herbam & crapulæ vitandam, similiter & sollicitudinum secularium, velut mortiferos succos cauendos. Et nescio, si quis nostrum, non in his consumitur, ne dixerim, fauciatur. Est ergo ebrietas vini perniciofa in omnibus. Sola nanque est, quæ simul cum corpore & animam debilem redat. In cæteris etenim potest fieri, vt secundum Apostolum, quum infirmatur corpus, tunc magis potens sit spiritus. Et vbi is, qui de foris est, homo corrumpitur: ille qui intus, renouetur. In ebrietatis verò aegritudine corpus simul & anima corrumpitur, spiritus pariter cum carne vitatur. Omnia mēbra debilia, pes, manus, lingua resoluta: oculos tenebræ, mentem velat obliuio, ita vt hominem se nesciat esse, nec sentiat. Habet ergo istud primò de decoris, corporalis ebrietas. Iam verò si discutiamus, quot modis mens inebriatur humana, inuenimus ebrios etiam eos, qui sibi sobrii videntur. Iracūdia inebriat animā: furor verò eā plusquam ebriā facit, si quid tamen ebrietate esse amplius potest. Cupiditas & avaritia nō solum ebrium, sed & rabidum hominem reddunt: & obscœnæ concupiscentiæ inebriant animā, sicut eō trario sanctæ concupiscentiæ inebriant eam: sed ebrietate sancta illa, de qua dicebat quidam sanctorum: Et poculum tuum inebrians q̄ præclarum est. Sed postmodum de ebrietatis diuersitate videbimus, nunc interim vide, quanta sint, quæ inebriant animam. Et formido inebriat eam, & vana suspicio. Inuidia autem & liuor supra omnem ebrietatem macerant eam. Sed enumerari non possunt, quanta sunt, quæ infelicem animam vitio ebrietatis afficiant. Nunc interim de sacerdotibus videamus, quos accedentes ad altare, vino lex præcipit abstinere. Et quidem quātum ad historicum pertinet præceptum, sufficiat ista, quæ dicta sunt: quantum autem ad intelligentiam mysticā spectat, in superioribus tenetur nostra professio, quod secundum autoritatem Pauli apostoli, dominus & saluator noster futurorum bonorum pōtifex dicitur. Ipse est ergo Aaron: filij verò eius, apostoli eius sunt, ad quos ipse dicebat: Filij, adhuc modicum vobiscum sum, quod ergo præcepit lex Aaron et filiis eius, vt vinum & siceram non bibant, cum accedunt ad altare: videamus, quomodo in vero pontifice Iesu Christo domino nostro, & sacerdotibus eius ac filiis, nostris verò apostolis possumus aptare. Et perspicendum primò est, quomodo prius quidem, quàm accedit ad altare verus hic pontifex, cum sacerdotibus suis bibit vinum. Quum verò incipit accedere ad altare, & ingredi tabernaculum testimoniij, abstinere vino. Putas possumus inuenire tale aliquid ab eo gestum: Putas possumus veteris instrumenti formas, noui testamenti gestis & sermonibus coaptare: Possumus, si nos ipsum Dei verbum & iuuare et inspirare dignetur. Quærimus ergo, quomodo dominus & saluator noster, qui est verus pontifex, cum discipulis suis, qui sunt veri sacerdotes, antequam accedat ad altare Dei, bibat vinum: cum verò accedere cœperit, non bibat vinum. Venerat in hunc mundum saluator, vt pro peccatis nostris carnem suam offerret hostiam Deo. Hanc priusquam offerret, inter dispensationū moras vinum habebat. Deniq; dicebatur homo vorax & vini potator, amicus publicanorū & peccatorum. Vbi verò tēpus aduenit crucis suæ, & accessurus erat ad altare, vbi immolaret hostiā carnis suæ, accipiens, inquit, calicē benedixit, & dedit discipulis suis, dicens: Accipite et bibite ex hoc. Vos, inquit, bibite, qui accessuri nō estis ad altare. Ipse autē tanquā accessurus ad altare, dicit de se: Amen dico vobis, quia non bibam

A bam de generatione vitis huius, vsquequo bibam illud vobiscum nouum in regno patris mei. Si quis vestrum auribus ad audiendum purificatis accedat, ineffabilis mysterij intueatur arcanū. Quid est quod dicit, quia non bibā ex generatione vitis huius, vsquequo bibā illud vobiscum nouum in regno patris mei? Dicebamus in superioribus, promissionem bonæ huius ebrietatis sanctis datam, quum dicūt: Et poculum tuum inebrians quā præclarū est. Sed & in alijs multis scripturæ locis similia legimus, vt ibi: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatistue potū dabis illis. In Hieremia quoq; dicit dominus: Inebriabo populū meum. & Esaias dicit: Ecce qui seruiunt mihi, bibent, vos autem sitietis. Et multa de huiusmodi ebrietate in scripturis diuinis inuenies memorari: quia ebrietas sine dubio pro gaudio animæ, & lætitia mentis accipitur, sicut & alibi distinxisse nos memini, aliud esse nocte inebriari, et aliud die inebriari. Si ergo intelleximus, q̄ sit sanctorum ebrietas, & quō hæc pro lætitia sanctis in promissionibus datur: videamus nunc, quō saluator noster nō bibit vinum, vsqueq; bibat illud cum sanctis nouū in regno Dei. Saluator meus luget etiam nunc peccata mea, saluator meus lætari non potest, donec ego in iniquitate permaneo. Quare non potest: quia est aduocatus pro peccatis nostris apud patrem, sicut Ioannes Euāgelista pronunciat, dicens: Quia si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christū iustum, & ipse est reprobatio pro peccatis nostris. Quō ergo potest ille, qui aduocatus est pro peccatis meis, bibere vinum lætitiæ, quæ ego peccando contristo: Quō potest iste, qui accedit ad altare, vt reprobiet me peccatorem, esse in lætitia, ad quem peccatorum meorum moeror semper ascendit: Vobiscum, inquit, illud bibam in regno patris mei. Quādiu nos non ita agimus, vt ascēdamus ad regnū, non potest ille vinum bibere solus, quod nobiscum se bibere promissit. Est ergo tādū in moerore, quādiu nos persistimus in iniquitate. Si enim Apostolus ipsius luget quosdam, qui ante peccauerūt, & non egerunt pœnitentiā de ijs, q̄ gesserunt: quid dicā de ipso, qua filius dicitur charitatis, qui semetipsum exinanuit propter charitatem, quā habebat erga nos, et nō quæsiuit q̄ sua sunt, cum esset æqualis Deo: sed q̄siuit q̄ nostra sunt, & propter hoc euacuauit se. Cum ergo ita quæ nostra sunt, quæsiuit, nunc iam nos non requirit, nec quæ nostra sunt, cogitat: nec de erroribus nostris moeret, nec perditiones nostras & contritiones deflet: qui fleuit super Hierusalem, & dixit ad eam: Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluiti: Qui ergo vulnera nostra suscepit, & propter nos doluit, tanquam animarum nostrarum & corporum medicus, modò vulnerum nostrorū putredines negligit: Computraverunt enim (vt ait Propheta) & corruptæ sunt cicatrices nostræ à facie insipientiæ nostræ. Pro his ergo omnibus assistit nūc vultui Dei interpellās pro nobis: assistit altari, vt reprobationem pro nobis offerat Deo. Et ideo dicebat, tanquā accessurus ad altare: quia iam non bibam de generatione vitis huius, donec bibā illud vobiscum nouum. Expectat ergo vt conuertamur, vt ipsius imitemur exēplum, vt sequamur vestigia eius, & lætetur nobiscum, & bibat vinū nobiscū in regno patris sui. Nūc enim, quia misericors est & miserator dominus, maiore affectu ipse q̄ Apostolus suus, flet cum flentibus, & cupit gaudere cum gaudētibus. Et multo magis ipse luget eos, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiā. Neq; enim putandum est, quōd Paulus quidem lugeat pro peccatoribus, & fleat pro delinquentibus: dominus autem meus Iesus abstineat fletu, quum accedit ad patrem, quum assistit altari, & reprobationem pro nobis offert. Et hoc est accedentē ad altare non bibere vinū lætitiæ: quia adhuc peccatorū nostrorū amaritudines patitur. Nō vult ergo solus in regno Dei bibere vinū, nos expectat. Si enim dixit, donec bibā illud vobiscum: nos sumus igitur, qui vitā nostram negligētes, lætitiā illius demoramur. Expectat nos, vt bibat de generatiōe vitis huius. Cuius vitis: illius cuius ipse erat veritas. Ego sum vitis, vos palmites. Vnde et dicit: Quia sanguis meus verè est potus, et caro mea verè est cibibus.

Gene. 49 bus. Verè enim in sanguine vultus lauit stolam suam. Quid ergo expectat: lætitiã. Quando expectat: Quum consummauero, inquit, opus tuum. Quando consummat hoc opus: Quando me, qui sum vltimus & nequior omnium peccatorum, consummatum fecerit & perfectum, tunc consummat opus eius. Nunc enim adhuc imperfectum est opus eius, donec ego maneo imperfectus. Deniq; donec ego non sum subditus patri, nec ipse dicitur patri esse subiectus: non quo ipse subiectione indigeat apud patrem, sed pro me, in quo nondum opus suum consummauit, ipse dicitur non esse subiectus: sic enim legimus, quoniam corpus sumus Christi, & membra ex parte. Quid autem est, quod dicit, ex parte, videamus. Ego nunc verbi gratia, subiectus sum Deo secundum spiritum, hoc est, proposito & voluntate: sed quando in me caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, & nondum potui subijcere carnem spiritui, subiectus quidem sum Deo, verum non ex integro, sed ex parte. Si autem potuero etiam carnem meam, & omnia membra in consonantiam spiritus trahere, tunc perfecte videbor esse subiectus. Si intellexisti quid sit ex parte, & quid sit ex integro esse subiectum, redi nunc ad id quod de subiectione domini proposuimus: & vide, quia quum omnes corpus ipsius & membra esse dicamur, donec sunt aliqui in nobis, qui nondum perfecta subiectione subiecti sunt, ipse dicitur non esse subiectus. Quum verò consummauerit opus suum, & yniversam creaturam ad summam perfectionis adduxerit, tunc ipse dicitur subiectus in ihs, quos subdidit patri, & in quibus opus quod ei pater dederat consummauit, vt sit Deus omnia in omnibus. Verum hæc quo spectant: vt intelligeremus id quod supra tractauimus, quomodo bibit vinum, antequam intraret in tabernaculum, antequam accederet ad altare: & non bibit nunc, quia assistit altari & luget peccata mea: & rursum bibit post hæc, quum subiecta ei fuerint omnia, & solutis omnibus, ac destructa morte peccati, vltra iam necessarium non erit offerre hostias pro peccato. Tunc enim erit gaudium & lætitiã, & tunc exultabunt ossa humiliata: & implebitur illud, quod scriptum est: Aufugit dolor & tristitiã & gemitus. Sed & illud non omittamus, quod non solum de Aaron dicit, vt non bibat vinum, sed & de filiis eius, quum ingrediuntur ad sancta. Nondum enim receperunt lætitiã suam, nec apostoli quidem: sed & ipsi expectant, vt & ego lætitiã eorum particeps fiam. Neq; enim discedentes hinc sancti continuo integra meritorum suorum præmia consequuntur, sed expectant etiam nos, licet morantes, licet desides. Non enim est illis perfecta lætitiã, donec pro erroribus nostris dolent, & lugent nostra peccata. Hoc fortasse mihi dicenti non credas. Quis enim ego sum, qui confirmare sententiã tanti dogmatis audeam: sed adhibeo horum testem, de quo non potest dubitari. Magister enim gentium est in fide & veritate apostolus Paulus. Ipse igitur ad Hebræos scribens, quum enumerasset omnes sanctos patres, qui per fidem iustificati sunt, addit post omnia etiam hoc: Sed isti, inquit, omnes testimonium habentes per fidem, nõdum affectu repromissionem. Deo pro nobis melius aliquid providente, vt non sine nobis perfectionem consequerentur. Vides ergo quia expectat adhuc Abraham, vt quæ perfecta sunt, consequatur, expectat & Isaac & Iacob, & omnes prophetæ expectant nos, vt nobiscum perfectam beatitudinem capiant. Propter hoc ergo etiam mysterium illud in vltimã diem dilati iudicij custoditur. Vnum enim corpus est, quod iustificari expectatur: vnum corpus est, quod resurgere dicitur in iudicio. Licet enim sint multa membra, sed vnum corpus est. Non potest oculus dicere manui, non es mihi necessaria, etiam si sanus sit oculus, & non turbatus, quantum pertinet ad videndum: si desint ei reliqua membra, quæ erit oculo lætitiã: Aut quæ videbitur esse perfectio, si manus nõ habeat, si pedes desint, aut reliqua membra non adsint: Quia etsi est præcellens aliqua oculi gloria, in eo vel maximè est, vt vel ipse dux sit corporis, vel cæterorum membrorum dirigat officia. Hoc autem nos & per illã Ezechielis prophetæ visionem doceri puto, quum dicitur

A dicitur congregandum esse os ad os, & iuncturam ad iuncturam, & nervos & venas & pellem, ac singula locis suis esse reparanda. Deniq; vide, quod addit Propheta: Ossa, inquit, ista, nõ dixit, omnes homines sunt: sed dixit, ossa ista domus Israel sunt. Habebis ergo lætitiã de hac vita discedens, si fueris sanctus. Sed tunc erit plena lætitiã, quum nullum tibi membrum corporis deerit. Expectabis enim & tu alios, sicut ipse expectatus es. Quod tibi, qui membrum es, non videtur esse perfecta lætitiã, si desit aliud membrum: quanto magis dominus & saluator noster, qui caput & autor est totius corporis, non sibi perfectam ducit esse lætitiã, donec aliquid ex membris deesse corpori suo videret: & propterea fortè oratione fundebat ad patrem, dicens: Pater sancte glorifica me illa gloria, quã habui apud te, priusquã mundus esset. Non vult ergo sine te recipere perfectam gloriã suam, hoc est, sine populo suo, qui & corpus eius & membra est. Vult in isto corpore Ecclesiæ suæ & in istis membris populi sui ipse velut anima habitare, vt omnes motus atq; omnia opera secundum ipsius habeat voluntatem, vt verè compleatur in nobis illud Prophetæ dictum: Habitabo in eis & inambulabo. Nunc autem, donec perfecti non sumus omnes, sed adhuc sumus in peccatis, ex parte in nobis est, & ideo ex parte scimus, & ex parte prophetamus, donec venire quis mereatur ad illam mensuram, quam dicit Apostolus: Vivo autem iam non ego, vivit verò Christus in me. Ex parte ergo (vt dicit Apostolus) nunc membra eius sumus, & ex parte ossa eius sumus. Quum autem coniuncta fuerint ossa ad ossa, & iuncturæ ad iuncturam, secundum hoc, quod supra diximus, tunc etiam ipse dicit de nobis illud Propheticum: Omnia ossa mea dicent, domine, quis similis tibi: Omnia namq; ossa ista loquuntur, & hymnum dicunt, & gratias agunt Deo: meminerunt enim beneficij eius. Et ideo omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi: eripiens pauperem de manu fortioris eius. De istis ossibus, quum adhuc essent dispersa, antequã veniret, qui ea colligeret & congregaret in vnum, dictum est & illud Propheticum: Dispersa sunt ossa nostra secus infernum. Quia ergo dispersa erant, propterea dicitur per alium Prophetam: Congregentur ossa ad ossa, & iunctura ad iuncturam, & nervi & venæ & pelles. Quum enim hoc factum fuerit, tunc omnia ista ossa dicent: Domine, quis similis tibi: eripiens inopem de manu fortioris eius. Vnum quodq; enim os ex istis ossibus inops erat, & atterebatur fortioris manu. Non enim habebat iuncturam charitatis, non nervos patientiæ, non venas vitalis animi & fidei vigorem: vbi verò venit, qui dispersa colligeret, & qui dissipata congregaret, consocians ossa ad ossa, & iuncturã ad iuncturam, ædificare cœpit sanctum corpus Ecclesiæ. Hæc inciderunt quidẽ extrinsecus huic disputatiõni, sed necessario explanata sunt, vt manifestior fieret potifficis mei ingressus in sancta, non bibentis vinum, quandiu sacerdotio fungitur. Post hæc tamen bibit vinum, sed vinum nouum, & vinum nouum in cœlo nouo, & in noua terra, & in nouo homine, cum hominibus nouis, cum ihs, qui cantant ei canticum nouum. Vides ergo, quia impossibile est de noua vite nouum poculum bibi ab eo, qui adhuc indutus est veterem hominem cum actibus suis. Nemo enim, inquit, mittit vinum nouum in vtres veteres. Si vis ergo & tu bibere de hoc nouo vino, innouare & dici: Quia etsi exterior homo noster corrumpitur, sed qui intus est, renouatur de die in diem. Et quidem de his sufficienter dictum. Multa sunt & alia, quæ recitata sunt, sed quoniam cuncta non possumus, eligendum est, de quibus dicere debeamus. Et quoniam quid esset bibere, & non bibere vinum, pro viribus diximus: nunc etiam quid sit comedere pectusculum separationis & brachium oblatiõis, videamus, & post hæc de mundis & immundis, vel cibis vel animalibus, in quatum dominus dederit, et temporis spacium fuerit, differemus. Dicit ergo scriptura:

Pectusculum segregationis & brachium oblationis manducabis in loco sancto tu & filij tui, & domus tua tecum. Legitimum enim tibi, & legitimum

num filijs tuis datum est a sacrificijs salutaribus filiorum Israel, brachium oblationis & pectusculum segregationis.

Non omne pectusculum, segregationis est pectusculum: nec omne brachium, oblationis vel separationis est brachium. Sed quoniam ad dominum nostrum Iesum personam pōtificis reuocauimus, & ad filios eius sanctos apostolos, videamus quomodo ipse quidem pectusculum segregationis māducat, & filij eius: alij autem non omnes possunt segregationis pectusculum manducare. Quid igitur est, quod à rebus omnibus segregetur, nec est cōmune cum reliquis, nisi sola substantia Trinitatis: Si ergo intelligam quidem rationem mundi, non possim autem de Deo intelligere, sicut dignum est, neq; reuelata mihi fuerit scientia Dei, manduco quidem pectusculum, sed non pectusculum segregationis, etiam si potuero dicere: Ipse enim mihi dedit omnium, quæ sunt, scientiam veram, vt sciam rationem mundi & virtutem elementorum, initium & finem, medietatem temporum, permutationum vicissitudines & conuersiones temporum, anni circulos, & stellarum positiones. Horum omnium scientia, quia rationalis est, pectusculi cibus est: sed non pectusculi segregationis. Si autem potuero de Deo sentire, quæ magna, quæ vera, quæ sancta sunt & segregata, tunc manducabo pectusculum segregationis, quum id quod ab omni creatura eminet & segregatur, agnouero. Primo ergo pectusculum istud verus meus pontifex comedit. Quō comedit? Nemo, inquit, nouit patrē nisi filius, Secundo in loco māducabunt & filij eius. Nemo, inquit, nouit patrē nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Quibus autem alijs, nisi apostolis suis reuelat: Sed & brachium separationis vel oblationis, sicut superius diximus, actus sunt, & opera eminentiora, quæ cæteris vtiq; prius ipse saluator & dominus meus impleuit. Quō impleuit? Meus, inquit, cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui me misit, & perficiam opus eius. Quum ergo facit voluntatem eius, qui misit eum: in hoc non pectusculū, sed brachium segregationis comedit. Similiter autem & apostoli eius, cum faciunt opus Euangelistæ, & efficiuntur operarij inconfusibiles, rectē tractātes sermonem veritatis, separationis vel oblationis brachium comedunt. Vis adhuc planius videre, quomodo saluator separationis brachium comedat, audi quid dicit ad Iudeos: Si feci, inquit, in vobis opera, quæ nullus alius fecit, pro quo horum vultis me occidere? Vides, quomodo ipse manducat brachium separationis, qui opera tam segregata, & tam sublimia, quàm nullus alius, fecit. Sed iam videamus aliqua etiam ex ijs, q̄ de mūdīs atq; immūdīs, vel de cibus vel de animalibus lecta sunt. Et sicut in explanatione poculi, de vmbra ascendimus ad veritatem spiritalis poculi: ita etiam de cibus, qui per vmbra dicuntur, ascendamus ad eos, qui per spiritum veri sunt cibi. Sed ad hæc inuestiganda, scripturæ diuinæ testimonijs indigemus, ne qui putent (amāt enim homines exacuerē linguas suas vt gladium) ne qui inquam putent, quod ego vim faciam scripturis diuinis, & ea, quæ de animalibus quadrupedibus, vel etiam auibus, aut piscibus mundis siue immundis, in lege feruntur, ad homines traham, & de hominibus hæc dicta esse confingam. Fortassis enim dicat quis auditorū, cur vim facis scripturæ diuinæ? Animalia dicuntur, animalia intelligantur. Ne ergo aliquis hæc deprauari humano credat ingenio, apostolica in his autoritas reuocanda est. Audi ergo primò omnium, qualiter Paulus de his dicat: Omnes enim, inquit, per mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & mari, & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali, consequenti eos petra: petra autē erat Christus. Paulus hæc dicit, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Phariseus, edoctus secus pedes Gamalielis, qui vtiq; nunquam auderet spiritalē escam, spiritalē potum appellare, nisi hunc esse sensum legislatoris per traditā sibi verissimæ doctrinæ sciētiam didicisset. Vnde & illud addit, tanquam confidens & certus de ciborum ratione mundo-

A mundorum vel immundorum, quōd non secundum literam, sed spiritaliter obseruanda sint, & dicit: Ne quis ergo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei te Coloss. 3
sti, aut neomeniæ, aut sabbatorū, quæ sunt vmbra futurorum. Vides ergo, quō hæc omnia, q̄ de cibus vel de potu loquitur Moses, Paulus q̄ melius ista didicerat, quàm hi qui nunc iactant se esse doctores, omnia hæc vmbra dicit esse futurorum. Et ideo, sicut diximus, ab hac vmbra ad veritatem debemus ascendere Christiani. Et Christianis sermo est, quibus apostolorum curæ esse debet autoritas. Si quis verò arrogantia tumida, apostolica dicta contemnit aut spernit, ipse viderit. Mihi autem sicut Deo & domino nostro Iesu Christo, ita & apostolis eius adhærere bonum est, Psalm. 71
& ex diuinis scripturis secundum ipsorum traditionem intelligentiam capere. Erit autem opportunum fortassè tempus, si tamen Dei voluntas in hoc fuerit, & rerum tranquillitas permiserit (nescimus enim quid pariant superuentura) vt etiam ex veteri testamento assignemus, secundum id, qd & apostolis visum est, ciborum mundorum vel immundorū, sed & animalium vel piscium, de quibus in lege scribit, intelligentiam ad homines referendam. Sed nunc quoniam latiore vtī explanatione non est tempus, duobus luminibus apostolorum Petro & Paulo testibus contenti sumus. Et quidē Paulus q̄ senserit, iā protulimus. Petrus verò apostolus, cum esset in loppe, & orare vellet, ascendit in superiora. Ego statim & hoc ipsum, quod noluit in inferioribus orare, sed ascendit ad superiora, non frustra dici accipio. Neq; enim tāti apostoli consilium ex superfluo superiora delegit ad orandum: sed quantum ego arbitror, vt ostēderetur, quōd Petrus, quia mortuus erat cum Christo, quæ sursum sunt, quærebat, vbi Christus est in dextra Dei sedens, & non, quæ super terram. Il- Coloss. 3
luc ascendebat ad illa tecta, ad illa fastigia, de quibus dicit & dominus: Qui in tecto Matth. 24
est, non descendat tollere aliquid de domo. Deniq; vt scias, quia non hæc superflue de Petro dicimus, quōd ad superiora conscēderit, ex consequentibus approbabis.

B Ascendit, inquit, ad superiora, vt oraret, & vidit cœlum apertum. Nondum tibi videtur Petrus ad superiora, non solum corpore, sed & mente ac spiritu conscēdisse. Vidit, inquit, cœlum apertum, & vas quoddam deponi sicut linteam in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & reptilia, & volatilia cœli, & audiuit vocem dicentem sibi: Surge Petre, occide & manduca. De his sine dubio imperat manducandis quadrupedibus, & serpentibus, & volatilibus, quæ superposita linteo ad eum cœlitus sunt delata. At ille: Domine, inquit, tu scis, quia nunquam commune aut immū dum introiuit in os meum. Et vox inquit ad eum secundo: Quod Deus mundauit, tu commune ne dixeris. Et hoc factum est per ter. Et post hæc, inquit, receptum est linteam in cœlum. De mundis hic & immundis animalibus ratio est, de quibus rerum scientiam cœlitus docetur apostolus: quoniam quidem eminentiorem se & maiorem non habebat in terris. Et docetur nō vna voce, nec vna visione, sed trina. Ego ne hoc ipsum quidem, quod tertio hæc dicuntur, ociose dicta suscipio. Tertio ei dicitur, & per illum omnibus nobis, quod Deus mundauit, tu commune ne dixeris. Quæ enim mundantur, non sub vna appellatione mundantur, neq; sub secūda, sed & nisi tertia appellatio nominetur, nemo mūdatur. Nisi enim in patre & filio & spiritu sancto fueris mundatus, mundus esse non poteris. Propterea ergo, quæ pro emundatione ostendebantur, non semel neq; iterum, sed tertio ostenduntur, & tertio præcipiuntur. Erant ergo omnia in illo linteo, quadrupedia & volucres cœli. Et post hæc cogitabat, inquit, intra semetipsum Petrus, quid hoc esset. Et adhuc eo cogitante, superuenerunt, inquit, ij, qui à Cornelio Centurione missi fuerant ex hac ciuitate, id est, à Cæsareā in loppem. Ibi nanq; erat Petrus, & hospitabatur apud Simonem quendam coriarium. Benè autem, quōd Petrus apud coriarium maneret, illū fortassè, de quo dicit Iob: quia pelle & carne induisti me. Sed hæc in excessu dicta sint. Interim superueniunt, qui missi fuerant à Cornelio ad Petrum, quos ille suscipiēs, audit ab eis, quæ sibi Cornelius mādat, & descēdens de superioribus venit huc.

Ad Cornelium ergo descendit: adhuc enim deorsum erat Cornelius, & in inferioribus manebat. Venit ergo Cæsaream, inuenit multos hic apud Cornelium cōgregatos, & ait ad eos post multa: Et mihi, inquit, ostendit dominus neminē communem, aut immundum dicere hominem. Videtur tibi Petrus apostolus quadrupedia illa omnia & reptilia & volatilia, dilucidē ad hominem transtulisse, & homines intellexisse ea, quæ sibi in linteo cœlitus lapsa fuerant demonstrata: Sed fortasse dicat aliquis: De quadrupedibus quidem & reptilibus & auibus reddidisti rationem, quod homines intelligi debeant: da etiam de ijs, quæ in aquis sunt, quandoquidem lex etiam de ipsis munda esse quædam, & alia designat immunda. Nihil in his vt verbis meis credatur exposco, nisi testes idoneos dederō. Ipsum vobis dominum et saluatōrē nostrum Iesum Christum testē horum et autorē dabo, quomodo pisces homines esse dicantur. Simile est, inquit, regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, quæ ex omni genere piscium colligit: & quum repleta fuerit, sedentes supra littus, condunt eos, qui boni sunt, in vasis, qui autem mali, foras mittuntur. Evidenter edocuit eos, qui retibus colligi dicuntur pisces, vel bonos homines esse, vel malos. Ipsi ergo sunt, qui secundum Moysen pisces vel mundi vel immundi nominantur. His igitur ex autoritate apostolica, atq; Euāgelica comprobatis, videamus quomodo vnusquisq; hominum vel mundus, vel immundus possit ostendi. Omnis homo habet aliquem in se cibum, quem accedenti ad se proximo præbeat. Non enim potest fieri, vt quum accesserimus adinuicē nos homines, & conseruauerimus sermonē, nō aliquē, vel ex responsione, vel ex interrogatione, vel ex aliquo gestu, aut capiamus inter nos gustum aut p̄beamus. Et si quidē mundus homo est, & bonæ mentis is, de quo gustum capimus, mūdum sumimus cibum. Si verò immundus sit, quē contigimus, immundum cibum secundum ea, quæ supra dicta sunt, sumpsimus. Et propterea puto apostolus Paulus de talibus, velut immundis animalibus dicit, cum huiusmodi nec cibum capere. Verū vt euidentius tibi pateant ad intellectum, quæ dicimus, de maioribus sumamus exemplum, vt inde paulatim descendentes, vsq; ad inferiora veniamus. Dominus & saluator noster dicit: Nisi manducaueritis carnē meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam æternā. Caro enim mea verē cibum est, & sanguis meus verē potus est. Iesus ergo, inquit, totus ex toto mundus est, tota eius caro cibum est, & totus sanguis eius potus est, quia omne opus eius sanctum est, & omnis sermo eius verus est. Propterea ergo & caro eius verus est cibum, & sanguis eius verus est potus. Carnibus enim & sanguine verbi sui, tanquam mundo cibo ac potu, potat & reficit omne hominum genus. Secundo in loco post illius carnem, mundus cibum est Petrus & Paulus, & omnes apostoli: tertio loco, discipuli eorum. Et sic vnusquisq; ipsorum pro quantitate meritorum vel sensum puritate, proximo suo mundus efficitur cibum. Hæc qui audire nescit, detorqueat fortassis, & auertat auditum, secundum illos, qui dicebant: Quomodo dabit nobis hic carnem suam manducare: quis potest audire eum: & discesserūt ab eo. Et vos, si filij estis Ecclesiæ, si Euangelicis imbuti mysterijs, si verbum caro factū habitat in vobis, agnoscite quæ dicimus, quia domini sunt: ne fortē qui ignorat, ignoretur. Agnoscite quia figuræ sunt in diuinis voluminibus, quæ scripta sunt: & ideo tanquam spirituales, & non tanquam carnales examine, & intelligite, quæ dicuntur. Si enim quasi carnales ista suscipitis, lædūt vos, nō alunt. Est enim & in Euāgelij littera, quæ occidit, nec solum in veteri testamento occidens littera deprehenditur. Est & in nouo testamento littera, quæ occidit eum, qui non spiritualiter ea, quæ dicuntur, aduerterit. Si enim secundum litteram sequaris hoc ipsum, quod dictum est: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, occidit hæc littera. Vis tibi & aliam de Euangelio proferam litteram, quæ occidit: Qui nō habet, inquit, gladium, vendat tunicam & emat gladium. Ecce & hæc littera Euangelij, sed occidit. Si verò spiritualiter eam suscipias, non occidit, sed est in ea spiritus viuificans. Et ideo

A Et ideo siue in lege, siue in Euangelijs, quæ dicuntur, spiritualiter suscipe. Quia spiritalis diiudicat omnia, ipse verò à nemine diiudicatur. Vt ergo diximus, omnis homo habet aliquem in se cibum: ex quo qui sumpserit, si quidem bonus est, & de bono thesauro cordis sui profert bona, mundum cibum præbet proximo suo. Si verò malus, & profert mala, immundum cibum præbet proximo suo. Potest enim quis innocens & rectus corde, mundum animal ouis videri, & præbere audienti se cibum mundum, tanquam ouis, quæ animal mundum: similiter & in cæteris. Et ideo omnis homo, vt diximus, quum loquitur proximo suo, siue prodest ei ex sermonibus suis, siue nocet, mundum ei vel immundum efficitur animal, ex quibus vel mundis vtendum, vel immundis præcipitur abstinendum. Si secundum hanc intelligentiam dicamus Deum summū leges hominibus promulgasse, puto quod digna videbitur diuinæ maiestatis legislatio. Si verò assideamus literæ, & secundum hoc, vel quod Iudæis, vel vulgo videtur, accipiamus quæ in lege scripta sunt, erubescō dicere & confiteri, quod tales leges dederit Deus. Videbuntur enim magis elegantes & rationabiles hominum leges: verbi gratia, vel Romanorum, vel Atheniensium, vel Lacedæmoniorum. Si verò secundum hanc intelligentiā, quam docet Ecclesia, accipiatur Dei lex, tunc planē omnes humanas supereminet leges, & verē Dei lex esse credetur. Itaq; his ita præmissis, spiritali (vt commonuimus) intelligentia, de mundis atq; immundis animalibus aliqua perstringamus.

B Omne, inquit, pecus quod vngulam diuidit, & vngulas habet, & reducit ruminationem, in pecoribus manducabitis. Præterea, de ijs non manducabitis, quæ reducunt ruminationem, & nō diuidunt vngulas, & habent vngulas. Camelus, quoniam reducit ruminationem, & vngulam non diuidit, immundum hoc vobis. Et lepus, quoniam reducit ruminationem hic, & vngulam non diuidit, immundum hoc vobis. Et erinacius, quia reducit ruminationem, & vngulam non diuidit, immundum hoc vobis, & cætera.

Decernit ergo, ne manducentur huiusmodi animalia, quæ ex parte videntur esse munda, & ex parte immunda. Sicut camelus ex eo, quod ruminat, mūdus videtur, ex eo autem, quod vngulas diuisas non habet, immundus dicitur. Post hæc etiam nominat leporem & erinacium, sed & ipsos dicit ruminare quidem, sed vngulas nō diuidere. Alium verò ordinem facit eorum, quæ e contrario vngulam diuidunt, sed non ruminant. Primò ergo videamus, qui sint isti, qui ruminant & vngulam diuidunt, quos mundos appellat. Ego arbitror illum dici ruminare, qui operam dat scientiæ, & in lege domini meditatur die ac nocte. Sed audi quomodo dictum est, quæ diuidit, inquit, vngulam, & reuocat ruminationem. Reuocat ergo ruminationem, qui ea, quæ secundum litteram legit, reuocat ad sensum spiritalem, & ab infimis & visibilibus, ad inuisibilia & altiora conscēdit. Sed si mediteris legem diuinam, & ea quæ legis, ad subtilem & ad spiritalem intelligentiam reuoces: vita autem tua & actus tui non sint tales, vt habeant discretionem vitæ præsentis & futuræ, huius seculi & seculi superuenturi, si non ista competenti ratione discernas & diuidas, camelus eris tortuosus, qui quum intellectum acceperis ex meditatione legis diuinæ, non diuidis, neq; segregas præsentia & futura, nec angustam viam à via spaciōsa feceris. Sed adhuc manifestius, quod dicitur, explanemus. Sunt qui assumunt testamentum Dei per os suum, & quum legem Dei in ore habeant, vita & actus sui longè à verbis eorum & sermonibus discrepant. Dicunt enim, & non faciunt, de quibus & Propheta dicit: Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Vides ergo, quomodo iste ruminat, qui testamentum dei habet in ore suo. Sed quid in sequentibus ad eū dicitur: Tu autem

odisti disciplinam, & abiicisti sermones meos post te. In q̄ euidenter ostēdit istum ruminantem quidem, sed vngulam non diuidentē, & ideo immundus est, quicūq; est talis. Et iterum est alius, vel ex ijs, qui extra religionē nostram sunt, vel ex ijs, qui nobiscum sunt, qui diuidunt quidem vngulam, & ita incedunt in vijs suis, vt actus suos ad futurum seculum præparent. Multi enim ita ex philosophis sapiunt, & futurum iudicium esse credunt. Immortalem nanq; animam sentiunt, & remunerati onem bonis quibusq; positam confitentur. Hoc & hæreticorum nonnulli faciunt, & quantum ad hoc spectat, timorem futuri iudicij gerunt, & actus suos tanquam diuino examine requirēdos cautius temperant. Sed horum vterq; non ruminat, nec reuocat ruminatiōem. Non enim ea, quæ in lege Dei scripta sunt, audiens meditatur, nec reuocat ad subtilem & spiritalē intelligentiam; sed statim vt audierit aliquid, aut contemnit aut despicit, nec requirit quis in vilioribus verbis preciosus lateat sensus. Et immundi sunt isti, diuidentes quidem vngulam, sed ruminatiōem non reuocantes. Tu autem si vis esse mundus, conuenientem habeto & consonam vitam scientiæ, & actus intellectui, vt sis in vtroq; mundus, vt & reuoces ruminatiōem & vngulam diuidas, sed & vngulas vt producas, siue abijcias. Requiramus & huius rei testimonium, quomodo vngulas producimus, aut velut alibi legitur, abijcimus. Scriptum est in Deuteronomio: Si, inquit, exieris ad bellum aduersum inimicos tuos, & videris ibi mulierem decora facie, & cōcupiueris eam; assumes eam & rades omnem pilum capitis eius & vngues eius, & indues eam vestimentis lugubribus, & sedebit in domo lugens patrem suum & matrem suam, & domū paternam suā per triginta dies, & deinde erit tibi vxor. Sed nunc non hoc est propositū, vt hæc, quæ in testimonium vocata sunt, explanentur. Sed propter eā diximus, quia & hic de vngulis mentio facta est. Veruntamē & ego frequenter exiui ad bellū cōtra inimicos meos, & vidi ibi in prædam mulierem decora facie. Quæcūq; enim benè & rationabiliter dicta inuenimus apud inimicos nostros, si quid apud illos sapienter & scienter dictum legimus, oportet nos mundare, id est, à scientia, quæ apud illos est, auferre, & refecare omne quod mortuū & inane est (hoc enim sunt omnes capilli capitis, & vngues mulieris, ex inimicorum spolijs assumpti) & ita demum eam facere nobis vxorem, quum iam nihil ex illis, quæ per infidelitatem mortua dicuntur, habuerit, nihil in capite habeat mortuum, nihil in manibus, vt neq; sensibus, neq; actibus immundum aliquid aut mortuū gerat. Nihil enim mundum habent mulieres hostium nostrorum: quia nulla est apud illos sapientia, cui immundicia aliqua non sit admixta. Velim tamen dicerēt mihi Iudæi, quomodo apud eos ista seruentur: quid causæ, quid rationis est decaluari mulierem, & vngues eiusdem præscidi? Verbi causa, si ponamus, quod ita inuenerit eam is, qui dicitur inuenisse, vt neque capillos, neq; vngues habeat: quid habuit, quod secundum legem demere videretur? Nobis verò, quibus militiā spiritalis est, & arma non carnalia, sed potentia à Deo ad destruenda consilia, decora mulier si reperta fuerit apud hostes, & rationalis aliqua disciplina, hoc modo purificabimus eam, quo superius diximus. Oportet ergo eū, qui mundus est, non solū diuidere vngulas, & non solum presentis & futuri seculi actus & opera discernere, sed vngulas producere, vel (vt alibi legimus) abijcere, vt purificantes nos ab operibus mortuis, permaneamus in vita. Hæc quidem generaliter dicta sint de animalibus. De ijs verò, quæ in aquis sunt, hæc dicuntur:

Si quidem habeant pinnas & squamas, munda sunt: si vero non habeant, immunda, nec edi debere.

Illud in his ostenditur, vt si quis est in aquis istis, et in mari vitæ huius, atq; in fluctibus seculi positus, tamen debeat satis agere, vt non in profundis iaceat aquarū, sicut sunt isti pisces, qui dicuntur non habere pinnas nec squamas. Hæc nanq; eorū natura perhibetur, vt in imo semper, et circa ipsum cœnū demorentur, sicut sunt anguillæ et similia,

A & similia, quæ non possunt ascendere ad aquæ summitatem, nec ad eius superiora peruenire. Illi verò pisces, qui pinnulis iuuantur & squamis muniuntur, ascendunt magis ad superiora, & aeri huic viciniore sunt, velut qui libertatē spiritus querant. Talis ergo sanctus quisq; intra retia fidei conclusus, bonus piscis à saluatore nominatur, & mittitur in vas, veluti pinnas habens & squamas. Nisi enim habuisset pinnas, non surrexisset de cœno incredulitatis, nec ad rete fidei peruenisset. Quid autem est, quod & squamas habere dicitur: tanquam qui paratus sit vetera indumenta deponere. Illi enim, qui squamas non habent, velut ex integro carni sunt, & toti carnales, qui deponere nihil possint. Si quis ergo habet pinnas, quibus ad superiora nitatur, mundus est: qui verò non habet pinnas, sed in inferioribus permanet, & in cœno semper versatur, immundus est. Similiter autem de auibus. Non manducabis, inquit, hæc, quia immunda sunt, aquilam & vulturem, & cetera his similia. His etenim auibus semper mortuorum corporum cibus est, & ex mortuis cadaveribus viuunt. Omnes ergo, qui huiusmodi vitam gerunt, immundi habendi sunt. Ego puto & illos in his numerari, qui alienæ incubant morti, & arte vel fraude testamenta subiiciunt: huiusmodi enim homines, vultures & aquilæ merito appellabuntur, velut mortuorū cadaveribus inhiantes. Scio & alia volatilia esse, quæ raptō viuunt. Hæc sunt animæ, quæ secundum hoc quidē, quod rationabiles sunt, & imbuti liberalibus institutis vel rationalibus disciplinis, volatilia videntur. Legunt enim, & requirunt vel de ratione cœli, vel quomodo mundus Dei providentia gubernetur. Secundum hæc ergo volatilia nominantur. Si verò huiusmodi homines iniquè agant, contra legem faciant, diripiant proximos suos: & cum in verbis eorum esse videatur eruditio cœlestis, in actibus carnalia & mortua opera gerunt: rectè vultures vel aquilæ dicendi sunt, quæ de excelsis ad carnes mortuas ac foetidas dilabuntur. Ad hoc referenda est accipitris rapacitas, & cæterorum omnium, ex quibus quædam quidem sunt volatilia rapacitati studentia, quædam verò non tam rapacia, quàm obscuritatem & tenebras amantia. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem: vt sunt noctuæ & vespertiones, & cætera, quæ lex pronunciauit immunda. De quibus omnibus spiritali nos obseruantia custodientes, & cibum ex mundis animalibus appetentes, etiā ipsi puri efficiemur & mundi, per Christum dominum nostrum, cum quo est Deo patri cum spiritu sancto gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Septimi Libri FINIS.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRI

ni in Leuiticum Liber VIII.

De eo, quod scriptum est: Mulier quæcūq; conceperit semen & pepererit masculum, immunda erit septem diebus, & de diuersitatibus lepræ, ac purificatione leprosi.



Edicum dici in scripturis diuinis dominum nostrum Iesum Christum, etiam ipsius domini sententiā perdocemur, sicut dicit in Euangelijs: Non indigent sani medico, sed qui malè habent. Non veni iustos vocare, sed peccatores ad poenitentiam. Omnis autem medicus, ex herbarum succis vel arborum, etiam metallorum venis, aut animantium naturis, profutura corporibus medicamenta cōponit. Sed herbas istas, si quis fortè, antequam

M iij sequam

tequam pro ratione artis componantur, respiciat, si quidem in agris aut montibus, velut foenum vile conculcat, & præterit. Si verò eas intra medicis scholam dispositas per ordinem viderit, licet odorem tristem fortè & austerum reddant, tamen suspicabitur eas curæ vel remedij aliquid continere, etiam si nondum, quæ vel qualis in eis sit sanitatis ac remedij virtus, agnoverit. Hæc de communibus medicis diximus. Veni nunc ad Iesum cœlestem medicum. Intra hanc stationem medicinæ eius Ecclesiam, vides ibi languentium iacere multitudinem. Venit mulier, quæ ex partu immunda effecta est. Venit leprosus, qui extra castra separatus est pro immundicia lepræ. Quærunt à medico remedium, quomodo sanentur, & quomodo mundentur. Et quia Iesus hic medicus est, & ipse est verbum Dei: agris suis non herbarum succis, sed verborum sacramentis medicamenta conquirat. Quæ verborum medicamenta, si quis incultius per libros, tanquam per agros videat esse dispersa, ignorans singulorum dictorum virtutem, vt vilia hæc, & nullum sermonis cultum habenti præteribit. Qui verò parte ex aliqua didicerit animarum apud Christum esse medicinam, intelliget profectò ex his libris, qui in Ecclesia recitantur, tanquam ex agris & montibus, salutare herbas assumere vnumquemque debere sermonum, ad hanc duntaxat vim: vt si quis illi est animæ languor, non tam exterioris frondis & corticis, quàm succi interioris hausta virtute sanetur. Videamus ergo aduersus immundiciam partus, & contagionem lepræ præsens hæc lectio, quàm diuersa, & quàm varia purificationum medicamenta conficiat. Et loquutus est, inquit, dominus ad Moysen, dicens: **Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Mulier quæcunq; conceperit semen, & pepererit masculum, immunda erit septem diebus.** Primò consideremus secundum historiam, si non videtur quasi ex superfluo additum: Mulier, quæ suscepit semen, & pepererit masculum: quasi possit aliter masculum parere, nisi semine concepto. Sed non ex superfluo additur: ad discretionem namque illius, quæ sine semine concepit & peperit masculum, istum sermonem præ cæteris mulieribus legislator adiecit: vt non omnem mulierem, quæ peperisset, designaret immundam, sed eam, quæ concepto semine peperisset. Addi quoque ad hoc etiam illud potest, quòd lex ista, quæ de immundicia scribitur, ad mulieres pertinet. De Maria autem dicitur, quia virgo concepit & peperit. Ferant ergo legis onera mulieres, virgines verò ab his habeantur immunes. Sed si nobis aliquis occurrat argutus, & dicat, quia & Maria mulier in scripturis nominatur. Sic enim dicit Apostolus: Vbi autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege: vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Respondimus ei, quòd in hoc loco Apostolus mulierem non pro corruptela integritatis, sed pro sexus conditione nominauit: vt quia dicebat filium Dei missum, simul & illud, quòd communi omnium ingressu in hunc mundum venisset, exponeret. Est porrò ætatis istud vocabulum, eius scilicet, qua foemini sexus annos pubertatis excedit, & ad id temporis, quo habilis viro videatur esse, transit. Sicut contrà vir appellatur is, qui adolescentiæ tempus excesserit, etiam si vxorem nondum habeat, cuius vir esse dicatur: quo nomine appellari solent etiam illi, quos foemineæ admixtionis macula nulla perstrinxit. Si ergo rectè dicitur vir pro solavirili ætate, etiam is, qui nullius admixtionem foemineæ nouerit: quomodo non eadem consequentia etiam virgo, quæ intemerata permansit, pro sola ætatis maturitate mulier nominetur? Denique & Abraham, quum puerum mitteret Mesopotamiam in domum Bathuelis, vt inde acciperet Isaac filio suo vxorem: & puer curiosius percõtaretur, ait ad eum: Quòd si noluerit mulier sequi me, reducam filium tuum illuc: Et non dixit, quòd si noluerit virgo sequi me. Hæc ergo dicta sint nobis de eo, quod obseruauimus scriptum, quia non superflue addidit legislator: **Mulier**

A Mulier si conceperit semen, & pepererit filium: sed esse exceptionem mysticam, quæ solam Mariam à reliquis mulieribus segregaret, quòd eius partus non ex conceptione seminis, sed ex præsentia sancti spiritus & virtute altissimi fuerit. Nunc ergo requiramus etiam illud, quid causæ sit, quòd mulier, quæ in hoc mundo nascens ministerium præbet, non solum quum semen suscipit, immunda fieri dicitur, sed et cū peperit. Vnde & pro purificatione sua iubetur offerre pullos colubinos, aut turtures pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij, vt repropitiæ pro ipso sacerdos: quasi quæ repropitiationem debeat & purificationem peccati, pro eo, quòd nascenti in hoc mundo homini ministerium præbuit. Sic enim scriptum est: **Et repropitiabit pro ipsa sacerdos, & mundabitur.** Ego in talibus nihil audeo dicere: sentio tamen occulta his quædam mysteria contineri, & esse aliquid latentis arcani, pro quo & mulier, quæ conceperit ex semine, & pepererit, immunda dicitur, & tanquam peccati rea offerre iubetur hostiam pro peccato, & ita purificari. Sed & ille ipse, qui nascitur, siue virilis, siue foeminei sexus sit, pronunciat de eo scriptura, quia non sit mundus à sorde, etiam si vnus diei sit vita eius. Et vt scias in hoc grande esse, nescio quid, & tale, quod nulli sanctorum ex sententia venerit, nemo ex omnibus sanctis inuenitur diem festum, vel conuiuium magnum egisse in die natalis sui, nemo inuenitur habuisse lætitiã in die natalis filij vel filie suæ. Soli peccatores super huiusmodi natiuitate lætantur. Inuenimus etenim in veteri quidem testamento Pharaonem regem Aegypti, diem natalis sui cum festiuitate celebrantem: in nouo verò testamento Herodem. Vterq; tamen eorum ipsam festiuitatem natalis sui profusione humani sanguinis cruentauit. Ille enim præpositum piscorum, hic sanctum prophetam Ioannem obruncauit in carcere. Sancti verò non solum nõ agunt festiuitatem in die natalis sui, sed spiritu sancto repleti execrantur hunc diem. Neq; enim tantus ac talis propheta (Hieremiam dico) qui in vtero matris suæ sanctificatus est, & propheta in gentibus consecratus, libris in æternum mansuris aliquid inaniter condidisset, nisi secretum quid contineret, & ingentibus mysterijs plenum, vbi dicit: **Maledictus dies, in quo natus sum, & nox, in qua dixerunt, ecce masculus. Maledictus qui annunciauit patri meo, dicens: Natus est tibi masculus.** Sic lætetur homo ille, sicut ciuitates, quas dominus destruxit in furore, & non poenituit. Videtur tibi hæc tam grauiã, & tam onerosã impreca-
B ri Propheta potuisse, nisi sciret esse aliquid in ista natiuitate corporea, quod & huiusmodi dignum maledictione videretur, & pro quo legislator tot immundicias accusaret, quibus congruas purificationes consequenter imponeret: Longum est autem & alterius temporis, vt testimonia, quæ de Propheta assumpsimus, explanemus: quia nunc non Hieremias, sed Levitici nobis propositum est differere electionem. Sed & Iob non sine spiritu sancto loquens, maledicebat diem natiuitatis suæ, dicens: **Maledicta dies, in qua natus sum, & nox, in qua dixerunt, ecce masculus.** Nox illa sit tenebræ, & non requirat eam dominus denuo, neque veniat in dies anni, nec numeretur inter dies mensum. Quòd si non tibi videtur hæc Iob diuino & prophetico spiritu loqui, ex ijs considera, quæ sequuntur. Addit enim: **Sed maledicat eam, qui maledixit illum diem, in quo magnum cetum interempturus est.** Vides ergo quomodo in spiritu sancto prædixit de magno cetum, quem interfec-
turus esset dominus, cuius typus erat cetus ille Ionæ. Vnde & dominus, qui interfec-
turus erat cetum istum diabolum, dicit: **Sicut enim Ionas tres dies & noctes tres fuit in ventre ceti: ita oportet & filium hominis esse tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ.** Quòd si placet audire, quid etiam alij sancti de ista natiuitate senserint, audi David dicentem: **In iniquitatibus, inquit, conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea: ostendens, quòd quæcunq; anima in carne nascitur, iniquitatis & peccati sorde polluitur: & propterea dictum esse illud, quod iam superius memorauimus: quia nemo mundus à sorde, nec si vnus diei sit vita eius,**

Iob 25

Gene. 40
Math. 14

Hiere. 20

Iob 3

Ionæ 2
Math. 12

Psal. 50

Iob 25

ta eius,

ta eius. Addi etiam his illud potest, vt requiratur quid causæ sit, cum baptisma Ecclesiae obseruatur, etiam paruulis baptismum dari, cum vtiq; si nihil esset in paruulis, quod ad remissionem deberet & indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur. Mulier ergo, quæcunq; conceperit semen, & pepererit masculum, immunda erit septem diebus, sicut & illa, quæ secundum dies purgationis suæ septem diebus segregabitur ab omni mundo: quia in sanguine immundo manet septem diebus, in sanguine autem mundo triginta et tres dies. Sed hoc in masculi natiuitate. Duplos autem dies faciet in natiuitate foeminae. Incipit ergo esse in sanguine mundo ab octauo die, & in sanguine mundo manet diebus triginta tribus, hoc est, tribus decadibus, & tribus monadibus, & cum coeperit esse in sanguine mundo illa, quæ peperit, tunc circumcidit infantem. Octauo enim die, inquit, circumcides carnem præputij eius. Hæc est lex literæ. Sed require tu, quæ circumcisionem Apostolus prædicet, quam nos & suscipere & habere iubet. Nos enim, inquit, sumus circumcisi, qui spiritu Deo seruimus. Et quod ait in Psalmo: Alienati sunt peccatores à vulua. Considera, si non de illis hoc dicit, qui illam circumcisionem suscipiunt, qua nos circumcidi Apostolus vetat: & tunc est, quando alienantur peccatores à vulua, cum non spiritu, sed carne circumcidentur: quia qui in lege circumcidentur, à gratia exciderunt. Igitur immunda fieri mulier dicitur, quæ concepto semine peperit masculum: quæ autem foeminam peperit, non solum immunda erit, sed dupliciter immunda: bis enim septenis diebus immunda scribitur permanere. Sed interim quæ peperit masculum, octauo die & qui natus est, circumciditur, & illa fit munda. Scitis quod operosa res est, in hac breuitate temporis ista contingere: tamen vt in transcurso aliqua dicamus, septimana hæc præsentis vite tempus videri potest. In septimana namq; dierum consummatus est mundus: in quo donec sumus in carne positi, ad liquidum puri esse non possumus, nisi octauus venerit dies, id est, nisi futuri seculi tempus adfuerit. In quo tamē die, qui masculus est, & viriliter egerit, statim in ipso aduentu futuri seculi purgatur, & statim munda efficitur mater, quæ genuit eum. Purgatam namque à vitijs carnem ex resurrectione recipiet. Si verò nihil in se habuit virile aduersum peccatum, sed remissus et effoeminatus fuit in actibus suis, cuius peccatum tale est, quod non remittatur in præsentis seculo, neque in futuro: iste transit in vnam & alteram septimanā in immundicia sua, & tertia de mum incipiente oboriri septimana, purgatur ab immundicia, quam foemina pariendo contraxit. Hostiæ verò, quæ pro huiusmodi immundicia iubentur adhiberi, dupliciter distinguuntur. Primò iubetur agnus offerri anniculus sine macula in holocaustum, & pulli columbini, aut turtures pro peccato. Secundò verò commutatur hostiæ: Si, inquit, non inuenerit manus eius, quod sufficiat ad agnū, accipiat duos turtures, aut duos pullos columbarū, vnum ad holocaustū, aliū pro peccato. Vnde & mirum videtur, quod oblatio Mariæ non habuerit hostiā primam, id est, agnū anniculū: sed secundam, tanq̄ cuius manus nō suffecerit ad primam. Sic enim scriptum est de ea: Venerunt, inquit, parentes eius, vt offerrent pro eo hostiam, secundum quod scriptum est in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Sed & in hoc verum esse ostenditur illud, quod scriptum est: Quia Christus Iesus cum diues esset, pauper factus est. Ideo ergo & matrem, de qua nasceretur, elegit pauperem: & patriam pauperem, de qua dicitur: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, & reliqua. Verum hæc breuiter transcurrere cogimur, nec singula, quæ sunt scripta, discutere: quando quidem festinamus aliquid etiam de legibus lepræ, quæ recitatae sunt, pertractare. Inuenimus ergo sex species propositas esse de hominum lepra, quæ sex species hoc modo describuntur. Aut enim in cute corporis fit cicatrix & signum exalbidum, & in cute corporis eius contagio lepræ. Aut efflorens efflorescit lepra, & conteget omnem cutem contagio à capite vsq; ad pedes eius. Tertia species, cum in cute carnis fit hylcus & sanatur, & fit in

fit in loco ipso hulceris cicatrix alba. Aut in carnis cute fit adustio ignis, & post hæc sanata adustio, erit lucida & alba, aut cum rubore candida. Quinta species, cum viro aut mulieri fit in capite, aut in barba contagio lepræ. Vltima verò scribitur species, quum fit in caluitio, vel in recaluitione contagio lepræ rubicundæ, quæ est lepra efflorens in caluitio, vel in recaluitione. Hæc vt compedio expositionis vtamur (quoniam quidem nunc propositum nobis est breuiter audire ex his, quæ recitatae sunt, admonere, nec est tempus ad liquidum singula quæq; discutere) referenda mihi videntur ad vnamquamq; speciem peccatorum, & in his animæ maculæ, quæ ex peccatis accidunt, intuentur. Dicendum igitur primò est, designari per hæc peccata, quæ in hac vita positi committimus: ex quibus aliqua curari nunc possunt, aliqua verò non possunt. Secundo verò & de illis ipsis, quæ post hanc vitam nobiscum transeunt, significari intelligendum est, esse & in ipsis quædam ita animabus infixæ, vt nequeant aboleri. Alia verò esse, quæ purgatione possint recipere secundum inspectionem & iudicium pontificis illius, quæ occulta latere nō possunt: quibus dispēfabit animas singulorum secundum hoc, quod in eis maculas lepræ aut expiabiles aut in expiabiles viderit. Cuius rei differentias de præsentis lectione colligere, & per singula secundum scripturæ huius indicium, quæ possunt nos mouere, rimari ex tempore, vt iam superius dixi, iste sermo non patitur. Vix enim hæc multis possent voluminibus digesta componi ab ijs, quibus dominus de lectione veteris testamenti velamen abstraxit. Nos ergo pro viribus nostris, quātum proferri in medium conuenit, exequemur, apostolo nobis Paulo pandente intelligentiæ viam, qua dicit legem vmbra habere futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, & secū dum id, quod ea, quæ de bobus in lege videntur scripta, non de bobus, quorum Deo cura non sit, sed de apostolis aduertenda pronunciat. In quo consequenti vtiq; ratione edocemur, quod & ea, quæ de lepra scribuntur, vmbra sit, in alijs habens imaginem veritatis. Igitur adhibeamus primò, si videtur, ipsam scripturæ vmbra, & tunc de eius veritate requiramus. In vulneribus corporum, posteaquam curata fuerint, remanet interdum ipsius vulneris signum, quod cicatrix appellatur. Vix enim est, qui ita curetur, vt nullum suscepti vulneris residere videatur indicium. Transi nūc ab ista legis vmbra ad veritatem eius, et intuere quomodo anima, quæ peccati vulnus acceperit, etiam si curetur, tamen habet in loco cicatricem vulneris residentem: quæ cicatrix non solum à Deo videtur, sed ab ijs, qui acceperint ab eo gratiam, per quam videre possint animæ languores, & discernere, quæ sit anima ita curata, vt omnigenere vestigiū illati vulneris abiecerit: & quæ curata sit quidem, sed ferat adhuc veteris morbi ipso vestigio cicatricis indicia. Quod autem sint quædam animæ vulnera, Esaias docet, dicens: A pedibus vsque ad caput non est in eo sanitas: sed vulnus, & liuor, & plaga. Cum seruore de delictis hæc procul dubio loquens populo, insinuat, quia sint aliqui, quibus possit adhuc medicamentum malagmæ imponi. Alij verò, quod sint in tantum peccatores, vt eis ne cura possit adhiberi. Hoc modo idem Propheta designat: Non est, inquit, malagma imponere, neque oleum, neque alligaturas. Quod autem contritio, & plaga doloris per correptionem, curæ causa imponatur animæ, Hieremias docet, dicens: Sic dicit dominus: Suscitavi contritionem, plaga tua cum dolore, non est qui iudicet iudicium tuum, cum dolore curata es, non est utilitas in te. Omnes amici tui obliti sunt tui, nec iam interrogabunt de te, quia plaga inimici percussit te; correptione valida, pro omni iniquitate tua: quomodo multiplicata sunt peccata tua? Quid vociferaris super contritione tua? Violentus est dolor tuus, propter multitudinem iniquitatum tuarum præualuerūt peccata tua, & fecerunt tibi hæc. Propterea omnes, qui deuorant, deuorabuntur, & omnes inimici tui carnes tuas deuorabunt. Et erunt, qui te afflixerunt, in afflictione: & omnes, qui deuastauerunt te, dabo in depraedationem: quoniam reuocabo sanitatem tuā, & vulneris tui

Hebra. 19

1. Corin. 9

Esaias 1

Hiere. 30

tui dolorem reuocabo à te, dicit dominus. Memento diligentius, quæ audieris. Propheta de vulneribus & cicatricibus, & de tumoribus dici. Hæc enim nobis necessaria sunt ad expositionem cicatricum vel vulnerum, vel aliorum huiuscemodi, quæ in lepræ inspectionibus memorantur. Addemus tamen adhuc, quæ in alio loco idem Hieremias ad animæ vulnera & curas, in quibus tamen vestigia vulnerum resideant post obductam cicatricem, his sermonibus memorat: Ecce ego adducam cicatricem eius, & simul curabo eos, & manifestabo eis pacem & fidem, & conuertam captiuitatem Iuda, & captiuitatem Hierusalem. Si ergo sufficienter à Propheta didicimus de vulneribus & cicatricibus animarum, & curis ac sanitatibus, quæ Deo medicante inferuntur: intueri nunc illam animam, de qua dicit Deus. Quia ego adduxi cicatricem eius. Post vulnera sine dubio cicatricem adducit ob sanitatem. Et curauit, inquit, eos, & manifestabo eis pacem & fidem. Si ergo post cognitionem & medicinam Dei, si post manifestationem pacis & fidei, quam per Christum suscipimus, rursus in ista cicatrice ascendat aliquod peccati prioris indicium, aut signum aliquod erroris veteris innouetur: tunc fit in cute corporis nostri contagio lepræ inspicienda per pontificem secundum ea, quæ legislator exposuit. Secunda verò species est lepræ: si effloruerit, inquit, in cute, ita ut tegat omnem cutem corporis à capite usque ad pedes, per omnia quæcumque sacerdos inspexerit. Cum ergo omnem cutem corporis obtexerit, tunc mundum eum esse sacerdos à contagione pronunciat. Sed in quacumque die apparuerit in eo color viuus, rursus iudicatur immundus per hoc, quod in eo color viuus apparuerit, quem antè non habuit. De hoc quidam etiam ante me dixerunt, colorem viuum indicare rationem vitæ, quæ in homine est: quàmuis enim in anima posita est, quàm diu tamen non habet usum, si quid peccatur, non reputatur pro eo, quod videatur nondum rationis capax esse is, qui delinquit: quum autem ratio in eo locum ac tempus inuenierit, si quid iam contrarationem agat, videri eum iure culpabilem. Nos autem diligentius, quæ scripta sunt, contuentes, arbitramur magis hæc de illis accipienda, quibus vel phrenes vel furore, vel quocumque excessu occupatus, vel oppressus est sensus, & agunt contrarationem. Mundi ergo isti à lepra, id est, immunes vocantur à peccato, quia actus sui vel motus non habent sensum. Quod si fortè apparuerit in eo viuus color corporis, hoc est, sensus sui reparata in eo fuerit sanitas, & post hæc aliquid contrarationem recti iustique gerat, reputari ei peccatum dicitur ex ea parte, qua viuus color, id est, sensus in eo vitæ rationis apparuit. Tertia lex de leprosis est, cum in cute corporis hulcus efficitur, & in loco hulceris cicatrix alba cum rubore inuenitur. Hulceris autem causa est, quum in corpore humor sordidus abundat & noxius: ita ergo & in anima hulcera intelliguntur ea, quæ ex immundis cupiditatibus, vel sordidis cogitationibus effluunt. Quæ si fortè per fidei gratiam & remissionem curata sunt peccatorum, & sana facta est anima, residet tamen cicatrix, & ipsa cicatrix non habet similem corporis colorem, sed est albior, lepra esse pronunciat. Ita enim lucidè videntibus est clara cupiditas, ut eam porro videtibus peccati in se residentis ostendat indicia, & fortassis peccati talis, quod ad mortem sit. Et ideo non solum alba cicatrix esse, sed & rubicunda describitur. Quod verò humiliorem ipsam cicatricem dicit videri, certum est, quia huiusmodi peccati macula humilem & deiectam animam facit. Quarta erat lex, ubi dicitur, quia si in cute fiat adustio ignis, & post hæc, cum sana fuerit adustio, ipsa splendida fiat, & alba cum rubore, vel certè exalbida, & visio eius humilior reliqua cute: & hoc dicit esse lepram, quæ in adustione effloruerit. Visio de ergo si non adustio est in omni anima, quæcumque recipit iacula maligni ignita: aut si non igni aduritur omnis, qui ardet amore carnali: istæ ergo sunt adustiones & succensionibus ignis. Sed & ille adustionem patitur, qui gloriæ humanæ cupiditate succenditur, & qui iræ vel furoris aestibus inflammatur. Quod si fortè curetur ab his vulneribus anima per fidem, & post sanitatem receptam, contempto eo, qui dixit

Ecce

A Ecce iam sanus factus es, noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat: incipiat veteris vitij fructus ex obducta cicatrice proferrè, nec exequetur cicatrix ad reliqui corporis cutem, sed sit humilior, & illum adhuc retineat colorem, quem habuit lepræ tempore, lepra eius in adustione refluuit, & ideo immundus à sacerdote iudicatur. Quinta species lepræ est, cum in capite contagio efficitur, aut in barba viri siue mulieris capite: ita ut visio contagionis ipsius humilior sit à cute corporis, & hæc est lepra capitis vel barbæ. Vide ergo si potest fieri, ut lepra capitis putetur in eo, qui non habet caput Christum, sed alium aliquem, verbè causa, Epicurum voluptatem summum bonum prædicantem, non tibi & caput & barba talis hominis videtur immunda: Sed & is, qui cum debeat esse vir, & agere tanquam perfectus, si fortè facile tanquam puer vincatur à peccato, etiam ipse lepram barbæ habere dicitur: quia quum vincere deberet malignum, & sacerdotali honore (qui in barba designatur) incedere, adolescentiæ vitij impeditus, lepram barbæ perpetitur. Mulierem autem, animam in scripturis indicari eam, quæ non tam proferrè semetipsum, quam suscipere potest, sæpe dictum est. Quæ lepram habere designatur in capite, si virum, qui caput mulieris est, id est, doctorem pollutum habeat & immundum, ut Martionem, aut Valentinum, aut aliquem eiusmodi. Sequens sexta iam & ultima species lepræ ponitur, quæ fit in caluitio vel recaluitio: quæ res, quantum ex scriptis mundæ sunt. Sic enim dicit lex: Si cuius, inquit, defluerint capilli capitis, caluus est, mundus est: si autem à fronte eius defluerint, recaluus est, mundus est. Conuenienter hæc referuntur ad animam, ut cum ea, quæ sui natura emortua sunt, abijcit ac deponit, munda esse dicatur. Sed post hoc, si ea, quæ prius purificata fuerant, repullulare sordidius & humilius, quam dignitas puritatis expetit & mundiciæ videbuntur, immundam ac leprosam animam reddent. Ex hoc iam generaliter de omni leproso, in quo fuerit contagio lepræ, & humilior videbitur à reliqua cute (humilius namque est omne animæ vitium à reliquis eius virtutibus) lex, quæ spiritalis est, talia quædam decernens: Vestimenta, inquit, eius dissuta sint, & caput eius reuelatum, & os eius ad opertum. Per quæ designat eum, qui in anima leprosus est, id est, qui peccatis confixus, non oportere assuere sibi tegumenta, & turpitudines operire peccati. Sicut enim is, cuius vestimenta dissuta sunt, nudam atque in teatam gerit turpitudinem corporis: ita oportet eum, qui peccatis aliquibus obseptus est, mala sua et flagitia nullis verborum assumptis, nullis excusationum velaminibus operire: ut in eo fiat sepulchrum dealbatum, quod de foris quidem apparet hominibus speciosum, intus autem plenum est ossibus mortuorum, & omni immundicia. Vult ergo lex diuina, peccatorem non solum vestimenta non assuere, sed et caput non contegere: ut si quod est capitis delictum, id est, si in Deum aliquid commissum est, si in fide peccatum est, ne hæc quidem habeantur obteata, sed omnibus publicentur, ut interuentu & correptione omnium emendetur, & veniam mereatur. Veruntamen leprosus iste os tantummodo iubetur obtegere. Quid est hoc, quod omnes corporis partes nudas habere præcipitur, & os solum iubetur operire? Nonne palam est, & in aperto positum, quod ei, qui in lepra peccati est, clauditur sermo, clauditur ei os, ut fiducia sermonis, & docendi autoritas excludatur: Peccatori enim dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Clausum ergo habeat os peccator: quia qui seipsum non docuit, quomodo alium docere potest? Docere alium non potest, & ideo os suum iubetur operire, qui malè agendo loquendi perdidit libertatem. Immundus, inquit, erit, & separatus sedebit foris, extra castra erit conuersatio eius. Clarum est, quod omnis immundus abijciatur à conuentu bonorum, & segregetur à cœtu castrisque sanctorum. Et ideo dicitur, quia extra castra erit conuersatio eius. Quod si fortè mundatus fuerit, sponte quidem, & à semetipso non venit ad sacerdotem, sed offertur, inquit, ab alio, nec intrat in castra. Neque enim

N con-

conueniens erat, vt eadem die, qua mundabatur, priusq̄ fierent pro eo, quæ com-
petebant, introiret in castra. Propter quod sacerdos, inquit, exhibit ad eum foras
Ioannis 16 extra castra. Semper enim ad eum, qui nondum potest introire in castra, exit ille,
Leuiti. 17 qui potest exire extra castra, q̄ dicit: Ego à Deo exiui, et veni in hunc mundū. Exit
ergo ad eū sacerdos, & cōsiderat si iam recepit sanitatē, si a lepræ contagione
purgatus est. Cum aut̄ viderit eū sacerdos, præcipit, vt accipiantur gallinæ
duæ viuæ ei, qui mundatur, & lignū cedrinū, & coccum tortū, & hyssopū.
Videntur hic mihi etiam duæ istæ gallinæ habere similitudinem quandam duo-
rum hircorum, ex quibus vnus domino offertur, alius in eremum emittitur. Ita
enim & hic ex duabus gallinis vna immolatur, & alia in campum dimittitur. Dat
ergo & hic, qui purgatur à lepra, aliquam partem, quæ abijciatur in eremū, alia autē
pars domino offertur pro eo. Nōdum tamen hic, qui purgatur à lepra, & offert gal-
linas atq; alia, quæ pro eo domino offeruntur, ad altare offertur, sicut turtures aut
columbæ. Nondum enim eadem die is, qui purgatur à lepra, diuino altari dignus
efficitur. Propter qd̄ mandat legislator, vt eadem die, qua purgatur, accipiatur duæ
gallinæ ad purificationem eius. Puto aut̄, quod & hic illius gallinæ intellectus latē-
ter habeatur, per quam purificatio efficitur peccatoris, de qua scriptum est: Quoti-
es volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, &
Matth. 23 noluisti: Indiget tamen, vt per lignum cedrinum purificetur is, qui purificatur. Im-
Coloss. 2 possibile namq; est sine ligno crucis peccati lepram posse purgari, nisi adhibeatur
& lignum, in quo saluator (sicut apostolus Paulus dicit) exiit principatus & pote-
states, triumphans eos in ligno. Iungitur tamen ad emundationem lepræ huius eti-
am coccum tortum, sociatur & hyssopus. Coccum tortum figuram sacri sanguinis
continet, qui de eius latere per lanceæ vulnus exortus est. Et hyssopum, hoc genus
herbæ naturam habere medici ferunt, vt diluat & expurget, si quæ pectori homi-
num sordes ex corruptiōe noxiū humoris infederint: vnde & necessariō in expur-
gatione peccatorum, huiuscemodī graminis figura suscepta est. Coccū verò, quod
sape sumptum sit ad salutis subsidia, in diuinis referrī voluminibus inuenimus. Si
Genesis 38 cut in partu Thamar, cū vnus, inq̄t, prior protulit manū, accipiēs obstetrix, coccum
alligauit in manu eius, dicens: Hic exiliet prior. Sed & Raab meretrix, cū explo-
Iosue 2 ratores suscepisset, & pactum ab eis salutis acciperet illi, & pones, inquit, signū
resticulam coccineā, & alligabis eam in fenestra ista, per quā deposuisti nos. Obser-
ua tamen & illud, quod non ipse sacerdos immolare gallinam dicitur. Nondum e-
nim dignus est hic, qui fuit leprosus, vt ipse sacerdos pro eo immolet, propter quod
nec sanguis gallinæ offertur ad altare. Sed dicit, quia occidetur gallina in vasculo fi-
ctili, in quod vas aqua viuā sit missa: vt & aqua assumatur ad purificationem, & cō-
pleatur plenitudo mysterij in aqua & sanguine, quod dicitur exiisse de latere salua-
toris: & nihilo minus, quod Ioannes in epistola sua ponit, & dicit purificationem fi-
eri in aqua & sanguine & spiritu. Vnde & hic video omnia ista compleri. Spiritus
enim est gallinæ istius, quæ occiditur, & aqua viuā, quæ in vase est, & sanguis, qui
super eum diffusus est. Non quo per hæc iterandam baptismi gratiam sentiamus
sed q̄ omnis purificatio peccatorum, etiam hæc, quæ per pœnitentiam quæritur, il-
lius ope indiget, de cuius latere aqua processit et sanguis. Vide ergo quō et viuā gal-
lina, & lignum cedrinum, & coccus tortus, & hyssopus tingitur in sanguine pulli et
aqua viuā: vt ex hoc aspersus, & purificatus ex aqua & sanguine (in quo tincta est
& illa gallina, quæ in campū emittitur) & septies coram domino respersus is, qui
purificatur, mundus efficitur ab omni immūdia, qua fuerat ex lepræ cōtagione
possessus. Sed & illud aduerte, quō cū superius dixerit, hæc est lex leprosi, in qua
die mundatus fuerit: nūc his omnibus addit & dicit, & mūdus erit. Si enim semel
abiecta lepra, mundatus est, quomodo adhuc immundus erit: Sed vide, quia etiā
si mun-

A si mundetur quis à peccato, & non sit iam in opere peccati, ipsa tamen vestigia scele-
ris commissi purificatione indigent & ea, quam exposuimus, & alijs nihilo minus,
quæ mandantur in consequentibus. Obseruabimus enim ad hoc, quod scriptū est
de lepra, in qua die mundatus fuerit: post hæc inter cætera, quæ mandantur tertio di-
ctum esse, & mundus erit: & iterum ad vltimum scriptum esse, & mūdabitur. Vn-
de & mihi videtur esse quæsdam & in ipsa purificatione differentias, & (vt ita dixe-
rim) profectus quosdam purificationum. Potest enim & de illo, qui cessat à pecca-
to, dici, & mundus erit: sed nō statim ita mundus videbitur, vt ad summam purita-
tis accesserit. Deniq; addit ihs, quæ dixerat: In quacuncq; die mundatus fuerit, e-
mittetur, inquit, viuā gallina in campū, & lauabit vestimenta sua is, qui pu-
rificatur. Post hæc autem, omnem, inquit, pilū radet, & addit: & lauabitur in
aqua, & post hæc additur: & mundus erit. Neq; enim sufficit, quod in principio
dixerat, mundus erit, nisi adiecisset etiam hæc: Sordida ergo vestimenta habuit vs-
que adhuc iste, qui purificatur à lepra, etiam post aspersionem, & nunc lauare ea iu-
betur. Quæ tamen vestimenta non mihi per omnia malæ texturæ videntur fuisse,
alioqui abijci ea magis, q̄ lauari præciperet. In quo ostenditur, neq; per omnia aliē-
nam fuisse à Deo conuersationem eius, neq; purē in domino, & integrē custodiā.
Non enim lauat vestimenta, nisi fuissent sordidata: nec iterum lotis eis vteretur,
si fuissent tetrini in omnibus alieni. Quod autem radi iubetur oēm pilū, puto q̄
quicquid emortui operis animæ positæ in peccatis exortū est (hoc enim nunc pili
nominantur) iubeatur abijcere. Peccator enim omne, quod ei siue in consilio natū
est, siue in verbo, siue in opere, expedit si verē purificari vult, vt eradat & abijciat,
nec residere apud se aliquid patiatur. Sanctus autem seruare debet omnem capil-
lum, & si possibile est, nec ascendere debet ferrum super caput eius: ne abscindere
B aliquid de cogitationibus eius sapientibus, aut dictis aut operibus possit. Inde de-
niq; est, quod & Samueli ferrum dicitur non ascendisse super caput, sed & omni-
bus Nazaræis, qui sunt iusti. Quia iusto (sicut scriptum est) omnia quæcūq; faciet,
prosperabuntur, & folia eius non decident. Hinc & discipulorum domini etiā ca-
pilli capitis dicuntur esse numerati, hoc est, omnes actus, omnes sermones, omnes
cogitationes eorum seruantur apud dominum, quia iustæ, quia sanctæ sunt. Pec-
catorū verò omne opus, omnis sermo, omnis cogitatio debet abscindi: & hoc est
quod dicitur, vt omnis pilus corporis eius radatur, & tunc erit mūdus. Sed & hoc
obserua, q̄ non sufficit ei post purificationem vel vestimenta lauasse, vel omnem pi-
lum rasisse, nisi & lotus fuerit in aqua. Oportet namq; eum abijcere omnes sordes,
omnem immundiciam, non solum de vestimētis, sed & de proprio corpore, vt nul-
la in eo macula extinctæ lepræ resideat. Tertio ergo nunc purificatus, ita demū di-
gnus efficitur ingredi castra domini. Non tamen continuō permittitur ei introire
domum suam: sed dicitur, vt extra domum suam maneat septem diebus, & radat
omnem pilum capitis & barbæ & superciliorum: quasi non suffecerit, quod prius
omnem pilum raserat, nunc additur, vt omnem pilum capitis & barbæ & superci-
liorum radat. Idem namq; videtur dictum in eo, quod dixerat omnem pilum radē-
dum. Sed non mihi inanis videtur esse ista repetitio, vult enim peccatorē posteaq̄
fuerit mundatus, posteaq̄ remissionem peccatorum per pœnitentiam acceperit, de
purgatione capitis admonere, & barbæ & superciliorum, velut si diceret ei: Ecce
Ioannis 5 iam sanus factus es, vide ne vltra capitis contrahas culpam. Capitis enim peccatum
est, aliter q̄ fides Ecclesiæ continet, de diuinis sentire dogmatibus. In barba verò, vt
Matth. 18 meminerit se virilis ætatis deposuisse peccata, & conuersus fiat sicut infans. In su-
percilijs autem arrogantiam deijcit, & malè elatum ad humilitatem Christi incli-
nat supercilium. Secūdo ergo ad hunc modum omnis pilus corporis raditur. Et si-
cut hæc geminantur, ita et vestimenta semel in prima purificatione lauasse non suf-
ficite

1. Reg. 1
Psalm. 1
Matth. 10

Ioannis 5

Matth. 18

ficiti: sed secundo præcipitur, vt lauet vestimenta sua & corpus suum aqua, & tunc quarto additur, & mundus erit. Hæc autem fiunt intra castra quidē, posito eo ad huc tamen extra domum suam. Dicit enim: Post septem dies in die octaua assumet sibi duos agnos. Iam non alius assumit, sed ipse sibi assumit duos, inquit, agnos immaculatos, & ouem vnam anniculam immaculatam, & tres decimas simlaginis conspersæ in oleo, & cyathum olei vnum: vt post hæc quinta purificatione purificatus consummetur. Ex his ergo duobus agnis vnus quidē immolatur, & dicitur pro delicto. In loco, inquit, in quo iugulatur pro peccato, & vbi holocausto mata fiunt, in loco sancto. Ecce iam dignus efficitur, vt offerat sacrificium, qui potuit ad quintam purificationem peruenire, & hostia eius sancta sanctorum fit. Alius autē agnus holocaustum efficitur: in quo propitiare pro ipso sacerdos dicitur, vt purgetur. Igitur primus agnus, qui pro delicto est, videtur mihi virtutis ipsius formam tenere, quam sumpsit is, qui erat in peccatis, per quam potuit propellere affectum peccandi, & malorum veterum pœnitudinem gerere. Secundus verò agnus figuram tenere illius tam recuperatæ virtutis, per quam abiectis & procul fugatis omnibus vitijs, integrum se, & ex integro obtulit Deo, & dignus extitit diuinis altaribus. Ouis autē, quæ post agnos assumitur (quantum conijcere in tam difficilibus locis valemus) fecunditatem puto q̄ designet eius, qui conuersus est à peccato, & totum se obtulit Deo, qua post omnia in bonorum operum foetibus vititur, & innocentia fructibus pollet. In tria ergo purificationis huius, i. conuersionis à peccato ratio diuiditur. Prima est hostia, qua peccata soluuntur: secunda est, qua anima conuertitur ad dominum: tertia est fecunditatis & fructuū, quos in operibus pietatis is, qui dicitur conuersus, ostendit. Et quia tres istæ sunt hostiæ, idcirco subiungit & tres mensuras decimæ simlaginis assumendas, vt vbiq; intelligamus purificationem fieri nō posse sine mysterio Trinitatis. Vide autem, quod hic in quinta purificatione non assumitur farina, sed iam simlam habet iste, qui purificatur à peccatis. Simila ei adscribitur, vnde habeat iam panem mundum, & hæc oleo conspergitur. Sed et oleum eius ad duos vsus diuiditur. Vnum, quo simla conspergitur, alium, q̄ sacerdos accipit integram mensuram cyathi, vt ait. In quo (vt ego sentio) & panis eius pinguis efficitur per misericordiam: & oleum, quo lux vera, et scientiæ ignis acceditur, per manus sacerdotis capiti eius imponitur. Ita enim

Leuit. 14 dicit: Et statuet, inquit, eum sacerdos, qui mundat eum, in conspectu domini ad ostium tabernaculi testimonij. Vide quia sacerdotis est statuere eum, qui conuertitur à peccato, vt stabilis esse possit, & vltra nō fluctuare, nec moueri omnivento doctrinæ. Statuet ergo eum, non solum intra castra, sed ad ipsum ostium tabernaculi testimonij ante dominum. Et posteaq̄ secundum ea, quæ superius dicta sunt, offeruntur hostiæ pro purificatione: Adhibet, inquit, & cyathum olei, et se parat illud ante dominum. Et accipiet, inquit, sacerdos de sanguine, & ponet super extremam auriculam eius, qui purificatur, dextram, & super extremam manum eius dextram, & super extremum pedem eius dextrum. Et post hæc, inquit, accipiet sacerdos non ipsum cyathum olei, sed ex ipso: & diffundet, inquit, in manum suam sinistram, & intinget digitum suū sacerdos in oleo, quod est in manu eius sinistra, & asperget septies ante dñm. Et iterum ex eo, quod superest in manu eius sinistra, imponet super auriculam eius, qui purificatur, dextram, & super extremam manum eius dextram, & super extremum pedem eius dextrum. Et post hæc, quod relictū fuerit ex oleo, imponet, inquit, sacerdos de manu sua super caput eius, q̄ purificatur.

A tur. Vides quō vltimæ & summæ purificationis est aurem purificari, vt purus & mundus seruetur auditus: & manū dextram, vt munda sint opera nostra, ne aliqd̄ immundū his admisceatur & fordidū. Sed & pedes purificandi sunt, vt ad opus bonum tantūmodo dirigantur, nec vltra lapsus iuuentutis incurrant. Septies autē respersit eum sacerdos ex oleo coram domino. Post omnia etenim, quæ pro purificatione celebrata sunt, postq̄ conuersus & recōciliatus est Deo, post immolatas hostias, ordinis erat vt & virtutem super eum septemplex sancti spiritus inuiteret, secundum eum, qui dixerat: Redde mihi lætitiā salutaris tui, & spū principali cōfirma me. Vel certē, quō peccatorum corda dominus in Euangelio testatur à septem dæmonibus obsideri, competenter septies ante dominum sacerdos in purificatione respersit: vt expulsio septem spirituum malignorū de purificato corde, septies excusso digitis oleo declaratur. Hominibus ergo conuersis à peccato, purificatio quædem per illa omnia datur, quæ superius diximus. Donum autē gratiæ spiritus, per olei imaginem designatur, vt non solum purgationem consequi possit is, qui conuertitur à peccato: sed & spiritu sancto repleri, quo & recipere priorem stolam & annulum possit, & per omnia reconciliatus patri, in locum filij reparari, per ipsum dominum nostrum Iesum Christum, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

Psal. 50

Luca 11

Luca 19

Octauis Libri FINIS.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI
in Leuiticum Liber IX.

B De eo, quod scriptum est de sacrificijs repropitiationis: & de duobus hircis, quorum vnus fors est domini, & vnus apompai, qui dimittitur in eremum, & de ingressu pontificis in sancta sanctorum.

ἀποπομ
ται, id
est, emis
sarius.



DE propitiationis indigent omnes, qui peccauerunt: et ideo inter solennitates legis, quæ figuras continent cœlestium mysteriorū, vna quædā solennitas habetur, quæ dies propitiationis appellatur. Hæc ergo, quæ nunc recitata sunt, legislatio est solennitatis ipsius: quæ dies (vt diximus) propitiationis vocata est. Sed videamus primò, quid sibi velit litera ipsius cōtinentia: vt orantibus vobis (si tamē ita domino supplices simus, vt exaudiri mereamur) possitis accipere gratiā spiritus, per quā explanare valeamus mysteria, quæ continentur in lege. Defuncti sunt duo filij Aaron, Nadab et Abiud, cū offerrent ignem alienum ad altare dñi. Necesse igitur erat, vt cœlesti doctrina instrueretur Aaron, quō eum ad altare oporteret accedere, & quo supplicationū ritu propitium faceret dominum, vt ne etiam ipse incurreret hæc, quæ incurrerant filij sui, incautē & inconuenienter accedentes ad altare Dei, alienumq; ignē, & non illum, qui diuinitus datus fuerat, offerentes. Propterea ergo de his hoc modo p̄fata est lex. Et loquutus est dñs ad Moysen: Loquere ad Aaron fratrem tuum, vt non intret omni hora in sanctuarium, quod est intra velū ante conspectum propitiatorij, quod est super arcam testimonij, & nō moriatur. Ex quo ostenditur, q̄ si in omni hora introeat in sancta, nō preparatus, non indutus pontificalibus indumentis, neq; hostijs, quæ statuta sunt, preparatis, neq; propitiato prius Deo, morietur. Et iuste quidem, tanq̄ qui non fecerit ea, quæ conuenit fieri, anteq̄ accedatur ad altare Dei. Oēs nos iste sermo contingit, ad oēs pertinet, quod hic loquitur lex. Præcepit enim, vt sciamus, quō accedere debeamus ad altare Dei. Altare est em̄, super quod orationes nostras offerimus Deo, vt sciamus quō

N iij debea-

Leuiti, 10

Leuiti, 16

debeamus offerre, scilicet vt deponamus vestimenta sordida, q̄ est carnis immundicia, morū vitia, inquinamenta libidinū. An ignoras tibi quoq; .i. omni Ecclesie Dei, et credentiū populo, sacerdotiū datum? Audi quō Petrus dicit de fidelibus: **1. Petri 2** Genus, inquit, electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Habes ergo sacerdotiū, quia gens sacerdotalis es, & ideo offerre debes Deo hostiā laudis, hostiam orationū, hostiam misericordiæ, hostiā pudicitia, hostiā iustitiæ, hostiam sanctitatis. Sed vt hæc dignè offeras, indumentis tibi opus est mundis, & segregatis à reliquorū hominum cōmunibus indumentis, & ignē diuinum necessariū habes, non aliquē alienum à Deo, sed illū, qui à Deo hominibus datur, de quo filius Dei dicit: Ignē veni mittere in terrā, & quid volo, nisi vt accendatur? Si enim non hoc, sed alieno, & huic contrario igni vtamur, vt illo, qui se transfiguratur sicut angelū lucis: eadē sine dubio patiemur, q̄ Nadab passus est, & Abiud. Præcepit ergo mandatum diuinū vt instruatur Aaron, ne omni hora intret in sancta ad altare: sed cū fecerit prius ea, quæ fieri mandantur, ne fortè moriatur. Sed primò omnium ostēdamus, quō hæc, quæ de sacrificijs cōscribuntur, figuras esse Apostolus dicit & formas, quarū veritas in alijs ostendatur: ne fortè auditores nos præsumere arbitrentur, & legē Dei in alium sensum, q̄ scripta est, violenter inflectere, quod quidē aut mare fortasse possent, si nulla in his, quæ asserimus, apostolica præcederet autoritas. Paulus ergo ad Hebræos scribens, eos scilicet, qui legem quidē legerent, & hæc meditata haberent & benè nota, sed indigerent intellectu, qualiter sentire de sacrificijs debeant, hoc modo dicit: Non enim in sancta manu facta introiuit Iesus exemplaria veritatis: sed in ipsum cœlum, vt appareat vultū Dei pro nobis. Iterum dicit de hostijs: Hoc enim fecit, semel seipsum offerendo hostiā. Sed quid de his sigillatim q̄rimus testimonium: Oēm epistolā ipsam ad Hebræos scriptam si quis recensat, & præcipuè eū locum, vbi pontificē legis confert pontifici repromissionis, de quo scriptū est: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec: inueniet quō omnis hic locus Apostoli, exemplaria & formas ostendit esse rerum viuarum & verarum illa, quæ in lege scripta sunt. Oportet ergo nos quærere pontificē, qui semel in anno .i. per omne hoc præsens seculum, sacrificium obtulit Deo, indutus veste, cuius domino iuvante, quæ sit qualitas, ostendemus. Tunica, inquit, linea sanctificata induetur. Linū de terra oritur. Tunica ergo sanctificata linea induitur verus pontifex Christus, cū naturā terreni corporis sumit. De corpore enim dicitur, quia terrenum sit, & in terrā ibit. Volens ergo dominus & saluator meus hoc, quod in terram ierat, resuscitare, terrenū suscepit corpus: vt id eleuatū de terra porraret ad cœlum. Et huius mysterij tenet figuram hoc, quod in lege scriptum est, vt linea tunica pontifex induatur. Sed quod addidit, sanctificata, non ociosè audiendum est. Sanctificata namq; fuit tunica carnis Christi: nō enim erat ex semine viri concepta, sed ex spiritu sancto generata. Et femoralia, inquit, linea sint super corpus eius. Femoralia indumentū est, quo pudenda corporis contegi & cōstringi solent. Si ergo aspicias saluatorem nostrum suscepisse quidem corpus, in corpore positum egisse humanos actus .i. vescendi & bibendi, & cætera his similia, hoc autē solum opus nō egisse, quod ad pudenda corporis pertinet, carnemq; eius neq; nuptijs, neq; filiorum procreationi patuisse, inueniēs qualiter femoralia linea sanctificata habuerit, vt verè de ipso dici debeat: Quia inhonestiora nostra abundantiorē honore habent. Considera tamē & ipsum pontificis habitū, quia quod per naturā minus in eo honestum videtur, quum indutus dicatur femoralibus lineis, & zona cōstrictus, etiam secundum literam de eo conuenit dici, quia inhonestiora nostra abundantiorē honestatem habent. Ita ergo & omnis, qui in castitate viuens, imitatur Christū, hoc solū de humanis actibus nescientem, etiā ipse lineis femoralibus sanctificatis indutus est, & inhonestioribus suis abundantiorē circūdedit honestatē. Tunica ergo linea sanctificata induitur, & femoralia linea super corpus eius sunt. Sed

A Sed ne fortè femoralia hæc, quibus pudenda conteguntur, resoluta defluant, & turpitudinē reuelēt ac retegant (non enim, inquit, facies gradus ad altare, ne forte reueletur in his turpitudine tua) ne ergo turpitudine tua defluentibus femoralibus reueletur: zona, inquit, femoralia cōstringantur. Quodā tempore exponētes Ioannē Baptistam, & aliās Hieremiam: quod Hieremias quidē zonam, Ioannes verò pelliceā zonam circa lumbos habuisse diceretur, sufficienter ostendimus, quō per hæc declaratur indicari pars illa corporis apud huiusmodi viros ita emortua, vt neq; leuis ad carnis illecebras motus, neq; alius quisquā in lumbis eorum fuisse crederetur: sed sola castitas, et pura pudicitia. Zona ergo pōtifex linea cingitur, & cydarim lineā ponit super caput suum, omnia linea. Cydaris quod dicitur, ornatus quidam est, qui capiti superponitur, quo vtitur pontifex in offerendis hostijs, vel cæteri sacerdotes. Sed vnusquisq; nostrum ornare debet caput suum sacerdotalibus ornamentis. Etenim quoniam omnis viri caput Christus est: quicumq; ita agit, vt ex actibus suis conferat gloriam Christo, caput suum qui est Christus, ornauit. Potest & alio modo in nobis intelligi capitis ornatus: quando quidē quod est in nobis primū ac summum, & caput omnium, mens est. Ad dignitatem itaq; pontificis excolet caput suū, si quis mentem suam adornauerit sapientia & disciplinis. Quatuor igitur sunt ista, quibus indui præcipitur pontifex, & ita demum introire in sancta, ne hæc non habens moriatur. Iam verò de hostijs quædam quidē mādantur debere esse pōtificis, quædam verò à populo sumenda. Ipsius esse vitulus dicitur, quod est in animalibus preciosius & robustius. Et secundum animal aries est, quod in ouibus sine dubio preciosius est. A populo verò munera iubentur offerri, aries à principibus, & hirci duo à populo, vnus qui dimittatur in eremum, qui & apopompæus nominatur, et vnus qui domino offeratur. Si esset omnis populus Dei sanctus, & omnes essent beati, non fierent duæ sortes super hircis, & vnus quidem sortem ferret, vt dimitteretur in eremum, alius verò vt domino offerretur, sed esset fors vna, & hostia vna domino solli. Nunc verò cū in multitudine eorū, qui accedūt ad dominum, sunt quidam ipsius domini: alij autem sunt, qui mitti ad eremum debeant, id est, qui abijci merentur, & separari ab hostia domini: propterea pars hostiæ, quæ offertur à populo .i. vnus solus hircus domino immolatur, alius autem abijcitur, & in eremum dimittitur, & apopompæus nominatur. Sors tamen cadit super vtrunq; & ille quidem, qui in eremum mittitur, dicitur quod ipse auferat super se peccata filiorum Israel, & iniustitias eorū, & iniquitates ipsorum. Non enim ille hircus, qui domini fors efficitur, sed ille cui fors est, vt in eremum dimittatur, auferre ea dicitur: secundum illud credo, qd scriptum est: Dedi cōmutationem tuā Aegyptū, & Aethiopiā, & Syenem pro te, ex quo tu honorabilis factus es in conspectu meo. Peccata igitur eorum, qui pœnitentiam egerunt, & eorum qui reliquerunt malitiam, super capita sua suscipiūt hi, qui effecti sunt in sorte eius, qui in eremum dimittitur, qui seipsum dignos tali ministerio, vel huiusmodi sorte fecerunt. Conueniet autem velut econtrario aptari his & illud, quod dictum est: Qui habet, dabitur ei. Sicut enim qui habet iustitias, additur ei vita & qui habet peccata in tantum, vt in sorte hirci apopompæi inueniatur, qui in eremum emittitur, addentur ei, eaq; abstergentur à sanctis, vt & in ipsis impleatur, quod scriptum est: Ab eo autem, qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo, vt ei addatur, qui habet multas sordes peccatorum. Verūm, quoniam is, qui in sorte domini est, spem gerit, non in præsentī seculo, sed in futuro: & cuius fors domini est, quod moritur: propterea is quidem, super quem fors domini ceciderit, iugulatur & moritur, vt sanguine suo purificet populū Dei: ille autē qui in sortē contrariam ceciderit, non est dignus vt moriatur. Quia qui in sorte domini est, non est de hoc mundo: ille verò de hoc mundo est, & mūdus quod surum est, diligit: ideo nō occiditur, nec dignus est iugulari ad altare Dei, nec sanguis eius ad basim altaris meretur effundi. Sed videamus, quis est hic qui accipit eū, cuius fors apopompæi facta est, vt

eum efficiat in eremum. Homo, inquit, paratus accipiet hircum, qui venerit in sortem eius, cui ceciderit fors apompæi, & abducat eum in eremum. Finis sortis ipsius eremus est, id est, locus desertus, desertus virtutibus, desertus Deo, desertus in stitia, desertus Christo, desertus omni bono. Et nos ergo singulos manet fors vna è duabus. Aut enim benè agentes fors domini sumus, aut malè agentes fors nostra nos ducit ad eremum. Vistibi euidenter ostendam, quomodo duæ istæ sortes semper operentur, & vnusquisq; nostrum aut fors domini, aut fors apompæi vel eremi fiat: Considera in Euangelij illum diuitem viuentem splendide & luxuriosè, & Lazarum ad ianuam eius iacentè hulceribus plenum, & cupientem saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis; quis finis designatur vtriusq;? Mortuus est, inquit, Lazarus, & adductus est ab angelis in sinum Abraham: similiter autem & diues, & adductus est in locum tormenti. Animaduertis euidenter loca sortis vtriusque distincta. Vide etiã qui sunt, qui adducunt: angeli, inquit, qui semper parati sunt ad adducendum. Ministri enim Dei sunt ad hoc ipsum designati, qui impleant sortem, quam tibi ipse paraueris. Si enim benè vixeris, si fregeris esurienti panem tuum ex animo, nudum vestieris, rectum iudicium iudicaueris, iniquo aduersum iniquitatem suam restiteris, nec posueris consilium tuum cum ijs, qui laqueos innocentibus parant, sortem tuam facies domini. Si verò libidini seruias, voluptatis amator sis magis, q̄ Dei, seculum diligas, malitiam non oderis, sortem tuam fecisti apompæi, vt abducaris in eremum per manus ministri Dei, q̄ in hoc ipsum ordinatus à Deo est, & ideo paratus appellatur, quia personam nullius erubescit, nec diuites, nec potentes, nec reges, nec sacerdotes. Vis autem scire, quia ad dominum pertinent animalia hæc, q̄ sortes istas excipiunt, non sunt immunda, nec aliena ab altaribus Dei: sed munda sunt, & quæ in sacrificijs offerri solent, vt scias hæc figuram tenere, non eorum qui extra fidem sunt, sed eorum qui in fide sunt. Hircus enim animal mundum est, & diuinis altaribus consecratur. Et tu ergo per gratiam baptismi consecratus es altaribus Dei & animal factus es mundum. Sed si non custodias mandatum illud domini, qd dixit: Ecce iam sanus factus es, iam noli peccare, ne qd tibi deterius contingat: sed cum esses mundus, rursus te peccati inquinamento maculasti, & ex virtute ad libidinem, ex puritate ad immundiciam declinasti tuo vitio: cum animal mundum fueris, sortem te apompæi, eremumque tradidisti. Potest autem fortassis & alio modo paratus & mundus (qui abducit eum, cui fors venit in eremum, & eo ipso quod ducit eum, quasi immundum tetigerit, dicitur lauare debere vestimenta sua ad vesperam, & esse mundus) etiã ipse dominus & saluator noster intelligi ex ea parte, qua naturæ nostræ, id est, carnis & sanguinis vestimenta suscepit, quæ in vesperam lauerit. Propter quod & dudum Propheta de eo dixerat: Et vidisti Iesum sacerdotem magnum indutum vestimenta sordida, & diabolum stantem à dextris eius, vt contradiceret ei. Lauit ergo in vino, id est, in sanguine suo stolam suam in vespera, & factus est mundus. Et inde fortassis erat, quod post resurrectionem Mariæ, volentibus pedes eius tenere, dicebat: Noli me tangere. Vis autem adhuc videre & aliam duarum sortium formam: Considera duos illos, qui tempore crucis eius, vnus à dextris, & vnus à sinistris pependerunt latrones, & vide illum qui confitebatur dominum, sortem esse factum domini, & adductum esse sine mora ad paradysum: illum verò alium blasphemantem, sortem factum esse apompæi, qui in eremum abducere tur inferni. Sed & in eo, quod dicitur: Qui affixit cruci suæ principatus ac potestates contrarias, & triumphauit eas: sortem in ijs apompæi compleuit, & tanquam homo paratus abduxit eas in eremum. Denique & in Euangelio dominus dicit: Quia quum exierit de homine immundus spiritus, vadit per loca deserta, quærens requiem & non inuenit. Ergo potest & saluator noster, homo paratus intelligi, qui sortem quidem domini, Ecclesiam suam fecerit, eamque diuino consecravit altari. Sortem verò apompæi, contrarias fecerit potestates, spiritus nequitie, & mundi huius rector res tenebrarum harum, quos, sicut dicit Apostolus, cum potestate traduxit, triumphans eos in se-

A in semetipso. Quo traduxit, nisi ad eremum, & ad loca deserta: Sicut enim illi, qui confessus est, aperuit paradisi ianuas, dicendo: Hodie mecum eris in paradiso, & per hoc omnibus credentibus & confitentibus ingrediendi aditum dedit, quem prius Adam peccante concluderat. Quis enim alius romphæam flammeam versatilem, quæ apposita est, custodire lignum vitæ, & fores paradisi poterat dimouere? Quis alius Cherubin peruigili excubans custodiua valebat inflectere, nisi ipse solus, cui data est potestas omnis in celo & in terra: vt inquam propter ipsum nemo alius hæc facere potuit, ita principatus ac potestates, & rectores mundi, quos enumerat Apostolus, nemo alius poterat triumphare, & adducere in eremum inferni, nisi ipse solus, qui dixit: Confidite, ego vici mundum. Idcirco ergo necessarium fuit dominum & saluatorem meum, non solum inter homines hominem nasci: sed etiam ad inferna descendere, vt sortem apompæi, tanquam homo paratus in eremum inferni deduceret, atque inde regressus opere consummato ascenderet ad patrem: ibique plenius apud altare illud celeste purificaretur, vt carnis nostre pignus, quod secum euexerat, perpetua puritate donaret. Hic ergo est verus dies propitiationis, quum propitiatus est Deus hominibus, sicut & Apostolus dicit: Quonia Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. & iterum de Christo dicit: Pacificans per sanguinem crucis sue, siue quæ in celo sunt, siue quæ in terra. Mandatur ergo in lege, vt in die repropitiationis omnis populus humiliet animam suam. Quomodo humiliet populus animam suam, ipse dicit: Venient, inquit, dies, quum auferetur ab eis sponus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Plures ergo aguntur dies festi secundum legem: est enim quidam solennis dies in mense primo, est & alius in secundo die mensis primi, & alia solennitas paschæ, alia azymorum, licet coniuncta videatur azymis paschæ solennitas. Principium etenim azymorum, ad finem paschæ coniungitur. Pascha autem ille solus dies appellatur, in quo agnus occiditur, reliqui verò azymorum dies appellatur, sic enim dicit: Facies solennitatem azymorum septem diebus. Hæc ergo est prima solennitas post hanc: Quum, inquit, demessueris messem tuam, & congregaueris natiuitates ex agro tuo, facies diem festum de inijs fructuum tuorum, qui dies est post septem septimanas à festo paschæ, vnde etiam dici iubetur dies pentecostes in ipsa lege. Post hæc in septimo mense alia aguntur solennitates. Prima die mensis neomenia tubarum, sicut dicitur in Psalmo: Tuba canite in initio mensis. Decima verò die septimi mensis, ista est solennitas repropitiationis. In hac sola die pontifex induitur omnibus pontificalibus vestimentis. Tunc induitur manifestationem & veritatem, tunc ingreditur ad illa inaccessibilia, quod semel in anno accedi tantummodo licet, id est, in sancta sanctorum. Semel enim in anno pontifex populum derelinquens, ingreditur ad eum locum, vbi est repropitiatorium, & super propitiatorium Cherubin, vbi est & arca testimonij, & altare incensi, quod nulli introire fas est, nisi pontifici soli. Si ergo considerem verum pontificem meum dominum Iesum Christum, quomodo in carne quidem positus, per totum annum erat cum populo, annum illum, de quo dicit: Euangelizare pauperibus misit me, & vocare annum domini acceptum, & diem remissionis. Deinde verò, quomodo semel in isto anno in die repropitiationis intrat in sancta sanctorum: hoc est, quum impleta dispensatione penetrat celos, & intrat ad patrem, vt eum propitium humano generi faciat, & exorat pro omnibus credentibus in se. Hanc repropitiationem eius, qua hominibus repropitiatur patrem, sciens Ioannes apostolus, dicit: Hæc dico filioli, vt non peccemus, quod etsi peccauerimus, aduocatum habemus apud patrem, Christum Iesum iustum, & ipse est repropitiatio pro peccatis nostris. Sed & Paulus similiter de hac repropitiatione commemorat, cum dicit de Christo: Quem posuit Deus propitiatorem in sanguine ipsius per fidem. Igitur dies propitiationis manet in nobis, vsquequod occidat sol, id est, quousque finem mundus accipiat. Stamus enim nos pro foribus operientes pontificem nostrum, commorantem intra sancta sanctorum, id est, apud patrem, & exorantem pro peccatis eorum, qui ipsum expectant

Deuter. 6
 expectant, non pro omnium peccatis exorantē. Non enim exorat pro ijs, qui in for-
 tē veniunt eius hirci, qui emittitur in desertum. Pro illis exorat rātum, qui sunt fors
 domini, qui eum pro foribus expectant, qui non recedunt de templo, ieiunijs & o-
 rationibus vacantes. An tu putas, qui vix diebus festis ad Ecclesiam venis, nec inten-
 tus es ad audienda verba diuina, nec das operam ad implenda mandata, quod pos-
 sit fors domini venire super te. Optamus tamē, vt vel his auditis, operam detis, non
 solum in Ecclesia audire verba Dei, sed & in omnibus domibus vestris exerce-
 ri, & meditari in lege domini die ac nocte, & ibi enim Christus est, qui vbiq; adest
 quærentibus se. Propterea nanq; mandatur in lege, vt meditemur eam, cum imus
 in via, & cum sedemus in domo, & cum iacemus in cubiculo, & cum surgimus. Et
 hoc est verē pro foribus expectare pontificem morantem intra sancta sanctorum,
 & effici in sorte domini. Quod autē dicimus de sorte, non sic accipiat auditor, quasi
 fors talis aliqua dicatur, quæ inter homines casu, & non iudicio agi solet. Quoniam
 fors domini ita accipienda est, tanquam si diceretur electio vel pars domini, & rur-
 sum fors eius, qui in eremū mittitur, accipienda est, veluti pars illa, quæ pro indigni-
 tate sua à domino spernitur & abijcitur. Magis enim & sermo ipse apopōpæi, abie-
 cti & refutati significantiam continet, ex quo possumus etiam illud intelligere (ver-
 bi gratia) ascendit in cor tuum mala cogitatio, scilicet concupiscentia mulieris alie-
 næ, aut vicinæ possessionis. Intelligis hanc esse de sorte apopompæi: Abijce confe-
 stim, & expelle eam de corde tuo. Quomodo abijcies? si habeas tecū parati homi-
 nis manū, id est, si lectio diuina sit in manibus tuis, & præcepta Dei ante oculos ha-
 beantur, tunc verē inueniris paratus ad abijciēda & repellēda ea, quæ sunt sortis ali-
 enæ. Sed & ira si ascēdit in cor tuum, si zelus, si inuidia, si malitia ad supplantādum
 fratrē, paratus est vt abijcias eam & expellas, & emittas in eremum. Si verō ascen-
 dat in cor tuum cogitare, quæ Dei sunt, de misericordia, de iustitia, de pietate, de pa-
 ce: hæc de sorte sunt domini, hæc offeruntur ad altare, hæc pōtifex suscipit, & in his
 tibi reconciliat dominum. Propterea ergo, & is, qui eijcit eum, in quo fors apopom-
 pæi est, hoc est, malas cogitationes, & malas cupiditates, nō est homo piger, nec oc-
 cupatus negocijs secularibus, sed paratus est ac prōptus & vigilās. Qui etiā si sorde-
 scere videatur pro eo, quod contigerit immundum, ipse lauct statim vestimēta sua,
 & erit mundus. Rursum intelligere possumus, quantū ad vnumquēq; nostrū perti-
 net secundum moralē locum, esse hominē paratum, rationē ipsam, quæ intra nos
 est, per quam discretio nobis boni maliq; est, quæ etiam si videtur sordescere, dum
 discutit & pertractat ipsa, quæ mala sunt, tamē si ea abijciat, & expellat à corde pro-
 cul & fuget, tunc melioribus cogitationibus, velut purificata ac diluta, mūda videbi-
 tur rationabilis mēs. Nec sanē mireris, qd etiam ad personam saluatoris traximus
 hunc, qui eijcit hircū & expellit in eremū, quia dicitur lauare vestimēta sua, & fieri
 mūdus, propter illud qd legimus in Propheta dici de domino, sicut supra diximus
 Et vidi Iesum sacerdotē magnum indutum vestimēta fordida. Quod si vtiq; pro as-
 sumptione carnis dici piē intelligitur, etiam hic in lauandis vestimētis potest eadē
 figura seruari. Videamus post hæc, quæ sunt, quæ pontifex faciat. Et sumet, inquit,
 vasculum plenum carbonibus ignis de altari, quod est coram domino. Le-
 gimus & in Esaia, qd igni purgatur propheta per vnū ex Seraphin, qd missum est
 ad eū, cum accepit forcipe carbonē vnū ex ijs, qui erāt super altare, & contigit labia
 prophætæ, & dixit: Ecce abstuli iniquitates tuas. Mihi vidētur mystica hæc esse, &
 hoc indicare, quod vniciq; secundum id quod peccat, si dignū fuerit purificari eū,
 inferuntur carbones mēbris eius. Nam quoniam dicit Propheta hic: Immūda labia
 habeo, in medio quoq; populi immunda labia habētis habito. Idcirco carbo forcipe
 assumptus à Seraphin, labia eius purgat; quibus solis se mundū nō esse profiteretur.
 Ex quo ostēditur, quod vsq; ad verbū tantūmodo peccatū eius inueniretur: in facto
 verō

Matth. 23
 Sapient. 11
 Lucæ 18
 Prouer. 13
 Amos 8
 Ioannis 6
 Ioannis 4

A vero vel opere, nullo mō peccauerit, alioqui dixisset: quoniam immundum corpus ha-
 beo, vel immundos oculos habeo, si peccasset in concupiscendo alieno, & dixisset:
 immundas manus habeo, si eas polluisset operibus iniquis. Nunc autē quoniam in solo
 fortasse sermone conscius sibi erat delicti illius, de qd dicit dominus: Quia etiam de
 verbo ociofo reddetis rationē in die iudicij, pro eo qd difficile esset etiā perfectis cul-
 pam vitare sermonis, idcirco indigebat etiā propheta sola purgatione labiorū. Nos
 autē, si redeat vnusquisq; ad conscientiam suā, nescio, si possumus aliqd membrum
 corporis excusare, quod non igne indigeat. Et propheta quidem, quoniam ab omni-
 bus mundus erat, idcirco meruit vt vnus de Seraphin mitteretur ad eum, qui eius
 sola labia purgaret. Nos verō vereor ne ignē non membris singulis, sed toto corpo-
 re mereamur: ignem quidē punitorium peccatorum, quæ & singulis membris, &
 toto ipso corpore in Deum cōmittimus. Per quæ enim quis peccat, per hæc & tor-
 quetur. Si igitur vnumquodq; corporis membrum, & totum nostrum corpus in-
 flammamus igne gehennæ, exardescentes per effrenes cupiditates & libidines, qd
 ni meremur cruciari igne illo inextinguibili, quem in nobis succendere cœpimus,
 cuius incendia in cordibus nostris & membris inchoauimus: Et haud dubiē illum
 tādē persentiemus, nisi petierimus à domino nunc ignem nobis è cœlo purgato-
 rium mitti, quo mundi desideria in mentibus nostris penitus absumantur. Cum e-
 nim lasciuiunt oculi, vel per illicitas concupiscentias, vel per spectacula diabolica, qd
 aliud nisi ignem sibi congregant: cum aures non auertuntur ab auditu vano ac de-
 rogatiōibus proximorū: cum manus à cæde nequaquam & rapinis ac deprædatio-
 nibus continentur, cum pedes veloces sunt ad effundendum sanguinem, cumq; cor-
 pus nō domino, sed fornicationi tradimus: quid quæso aliud, nisi totum corpus tra-
 dimus in gehennam: Sed hæc cum dicuntur, contemptui habentur. Quare: quia si
 des deest. Alioqui si tibi hodie diceretur, quia iudex seculi vult te die crastino viuū
 exurere, & his auditis, si esset tibi vnus diei spaciū liberum, quanta faceres, quō,
 & per quos discurreres, qd humilis, quā lugens, & sordidus oberrares: Nōne ef-
 funderes omnem pecuniam tuam in eos, quorū intercessione euadere te posse cre-
 deres: Nōne omnia quæ possideres, redemptionem faceres animæ tuæ: Quod si
 etiam aliquis te retardare aut impedire tentaret, nōne diceres: Pereant omnia pro
 salute mea, nec quicquam remaneat, tantum vt ego viuam: Hoc quare faceres: quia
 inde non dubitares, hinc dubitas. & ideo dominus dicit: Putas veniens filius homi-
 nis, inueniet fidem super terram: Et quid ego dico de certis, indubitatisq; pericu-
 lis: tantum modo si causa dicenda sit apud iudicem terrenum, cuius aliquem me-
 tum ex legibus quis habere videatur: nōne omnibus vigilijs excubatur, aduoca-
 to patrono munera præparantur: etiam si anceps periculum sit, aut etiam solius no-
 tæ metus, vel damni ratio. Nos quare non credimus, quod omnes ad stabimus ante
 tribunal Christi, vt reportet vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bona, si
 ue mala: Hæc si integrè crederemus, esset nobis, secundum quod scriptum est, re-
 demptio animæ viri, diuitiæ eius. Sed vnde possumus hæc vel sentire, vel credere,
 vel intelligere, quum ne ad hæc ipsa quidem audienda conueniamus: Quis enim
 vestrum, quum recitantur scripturæ, præbet auditum: Deus per Prophetam com-
 minatur, & quidem in ira magna: Et mittam famem super terram, non famem pa-
 nis, neq; sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei. Sed nunc famem non misit
 Deus super Ecclesiam suam, neq; sitim ad audiēdum verbum Dei. Habemus enim
 panē viuum, qui de cœlo descendit, habemus aquam viuam salientem in vitā æter-
 nam. Cur nos ipsos fœcūdatis tempore fame necamus ac siti: Pigri ac desidiosi ani-
 mæ est in abundantia omnium penuriā pati. Nō auditis ex diuinis scripturis, quia cer-
 tamen est inter homines, carni aduersus spiritū, & spiritui aduersum carnē: Et nesci-
 tis, quia si carnē solam nutriatis, & ipsam frequēti mollitie ac iugī deliciarū fluxu fo-
 ueatis, insolescet necessariō aduersum spiritū, & fortior illo efficietur: Quod si fiat,
 sine

sine dubio eum in ditionem suam redactum, suis coget legibus ac vitijs obedire. Si verò ad Ecclesiam frequenter veniens, aurem literis diuinis admoueat, explanatio nemq; mandatorum cœlestium capias, sicut cibus & delitijs caro, ita spiritus verbis diuinis conualecet, ac sensibus & cupiditatibus robustior effectus, carnē sibi pare re coget, ac suis legibus obsequi. Nutrimta igitur spiritus sunt diuina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ: his alitur cibus, his conualecit, his victor efficitur. Quod quia nō facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis, nolite dicere quia volumus, sed non possumus. Volumus continenter viuere, sed carnis fragilitate decipi mur, & impugnamur stimulis eius. Tu das stimulos carni tuæ, tu eā aduersus spiritum tuū armas & potentem facis, cum eam carnibus satias, vino nimio inundas, omni mollitiē palpas, & ad illecebras nutris. An nescitis, quia non potest ædificium istud Ecclesiæ ex leprosis lapidibus construi: audi quid dicit Apostolus: Modicum fermentum totam massam corrumpit. Expurgate ergo vetus fermentum, vt sitis noua conspersio. Sed ad propositum redeamus. Et accipiet, inquit, vasculum plenum carbonibus. Non omnes purgātur eo igni, qui de altari assumitur. Aaron purgatur illo igni, & Esaias, & qui sunt similes illis: alij verò qui non sunt tales (de quibus etiam me ipsum cōputo) alio igni purgabūtur. Timeo ne illo, de quo scriptum est: Fluuuius ignis currebat ante ipsum. Iste ignis non est de altari, qui de altari est ignis, ignis est domini: qui autem extra altare est, non est domini, sed proprius vnus cuiusq; peccantium, de quo dicitur: Vermis eorum nō morietur, & ignis eorum non extinguetur. Iste ergo ignis ipsorum est, qui eum accenderunt, sicut alibi scriptum est: Ambulate in igne vestro, & in flamma quam accendistis vobis. Esaias autem non suus ignis apponitur, sed ignis altaris qui circumpurgauit labia eius, qualis & hic est, de quo dicitur: Et fumet vasculum plenum carbonibus ignis de altari, quod est coram domino: & implebit manus suas incenso compositionis minuto. Quod quidem plenius dominus noster fecit, impleuit enim manus suas incenso minuto, de quo scriptum est: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Impleuit enim manus suas sanctis operibus, quæ pro humano genere operatus est. Quare autem compositionis incensum dicitur: quia non est vna sola species operum, sed ex iustitia, ex pietate, ex continentia, ex prudētia, ex omnibus huiuscemodi virtutibus componitur hoc, quod placet Deo. Sed & minutū quod addidit, non ociosè intelligimus. Non enim vult eum qui ad perfectionem tendit, verbum Dei crassè & carnaliter intelligere, sed minutum in his sensum, subtilemq; perquirere. Vt si fortè audiat scriptum esse: Nō obturabis os bouis triturantis: ille hæc non de bobus intelligat (neq; enim de bobus cura est Deo) sed de apostolis dictum accipiat. Sed & si quis de prouidentia Dei rationem (quæ est minutissima & subtilissima) possit exponere, iste minuto incenso manū suam replere dicitur. Quis ergo nostrum ita promptus est & paratus, vt ingressuro pontifici in sancta sanctorum, incensum compositionis offerat minutum: necesse est enim nos singulos aliquid offerre tabernaculo Dei, aliquid etiam pontificalibus indumentis, aliquid itidem quod per pontificis manus ad ipsum dominum per odorem suauitatis ascendat. Pontifex igitur noster dominus & saluator aperit manus suas, & suscipere vult ab vno quoq; nostrum incensum compositionis minutum. Necesse est nos quærere speciem incensi. Libanum nobis quærendum est, & non qualecunq; libanum, sed dilucidum quærīt. Sed & galbanum à nobis poscit, cuius natura est, vt vehementia odoris sui serpentes noxios effuget. Quærīt & stacten: colata enim & defecata vult esse vel verba nostra, vel opera. Quærīt & onychen, quo velut scuto quodam obtegitur animal suum, & illæsum permanet. Ita & te vult scuto fidei esse protectum, quo omnia iacula maligni ignita restinguas. Hæc tamen omnia in te vult esse composita, nihil inordinatum, nihil inquietum, nihil indecens: sed hoc vult, vt omnia nostra compo-

A compositè & honestè fiant. Stat ergo etiam nunc verus pontifex noster Christus, & implere vult manus suas incenso composito, minuto, & ab vnaquaq; Ecclesia, quæ sub cœlo est, considerat quid offeratur, quàm integrè incensum suum diligenterq; componat, quàm minutum id faciat, id est, quomodo vnusquisq; nostrum opera sua ordinet, & quomodo sensum ac verba scripturarum spiritali explanatione discutiat. Nec angelorum ministeria ab huiuscemodi officijs desunt. Angeli enim Dei ascendunt & descendunt ad filios hominum, perquirūt & curiosè agunt, quid in vnoquoq; nostrum inueniant, quod offerant Deo. Vident & perscrutantur vnus cuiusq; nostrum mētem, si habeat aliquid tale, si tam sanctum aliquid cogitet, qd Deo mereatur offerri. Intuentur & considerant, si quis nostrum ex ijs, quæ dicuntur in Ecclesia, corde compungitur, & animum conuertit ad pœnitentiam: si his auditis corrigere cogitet vias suas, & obliuisci præterita, ac præparare se ad futura, saltem secundum Achab illum impiissimum, de quo dicit dominus: Vidisti, quomodo compunctum est cor Achab: Sed in his omnibus, quid de illis dicam, qui nec auribus audiunt hæc, nec corde recipiunt: quæ in illis compunctionis spes, quæ cōuersionis suspicio, quæ emendationis via: Si enim etiam de ijs, qui audiūt, dubitamus: quid speramus de ijs, qui omnino non audiunt: Sed vtamur verbis domini, & dicamus: Qui habent aures audiendi, audiant: & qui audiunt, sciant scriptum esse: Quia quum conuersus ingemueris, tunc saluus eris, & scies vbi fueris, & si dixeris tu peccata tua prior, ego exaudiam te, tanquam populum sanctum. Audisti etiam, quomodo si peccator fuisti, tamen si conuersus es, & destitisti à peccato, iam sanctus appellaris. Nihil ergo desperandum est de ijs, qui compunguntur, & conuertuntur ad dominum. Non enim superat bonitatem Dei malitia delictorum. Sumit ergo pontifex vasculum plenum carbonibus ignis de altari, quod est coram domino, & implet manum suam de incenso compositionis minuto, & infert in interiora velaminis. Intelligamus primò, quid designet historia, & tunc, quid sensus spiritalis habeat, requiramus. Duplex est ædes tabernaculi testimonij, vel templi domini. Prima est, in qua altare holocaustorum est, quod perpetuis ignibus excitatur, in qua æde solis licet assistere sacerdotibus, & sacrificiorum ritus ac ministeria celebrare, & neq; Leuitis, neq; alteri cuiquam, præter sacerdotes ad eam indulgetur accessus. Secūda verò ædes interior est, solo ab hac discreta velamine, intra quod velamen arca testamenti, & propitiatorium (super quod Cherubin duo statuta sunt) & altare incensi collocatum est. In hanc ædem semel in anno, quicumq; erat primus pontifex, oblati prius hostijs propitiationis (de quibus supra exposuimus) ingrediebatur, habens vtranq; manum repletam, vnam vasculo carbonum, & aliam compositionis incenso, vt cum fuisset ingressus, statim superposito incenso carbonibus, fumus ascenderet, totamq; ædem repletet, vt aspectum sanctorum, quem ingressus pontificis reuelauerat, nubes velaret incēsi. Si tibi sacrificiorum mos patuit antiquus, quid hæc etiam secundum rationem mysticam cōtineant, videamus. Duas audisti ædes, vnam quasi visibilem & patentem sacerdotibus, aliam velut inuisibilem & inaccessam, excepto vno solo pontifice, cæteri foris sunt. Prima ædes ista, puto quod intelligi possit hæc (in qua nunc sumus in carne positi) Ecclesia, in qua sacerdotes ministrant ad altare holocaustorum, succenso illo igni, de quo dixit Iesus: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur: Et nolo mireris, quod hæc ædes solis sacerdotibus pateat. Omnes enim quicumq; vnguēto sacri chrisimatis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt, sicut Petrus ad omnem dicit Ecclesiam: Vos autem estis gentes electæ, regale sacerdotium, gens sancta. Estis ergo genus sacerdotale, & ideo acceditis ad sancta. Sed & vnusquisq; nostrum habet in se holocaustum suum, & holocausti sui ipse succendit altare, vt semper ardeat. Ergo si renūciem omnibus, quæ possideo, & tollam crucem meam, & sequar Christum, holocaustum obtuli ad altare Dei,

re Dei. Aut si tradidero corpus meum vt ardeam, habens charitatem, & gloriā mar-
 tyrij consequar, holocaustum me ipsum obtuli ad altare Dei. Si diligam fratres me-
 os, ita vt animam meam ponam pro fratribus meis: si pro iustitia & veritate vsq; ad
 mortē certauero, holocaustum obtuli ad altare Dei. Si membra mea ab omni con-
 cupiscentia carnis mortificauero, si mundus mihi crucifixus sit, & ego mundo, ho-
 locaustum obtuli ad altare Dei, & ipse meæ hostiæ sacerdos efficiar. Hoc ergo mo-
 do sacerdotiū geritur. In prima æde & hostiæ offeruntur, & ex hac æde sanctifica-
 tæ sunt. Et indutus vestimentis pontifex ex ea proficiscitur, & ingreditur in interi-
 ora velaminis, sicut iam superius Pauli verba posuimus dicentis: Non in manufa-
 cta sancta, sed in ipsum cœlū penetrauit, inquit, Iesus, & apparet vultui Dei pro no-
 bis. Cœli ergo locus & ipsa Dei sedes per interioris ædis figurā atq; imaginem desi-
 gnatur. Sed mirum contuere ordinem sacramentorum. Ingressus pontifex in san-
 cta sanctorum, ignē secū de hoc altari portat, & incensum de hac æde suscipit: sed &
 vestimēta, quibus indutus est, de hoc loco sumit. Putāsne dignabitur dominus me-
 us verus pontifex, & à me suscipere partem aliquam incensi compositionis minuti,
 quod secum deferat ad patrem: Putāsne inueniet in me aliquid igniculi, & holocau-
 stum meum ardens, vt dignetur ex eo vasculum suum implere carbonibus, & in i-
 psis Deo patri odorem suauitatis offerre: Beatus est, cuius tam viuos, tamq; ignitos
 holocausti sui carbones inuenit, vt eos aptos iudicet, quos altari superponat incen-
 si. Beatus, in cuius corde inuenit tam subtilem, tam minutum, tamq; spiritalē sen-
 sum, & ita diuersa virtutum suauitate compositū, vt replere dignetur ex eo manus
 suas: Deoq; patri suauem odorem intelligētiae eius offerre. At contra infelix anima,
 cuius fidei ignis extinguitur, & refrigerat charitatis calor, ad quam cum venerit cœ-
 lestis pontifex noster, quærens ab ea ignitos & arduos carbones, super quos incē-
 sum offerat patri, inuenit in ea aridos cineres & frigidās fauillas. Tales sunt omnes,
 qui subtrahunt se, & longè fiunt à verbo Dei, ne audientes sermones diuinos, accen-
 dantur ad fidem, incalescant ad charitatem, igniantur ad misericordiam. Vis, tibi o-
 stendam, quomodo de verbis spiritus sancti ignis exeat, & accendat corda discenti-
 um: audi dicentem Dauid in Psalmo: Eloquium domini igniuit eum. Et iterū in
 Euangelio scriptum est, postquam dominus locutus est ad Cleophā: Nōne cor no-
 strū, inquit, ardēs erat intranos, cum aperiret nobis scripturas: Tu ergo vnde arde-
 bis, vnde inuenientur in te carbones ignis, qui nunquā domini ignis eloquio, nun-
 quam verbi sancti spiritus inflammari: Audi & alibi ipsum Dauid dicentem: Con-
 caluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis. Vnde & tu cōca-
 lescis, vnde in te ignis accenditur, qui nunquam in diuinis meditaris eloquijs: imō,
 quod est infelicius, concalescit spiritus tuus in spectaculis Circi, concalescit in equo-
 rum contentione, in certamine theatri. Atq; iste ignis non est de altari domini,
 sed hic est, qui dicitur ignis alienus. Et audisti paulo superius, quod qui obtulerunt
 alienum ignem ante dominum, extincti sunt. Concalescis etiam, quum te repleuerit
 iracundia, & quum te inflammauerit furor. Vreris interdum & amore carnali,
 ac turpissimæ libidinis iactaris incendijs. Sed omnis iste ignis alienus est, & contra-
 rius Deo: quem qui accenderit, sine dubio Nadab & Abiud perferet sortem. Ait
 ergo eloquium diuinum:
 Et imponet incensum super ignem in conspectu domini, & operiet fu-
 mus incensi propitiatorium, quod est super testimonia, & non morietur,
 & sumet de sanguine vituli, & resperget digito suo super propitiatorium
 contra Orientem:
 Ritus quidem apud veteres propitiationis pro hominibus, qui fiebat ad dominū,
 qualiter celebraretur, edocuit. Sed tu, qui ad Christum venisti pontificem verum,
 qui sanguine suo Deum tibi propitiū fecit, & reconciliauit te patri, non hæreas in
 sangu-

fanguine carnis, sed respice potius in sanguinem verbi, & audi ipsum tibi dicentem: **Math. 26**
 Quia hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum,
 Nouit qui mysterijs imbutus est, carnem & sanguinem verbi Dei. Nō ergo immo-
 remur in his, q̄ & scientibus nota sunt, & ignorantibus patere non possunt. Quod
 autem contra Oriētem respergit, non ociosè accipias: Ab Oriēte tibi propitiatio ve-
 nit. Inde est enim vir, cui Oriens nomen est, qui mediator Dei & hominum factus **Zachar. 6**
 est. Inuitaris ergo per hoc, vt ad Oriētem semper respicias, vnde tibi semper oritur
 sol iustitiæ, vnde semper tibi lumen nascitur, vt nunquam in tenebris ambules, neq;
 dies ille nouissimus te in tenebris comprehendat, ne tibi ignorantia nox & caligo
 subrepat: sed vt semper in scientiæ luce verferis, semper habeas diem fidei, semper
 lumen charitatis & pacis obtineas. Addit post hæc scriptura: **Et non erit, inquit, ho-**
mo, quum ingredietur pontifex intra velamen interius, in tabernaculo te-
stimonij. Quomodo nō erit homo: Ego sic accipio, quod qui potuerit sequi Chri-
 stum, & penetrare cum eo interius tabernaculum, & cœlorum excelsa conscende-
 re, iam non erit homo: sed secundum verbum ipsius, tanquam angelus Dei, aut eti-
 am fortè ille super eum sermo cōplebitur, quem ipse dominus dixit: **Ego dixi, di-**
estis, & filij excelsi omnes. Siue ergo spiritalis effectus, vnus cum domino spiritus si- **Psal. 81**
 at, siue per resurrectionis gloriā in angelorum ordinem transeat, rectè iam non
 erit homo: sed vnusquisq; ipse sibi hoc præstat, vt vel excedat hominis appellationē,
 vel intra conditionem huius vocabuli censeatur. Si enim factus homo, seruasset ab
 initio illud, quod ad eum scriptura dicit: **Ecce posui ante oculos tuos mortem & vt-**
tam, elige vitam: si hoc fecisset, nunquam pro peccato humanum genus mortalis
conditio tenuisset, sed quum derelinquens vitam, mortem secutus est, homo factus
est, & non solum homo, sed & terra, propter quod & in terram redire dicitur. Re-
quiro tamen, quæ sit ista mors, quam dicit, ante oculos tuos posui: De vita enim nō
dubitatur, quod semetipsum indicet Deus, qui dixit: Ego sum veritas & vita. Quæ
est ergo ista mors vitæ contraria, quam posuit Deus ante oculos nostros: De illo id
dici puto, de quo Paulus dicit: Nouissimus inimicus destruetur mors. Iste est ergo
diabolus inimicus, qui primò quidē ante oculos positus est, sed nouissimus destru-
etur. Positus autem fuerat ante oculos, non vt sequeremur eum, sed vt vitæ emus:
vnde & arbitror, quod ipsa per se anima humana, neq; mortalis dici potest, neq; im-
mortalis: sed si contigerit vitam, ex participio vitæ erit immortalis. In vita enim non
dicitur mors. Si verò auertens se à vita, participium traxerit mortis, ipsa se facit esse
mortalem, & ideo Propheta dicit: Anima quæ peccat, ipsa morietur, quamuis mor-
tem æternam ad interitum substantiæ non sentiamus, sed hoc ipsum, quod anima
aliena & extorris sit à Deo, qui vera vita est, mors ei esse credenda est. Nulla ergo
participatio fit iustitiæ cum iniquitate, nulla societas luci ad tenebras, nulla cōsonan-
tia Christi cum Belial. Si eligimus vitam, semper viuemus: mors nobis non domina-
bitur, & complebitur in nobis sermo domini, quē dixit: Qui credit in me, eti-
tiam si moriatur, viuet. Eligamus ergo vitam, eligamus lucem, vt in die
honestè ambulemus, vt & nos sequentes Iesum intra velamen ta-
bernaculi interioris, iam non simus vt homines mortales, sed
vt angeli immortales, quum nouissimum inimicum de-
struxerit mortem ipse dominus noster Iesus Chri-
stus, qui est via & veritas & vita, cui gloria &
imperium in secula seculorum, Amen.

Noni Libri FINIS.

O ij D. CY-

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXANDRI

ni in Leuiticum Liber X.

De ieiunio, quod in die propitiationis fit, & rursum de hirco, qui in eremum mittitur.



Nos quidem, qui de Ecclesia sumus, meritum Mosen recipimus, & scripta eius legimus, sentientes de eo, quod propheta sit, & Deo sibi reuelante, in symbolis, & in figuris, ac formis allegoricis conscripserit futura mysteria, quae in tempore suo dicemus impleta. Qui verò huiusmodi in eo non recipit sensum, siue Iudaeorum quis, siue etiam nostrorum est, is ne prophetam quidem eum fuisse docere potest. Quomodo etenim prophetam probabit, cuius literas asserit esse communes, futuri nullius co-

scias, nec occulti aliquid mysterij continentis: Hunc itaque qui ita sentit, legentem hanc arguit sermo diuinus, dicens: Putasne intelligis, quae legis: Est ergo lex, & omnia quae in lege sunt, secundum Apostoli sententiam, usque ad tempus correctionis imposita. Et sicut ij, quibus artificium est signum ex aere facere & statuas fundere, antequam verum opus aëris producant, aut argenti vel auri, figmentum prius lutum, ad similitudinem futuræ imaginis formant, quod figurari necessarium quidem est, sed usquequo opus, quod principale est, expleatur. Quum autem fuerit effectum opus illud, propter quod figmentum lutum fuerat efformatum, usus eius ultra non quaeritur. Tale aliquid intellige etiam in ijs, quae in typo & figura futurorum in lege & prophetis scripta vel gesta sunt. Venit enim ipse artifex & autor omnium, & legem, quae umbram habebat futurorum bonorum, transtulit ad ipsam imaginem rerum. Sed ne forte difficile tibi probari possit, quae dicimus, videantur, recognosce per singula. Erat prius Hierusalem urbs illa magna & regalis, ubi templum famosissimum Deo fuerat exstructum: postea verò quum venit ille, qui erat verum templum Dei, & dicebat de templo corporis sui: soluite templum hoc, & quia caelestis Hierusalem cepit aperire mysteria, deleta est illa terrena, ubi caelestis apparuit, & in templo illo non remansit lapis super lapidem, ex quo verum templum Dei facta est caro Christi. Erat prius pontifex sanguine taurorum & hircorum purificans populum: sed ex quo venit verus pontifex, qui sanguine suo sanctificaret credentes, nusquam est ille pontifex prior, nec ullus ei relictus est locus. Altare fuit prius, & sacrificia celebrabantur: sed ut venit verus agnus, qui seipsum obtulit Deo, cuncta illa, velut pro tempore posita, cessauerunt. Non tibi ergo videtur, quod secundum figuram, quam supra proposuimus, velut formae fuerint quaedam ex luto factae, per quas veritatis exprimerentur imagines: Propterea denique diuina dispensatio procurauit, ut & ciuitas ipsa & templum, & omnia illa pariter subuerterentur, ne quis forte adhuc paruulus, & lactens in fide, si videret illa constare, dum sacrificiorum ritum, dum ministeriorum ordinem attonitus stuperet, ipso diuersarum formarum raperetur intuitu. Sed prouidens Deus infirmitati nostrae, & volens multiplicari Ecclesiam suam, omnia illa subuertere fecit, & penitus auferri, ut sine vlla cunctatione illis cessantibus, haec esse vera, pro quibus ille typus praecesserat, crederemus. Vnde nunc dicenda nobis sunt alia qua etiam ad eos, qui putant pro mandato legis sibi quoque Iudaeorum ieiunium ieiunandum, & primo omnium sermonibus utar Pauli dicentis: Quia si quis vult vnum aliquid custodire de obseruationibus legis, obnoxius est vniuersae legi faciendae. Qui ergo obseruat ista ieiunia, ascēdat & ter in anno in Hierusalem, ut appareat ante templum domini, ut offerat se sacerdoti, requirat altare, quod in puluere versum est, offerat

Aferat hostias nullo adstante pontifice. Scriptum insuper est, ut duos hircos ieiunans populus offerat ad sacrificium, super quos sortes mitti debeant, ut vnus ex his fiat domini sors, & hostia domino offeratur: alterius verò sors fiat, ut dimittatur in eremum viuus, qui & habeat in se peccata populi. Haec tibi omnia consequenter exequenda sunt, qui vis secundum praecipuum legis obseruare ieiunium, de quibus à nobis quidem (prout potuimus) superiori disputatione disertum est. Tamen quia diues est sermo Dei, & secundum sententiam Salomonis non simpliciter, sed & tripliciter describendus in corde, tēremus etiam nunc addere aliqua ad ea, quae pro viribus dicta sunt, ut ostēdamus quomodo in typo futurorum etiam hic vnus hircus domino oblatus est hostia, & alius viuus dimissus est. Audi nunc in Euangelijs Pilatum dicentem ad sacerdotes & populum Iudaeorum: Quē vultis de duobus dimittam vobis: Iesum, qui dicitur Christus, aut Barrabam: Tūc clamauit omnis populus, ut Barrabam dimitteret, Iesum verò morti traderet. Ecce habes hircum, qui dimissus est in eremum viuus, peccata populi secum ferens clamantis & dicentis: Crucifige, crucifige. Iste est ergo hircus viuus dimissus in eremum, & ille est hircus, qui domino oblatus est hostia ad repropitianda peccata, & veram propitiationem in se credentibus populis fecit. Quod si & hoc requiras, quis sit, qui hūc hircum perduxit in eremum, ut probetur etiam in eo, quod lotus sit & mundus effectus, potest Pilatus ipse accipi homo paratus. Iudex quippe gentis ipsius erat, qui eum per sententiam suam emisit in eremum. Audi autem quomodo lotus sit & mundus effectus, cum ad populum diceret: Vultis vobis dimittam Iesum, qui dicitur Christus: Et acclamasset populus, dicens: Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris. Tunc poposcit, inquit, Pilatus aquam, & lauit manus suas coram populo, dicens: Mundus sum ego à sanguine eius, vos videtis. Sic ergo videbatur lotis manibus suis mundus effectus. Nostra igitur, id est, qui non umbræ & exemplari seruiamus, sed veritati, haec est propitiatiois dies, in qua data est nobis remissio peccatorum, quum pascha nostrum immolatus est Christus. Quomodo ergo cognita veritate conuertimini iterum ad infirma & egena elementa huius mundi: quibus rursum à capite seruire vultis, dies obseruatis & mensis, & tempora & annos. Audi quomodo per Esaiam prophetam huiusmodi ieiunium Deus respicit & dicit: Non hoc ieiunium elegi, dicit dominus, neque diem, ut humiliet homo animam suam. Tu si vis ieiunare secundum Iesum Christum, & humiliare animam tuam, omne tibi tempus apertum est totius anni: imò totius vitae dies habeto ad humiliandam animam tuam: si didicisti tamen à domino saluatore nostro, qui mitis est & humilis corde. Quando ergo non est tibi humiliationis dies, qui Christum sequeris, qui est humilis corde, & humilitatis, magister: Tu itaque si vis ieiunare, ieiuna secundum praecipuum Euangelij, obserua in ieiunijs Euangelicas leges, in quibus hoc modo saluator de ieiunijs mandat: Tu autem si ieiunas, unge caput tuum, & laua faciem tuam. Quod si requiris, quomodo laues faciem tuam, Paulus apostolus docet, quemadmodum reuelata facie gloriam domini contempleris, ad eandem imaginem reformatus à gloria in gloriam, tanquam in domini spiritu. Unge etiam caput tuum, sed obserua, ne oleo peccati. Oleum enim peccatoris non impinguet caput tuum. Sed unge caput oleo exultationis, oleo letitiae, oleo misericordiae, ita ut secundum mandatum Sapientis, misericordia & fides non te deserant. Propterea enim & apostolus Paulus, volens abstrahere nos ab his visibilibus & terrenis, & erigere animos sensusque nostros ad caelestia, clamat & dicit: Si resurrexistis cum Christo, quae sursum sunt, quaerite, non quae super terram. Nonne aperte tibi dicit: Noli quaerere in terris Hierusalem, nec obseruantias legis, nec ieiunium Iudaeorum, sed ieiunium Christi: Ieiunans enim debes adire pontificem tuum Christum, qui vtiq; non in terris requirendus est, sed in caelis, & per ipsum debes offerre hostiam Deo. Visti tibi adhuc ostēdam, qualiter te oportet ieiunare ieiunium: Ieiuna ab omni peccato, nullum cibum sumas malitiae, nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriae incalescas, ieiuna à malis actibus, O iij abstine

Leuiti. 10

Prouer. 22

Matth. 27

Ioannis 19

Matth. 27

Galat. 4

Esaia. 58

Matth. 11

Matth. 6

2. Cori. 3

Psal. 140

Prouer. 3

Coloss. 3

Ieiunium.

Prouer. 9 abstinere à malis sermonibus, continere à cogitationibus pessimis. Noli contingere panes furtiuos peruersæ doctrinæ, non concupiscas fallaces philosophiæ cibos, qui te à veritate seducant. Tale ieiunium Deo placet. Abstinerere verò à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & hoc facere cum ihs, qui Christum crucifixerunt, acceptum esse non potest Deo. Indignati sunt aliquando Pharisei domino, cur non ieiunarent discipuli eius, quibus ille respondit: Quia non possunt filij sponsi ieiunare, quandiu cum ipsis est sponsus. Illi ergo ieiunant, qui perdidit sponsum. Nos habentes nobiscum sponsum, ieiunare non possumus. Nec hoc tamen ideo dicimus, ut abstinentiæ Christianæ frena laxemus. Habemus enim quadragesima dies ieiunans consecratos, habemus quartam & sextam septimanæ diem, quibus solenniter ieiunamus. Est certè libertas Christiano per omne tempus ieiunandi: non obseruantia superstitione, sed virtute continentia. Nam quomodo apud eos castitas incorrupta seruetur, nisi arctioribus continentia fulta subsidijs: quomodo scripturis operam dabunt: quomodo scientia & sapientia studebunt: nonne per continentiam ventris & gulæ: Quomodo quis seipsum castrat propter regnum cælorum, nisi ciborum affluentiam reseret: nisi abstinentia vtatur ministræ: Hæc ergo Christianis ieiunandi ratio est. Sed est & alia adhuc religiosa ieiunatio, cuius laus etiam quorundam apostolorum literis prædicatur. Inuenimus enim in quodam libello ab apostolis dictum: Beatus est qui ieiunat pro eo, ut alat pauperem. Huius ieiunium valde acceptum est apud dominum, & reuera dignè satis. Imitatur enim illum, qui animam suam posuit pro fratribus suis. Quid ergo veteribus pannis noua indumenta miscemus: Quid in vtres veteres mittimus nouum vinum: Vetera transferunt, ecce facta sunt omnia noua per Iesum Christum dominum nostrum, cuius est imperium in secula seculorum, Amen.

Decimi Libri FINIS.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRI

ni in Leviticum Liber XI.

De eo, quod scriptum est: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum dominus Deus vester.

Leuiti. 20
Sanctus quod in sacris scripturis significet.



Vper in auribus Ecclesiæ recitatus est sermo domini, dicens: Estote sancti, quia & ego sanctus sum dominus Deus vester. Nomen hoc, sanctus, quid sibi velit, quidue significet in scripturis diuinis, diligentius requirendum est: ut cum vim verbi Dei didicerimus, etiam opus eius possimus implere. Congregemus ergo de scripturis diuinis, super quibus sanctum dictum inuenimus, & deprehendemus, non solum homines, sed etiam muta animalia sancta appellata. Inuenimus & vasa ministerij sancta vocitata, & vestimenta sancta dici & lota, nihilo minus quæ in vrbibus posita sunt, & sacerdotibus deputata. Ex multis quidem animalibus primogenita bouum vel pecorum sanctificari per legem domino iubetur, & dicitur: Ne facias in eis, inquit, opus vllum, quoniam domino sanctificata sunt. Super vasis verò, cum in tabernaculum testimonij deferuntur, vasa ministerij, thuribula vel phialæ, vel cætera huiusmodi vasa, sancta appellantur. Super vestimentis etiam cum stola pontificis Aaron & tunica lineæ, & cætera huiusmodi vestimenta, sancta dicuntur. Si ergo intueamur, propter quid hæc omnia sancta nominata sunt, aduertimus, quomodo etiam nos dare operam oportet, ut sancti esse

Exodi 13

Exodi 40

Exodi 39

A esse possimus. Natus est mihi primogenitus bos, non mihi licet occupare eum ad opus commune, est Deo consecratus, & ideo dicitur sanctus. Intelligimus ergo ex hoc muto animali, quomodo lex, quod sanctum vult esse, nulli alteri deseruire iubet, nisi domino soli. Iterum pateræ vel phialæ, quas dicit sanctas, illæ sunt, quæ nunquam iubentur exire de templo, sed esse semper in sanctis, nec vllis penitus humanis vsibus ministrare. Similiter & vestimenta, quæ sancta nominantur, non iubentur intra domum vsui deseruire pontificis, sed in templo esse, & inde omnino nunquam efferri, sed ad hoc tantum consecrata esse, ut eis Deo ministrans pontifex induatur, & sint semper in templo: ad cæteros verò vsus communes vtatur communibus indumentis. Similiter & pateris ac phialis ihs, quæ sanctæ appellantur, ad humanos & communes vsus vti non liceat, sed tantum ad diuina mysteria. Quod si intellexisti, quomodo vel animal vel vestimentum sanctum appellatur, consequenter intellige, quod his obseruationibus & legibus etiam homo sanctus appellatur. Si quis enim seipsum deuouerit Deo, si quis se nullis negocijs secularibus implicarit, ut ei placeat, cui se probauit, si quis separatus est, & segregatus à reliquis hominibus carnaliter viuentibus, & mundanis negocijs nequaquam obligatus, non inquirens ea, quæ super terram, sed quæ in cælis sunt, iste meritò sanctus appellatur. Donec enim permixtus est turbis, & in multitudine fluctuantium populorum volutatur, nec vacat soli Deo segregatus à vulgo, non potest esse sanctus. Nam de ihs quid dicemus, qui quum gentilium turbis ad spectacula maturant, & conspectus suos atque auditus impudicis & verbis & actibus foedant: Non est nostrum pronunciare de talibus: ipsi enim sentire & videre possunt, quam sibi delegerint partem. Tu ergo qui hæc audis, cui lex diuina recitatur, quem ipseus etiam Dei sermo conuenit, dicens: Sancti estote, quia ego sanctus dominus Deus vester: sapienter intellige, quæ dicuntur, ut sis beatus, quum rectè feceris ea. Hoc est enim, quod dicitur tibi: Separa te ab omni, non solum homine, sed & fratre inquietè ambulante, & non secundum traditiones apostolicas. Separamini etenim, qui portatis, inquit, vasa domini, & exite de medio eorum, dicit dominus. Separa te à terrenis actibus, separa te à concupiscentia mundi. Omne enim quod in mundo est, secundum Apostolum, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, quæ non est à Deo. Quum ergo separaueris te ab his omnibus, deuoue te Deo tanquam primogenitum vitulum: non operetur per te peccatum, nec iugum tibi imponat malitia: sed esto semotus & segregatus, vsibus tantum sacerdotalibus tanquam primogenitum animal mancipatus. Segregare & discernere tanquam phialæ sanctæ & sancta thuribula, solum templi vsibus & Dei ministerio vacans. Separa te, & remoue te ab omni pollutione peccati, & esto remotus & segregatus intra templum Dei, tanquam sancta indumenta pontificis. In templo namque Dei est segregatus & separatus ille, qui in lege Dei meditatur die ac nocte, & qui in mandatis eius cupit nimis. Sancti ergo estote, dicit dominus, quia & ego sanctus sum. Quid est, quia & ego sanctus sum: sicut & ego, inquit, segregatus sum, & longè separatus ab omnibus, quæ adorantur siue coluntur, siue in terra siue in cælo. Et sicut ego excedo omnem creaturam, atque ab vniuersis, quæ à me facta sunt, segregor: ita & vos segregati estote ab omnibus, qui non sunt sancti, nec Deo dicati. Segregari autem dicimur, non locis, sed actibus: nec regionibus, sed conuersationibus. Denique & ipse sermo in Græca lingua, quod dicitur hagios, quasi extra terram esse significat. Quicumque enim se consecrauerit Deo, meritò extra terram esse & extra mundum videbitur. Potest enim dicere & ipse super terram ambulans: Cõuersationem in cælis habemus. Salomon quoque in Prouerbijs dicit: Laqueus fortis est viro, citò aliquid de suis sanctificare: & posteaquam vouerit, poenitere. Et hoc est vtique, quod dicitur: Ne quis fortè, cum fructus ex arboribus, aut vinum ex torcularibus col-

Homo sanctus.

2. Timo. 2 Nota.

Coloss. 3

Ioann. 13

2. Theff. 3 Esaiæ 52

1. Ioann. 3

Psalm. 1 Psalm. 117

Philipp. 3

ligit, & dixerit: Volo tantum offerre Ecclesiæ, vel in vsum pauperum aut peregrinorum tantum præbere; si postea ex his, quæ vouet, aliquid ad vsum proprios præsumat, iã non de suis fructibus præsumit, sed sancta Dei violat; & ideo laqueus fortis est viro, sanctificare aliquid, hoc est, vouere Deo, & postmodum poenitentia ductum, ad vsum proprios ea, quæ consecrauerat, reuocare. Sed & si nos ipsos consecramus, aut offerimus Deo, aut etiam si aliud vouemus, obseruemus hunc laqueum, ne forte posteaquam nos Deo vouimus, iterum humanis vsum vel actibus subiugemur. Vouit autem se vnusquisq; verbi gratia, sicut Nazaræi faciebant, tribus aut quatuor, aut quot placuisset annis, templo se consecrantes Dei, vt ibi semper vacarent, obseruantes illa, quæ de Nazaræis scripta sunt: vt comam capitis nutritent, nec ascenderet ferrum super caput eorum toto voti sui tempore, vt vinum non cõtingerent, neque aliquid ex vite, & cætera, quæcunque complexa fuisset voti professio. Sed & alium considera, qui se ita vouet Deo, sicut Anna fecit Samuelẽ. Antẽ enim quàm nasceretur, obtulit eum Deo, dicens: Et dabo eum domino datum omnibus diebus vitæ suæ. Ex quibus omnibus clarum est, quomodo vnusquisq; nostrum, qui vult esse sanctus, consecrari se debeat Deo, vt nullis studeat negocijs vel actibus, qui ad dominum minimè pertinent, occupari. Post hæc scriptum est: **Seruate, inquit, præcepta mea, & facite ea. Ego dominus, & his addidit: Homo si maledixerit patrem aut matrem suam, moriatur.** Et post multa, quæ præcepit, quibus etiam pœnas præuaricationis adscripsit, addidit in clausula: **Et seruate omnia præcepta mea, & iustificationes meas, & iudicia mea.** Vnde cõsequens videtur requirere, quid in his singulis indicetur. Et quidem secundum quod obseruari oportuit, præceptum est prius mandatum, verbi gratia, in decalogo dicitur: **Nõ occides, non adulterabis:** hoc enim solum præcipitur, & non adscribitur pœna commissi. Nunc autem iterantur quidem eadem, sed additis pœnis, dicitur enim: **Homo quicumque adulterauerit vxorem viri, & vxorem proximi sui, morte moriatur is, qui adulterat, & quæ adulteratur.** Et is, qui dormierit cum vxore patris sui, turpitudinemque patris sui detexerit, morte moriantur ambo, rei enim sunt. De his autem in prioribus iam data fuerant præcepta: sed non obseruantem quæ maneret pœna, non fuerat adscriptum. Nunc ergo eadem repetuntur, & vnus cuiusq; pœna peccati decernitur. Et ideo rectè hæc iustificationes & iudicia appellantur, quibus quod iustum est recipere, iudicatur ille, qui peccat. Sed in vero ordine diuinæ sapientiæ non continuè pœnas cum primis statuit præceptis: vult enim, vt non metu pœnæ, sed amore pietatis, patris præcepta custodias. Sed si contempseris, non tam homini iam, quàm contemptori pœna mandatur. Primò ergo benignitate prouocaris vt filius. Ego enim dixi, dilectis, & filij excelsi omnes. Quod si vt filius esse obediens non vis, contemptor plecteris vt seruus. Post hæc dicit: **Et si quis dormierit cū nuru sua, morte moriatur.** Ambo impietatem fecerunt, & rei sunt. Et has leges, vel hæc præcepta absq; pœnis superius dederat, dixerat enim: **Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis, & omnia, quæ subsequuntur.** Et hunc locum simili modo ibi absque supplicijs, hic verò cum diuersis suppliciorum generibus adscripsit. Quo in loco recordor sermonis illius, quem beatus Apostolus ad Hebræos scribens, dicit: Irritam quis faciens legem Mosi, sine vlla miseratione duobus aut tribus testibus moritur. Quanto maioribus supplicijs dignus putabitur, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit: Sed qua causa mentionem fecerim scripturæ huius, auscultata. Secundum legem adulter cum adultera moriebatur, nec poterant dicere: Poenitentiam petimus, & veniam deprecamur. Non erat lachrymis locus, nec enim dati

oni veniæ vlla concedebatur facultas: sed omnimodè eum puniri necesse erat, qui incurrisset in legem. Hoc autem seruabatur, & singulis quibusq; criminibus erat pœna mortis adscripta. Apud Christianos verò si adulterium fuerit admissum, non est præceptum vt adulter vel adultera corporali interitu puniantur: nec potestas data est Episcopo Ecclesiæ, adulterium præsentis morte damnare, sicut tunc secundum legem fiebat à presbyteris populi. Quid igitur dicemus, quòd lex Mosi crudelis est, quæ iubet puniri adulterium cum adultera, & Euangelium Christi per indulgentiam resoluit auditores in deterius? Non ita est: propterea enim sermonem Pauli protulimus in superioribus, dicentis: Quanto magis deterioribus supplicijs dignus est, qui filium Dei conculcauerit: & cætera. Audi ergo quomodo neq; tunc crudelis fuerit lex, neq; nunc dissolutum videatur Euangelium propter veniæ largitatem: sed in vtroq; Dei benignitas diuersa dispensatione teneatur. Hoc quod secundum legem (verbi causa) adulter vel adultera præsentis morte puniebatur, propter hoc ipsum, quòd peccati sui vterq; pertulit pœnam, & cõmissi sceleris exoluit digna supplicia: quid erit post hæc, quòd animabus eorum vltionis imminet, si nihil aliud deliquerunt, si aliud peccatum non est, quod condemnet eos, sed hoc solū commiserunt, & legis pro hoc supplicium pertulerunt: Non vindicabit dominus bis in idipsum, receperunt enim peccatum suum, & consumpta est criminis pœna. Et ideo inuenitur hoc genus præcepti non crudele, sicut hæretici adserunt, accusantes legem Dei, & negantes in ea humanitatis aliquid contineri, sed plenum misericordiæ: idcirco quòd per hoc purgaretur ex peccatis populus magis, quàm condemnaretur. Nunc verò non infertur pœna corpori, nec purgatio peccati per corporale supplicium constat, sed per poenitentiam, quam si quis dignè gerat, ita vt mereatur pœnam tolli, veniam possit inuenire. Multi sunt enim, qui nec ad hoc inclinantur, nec poenitentia refugium quærunt, sed quum ceciderunt, surgere vltra nolunt. Delectantur enim in eo luto, quo cœperunt volutari. Nos tamen obliuiscimur præcepti illius, quo dicitur: **Qua mēsurā mēsi fueritis, eadem remetietur vobis.** Dicimus enim & ad dominum: **Quoniam dedisti nobis panem lachrymarum, & potasti nos in lachrymis in mensura.** Sunt enim ista peccata, quæ dicuntur ad mortem. Vnde & cõsequens est, vt quoties commiserit quis tale peccatum, toties moriatur. Multas enim esse peccati mortes significat etiã apostolus Paulus, cum dicit: **Qui de tantis mortibus eripuit nos, in quo speramus, quia & adhuc eripiet.** Quas ergo hic mortes plures cõmemorat, nisi peccatorū? Si enim hæc nõ diceret de mortibus peccatorum, videbatur Paulus secundum sententiã suam immortalis esse mansurus, & eripiendus ab hac communi morte, qui dicit: quia de tantis mortibus eripuit nos, in quo speramus, quia adhuc eripiet. Si enim eripuit & eripiet, nunq̃ erit quando morietur, quem dominus semper eripiet. Et ideo, secundum ea, quæ discussimus, videndum est, ne forte aliquando etiam grauius sit nobis, qui pro peccato communi hac morte minimè punimur, quàm illis, quos legis sententia corporaliter condemnabat: quoniã nobis vltio referuatur in futurum, illos absoluebant commissi sui per soluta supplicia. Quòd etsi aliquis est, qui forte præuentus est in huiusmodi peccatis, admonitus nunc verbo Dei ad auxilium confugiat poenitentia: vt si semel admiserit, secundo non faciat: aut si secundo iam aut tertio præuentus est, vltra iam non addat. Est enim apud iudicem iustum pœnæ moderatio non solum pro qualitate, verum etiam pro quantitate. Inter cætera ergo peccata, quæ morte puniuntur, refert diuina lex, quod et qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Nomen patris grande mysteriũ est, & nomen matris arcana reuerentiã est. Nomen patris & matris. Pater tibi Deus secundum spiritum dicitur: mater Hierusalẽ cœlestis est. Prophetis hæc & apostolicis disce testimonijs. Hoc ipse Moses scripsit in Cãtico: **Nõne hic ipse pater tuus est, qui acquisiuit te, & possedit te?** Apostolus verò dicit de Hierusalẽ cœlesti, quæ libera est, quæ est mater nostra. Primò ergo tibi pater Deus est, qui genuit

Lucæ 6
Psalm. 79
1. Ioãnis 1

2. Corin. 1

Nomẽ pa
tris & ma
tris.
Deuter. 23
Galat. 4

Esaiæ 1
Hebræ. 11
Hebræ. 7

nuit spiritum tuum, qui & dicit: Filios genui, & exaltaui. Sed & Paulus apostolus dicit: Obtemperemus patri spirituum, & viuemus. Secundò tibi pater est carnis pater, cuius ministerio in carne natus es, à quo in hunc mundum venisti, qui te portauit in lumbis, sicut dicitur de Leui: Quia in lumbis erat adhuc Abrahæ, quando occurrit ei Melchisedec regresso à cæde regum, & benedixit eum, & decimas accepit ab eo. Quia igitur tam sacratum nomen est patris, & tam venerabile: idcirco qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Similia etiam de matre æstimanda sunt, cuius labore, cuius cura, cuius ministerio & natus es et nutritus. Et ideo oportet te, secundum Apostolum, partem gratiæ referre parentibus. Si enim dehonoraues patrem carnalem, huiusmodi contumelia ad patrem spiritalem refertur. Et si iniuriam feceris matri carnali, ad illam matrem Hierusalem cœlestem redundat iniuria. Sic & si feruus domino irreuerens sit, per hunc corporalem dominum, in dominum maiestatis contumelia iactatur: ille enim huic carnali domino suum nomē imposuit. Et ideo nullo genere aduersum patrem, ne verbo quidem, habendum certamen est, aut mouenda contradictio. Pater est, mater est, vt ipsi videtur, agant, faciant, dicant & imperent. Quantumcunque detulerimus obsequij, nondum reddimus vicem gratiæ, qua geniti sumus, qua portati, qua hausimus lucem, qua nutriti sumus, fortassis etiam eruditi, & honestis artibus instituti: & ipsis fortasse autoribus agnouimus dominum, & ad Ecclesiam Dei venimus, & sermonem diuinæ legis audiuius. Propter hæc ergo omnia, quicumque maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Quòd si hæc de corporalibus decernuntur, quid illi facient, qui Deum patrem maledicis vocibus laceffunt, qui eum negant conditorē esse mūdi: aut qui cœlestem Hierusalem (quæ est mater omnium nostrū) indignis sensibus intelligentes, dicta prophetica ad conditionem terrenæ alicuius vr̄bis adducunt: Bonum ergo est obseruare, ne quādo aut carnalem patrem, aut cœlestem minus digna honorificentia veneremur. Similiter obseruare & matrem, & etiam omne mandatum, quod nobis pudicitiam castitatemq; commendat, vt neq; in præsentivita obnoxij simus morti secundum spiritalem legem, neq; futura nos pœna maneat ignis æterni: ex quo effugere & euadere omnibus nobis concedat dominus noster Iesus Christus, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Vndecimi Libri FINIS.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI
in Leuiticum Liber XII.

De magno sacerdote.



Psal. 109

Mnis qui inter homines sacerdos est, ad illum sacerdotē, de quo dixit dñs: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinē Melchisedec, paruus est & exiguus. Ille est autē magnum sacerdos, qui potuit penetrare cœlos, & vniuersam supergredi creaturā, & ascendere ad eum, qui lucem habitat inaccessibile, dominum & patrem vniuersitatis. Propter quod & ille, qui apud Iudæos magnus dicebatur sacerdos, introibat quidē in sancta, sed manufacta, sed lapidibus extructa: nō ascendebat in cœlū, nec ad stare poterat apud patrē luminum. Sed quia horū vmbra implebat & imaginē, idcirco etiā magni sacerdotis nomē per vmbra gerebat & imaginē. Vnde & Iudæi per hoc, quòd ad fidē proximi esse debuissent, quia apud ipsos ad umbratio quædā & imago præluxerat veritatis, dum typos veritatē putant, veritatem ipsam tan-

tanquam mendacium respuerunt. Nos autem, qui recepimus magnum sacerdotē, intelligere debemus, quomodo verē ipse sit magnus sacerdos. Verē magnus sacerdos, qui peccata dimittit, non per sanguinem taurorum & hircorū, sed per sanguinem suum. Quia ergo cognouimus, quis sit magnus sacerdos, & confitemur ea, quæ in lege scripta sunt, de magno sacerdote scripta esse, id est, de saluatore: quem verē magnum sacerdotem esse superior tractatus ostendit. Videamus nunc quæ sint, quæ de eo lex prophetico spiritu scripsit.

Et sacerdos, inquit, magnus ex fratribus suis, cui infusum est super caput eius oleum chris̄matis, & perfectas habet manus suas, vt induat sancta: de capite cydarim non deponet, vestimenta sua non dirumpet, & ad omnē animam mortuam non intrabit: in patre suo, vel in matre sua non cōtaminabitur, & de sanctis non exhibit, & non coinquinabit nomen, quod est sanctificatum Dei super se, quia sanctum oleum chris̄matis Dei sui in ipso est. Ego dominus. Hic vxorem virginem accipiet de genere suo: viduam autem & eiectam, & pollutam, & meretricem, has non accipiet: sed virginem ex genere suo accipiet vxorem, vt non maculet semen suum in populo suo. Ego dominus, qui sanctifico eum.

Fuerit quidem apud Iudæos imago huius obseruantia, & custodita sint, quæ lex Iudæorum statuit apud Iudæos: sed si diligenter cuncta seruata sint, & si omnia, quæ lex præcepit, impleta sint, nec sic quidem omnis hæc obseruatio magnum potuit facere sacerdotem. Quomodo etenim magnum dici potest sacerdos, qui peccare potest: Quòd autem sub peccato fuerint omnes, etiam magni sacerdotes, & ex hoc ipso facile aduertimus, quod lex præcepit, vt prius pro suis, postea etiam pro populo si peccatis offerat hostiā sacerdos. Quò ergo magnum est, sub peccato positus: Meus autē sacerdos magnus Iesus, idcirco magnum est, quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Et quia venit ad eum princeps huius mundi, & non inuenit in eo quicquam. Ideo ergo Gabriel archangelus natiuitatem eius annunciat, dicens: Hic erit magnus, et filius altissimi vocabitur. Peccatum enim hominem paruum facit & exiguum: virtus eminentem præstat & magnum. Sicut enim ægritudo corporis exile & exiguum facit corpus hominis, sanitas verò lætum reddit & validum: ita intellige, quia & animam quidem ægritudo peccati humilem facit & paruam: sanitas verò interioris hominis & virtutis opera magnam faciunt eam & eminentem: & quanto magis in virtutibus crescit, tãto proceriorem reddet magnitudinem sui. Sic ergo intelligo illud, quod de Iesu scriptum est: Quia proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Nam quis est hominum, qui non proficiat ætate in pueritia, vt hoc veluti egregium quiddam de Iesu scriberetur: Ad hæc dico, qui corporaliter audis, quòd Iesus ætate proficeret. Intellige ergo, quia ætate animæ proficiebat, & magna fiebat anima eius, propter magna & ingentia opera, quæ faciebat. Deniq; sciens & Apostolus hæc ætatem de interiori homine sentiendam, ita scripsit: Donec omnes occurramus in virum perfectū, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Nam secundum corpus crescere & magnum fieri, non est in nobis. Corpus enim ex genitali origine quantitatis materiam sumit, vt vel magnum vel exiguum fiat. Anima verò in nobis habet causas, & arbitrij libertatem, vt vel magna vel parua sit. Si ergo parua sit & pusilla anima, scandalizari potest. Sic enim scriptum est in Euangelio: Quia expedit præcipitari in profundum maris, quàm scandalizare vnum de pusillis istis. Qui magnus est, non scandalizatur, sed qui pusillus est. Qui magnus est, quodcunque viderit, quodcunque passus fuerit, non declinat à fide: qui autem pusillus est animo & paruus, occasiones quærit, quomodo scandalizetur, quomodo in fide videatur

Leuitic. 21

Leuiti. 16
Hebræo. 5

Esaiæ 53
Ioann. 14
Lucæ 1

Lucæ 1

Ephes. 4

Matth. 18

tur

tur offendi. Propterea denique oportet nos maxime ijs consulere, qui parui sunt in fide: & non tantam curam circa magnos & fortes, quantam erga paruulos & infipientes debemus impendere. Fortis enim omnia tolerat, omnia suffert, & nunquam cadit. Paruuli vero & infirmi in fide, obseruandum est, ne occasione nostri offendantur, & recedant a fide, ac decidant a salute. Aut ostende mihi de scripturis, ubi aliquis peccator, aut parui meriti, magnus appellatus sit. Nusquam, opinor, inuenies. Audi vero qui sunt, qui magni appellantur. De Ezechia dicitur, qui proficiebat valde, quousque factus est magnus valde. Moses dictus est magnus, & Ioannes Baptista magnus dictus est: nunc autem Iesus magnus dicitur, & post hunc iam nullus appellatus est magnus. Priusquam enim adesset, qui verè magnus est, ad comparationem reliquorum hominum magni appellati sunt sancti, quorum superius fecimus mentionem. Vbi verò aduenit ipse, qui non ex comparatione ceterorum, sed sui magnitudine verè magnus erat, de quo etiam scriptum est: Quia exultauit ut gigas ad currendam viam: ultra iam magnus nullus est appellatus. Hic est ergo, de quo scribitur: Magnus sacerdos ex fratribus suis. Quibus fratribus: de quibus dixit, cum resurrexisset a mortuis: Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum, & ad patrem vestrum: & Deum meum, & Deum vestrum. Si autem vis & ex antiquis literis discere fratres Iesu, lege vigesimum primum Psalmum, ubi ex persona Christi dicitur: Narrabo nomen tuum fratribus meis: In medio Ecclesie laudabo te. Ex fratribus ergo suis magnus est Iesus, ex ijs, qui prius magni fuerant appellati. Et sicut pastorum pastor est, & pontificum pontifex, & dominantium dominus, & regum rex: ita & maior est magnus, & ideo addit: Magnus sacerdos ex fratribus suis. Post hæc verò: Cui, inquit, infusum est oleum chrisimatis super caput eius. Istud oleum noli quærere in terris, quod super caput infunditur magno sacerdoti, qui est Christus: sed si videtur, discite à propheta Dauid istud oleum quale sit. Dilixisti, inquit, iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnixit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ confortibus tuis. Istud est ergo oleum lætitiæ, quod capiti eius infusum, fecit eum Christum. Sed addit adhuc ad laudes eius: qui consummatas, inquit, manus habet. Cuiusnam quæso hominum hoc conuenit dici, in quo mortaliū perfectas inuenire possumus manus? Etiam si Aaron iste sit, cuius mentio fieri videtur, quò consummatas putabitur habuisse manus, quibus vitulum fabricauit, quibus idolum confluxit: Etiam ipsum Moysen proferas, quò consummatas habuisse videtur manus, qui non glorificauit dominum ad aquam contradictionis: pro quo delicto etiam iubetur vita excedere. Quod si & alium quemlibet sanctorum memorare velis, occurrit tibi sermo, qui dicit: Quia non est homo super terram, qui faciat bonum, & non peccet. Merito ergo solus Iesus consummatas habet manus, & ideo de ipso rectè dicitur, qui consummatas habet manus, vt induatur sancta. Hic enim est, qui verè indutus est sancta, non illa, quæ in typo erant, sed ipsa, quæ verè sancta sunt. Quod si vis audire de excelsioribus indumentis eius, accipe verba prophetica: Amictus, inquit, lumine sicut vestimento, abyssus sicut vestimentum amictus eius. Hic est mei magni pontificis habitus, quo indicatur profunda scientiæ & sapientiæ luce vestitus, quæ verè sancta sunt indumenta. Non, inquit, auferet de capite suo cydarim. Iam & prius diximus cydarim genus esse cooperimenti, quod capiti superpositum, pontifici præstat ornatum. Hic ergo magnus pontifex meus nunquam deponit sacri capitis ornatum. Quid sit autem caput Christi, ab Apostolo discite, qui dicit: Caput autem Christi, Deus. Merito igitur capitis sui, qui Deus est, nunquam deponit ornatum: quia semper est pater in filio, sicut filius semper in patre. Et vestimenta sua non dirumpet. Verè hic est, qui vestimenta sua non dirumpit, sed semper ea munda, semper integra, semper casta seruaui. Et ad omnem animam defunctam non intrabit. Quæ est anima defuncta, quæ est anima mortua: Propheta dicitur

A dicit: Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Super hanc ergo animam mortuam Christus non superuenit: quia sapientia est, & sapientia non intrat ad animam mortuam. Ipsa est enim mortua: quia cui inest malitia, inest peccatum. Peccatum autem quum consummatum, inquit, fuerit, generat mortem: & propter hoc Iesus non intrat ad animam mortuam. Si autem viuat anima, hoc est, si non habeat in se mortale peccatum: tunc Christus, qui est vita, ad animam intrat viuentem: quia sicut lux non potest esse cum tenebris, nec cum iniquitate iustitia: ita nec vita potest esse cum morte. Et ideo si quis sibi conscius est, quod habeat intra se mortale peccatum, neque id à se per poenitentiam plenissimæ satisfactionis abiecit, non speret quod intret Christus ad animam eius, quia ad omnem animam defunctam non intrat. Deinde subiungit litera: Quia magnus sacerdos est, in patre suo & matre sua non contaminabitur. Hic scripturæ locus difficillimus est ad explanandum: sed si orationibus vestris Deum patrem verbi deprecemini, vt nos illuminare dignetur, ipso donante poterit explanari. Omnis qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur, propter quod & scriptura dicit: Nemo mundus à forde, nec si vnus diei fuerit vita eius. Hoc ipsum ergo, quod in vulua matris est positus, & quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre & matre contaminatus dici potest. An nescis, quia quum quadraginta dierum factus fuerit puer masculus, offertur ad altare, vt ibi purificetur, tanquam qui pollutus fuerit ipsa conceptione, vel paterni seminis, vel vteri materni? Omnis ergo homo in patre & matre pollutus est. Solus verò Iesus Christus dominus meus, in hanc generationem mundi ingressus, in matre non est pollutus. Ingressus est enim corpus incontaminatum: ipse enim erat, qui & dudum per Salomonem dixerat: Magis autem, quum essem bonus, veni ad corpus coinquatum. Non est ergo contaminatus in matre, sed neque in patre quidem. Nihil enim Ioseph in generatione eius præter ministerium præstitit & affectum, vnde & pro fideli ministerio patris ei vocabulum scriptura concessit. Sic enim mater eius Maria dicit in Euangelio: Ecce ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Sic ergo solus est hic sacerdos magnus, qui neque in patre pollutus sit, neque in matre. Videamus autem, si aliquid adhuc possumus sublimius, & pro dignitate tanti pontificis inuenire. Pater omnium verus dicitur Deus, matrem autem Apostolus Hierusalem dicit esse cœlestem. Omnes ergo, qui peccant, contaminantur in patre, à quo creati sunt. Siue enim egimus aliquid impiū, siue loquuti sumus, siue cogitauimus contra dominum, quum non credidimus Deo, contaminati sumus in patre. Sed vtinam tunc solum per incredulitatem factum sit, cessatum verò sit, postquam credidimus. Sic ergo etiam in matre contaminamur, si credentes Deo vel Ecclesiam lædimus, vel libertatem matris cœlestis indigna peccati seruitute fœdamus. Solus verò dominus noster Iesus Christus, qui peccatum nescit, neque in patre, neque in matre contaminatus est, & de sanctis non exiit. Fuerant quidem nonnulla in superioribus proponenda Iudæis, ad quæ respondere non possent. Sed omissis illis, de hoc interim sermone quid nobis dicunt vel ipsi, vel qui secundum ipsorum sensum intelligi legem volunt? Si hæc ad pontificem nostrum & saluatorem non referantur, quomodo secundum literam probabitur, quod de sanctis non exiit magnus sacerdos, qui vtiq; vxorem recipiebat (sicut inferius dicitur) virginem de genere suo: Si de sanctis non exit, si nusquam procedit, quomodo, & ad quos usus accipere videtur vxorem? Neque enim putandum est, quod cum vxore intra sancta manere potuerit. Sed hæc putent illi, quibus placeant Iudæicæ fabulæ. Nos autem habemus sacerdotem magnum secundum ordinem Melchisedec, Iesum Christum, nunquam de sanctis exeuntem. Semper enim in sanctis est, & manet semper sanctus in verbis suis, sanctus in actibus suis, sanctus in omnibus voluntatibus suis, & solus est, qui nunquam inueniatur extra sancta. Qui enim peccat, exit de sanctis: & quoties quisque peccat, toties efficitur extra sancta.

Christus autem, qui nunquam peccavit, nunquam exiit de sanctis. Sed & tu, qui sequeris Christum, & imitator es eius, si permanes in verbo Dei, si in lege eius mediteris die ac nocte, si in mandatis eius exercearis, semper in sanctis es, nec unquam inde discedes. Neque enim in locis sancta querenda sunt, sed in actibus, vita et moribus; quæ si secundum dominum sint, & secundum præceptum Dei habeantur, etiam si in domo Dei non sis, etiam si in foro sis, & quid dico in foro? etiam si in theatro inueniaris, verbo Dei deseruiens, in sanctis te esse non dubites. An non tibi videtur Paulus, quum ingressus est theatrum, & ingressus est Areopagum, & prædicauit Atheniensibus Christum, in sanctis fuisse? Sed & quum perambularet aras, & idola Atheniensium, vbi inuenit scriptum, ignoto Deo: & ex hoc verbo sumpsit Christi prædicationis exordium, etiam ibi aras gentilium lustrans, in sanctis positus erat, quia sancta cogitabat. Sed & quicumque custodit se post acceptam gratiam Dei, ne incidat in homicidium, in adulterium, in furtum vel falsum testimonium, & alia his similia, sed permanet mundus ab omni contagione peccati, non exiit iste de sanctis, & non cõtaminabit sanctificationem Dei sui in semetipso, quia sanctum oleum chrisimatis Dei super ipsum est. Illud autem oleum, de quo in Exodo scriptum est, quomodo potest secundum literam proprie oleum Dei dici, quod ex myrrha & casia confectum est à pigmentario? Sed si vis videre oleum Dei, audi quem Propheta dicit unctum esse oleo Dei, illum sine dubio, de quo dicit: Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Hic ergo est magnus sacerdos, qui solus oleo domini unctus est, & in quo semper sanctum permanet diuini chrisimatis oleum. Sed quid additur post hæc: Vxorem virginem de genere suo accipiet. Viduam autem, & eiectam, & meretricem non accipiet: sed virginem de genere suo accipiet, & non contaminabit semen suum in populo suo. Ego dominus, qui sanctifico eum. Quia ergo totius expositionis ordo ad sacerdotem magnum reuocatus est Christum, videamus nunc, quid & de nuptiis eius intelligi debeat. Paulus apostolus dicit: Volo autem vos omnes vnus viri virginem castam exhibere Christo. Timeo autem, ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ in Christo est. Vult ergo Paulus omnes Corinthios virginem castam exhibere Christo: quod utique nunquam vellet, nisi id possibile videret. Vnde & mirum fortasse videatur, quomodo ij, qui diuersis peccatis corrupti, ad fidem Christi venerunt, omnes simul virgo casta dicantur: virgo, inquam, tam sancta, tam casta, vt mereatur etiam Christi nuptiis copulari. Verum quoniam hæc ad carnis integritatem referre non possumus, certum est, quod ad integritatem animæ spectent, cuius secundum ipsius Pauli sententiã simplicitas fidei, quæ in Christo est, virginitas eius appellata est: & per hoc quoniam celsantibus, vel philosophorum schismatibus, vel superstitionibus Iudaicis, in fide simplici Christus sibi assumpsit Ecclesiã, virginem de genere suo accipit uxorem. Huius namque fidem non corrumpit philosophi sensus, nec circuncisionis ambitio: sed in simplicitate confessionis tanquam in virginali integritate permansit: sic enim dudum promiserat per Prophetam, dicens: Desponsabo te mihi in fide. Omnis ergo, secundum Apostolum, qui in Christo est, noua creatura est, & sicut idem Apostolus dicit: vt exhibeat ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Quomodo ergo eam, quæ rugosa est, facit esse sine ruga, nisi quia renouat eam: secundum quod scriptum est: Nam & si is, qui de foris est, homo noster corrumpitur, sed qui intus est, renouatur de die in diem. Viduam sanè & meretricem & eiectam non accipiet Christus: nec intrat talis anima thalamum sponsi. Qui enim ingressus fuerit illuc, non habens indumenta nuptialia, timeat perferre illud, quod scriptum esse nohis in Euangelio. Virginem ergo accipiet, & viduam non accipiet, neque meretricem, neque eiectam, aut contaminatam. Meretricem quidem & abiectam animam & pol-

A & pollutam, cur non suscipiet Christus in coniugium, non est laboris exponere. Vidua verò cur non recipiatur, diligentius intuentum est. Paulus apostolus ad Romanos scribens, virtum animæ legem dicit, quam quum mortuus fuerit vir, solutam esse pronunciat à lege, vt iam non sit adultera, si nupserit Christo. Quod si eueniat, vt lex quidem vir animæ ipsa moriatur, id est, vt anima discedat à lege, nec tamen constringat se castioribus connubij disciplinis, & à lege discedens, Evangelici dogmatis non suscipiat iugum: hæc nubere Christo non poterit, quæ libertatis lasciuiam quæsierit, non fidei virginalis & simplicis cultum. Hic ergo sacerdos magnus uxorem virginem accipere de genere suo potest: & propter hoc dictum videri de genere suo, quod anima Christi ex genere, & ex substantia fuerit humanarum omnium animarum. Potest & secundum hoc, quod fratres vocat credentes in se, de genere suo dici anima, quæ ei in fide tanquã nuptiis sociatur. Illud tamen nolo vos lateat, quod Hebræi negant se scriptum habere, quod nos apud Septuaginta interpretes inuenimus, de genere suo, & rectè illi non habent scriptum. Ablata enim est ab illis propinquitas Dei: ablata est enim eis adoptio filiorum, & translata est ad Ecclesiam Christi. Illi ergo non habent scriptum, quod de genere Christi sint, sicut nec esse meruerunt. Nos autem, qui hoc scriptum habemus & legimus, gaudeamus quidem de dignatione Dei: sed cautè & sollicitè cur emus nos, & vitam nostram, & actus nostros, nec nos faciant aliquando degeneres. Ne & hoc ipsum nobis ad condemnationem dicatur: quod quum genus simus Christi, indignis & fœdis & diabolicis actibus seruiamus. Qui ergo habet sponsam, sponsus est. Audis quomodo sponsus dicitur Christus, sponsa verò eius anima dicitur, quæ fidei simplicitate, & actu puritate, incorrupta probatur & virgo. Dicit enim dominus per Hieremiam prophetam: Nonne sicut dominum me vocas, & patrem, & principem virginitatis tuæ? Viduam autem & eiectam & contaminatam non accipiet. Si quis nostrum peccauerit, abiectus est, etiam si non abiiciatur ab Episcopo, siue quod lateat, siue quod interdum ad gratiam iudicetur, eiectus est tamè ipsa conscientia peccati. Nec prodest hominis gratia, quum Christus huiusmodi animam, tanquam abiectam non recipiat in coniugium. Igitur neque viduam (sicut supra diximus) accipiet, neque eiectam, neque pollutam. Polluta dicitur, quæ etiam si non ex integro compleuit peccatum, tamen ob hoc ipsum, quod cogitauit, quod voluit, quod optauit, etiam si non admisit, polluta est, & à magno pontifice non eligitur. Valde enim puram, valde mundam, & sinceram requirit animam, quam sibi iungit. Quia qui se iunxerit domino, vnus spiritus est. Vnde etiam hoc ostenditur, quod sit differentia peccatorum: & qui peccauerit peccatum ad mortem, abiectus sit, qui autem non peccat ad mortem, sed inferius aliquid, pollutus sit. Sponsa autem Christi neque abiecta, neque polluta esse potest: sed virgo incontaminata, incorrupta, munda. Memento enim sermonis Apostoli, quem paulò antè proposuimus, dicentis: Vt exhibeat ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed vt sit sancta & immaculata. Sed & meretricem non accipiet. Quæ est anima meretrix: quæ ad se recipit amatores, de quibus dicit Propheta: Meretricata es post amatores tuos. Qui sunt isti amatores, qui intrant ad animam meretricem, nisi contrariæ potestates & dæmones, qui desiderium capiunt pulchritudinis eius? Pulchra namque à Deo creata est anima, et satis decora. Audi quò ipse dominus dicit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinẽ nostram. Vide cuius decoris, cuius pulchritudinis est anima, imaginem habet & similitudinẽ Dei. Hæc pulchritudinem contrariæ potestates, cum aspiciunt, id est, diaboli & angeli eius, concupiscunt speciem: & quia non possunt sponsi eius fieri, meretricari cupiunt cum ea. Si ergo susceperis à homo in cubili animæ tuæ adulterum diabolum, meretricata est anima tua cum diabolo. Si receperis angelos eius, si spiritus diuersos, qui peccare te suadeant, meretricata est cum eis anima tua. Si spiritus iræ, si inuidiæ, si super-

perbia; si impudicitia ingressus fuerit ad animam tuam, & receperis eum, confen-
 seris ei loquenti in corde tuo, delectatus fueris ijs, quae tibi secundum suam mentem
 suggerit, meretricatus es cum eo. Meretricem ergo non accipiet sacerdos magnus,
 & non contaminabit semen suum in populo suo. Quod est istud semen, quod con-
 taminari non vult: In Evangelijs scriptum est: Quia qui seminat, verbum seminat.
 Non vult contaminari ergo verbum Dei ab ijs, qui seminant, ab ijs, qui verbum Dei
 in Ecclesia proferunt. Audiant ergo doctores, ne forte animae contaminatae, ani-
 mae meretricant, animae infideli verba Dei credant, ne forte mittant sanctum cani-
 bus, & margaritas ante porcos. Sed animas mundas, virgines in simplicitate fidei,
 quae est in Christo, eligant: ipsis committant secreta mysteria, ipsis verbum Dei &
 arcana fidei proloquantur, ut in ipsis Christus formetur per fidem. An nescis, quia
 ex isto semine verbi Dei, quod seminatur, Christus nascitur in corde auditorum.
 Hoc enim & Apostolus dicit: Donec formetur Christus in vobis. Concipit ergo
 anima ex hoc verbi semine, & conceptum format in se verbum, donec pariat spiritum
 timoris Dei. Sic enim per Prophetam dicunt animae sanctorum: A timore tuo do-
 mine concepimus in utero, & parturivimus & peperimus spiritum salutis. Iste spi-
 ritualis est foetus, iste est sanctarum animarum partus, iste conceptus. Ista sunt san-
 cta coniugia, quae conveniunt & apta sunt magno pontifici Christo Iesu domino
 nostro: cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Duodecimi Libri FINIS.

D. CYRILLI AR-
 CHIEPISCOPI ALEXANDRINI
 in Leviticum Liber XIII.

De diebus festis, & lucerna, & candelabro, & de oleo ad lumen, & de
 mensa & panibus propositionis.



VI perfectus est, ab ipso Deo docetur de solennitatum ratio-
 ne, & homine ad haec discenda magistro non utitur: sed a Deo
 discit, si potest capere Dei vocem. Qui autem non est talis, sed
 inferior, discit ab eo, qui didicerit a Deo. Haec ergo est de solen-
 nitatibus duplex quaedam ratio doctrinae. Una, qua illuminata
 per spiritum prophetica mens docetur: quae (ut ita dicam) ma-
 gis intuitu discitur mentis, quam sono vocis, per quam veritas ipsa,
 non umbra & imago veritatis agnoscitur. Hi ergo, qui ipsam
 Dei veritatem capere non possunt, nec totum fulgorem veritatis intentae acie
 conspiciunt, audiunt de solennitatibus secundo loco ab ijs, qui primo didicerunt. Et
 quum illis veritatem rerum ipsa inspectionis proprietate dederit, ad istos veritatis
 umbram profert solus auditus huius mysterij. Apostolus sane horum conscius, di-
 cebat de Iudaeis, quia umbrae & exemplari deseruiunt caelestium. Ipsa enim caele-
 stia Moses vidisse describitur: typos autem & imagines eorum, quae viderat, popu-
 lo tradidisse. Sic enim ad eum divinum dicit eloquium: Vide, inquit, omnia, fac-
 to secundum formam, quae ostensa est tibi in monte. Tale ergo est, quod & in hoc
 loco recitatum est, quia dominus locutus fuerit de solennitatibus ad Mo-
 sen. Et post
 haec: Et loquutus est Moyses, inquit, dies solennes domini Dei filijs Israel. Trans-
 acto vero de his sermone, videamus quid post haec docet Moyses. Primo de lucerna,
 candelabro & oleo, quod ei infunditur: secundo in loco de mensa & panibus pro-
 positionis, ac numero eorum, & qui eis uti debeant. Intendamus ergo animam dilige-
 ntius ijs, quae scripta sunt: & ut ad haec dignoscenda concedatur nobis gratia, dominum de-
 prece-

A preceimur, ut in his, quas legimus, literis, quae sit voluntas sancti spiritus, agnoscamus.
 Praecepit, inquit, filijs Israel, & deferant tibi oleum de oliuis mundum, ex
 pressum ad lumen, ut ardeat lucerna semper extra velum in tabernaculo
 testimonij, & accendant illam Aaron & filij eius a vespera usque in mane
 coram domino indefinenter. Legitimum aeternale in progenies vestras. In
 candelabro mundo accenditis lucernas vestras coram domino usque in mane.
 Candelabrum mundum nominat, lucernas accendi per pontificem iubet, & earum
 lumen ministrari ex oleo, quod datur a populo. Praecipit hoc itaque, quia nisi dederit
 oleum populus, sine dubio extinguetur lucerna, & non erit lumen in sanctis. Se-
 cundum literam ergo haec erat consequentia, ut conferret populus oleum mundum
 de oliuis expressum, ut ex eo ministraret lumen lucernae. Et Aaron accendebat lu-
 cernas a vespera usque in mane fomentis olei, quod contulerat populus, luminis pabulum
 praebens. Verum quoniam lex spiritualis est, petamus a domino (si tamen conuersi
 sumus ad dominum) auferri nobis velamen de lectione veteris testamenti, ut pos-
 simus advertere, quae ratio sit candelabri vel lucernarum eius, secundum intellige-
 ntiam spiritalem. Ante adventum domini nostri Iesu Christi sol non oriebatur po-
 pulo Israel, sed lucernae lumine utebatur. Lucerna enim erat apud eos sermo legis
 & sermo propheticus, intra angustos conclusa parietes, quae non poterat in orbem
 terrae lumen effundere. Intra Iudaeam namque concludebatur scientia Dei, sicut &
 Propheta dicit: Notus in Iudaea Deus. Vbi vero exortus est sol iustitiae dominus
 & saluator noster, & natus est vir, de quo scriptum est: Ecce vir, oriens nomen est
 ei: per uniuersum mundum scientiae Dei lumen effusum est. Sermo ergo legis
 & sermo propheticus erat lucerna ardens: sed ardebat intra aedem, nec ultra pote-
 rat emittere splendorem suum. Quod autem sermo legis & prophetarum, lucer-
 na dicatur, dominus ipse nos docuit, dicens de Ioanne Baptista: Ille erat lucerna ar-
 dens & lucens, & vos voluistis ad horam exultare in lumine eius. Et alibi dicit:
 Quia lex & propheta usque ad Ioanem. Lucerna itaque ardens est Ioannes, in quo lex
 concluditur & prophetae. Donec ergo populus ille habebat oleum, quod conferret
 ad lumen, lucerna non est extincta: ubi vero defecit in eis oleum inferendum, oleum
 bonorum operum, nec inuenta est apud eos puritas (pulum namque oleum quae re-
 batur ad lumen) necessario extincta lucerna est. Si quae dicimus, illis haec eueniant,
 non existimet quisquam, quod a nobis haec omnino aliena sint. Immo maior cura est
 Christiano olei conquirendi. Vide enim quomodo dominus in Evangelijs per pa-
 rabolam stultas virgines nominat, quae oleum non portant in vasculis suis: & in tan-
 tum stultas, ut quoniam defuit eis oleum ad succendendum lampades suas, a thala-
 mis exclusae sint nuptiarum, nec pulsantibus ijs, quae olei curam neglexerant, ianu-
 am aperiri iussit sponsus. Memini tamen dudum nos, quum centesimi octauide-
 cimi Psalmi exponeremus illum versiculum, in quo scriptum est: Lucerna pedibus
 meis lex tua domine, & lumen semitis meis: diuersitatem lucernae & lucis pro viri-
 bus ostendisse. Dicebamus enim, quod lucernam quidem pedibus, id est, inferio-
 ribus corporis partibus deputari, lucem vero semitis dederit, quae semitae in alio
 loco semitae aeternae nominantur. Quia ergo secundum quandam mysticam rati-
 onem inferiores partes creaturae mundus hic intelligitur, ideo lucerna legis ijs, qui
 in hoc mundo, tanquam totius creaturae pedes sunt, accensa memoratur. Lux autem
 aeterna erit illis semitis, per quas in futuro seculo unusquisque pro meritis incedet.
 Sed de his suo loco sufficienter pro nostris viribus dictum est. Nunc ergo quoni-
 am vespera est, & nox usque ad consummationem saeculi, & donec nouus dies futuri
 saeculi & nouae lucis effulgeat, uniuersum nostrum lucerna haec illuceat, tantum splen-
 dorem luminis praebens, quantum olei copia ubertate operum fuerit ministrata.
 Denique & Iob in quodam loco, quum de bonis operum suorum exponeret, addi-

Job 29 dit etiam hoc: Quum splenderet, inquit, lucerna eius super caput meum. Splendet ergo unicuique nostrum lucerna hæc, in quantum oleo bonorum operum fuerit accensa: si autem malè agamus, & opera nostra mala sint, non solum non accendimus, sed extinguimus nobis istam lucernam, & completur in nobis illud, quod scriptura dicit: Quia qui malè agit, in tenebris ambulat, & qui odit fratrem suum, in tenebris ambulat. Extinxit enim lucernam charitatis, & ideo in tenebris ambulat. An non tibi videtur extinxisse lucernam, qui lumen charitatis extinxerit? Qui autem diligit fratrem, in charitatis luce perdurat, & cum fiducia potest dicere: Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, & filij eius sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ eius. Oleum ergo offerri iubetur à populo, & oleum non qualecunque fuerit, & ex quibuscunque seminibus, ut fieri in diuersis regionibus mos est: sed de oliuis expressum, in quibus indicium pacis ostenditur. Nec enim accepta possunt esse Deo opera tua, nisi in pace peragantur, sicut & Iacobus apostolus dicit: Fructus autem iustitiæ in pace seminatur. Idcirco (credo) etiam dominus discipulis suis tradebat fidele & depositum, dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. De hac ergo oliua oleum premamus operum nostrorum, ex quo lucerna domino possit accendi, ut non in tenebris ambulemus. Hæc quidem à nobis dicta sunt, quantum ad lucernam candelabri & oleum eius spectat: nunc verò videamus, quid etiam in consequentibus de panibus propositionis scriptum sit.

Leuiti. 24 Et sumetis, inquit, simlaginem, & facietis de ea duodecim panes. De duabus decimis erit vnus panis: & ponetis eos in duas positiones, sex panes vna positio, super mensam mundam coram domino: & imponetis super positionem thus mundam & sal, & erunt panes in commemoratione appositi domino die sabbati, & proponentur coram domino semper a filijs Israel. Testamentum æternum erit Aaron & filiorum eius, & edet ea in loco sancto: sunt enim sancta sanctorum. Hoc erit illis de ijs, quæ offeruntur domino, legitimum æternale.

Secundum ea, quæ scripta sunt, in duodecim panibus, duodecim tribuum Israel videtur commemoratio ante dominum fieri, & præceptum dari, ut sine cessatione isti duodecim panes in conspectu domini proponantur, ut & memoria duodecim tribuum apud eum semper habeatur, & veluti exoratio quædam & supplicatio per hæc pro singulis fieri videatur. Sed parua satis & tenuis est huiusmodi intercessio: quantum enim proficit ad repropitiandum, ubi vniuscuiusque tribus per panem fructus, per fructus opera consideranda sunt: Sed si referatur hæc ad mysterij magnitudinem, inuenies commemorationem istam habere ingentis repropitiationis effectum. Si redeas enim ad illum panem, qui de cælo descendit, & dat huic mundo vitam: illum panem propositionis, quem proposuit Deus propitiatorem perfidem in sanguine eius: & si respicias illam commemorationem, de qua dicit dominus: Hoc facite in mei commemorationem, inuenies, quod ista est commemoratio sola, quæ propitium facit hominibus Deum. Si ergo intentius Ecclesiastica mysteria recorderis in ijs, quæ lex scribit, futuræ veritatis inuenies imaginem præformatam. Sed de his non est plura differere, quod recordatione sola ea intelligi sufficit. Possumus verò & aliter dicere: Omnis sermo Dei panis est, sed est differentia in panibus. Est enim aliquis sermo, qui ad communem possit proferri auditum, & docere plebem de operibus misericordiae ac totius beneficentiae: & iste est panis, qui communis videtur. Est verò alius, qui secreta cõtineat, & de fide Dei, vel rerum scientia differat: iste panis mundus est, & ex similia confectus. Iste in conspectu domini semper ponendus est, & super mensam mundam proponendus est.

Iste

A Iste solis sacerdotibus sequestratus est, & filijs Aaron æterno munere condonatus. Verum ne putes hæc nos proprijs sensibus excogitata narrare, & non diuinis obseruasse voluminibus, proferam tibi de scripturis sanctis, quomodo apud diuersos viros panis diuersitas pro merito vniuscuiusque seruata est. Refertur in Genesi, quod Abraham patriarcha angelos suscepit hospitio: similiter autem et Loth. Sed Abraham, qui meritis præcellerat, panes ex similia apposuisse describitur, quos *εγχευφίαι*, id est, ocultos ac reconditos nominauit. Loth verò, eo quod non habuit similiam, ex farina panes hospitibus apposuit: non quod ita pauper esset, ut non habuerit similiam, qui in diuitijs non inferior patruo scribitur, sed vtriusque meritorum differentia per hæc designatur indicia, quod is quidem, cui erant à domino mysteria reuelanda, & ad quæ dicebatur: Non cœlabo à puero meo Abraham, quod facturus sum: qui imbutus erat, & docendus de occultis & secretis Dei, ille panes ex similia habuisse describitur: ille verò ad quem nihil sacramenti deferbatur, sed ratio præsentis salutis & vitæ, panes cõmunes ex sola farina scribitur habuisse confectos. Et tu ergo si habes scientiam secretorum, si de fide Dei, de mysterio Christi, si de sancti spūs vnitate potes sciẽter cauteque differere, panes ex similia offers domino. Si verò cõmunibus vtis ad populũ monitis, & moralẽ scis tantũmodo locũ tractare, qui ad oēs pertinet, cõmunẽ te obtulisse noueris panẽ. Sed videamus iam, quæ sit cõfectio in istis panibus positionis, qui ante dominum poni semper iubentur. De duabus quidem decimis dixit, sed cuius mensuræ sint istæ decimæ, non comprehendit, cum utique cõsequens fuisset, si de quantitate similia volebat agnosci, ipsum (cuius duas decimas summi iubebat) nominare mensuram. Quæ ergo ista res est, cuius mensuræ modus nec cõprehendi potuit, nec nominari? Decimus numerus vbique perfectus inuenitur. Totius enim numeri ex ipso ratio & origo confurgit. Competẽter igitur autor & origo omnium Deus sub hoc numero videtur ostẽdi. Sed si in Ecclesia de solo patre loquar, & ipsius solius laudẽ proferã, vnus decimæ panẽ feci. Aut si de Christo solo fecero sermonẽ, & ipsius enumerauero passionẽ, & resurrectionẽ prædicauero, vnus decimæ obtuli panẽ. Si verò dixerò, quia pater semper cõ filio est & ipse facit opera sua, vel etiã si dixerò, quia pater in filio est, & filius in patre: & qui videt filium, videt & patrem: & quia pater & filius vnum sunt: ex duabus decimis similia mundæ obtuli vnum panẽ, panem quidem verum, qui vitam dat huic mundo. Hæretici verò non faciunt de duabus decimis vnum panem: negant enim filium vnus substantiæ cum patre esse, neque vetus & nouum testamẽtum vnum faciunt panem, neque vnum spiritum in vtroque instrumento profitentur. Nos autem in lege & Euangelijs vnum atque eundem in esse sanctum spiritum dicimus: & isto quoque modo ex duabus decimis vnum panem propositionis offerimus. Quia ergo separant Christum secundum carnẽ à creatore Deo patre suo heretici & Iudei, qui solum patrem recipiunt, & verbum ac sapiẽtiam eius Christum non recipiunt, non faciunt ex duabus decimis vnum panem. Nos autem mensuræ quidẽ ipsius, id est, substantiæ nomen vel rationem comprehendere aut inuenire non possumus: confitentes tamen patrem & filium, vnum facimus panẽ ex duabus decimis, non vt panis vnus ex vna decima fiat, & alius ex alia, vt sint ipsæ duæ decimæ separatae: sed vt vnus panis, quoniam duæ decimæ vna massa fit, quia non separo filium à patre, nec patrem à filio: qui enim videt me, inquit, videt & patrẽ. Fiunt ergo panes singuli ex duabus decimis, & proponuntur duabus positionibus, id est, duobus ordinibus. Si enim vna positio fieret, confusus & permixtus esset sermo de patre ac filio: nunc autem vnus quidem est panis (vna enim voluntas est, vna substantia) sed duæ sunt positiones, id est, duæ personarum proprietates. Illum enim patrem, qui non sit filius, & hunc filium dicimus, qui non sit pater. Et hoc modo duas decimas in vno pane seruamus, & duas positiones ante dominum profiteamur. Sed reuera magni (vt ita dicam) cuiusdam pistoris & valde artificis est, diligenter istas seruare mensuras, & ita tem-

P iij perate

Genesis 8
Genesis 19

Genesis 18

Ioannis 14
Ioannis 10
Ioannis 6

Ioannis 14

Ioannis 6
Roman. 3
1. Corin. 11

perate de patre & filio sermonem coniungere, vbi oportet, & rursus vbi competit
 separare, vt neq; duæ mensuræ aliquando desint, neq; vnquam non vnus panis appa
 reat. Duodecim ergo panes ex ista similia fieri mandantur, secundum numerum tri
 buum, quæ ex Israel sunt progenitæ. In quo mihi videtur forma totius naturæ rati
 onabilis contineri. Duodecim namq; putantur esse generales ordines rationabilis
 creaturæ: quorum figura erat in illis duodecim tribubus, in quibus erat vnus quidē
 ordo regalis, q̄ Iudas nominatur: alius erat ordo sacerdotalis, & Levi appellatur, e
 rat & alius ordo Iudæ vicinus, qui Beniamen dicitur, in quo ordine templum Dei
 & altare collocatum est. Alius ordo Isachar, & Zabulon, & Effraim, alijsq; quos no
 minatim designat scriptura diuina, quorum rationem non est nunc temporis expli
 care: est tamen vnus cuiusq; tribus vel ordinis panis ante dominum. Et licet sit ali
 quatribus, quæ non ex libera, sed ex concubina Israel descendat, & ex parte libera
 & ex parte feruilis sit, tamen pro omnibus ex duabus decimis proponitur ante do
 minum panis, & omnes duodecim æqua & simili mensura constant. Proponi au
 tem iubentur supra mensam mundam. Quis est nostrum, qui ita habeat mensam
 mundam, vt panes super eam domino offerantur? Si sederis, inquit, cœnare ad mē
 sam potētis, intelligibiliter intellige, quæ apponuntur tibi. Quæ est ergo mensa po
 tentis, nisi mensa illius, qui dicebat: Omnia possum in eo, qui me confortat, Christo
 Iesu, & quum infirmor, tunc potens sum? In istius mensa potentis munda, hoc est,
 in istius corde, in istius mente, domino panis offertur. Ad huiusmodi potentis Apo
 stoli mēsam, si sedeas cœnaturus, intelligibiliter intellige, quæ apponuntur tibi, hoc
 est, spiritaliter aduerte, quæ dicuntur ab eo, vt & tu facere possis, quod addit, ait e
 nim: Sciens, quia talia te oportet præparare. Sed videamus, quomodo duodecim pa
 nes ponuntur. Duæ, inquit, positiones. In vna positione sex panes. Putasne quodo
 ciosa est ista diuisio, id est, quod duodecim numerus iterum partitur in sex? Ha
 bet enim propinquitatem quandam cum hoc mundo senarius numerus. In sex e
 nim diebus factus est iste mundus visibilis. Duo igitur ordines habentur in hoc mun
 do, id est, duo populi, qui fidem patris ac filij in Ecclesia, tanquam in vna mensa mun
 da custodiunt. Et superponetur, inquit, super positionem thus mūdum. Thus spe
 cies formam tenet orationum. Oportet ergo panibus fidei orationum vigilatiam,
 puritatemq; coniungere. Pura autem oratio est, sicut Apostolus dicit: Leuantes pu
 ras manus sine ira & disceptatione. Simul & odoris impleri faciat illud, quod scri
 ptum est: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Si quis verò orati
 ones offerat Deo, non tamen habeat mundam conscientiam ab operibus malis, hic
 thus quidem videtur panibus superponere, sed non ponit thus mundum. Nam si
 omnes thus mundum essent, non vtiq; addidisset scriptura, thus mundum super pa
 nes propositionis ponendum ante dominum. Nec enim putes, quod omnipotens
 Deus hoc mādabat, & hoc lege sanciebat, vt ei thus ex Arabia deferretur. Sed hoc
 est thus, quod Deus ab hominibus sibi quærit offerri, ex quo capit odorem suauita
 tis, orationes ex corde puro, & conscientia bona, in quibus verè Deus suscipit fra
 grantiam suauitatis. Et erunt, inquit, panes in commemorationem propositi ante
 dominum. In die sabbatorum proponetis eos. Si nondum tibi manifestū est, quia
 panes isti verbum Dei est, ex his nunc sermonibus id confirmarem. Quid est enim,
 quod nobis commemorationem Dei facit: quid est, quod nos ad memoriam iusti
 tiæ & totius boni reuocat, nisi verbum Dei? Ideo ergo dicit, qui erūt in commemo
 rationē propositi ante dominum. Addit & in die sabbatorū, id est, in requie anima
 rum. Et quæ maior fidelī animæ requies, quam memoria Dei, q̄ in conspectu domi
 ni versari, q̄ in fide patris ac filij permanere, q̄ orationes domino, tanquam odorem
 suauitatis offerre? Testamentum, inquit, æternum erit Aaron & filijs eius: & man
 ducabunt ea in loco sancto Aaron & filij eius, genus est electum, genus sacerdo
 tale, quibus hæc portio sanctorū donatur à Deo, quod sumus omnes, qui credimus in
 Christum.

A Christum. Locum autem sanctorum ego in terris non requiro positum, sed in cor
 de. Locus enim dicitur sanctus, rationabilis anima, propter quod & Apostolus di
 cit: Nolite locum dare diabolo. Anima ergo mea locus est: si malè ago, diabolus be
 nè, Dei. Deniq; & spiritus malignus, cum, inquit, exierit ab hominè, et circūierit lo
 ca arida, & requiem non inuenerit, dicit tūc: Reuertar ad meum locum, vnde exi
 ui. Locus ergo sanctus anima est pura, in quo loco edere mandatur nobis cibū ver
 bi Dei. Neq; enim conuenit, vt sancta anima, verba non sancta recipiat: sed cum pu
 rificauerit se ab omni inquinamento carnis & morum, tunc locus sanctus effecta, ci
 bum capiat panis illius, qui de cœlo descendit. Nōne melius sic intelligitur locus
 sanctus, quàm si putemus structuram lapidum insensibilium, locum sanctum no
 minari? Vnde similitudine quadam etiam tibi lex ista proponitur, vt quum accipis
 panem mysticum, in loco mundo manduces eum, hoc est, ne in anima contamina
 ta & peccatis polluta, dominici corporis sacramenta percipias. Quicumq; enim man
 ducauerit, inquit, panem, & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis &
 sanguinis domini. Probet autem se vnusquisq; & tunc de pane manducet, & de ca
 lice bibat. Sancta enim sanctorum sunt. Vides, quomodo non dixit sancta tan
 tummodo, sed sancta sanctorum, ac si diceret: Cibis iste sanctus non est communis
 omnium, nec cuiusq; indigni, sed sanctorum est. Quāto magis hoc & de verbo Dei
 rectè, meritoq; dicimus: hic sermo non est omnium, nec quilibet verbi huius potest
 audire mysterium, sed sanctorum est tantummodo, qui purificati sunt mente, qui
 mundi sunt corde, qui simplices animo, qui vita irreprehensibiles, qui conscientia li
 beri, ipsorum est de hoc audire sermone, ipsis possunt explanari ista mysteria. Vo
 bis enim datum est, inquit, nosse mysteria regni Dei. Illis autē, qui non idem merē
 tur, qui non sunt tales, vt mereantur, nec capaces esse possunt ad intelligentiam se
 cretorum, illis nō potest dari iste sacerdotalis panis, qui est mysticus & secretus ser
 mo, sed in parabolis, qui communis est vulgi. Legitimum & æternale hoc erit. Le
 gitimum namq; æternum, est omne quod mysticum est. Nam præsentia hæc & pas
 sim visibilia, temporalia sunt, & finem citò accipiunt. Præterit enim habitus huius
 mundi. Quod si huius mūdi præterit figura, sine dubio & literæ habitus præterit,
 & manent illa quæ æterna sunt, quæ sensus continet spiritalis. Si ergo intelleximus
 primò, quomodo Deus loquatur ad Moysen, & Moyses filijs Israel, secundò eti
 am rationem candelabri mundi & lucernarum atque olei eius: tertio
 quoque panes propositionis, ex duabus decimis singulos quosq;
 confectos secundum voluntatem spiritus intelleximus, de
 mus operam, vt & nos hoc tanto, & tam sublimi intel
 lectu non efficiamur indigni, sed vt anima nostra
 prius fiat locus sanctus, & in loco sancto ca
 piamus sancta mysteria per gratiā spi
 ritus sancti, ex quo sanctificatur o
 mne quod sanctum est: ipsi glo
 ria & imperium in secula
 seculorum, Amen.

Decim tertij Libri FINIS.

D. CYRILLI

Exodi 1

Prouer. 21

Philip. 4
2. Corin. 12

1. Timo. 2

Psal. 140

1. Petri. 2

Ephesio. 4
Lucas 11

Ioannis 6

1. Corin. 11

Lucas 11

1. Corin. 9

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXANDRI

ni in Leviticum Liber XIII.

De filio mulieris Israelitidis & Aegyptij patris, qui nominans nomen domini maledixit ei, & de sententia domini in eum.



Historia nobis recitata est, cuius quamuis videatur aperta narratio, tamen nisi diligentius continētiam eius, quæ est secundum literam, cōsequamur, interior nobis sensus haud facile patebit. Est ergo sermo scripturæ, de quo differendum est, hic:

Et exijt, inquit, filius mulieris Israelitidis, & hic erat filius Aegyptij inter filios Israel. Et litigauerūt in castris, is qui ex Israelitide, & homo Israelita. Et nominans filius mulieris

Israelitidis nomen domini maledixit, & adduxerunt eum ad Mosen, & nomen matris eius Salomithis, filia Dabri, ex tribu Dan. Et miserunt eum in carcerem, vt iudicarent de illo per præceptum domini. Et locutus est dominus ad Mosen, dicens: Eijce illum, qui maledixit, extra castra, & imponent omnes, qui audierunt, manus suas super caput eius, & lapidabit eum omnis synagoga.

Videamus ergo primò, quid sibi velit historia, quam proposuimus. Et quãuis plana videatur, tamen adhuc euidentius eam tentemus sub oculis ponere. Ponamus ergo vnum ex patre et ex matre Israelitici nominis generositate gaudentem; alium ex matre tantum, non etiam ex patre, & velut ex parte nobilem, non quidẽ ex parte patris, quæ vtiq; nobilitas in eis videretur, sed matris, quæ inferior est. Si enim pater fuisset Israelita, & mater Aegyptia, esset aliquid amplius. Hoc enim fuerat in Manasse & Effraim. Nunc verò scriptum est, quia filius est mulieris Israelitidis & Aegyptij patris. Si enim diligēter secutus es duos istos viros, vnum ex integro nobile, alium ex parte, intueri nunc eos litigantes adinuicem, & qualiter is, qui ex patre Aegyptio, & matre sola Israelitide genitus videtur, nominando nomen domini maledixerit, et ob hoc perductus sit is, qui maledixerat, ad Mosen. Moses verò neq; absoluere eum ausus, neque condemnare sine Deo, tradidit eum custodiæ, vsque quo à Deo reciperet responsum, quid velit fieri in eum. Hæc est historiae continētia. Nunc etiam videamus, quæ sit in ea spiritalis gratia, quæ ædificare debet Ecclesiam. Primò omnium sermo dicit: Quia exijt filius mulieris Israelitidis, & Aegyptij patris: & vnde vel quò exierit, non refert. Inueniuntur enim ambo in castris positi, sicut indicat sermo domini, qui dicit: Educ hominem, qui maledixerat, foras extra castra. Si ergo de castris ducitur, necessariò in castris erat: quid ergo est, quod quum nondum exisset de castris, dicit de eo diuina scriptura, & exijt filius mulieris Israelitidis: Ego puto, quia docere nos vult sermo diuinus, quod qui peccat, dupliciter exire dicitur. Primò enim exijt à proposito bono & recta sentētia: exijt à via iustitiæ, exijt à lege Dei. Postmodũ verò cum cōfutatus fuerit pro peccatō, exijt etiã de cœtu & cōgregatione sanctorũ, vt si (verbi causa dicamus) peccauit quis fidelis, iste etiã si nondũ abijciatur per Episcopi sentētiã, iam tamẽ per ipsum peccatum, quod admisit, eiectus est, & foris est, segregatus à consortio & vnanimitate fidelium. Exijt ergo filius patris Aegyptij, & matris Israelitidis. Qui penitus extra se est, totus Aegyptius est: qui autẽ inter nos est, & peccat, ex vna quidem parte, qua Deo credit, Israeliticẽ videtur originis: ex ea verò parte, quæ peccat, de Aegyptijs genus

anus ducit. Duos ergo scriptura proposuit litigantes, vnum ex integro Israelitã, qui litigauit quidem, sed non peccauit. Istum verò, cuius peccatum delignat, maxima ex parte mixtum esse Aegyptio generi indicat, aduersum quem litigat Israelita, & fortè competenter & rationabiliter litigat. Nam in Exodo Israelita & Aegyptius litigant, vbi Israelita superat, Aegyptius cadit. Igitur & ego hodie si veritatem defendo, si pugno pro Ecclesiastica fide aduersum eum, qui ex parte quidẽ credidit Christo, & recipit scripturas, sed non integrè sensum earũ, nec fideliter recipit: litigo aduersum eũ, qui ex matre quidẽ Israelita est, ex patre verò Aegyptius. Si quis ergo & fidei credulitate, & professione et nomine Christianus est et catholicus, iste ex vtraq; parte Israelita est: qui verò professione quidem Christianus est, intellectu autẽ fidei hæreticus & peruersus est, iste matrem quidem Israeliticam, patrem verò Aegyptium habet. Eodem autẽ modo accidit, cum scripturas quis legit, & literam quidẽ sequitur, intellectum autem repudiat spiritalẽ. Hic matrẽ quidem Israeliticã habet, id est, literam: sensum verò quia spiritalẽ non sequitur, sed carnalem, iste est ei Aegyptius pater. Ideo aduersum Ecclesiasticum, aduersum catholicum litigat, eum scilicet, qui ex vtraq; parte Israelita est. Secundum literam Israelita est, secundum spiritum Israelita non est: quia ipsi secundum literam quidem Israelita est, secundum spiritũ verò Aegyptius. Quid ergo est vtriusq; litigantibus necessarium? Ille, qui carnalem sequitur sensum, tanquam de Aegyptio genus ducens, nomen domini nominat & maledicit. Nominat enim nomen Dei, & cum maledicto nominat. Negat enim eum esse creatorem mundi, negat esse patrem Christi. Nos verò, qui ex vtroq; genere Israelitæ sumus, & literam & spiritum in scripturis sanctis defendimus, & litigamus aduersum eos, quia ex media parte Israelitæ videntur, & dicimus, quia neq; secundum literam maledici Deum oportet, neq; secundum spiritus intelligentiam blasphemari. Maledicus enim non solum in dominum, sed etiam in proximũ apostoli Pauli sentētia à regno Dei excluditur. Vide enim quomodo dicit Apostolus: Nolite errare, neq; fornicarij, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neq; maledici, regnum Dei possidebunt. Vide inter quæ crimina, inter adulteros, inter masculorum concubitores, inter auaros (quos alibi dicit idolis seruiētes) etiam maledicos posuit, & à regno Dei cum illis pariter excludit. Videant ergo, qui os suum quotidiana penè consuetudine ad hoc vitium cōuertunt, quid eis periculi imminet. Putantes enim leue & facile hoc esse peccatum, nõ facile cauent, sed considerent Apostolum, quò maledicum à regno Dei excludit, & Deus per Mosen quomodo maledicum puniri iubet. Vnde ego valde admiratus sum, quod hoc in loco, quem habemus in manibus, scriptura apertè non designauit, quòd iste, qui ex Aegyptio genus ducit, maledixerit Deum: sed tantum posuit, quia nominans maledixit: & reliquit in medio, vel de Deo, vel de homine suspicandum. Vnde mihi videtur idcirco noluisse scriptura apertè de Deo pronuciare, ne de hominibus videretur dedisse maledicēdi licētiã, & ideo vel de Deo vel de homine siluisse, vt de vtroq; caueretur. Verũ quum sententiã Apostoli proposuimus, qua dicit maledicos à regno Dei excludēdos, aliquid exposcit iste sermo solatiũ, ne omnimodam desperationem videamur inijcere ijs, qui quotidiana penè maledicendi consuetudine rapiuntur, & ori suo adhibere custodiam vel ostium negligunt. Promissionis futuræ non vnus est modus, neq; simplex species: sed sicut docuit ipse dominus in Euangelio, quum beatos dicit pauperes spiritu, & ipsorum dicit esse regnum cœlorum. Et iterum beatos dicit mites, nec tamen eis cœlorum regnum, sed terræ hæreditatē promittit. Dicit beatos & pacificos, sed ne ipsis quidẽ cœlorum regnum dedit, filios tamen eos esse Dei pronuciat. Et quum diuersis diuersa repromittat, oēs beatos dicit, qui ad promissa perueniunt, non tamen omnibus cœlorum regna cōcessit. Potest ergo fieri, vt aliquis in ceteris fortè operibus & actibus emēdatus sit & perfectus, subrepat ei tamẽ oris vitium, lapsusq; sermōis, huic etiam,

etiam, si secundum Apostoli sententiam, negantur regna cœlorum, non tamen alterius beatitudinis absconditur locus. Veruntamen eo magis, si quis inter ceteros perfectus est, elaborare etiam in hoc debet, ne ei subrepens prauæ consuetudinis vitium, cœlorum regna (quod est omnium beatitudinum culmen) eripiat, quâuis dominus dixerit: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Possumus adhuc addere etiam illud, quod natura peccati similis est materiæ, quæ igni consumitur, quam ædificari Paulus apostolus à peccatoribus dicit, qui supra fundamentum Christi ædificat ligna, fœnum, stipulam. In quo manifestè ostenditur esse quædam peccata ita leuia, vt stipulæ cõparentur: cui itaq; ignis illatus, diu non potest immorari. Alia verò scœno esse similia, q̄ & ipsa non difficulter ignis absumat, verũ aliquanto tardius quam stipulis immoretur. Alia verò esse, q̄ lignis conferuntur, in quibus pro qualitate criminum, diutinum & grande pabulum ignis inuenias. Ita ergo vnumquodq; peccatum pro qualitate vel quantitate sui pœnarum iusta persoluit. Verũtamen quid opus est fidelibus, & ijs, qui cognouerunt Deum, de pœnarum qualitatibus cogitare: quid opus est ligna, quid fœnum, quid ipsam stipulam ad fundamentum Christi superponere: cur non magis aurum vel argentum, vel preciosos lapides, precioso superponimus fundamēto, vbi cum ignis accesserit, nihil inueniat, q̄d absumat: Nam si accesserit ad stipulam, ex stipula fauillam reddet & cineres: si verò accesserit ad aurum, aurum purius reddet. Hæc nobis dicta sint pro ijs, qui negligunt oris maledici consuetudinem rescare: qui si non ex corde maledicant, etiam si non voto & animo iniquo proferant maledicta, tamen immundiciam labiorum, secundum Esaiæ verbum, & inquinamenta oris incurrunt. Iste tamen, qui licet matre Israelitide, Aegyptio tamen progenitus est patre, exijt, & nominans nomē domini maledixit. De quo ego puto, quod nisi exijt, nec litigasset aduersum virũ Israelitam, nec nominas maledixisset. Exijt enim à veritate, & exijt à timore Dei, à fide, à charitate, sicut superius diximus, quomodo per hæc quis exeat de castris Ecclesiæ, etiã si per episcopi vocem minimè abijciatur. Sicut econtrario interdum fit, vt aliquis non recto iudicio eorum, qui præ sunt Ecclesiæ, depellatur, & foras mittatur. Sed si ipse non ante exijt, hoc est, si non ita egit, vt mereretur exire, nihil læditur in eo, quod non recto iudicio ab hominibus videtur exclusus, et ita fit, vt interdũ ille, q̄ foras mittitur, intus sit, & ille foris sit, q̄ intus retineri videtur. Vt tibi ostendam & aliũ, qui à nullo eiectus est, & exijt dicitur: Scriptũ est de Cain, quia exijt à facie domini. Quòd exijt à facie Dei: vbi enim nõ erat facies Dei: Sed exijt dicitur, pro eo, quod legem naturæ egressus est, & ignaram tanti sceleris terram fraterno sanguine primus insecit. Sunt tamen & qui benè exeunt, & beati sunt, quia exeunt. Ostendat etiam hoc de scripturis. In Exodo scriptum est: Omnes, inquit, qui querebant nomen domini, exierunt ad Moysen extra castra. Isti benè exierunt extra castra, quia sequebantur Moysen, id est, legem Dei. & de alijs dicitur: Exite populus meus de medio eorum, & immũdum nolite cõtingere. Exijt ergo, inquit, filius mulieris Israelitidis, & hic erat filius Aegyptij inter filios Israel, & litigauerunt in castris, ille qui erat ex Israelitide muliere, & homo Israelita. Vide, quanta cautela scripturæ diuinæ sint intuentæ. Si diligenter inspicias, illum qui de Israelitide matre, & de Aegyptio patre natus est, non dixit hominem: illum verò, qui ex vtroque genere Israelita erat, hominem nominauit. Putamus hæc fortuitu scripta: Putamus casu adiectum, vt ille non diceretur homo, & hic diceretur: Non sunt ista fortuita, ratio est. Nihil enim in verbis Dei absq; profunda ratione conscriptum est. Ille nanque, qui ex parte Aegyptius, ex parte Israelita erat, nondum merebatur homo nominari: iste verò, qui ex integro Israelita erat, hoc est, qui mēte dominum videbat, iste homo appellatur. Post hæc iam, quæ in posterioribus referuntur, non absq; quadam quæstione sunt de qua multi quærentes, non multi explanare potuerunt. Sed si vestris me orationibus

nibus iuueritis, tētabimus etiam nos in medium proferre, quæ dominus dederit. Homo, inquit, si maledixerit Deum, peccatum accipiet: qui autem nominat nomen domini, morte moriatur.

Quid est hoc, qui maledixerit Deum, non habet pœnam mortis, sed qui nominauerit nomen domini: Nõne multo grauius est maledicere Deum, quàm nominare, quamuis in vanum nominasse dicatur: & quomodo, qui maledicit, peccatum suscipit tantum: qui autem nominat, morte moriatur: Hæc ergo sunt, quæ in hoc loco solent quæstionem mouere, quæ ignorantibus sensum scripturarum, inconsequenter dicta videntur & incongruè. Putant enim, quod qui maledicit nomen domini, statim puniri debeat: ille verò, qui nominauerit nomen domini, hoc est, superfluè & in vanum nominauerit, sufficiat accepisse peccatum. Sed nos consequentiam sermonis tali quodam sensu tentemus aperire. Maius esse peccatum, in quo maledicitur Deus, quàm in quo nominatur, dubitare non possumus. Restat, vt ostendamus, multo esse grauius accipere peccatum, & habere secum, quàm morte mulctari. Mors, quæ pœnæ causa infertur pro peccato, purgatio est peccati ipsius, pro quo iubetur inferri. Absoluitur ergo peccatum pro pœna mortis, nec superest aliquid, quod pro hoc crimine iudicij dies pœna æterni ignis dignũ inueniat. Vbi verò quis accipit peccatum, & habet illud secum, ac permanet cum ipso, nec aliquo supplicio pœnæq; diluitur, transit cum ipso etiam post mortem: & quia temporalia hic nõ persoluit, ibi expendit æterna supplicia. Vides ergo, quanto grauius sit accipere peccatum, quàm morte mulctari: Hic enim mors pro vindicta datur, & apud iustum iudicem Deum non vindicatur bis in idipsum, sicut Propheta dixit. Vbi autem non est soluta vindicta, peccatum manet illis æternis ignibus puniendum. Quod autem hæc ita se habeant, possum tibi testes ex diuinis voluminibus adhibere Ruben & Iudam patriarchas loquentes ad patrem suum Iacob, quum vellent assumere secum Benjamin, & ducere Aegyptum propter sponsiones, quas cum Ioseph fratre pepigerant. Ibi ergo Ruben quidem ita dicit ad patrem: Ambos filios meos occide, nisi si reduxero ad te Benjamin. Iudas verò ait: Peccator ero in te, nisi reduxero eum tibi. Iacob verò pater ipsorum sciens multo esse grauius, quod promiserat Iudas, qui dixerat, peccator ero in te, ab eo, qui dixerat: occide filios meos, ipsi Ruben quidem non credidit filium, tanquam qui leuiorem elegerit pœnam. Iudæ verò tradidit, sciens grauius esse, quod elegerat. Hoc ergo modo conuenienter aptauit scriptura diuina, ei quidem, qui maledixerit Deum, vt peccatum sumat, ei verò, qui leuius deliquit, quòd morte moriatur. Vis autem et de Euangelijs noscere, quòd qui receperit in hac vita mala sua, ibi iam non recipiat, qui autem hic non recipit, ibi seruentur ei etiam omnia: Docet nos exẽplum Lazari pauperis, & illius diuitis, ad quem dicitur in infernis positum à patriarcha Abraham: Memento fili, quomodo tu receperisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem tu quidem cruciaris, hic verò requiescit. Et solent homines ignorantes iudicia Dei, quæ sunt abyssus multa, conqueri aduersus dominum, & dicere: Cur homines iniusti & iniqui, raptores, impij, scelesti, in hac vita nihil patiuntur aduersi, sed cuncta eis prosperis successibus cedant, honores, diuitiæ, potētie, sanitas quoq; eis ipsa & corporis habitudo famuletur: Et contrà, innocentibus ac pijs, & colentibus Deum, innumerabiles erũnæ superueniant: abiecti, humiles, contempti, & sub colaphis potentiũ viuunt, nonnunquam etiam & sæpius eis morbi quoq; ipsi corporis dominantur. Sed hæc, vt dixi, conqueruntur, ignorantes, quis sit ordo in diuinis iudicij. Quanto enim grauius eos puniri volunt, de quorum potentia & iniquitatibus ingemiscunt: tãto magis necessarium est differri pœnas, quæ si non differrentur, temporales vtique & leuiiores essent, quia finem cum morte reciperent: nunc verò quia differuntur, certum est, quòd æternæ erunt, & cum seculis extendentur. Econtrariò igitur, si velint iustis

Sopho. 1

Genesis 42

Genesis 43

Lucæ 16

Psalm. 35

Q itis

itis & innocentibus in presenti seculo bona reddi, essent etiam ipsa bona tempora lia, & celeri termino concludenda. Quanto autem magis differuntur in futurum, tanto amplius erunt perpetua, & nesciunt finem. Hoc ergo est, quod nos scriptura huius locus paucis sermonibus comprehensus edocuit, ut sciamus multo esse grauius accipere peccatum & habere, ac secum ad inferna deferre, quam in presenti poenas dare commissi. Et ideo haec sciens expedire fidelibus Paulus apostolus dicit de eo, qui peccauerat: Quem tradidi, inquit, Satanæ in interitum carnis, hoc est morti. Multos autem sequi fructus mortis huius, ostendit in sequentibus dicens: Ut spiritus saluus fiat in die domini nostri Iesu Christi. Vides ergo, quomodo aperte Apostolus utilitatem mortis huius exposuit, quum eum, dicit, tradidi in interitum carnis, hoc est, in afflictionem corporis, quæ solet à poenitentibus expendi: eumque carnis interitum nominauit, qui tamen carnis interitus vitam spiritui conferat. Vnde & nunc, si quis nostrum recordatur in semetipso alicuius peccati conscientiam, si quis se obnoxium nouit esse delicto, confugiat ad poenitentiam, & spontaneum suscipiat carnis interitum, ut expurgatus in presenti vita spiritus noster, mundus & purus pergat ad Christum dominum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Decimiquarti Libri FINIS.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRI
 ni in Leuiticum Liber XV.

De uenditione domorum & redemptionibus.



Res diuersas leges de domorum uenditionibus & redemptionibus per Moysen in Leuitico datas uideamus, quarum continentiam primò secundum historiam pertractemus, ut post hoc etiam ad spiritalem sensum possimus ascendere. Domus quædam sunt in urbibus muratis, quædam in vicis vel agris non habentibus muros. Ait ergo:

Leuiti, 25

Quod si in ciuitate murata uendiderit quis domum, per annum integrum habeat copiam redimendi. Post annum uero potestas recuperandi nulla conceditur. Erit enim, inquit, domus ipsius emptoris certa possessio, si intra annum liberare eam non potuerit, qui distraxit. Secunda lex est: Quod si domus ipsius, quæ distracta est, in uico fuerit, qui murum non habet, cui tamè uico ager adiaceat, liceat ueditori & post annum, & quando cunq; potuerit, restituere precium, & recuperare, quam distaxerat, domum. Tertia lex est: Quod si forte domus sit Leuiticæ uel sacerdotis, ubi cunq; fuerit talis domus, siue in ciuitate murata, siue in uico, cui murus non est, liceat semper & in omni tempore, ut quando cunq; potuerit Leuita uel sacerdos, redimat domum.

Nec unquam sacerdotalem uel Leuiticam possessionem confirmari in alium, qui non sit eiusdem ordinis, diuina iura permittunt. Iste sunt ergo leges, quibus utebatur populus ille prior, etiam secundum hoc ipsum, quod per historiam designatur, religiosè satis & piè sacerdotibus uel Leuiticis ordinibus consulentes. Sed citius hæc referamus ad nos, quibus lex Christi si eam sequamur, nec possessiones in terra, nec in urbibus domos habere permittit. Et quid dico domos, nec plures tunicas, nec multam

A tam cõcedit possidere pecuniã. Habentes enim, inquit, uictum & uestitum, his contenti sumus. Quò ergo nos datas de domibus, siue intra ciuitatem muratam positas, siue in vicis, quibus muri non sunt, obseruabimus leges? Inuenimus in alijs scriptura locis, quod sermo diuinus maiore quodam sacramento nomet domum, ut cum dicit de Iacob, & quasi pro laude eius ponit: Erat enim, inquit, Iacob homo simplex, habitans domum. Et iterum inuenio de obstetricibus Hebræorum scriptum: Et quia, inquit, timebant Deum obstetrices, fecerunt sibi domos. Videamus ergo, quod obstetricibus quid faciendarum domorum causa fuerit timor Dei: Iacob uero simplicitas & innocentia causam dederit, ut habitaret domum. Denique & Esau qui malus fuit, non est scriptum de eo, quod habitauerit domum: nec de aliquo alio scriptum est, quod edificauerit sibi domum, qui non habuerit timorem Dei. Quæ est ergo ista domus, & quale edificium est, Paulus apostolus exponit apertius, cum dicit: Domum habemus non manufactam, æternam in cœlis. Hæc ergo est domus, quæ edificare nemo potest, nisi in simplicitate mentis & puritate cordis. Sed quoniam accidere solet, ut etiam qui benè edificauerit, & domum sibi cœlestem benè agendo & benè uiuendo, ac rectè credendo construxerit, incurrat alicuius peccati debitum, & hæc à crudelissimo sceleratore uenudare cogatur, ac labores suos transfundere in alium, pietas & clementia legislatoris occurrit, ut intra certum tempus redimi possit, si tamè inuenierit, inquit, manus tua precium, quod restituat. Quale precium: poenitentia sine dubio lachrymis congregatum, & manibus, id est, labore boni operis inuentum. Annus autè ipse intelligi potest, quem uenit uocare dominus annum acceptum, quo dimittat contractos in remissione, & salutem delicta sua confitentibus præbeat. Quod autè dicit domum in ciuitate murata, rectè (ut arbitror) domus, quæ in cœlo esse dicitur, in ciuitate murata intelligitur. Murus enim huiusmodi domibus, ipsum cœli firmamentum. Sed talis domum rari quique habere possunt: illi fortasse, qui super terram ambulantes, conuersationem habent in cœlis, & de quibus dicit Apostolus: Dei edificatio estis. Cæteri autè in vicis habent domos, quibus non est murus, est tamè eis adiacens ager fecundus: et sunt illi fortassis, qui sibi habitaculum præparant in terra uiuentium, & in illa terra, quam mansuetis dominus promittit, dicens: Beati mites, quoniam hæreditate possidebunt terram. Iste ergo domos, si forte aliquis (sicut supra exposuimus) lapsus acciderit, semper est recuperandi facultas: ut uerbi gratia dicamus, si nos aliqua culpa mortalis inuenierit, quæ non in crimine mortali, non in blasphemia fidei (quæ muro Ecclesiastico & Apostoli dogmate cincta est) sed uel in sermone, uel in morum uicio consistat, hoc est, uendidisse domum, quæ in agro est, uel in uico, cui murus non est. Hæc ergo ueditio, & huiusmodi culpa, semper reparari potest: nec aliquando tibi interdicitur, de commissis huiusmodi poenitentiam gerere. In grauioribus enim criminibus semel tantum poenitentia conceditur locus. Iste uero communia, quæ frequenter incurrimus, semper poenitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur. Quod si sacerdotalis fuerit, inquit, ista domus uel Leuitica, ubi cunq; fuerit, siue in ciuitate, siue in agro, semper habet redemptionem. In hoc loco sacerdotalem sensum, & Leuiticam intelligentiam quæro. Non enim inferior esse debet autor horum (si fieri potest) illo ipso, qui hæc scripsit & sanxit. Quid est ergo, quod sacerdos & Leuita domus sue semper habent redemptionem, & ubi cunq; fuerint, habent redemptionem? Secundum spiritalem intelligentiam, sacerdos mens Deo consecrata dicitur, & Leuita appellatur is, qui indefinenter adsistit Deo, & uoluntati eius ministrat. Perfectio ergo in intellectu & opere, in fide & actibus, sacerdos & Leuita accipiendus est. Huic itaque perfectæ menti si acciderit aliquando domum, quam habet non manufactam, sed æternam in cœlis, uendere, & in manus alterius dare (sicut contigit aliquando magno patriarchæ Dauid, quum de tecto suo Uriæ Ethæi aspexisset uxorem) statim eam redimit, statim reparat, statim enim dicit: peccauit. Imo uero adhuc aliquid sublimius in hoc sensu debemus inspicere, quomodo domus sacerdotum & Leuitarum, id est,

1. Timo. 6

Genesis 25
Exodi 1

2. Corint. 5

Esaiæ 61

1. Corin. 3

Matth. 5

Id de publica poenitentia, quæ in propatulo secundum Ecclesie iudicium fit, intelligendum est.

2. Cori. 5
2. Reg. 11

Q ij perfe

perfectarum mentium semper delicta redimuntur, semperq; purgantur. Si quado scripturas diuinas legimus, & sanctorum patrum in his delicta aliqua recensemus, si secundum apostoli Pauli sententiam dicimus, quia haec omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem propter commonitionem nostram, hoc modo semper domus eorum redimitur, quia semper pro culpis eorum purgatio & satisfactio a doctoribus adhibetur; ostendentibus ex diuinis scripturis, formas fuisse haec & imagines rerum futurarum, non quibus argueretur delicta sanctorum, sed quibus ostenderetur peccator & impius in partem sanctorum societatemq; constituisse. Nunquam ergo sacerdotalis possessio a sacerdote separatur, etiam si ad tempus fuerit ablata, etiam si fuerit distracta, semper redimitur, semper reparatur, velut si diceret, charitas quae perfecta est, omnia patitur, omnia sperat, omnia tolerat, charitas nunquam cadit. Sic ergo possessio ac domus sanctorum nunquam cadit, nunquam aufertur, nunquam ab eorum iure separatur. Quomodo enim separari a sacerdotibus potest domus, quae aedificata est supra fundamentum apostolorum & prophetarum, in qua ipse est angularis lapis Iesus Christus? Quod autem possit aliquando domus ista detrahi, hoc est huiusmodi aedificatio incidere peccatum, audi apostolum Paulum, quomodo de talibus dicit: Ut sapiens architectus fundamentum, inquit, posui, alius superaedificat; vnusquisq; autem videat, quomodo superaedificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, qui est Christus Iesus. Si quis autem supra fundamentum hoc aedificat aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, foenum, stipulam. Vides ergo, quoniam potest quis supra fundamentum Christi aedificare ligna, foenum, stipulam, hoc est, opera peccati, quae qui aedificat, sine dubio vendidit domum suam emptori pessimo, diabolo, a quo vnusquisq; peccantium peccati precium consequitur satisfactione desiderij sui. Hoc si forte incurrerit aliquis (quod absit) cito redimat, cito reparet, dum tempus est reparandi, dum poenitentiae locus est. Itaq; Deum precemur, ne aeternae domus habitatione fraudemur, sed digni habeamur recipi in aeterna tabernacula, per Christum dominum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Decimi quinti Libri FINIS.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRI
 ni in Leviticum Liber XVI.

De benedictionibus Leuitarum, vel praecipis trium mandatorum.



Nagonibus corporalibus gradus quidam & differentiae singulorum quorumcunq; obseruari ordinum solent, ut pro qualitate certaminum praemio remuneretur vnusquisq; victoriae. Verbi gratia, si inter pueros quis habeat agonem, si inter iuuenes, si inter viros, quae per singulos ordines obseruatio haberi debeat, quid fieri liceat vel non liceat, & quae certaminis regula custodiri, quid etiam post haec remunerationis mereatur palma vincetis, ipsis nihilo minus agonibus legibus cautum est. Ita & nunc omnipotens Deus obseruanda legis suae in hoc mundo agonem mortalibus ponens, posteaq; tradidit obseruanda, & copiose quid fieri, vel quid non fieri deberet, scripsit; conuenienter ad vltimum iam Levitici locum (in quo de singulis quibusq; obseruationibus constitutum est) quid muneri reportet, qui impleuerit, & quid poenae subeat, qui non obseruauerit, enunciat. Sed si lex secundum quod Iudaei voluit, & non, qui eorum sensu scripturas intelligendas putat, non esset spiritalis, sed carnalis, dubium non est, quoniam obseruata carnaliter benedictiones

A ctiones quoq; carnales obseruantibus tribuat. Si vero, ut Paulo videtur apostolo, lex spiritalis est, sine dubio & spiritaliter obseruanda est, & spiritalis ex ea benedictionum speranda remuneratio. Totius namq; consequentiae est, spiritalis legem benedictiones dare spiritalis, & eiusdem nihilo minus consequentiae est, etiam maledicta & condemnationes legis spiritalis non esse corporeas. Sed ut indubitatum sit, quod dicimus, ipsius Pauli apostoli voce vtamur, qui ad Ephesios scribens, de spiritalibus benedictionibus hoc modo pronunciat: Benedictus, inquit, Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spiritali in caelestibus in Christo. Quoniam quidem sciebat nonnullos legentes has benedictiones posse in id prolabi, ut eas corporales putarent & terrenas, voluit eis euidentius aperire, quae sit diuinarum benedictionum natura, vel vbi quaerenda, & ideo ait: Qui benedixit, inquit, nos in omni benedictione spiritali in caelestibus in Christo. Sed & hoc, quod addidit, in omni benedictione spiritali, non est ociosum, sed apostolicae vehementiae plenum. Nam quia sciebat multa esse implenda, quae mandantur in lege, & in vnoquoque mandato proprios existere agones, in quibus per singula benedictionem, qui vicerit, meretur, ideo dixit: qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, ut & plures eas esse ostenderet & spiritalis. Potest autem in hoc sermone, quo ait, in omni benedictione spiritali, & illud intelligi ut & (verbi gratia) iustus quisq; & perfectus capiat benedictiones Levitici, de quibus nunc sermo est. Capiat & eas, quae in Numerorum libro scriptae sunt, sed & illas, quae in libro Geneseos continentur, benedictiones Noe ad Sem & Iaphet, & benedictiones Isaac ad Iacob, & iterum Iacob benedictiones ad Ioseph & Effraim & Manasse, & post haec ad duodecim patriarchas. Quia ergo multae sunt benedictiones positae in diuinis scripturis, quae videntur quidem ad vnumquemq; sanctorum (verbi gratia, ad Sem & Iaphet) dirigi, non tamen (ut quibusdam videtur) ita in illos solos diriguntur, ut alius ex his participare non possit. Idcirco eas spiritalis Apostolus nominauit, ut quicumq; effici potuerit in virtute & spiritu (verbi gratia) Sem vel Iaphet, vel Ioseph, aut Isaac, aut Iacob, sicut & Ioannes fuit in spiritu & virtute Heliae, possit etiam ipse benedictionis illius particeps fieri, cuius virtutem & spiritum gesserit. Sed videamus nunc in Levitico, benedictionum quod sit exordium. Si, inquit, in praecipis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea. Tria sunt, quae dicit, in praecipis ambulandum, mandata custodienda, & facienda, quae mandata sunt. Vnde videtur mihi praecipuum esse (verbi gratia) quum iubetur, ut ille, qui sabbatum non seruauit, ab omni Synagoga lapidetur, aut qui maledixerit Deum, ut lapidibus perimatur, & si qua iubentur huiusmodi. Mandata vero esse, quibus iubetur (verbi causa) decimas offerre Levitis, vel ter in anno apparere domino, vel non apparere vacuum in conspectu domini. Custodire ergo mandatum, est intelligere vel aduertere, quae iubentur. Sic ergo intelligendum puto, quod dixit: Si in praecipis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea. Sed videamus, quae sit prima benedictio Ihs, qui ea, quae mandantur, impleuerint. Dabo, inquit, pluuiam vobis tempore suo. Igitur primo ad Iudaeos dicamus, & eos, qui simpliciter vel corporaliter haec intelligenda opinantur: si pluuiam haec tanquam remuneratio pro laboribus datur Ihs, qui mandata custodiunt, quomodo & Ihs, qui mandata non seruauit, vna atq; eadem datur pluuiam temporibus suis, & vniuersus mundus communibus vititur pluuiis a Deo datis: Pluit enim super iustos & iniustos. Quod si iustis & iniustis datur pluuiam, non erit eximia remuneratio Ihs, qui mandata seruauerint. Vide ergo, quia etiam si Iudaei non acquiescunt verbis Iesu domini nostri; tu tamen, qui nomine eius censeris, & Christianus appellaris, debes ei credere dicenti, quia pater suus caelestis communem hanc pluuiam pluit super iustos & iniustos, & non debes putare, quia iustis eximiam separauerit portionem hanc, quam communem posuit.

Q. iij. etiam

etiam cum iniustis. Quæramus ergo in scripturis, quæ sit pluuia, quæ sanctis tantum modo datur, & de qua mandatur nubibus, ne pluât pluuiam istam super iniustos. Quæ ergo sit ista pluuia, ipse Moses horum legislator edoceat. Ipse enim dicit in Deuteronomio: Attende cœlum & loquar, audiat terra verba ex ore meo, expectetur sicut pluuia eloquiū meū. Nunquid mea verba sunt ista: Quid Rhetoricis argumentis sensum diuinæ legis violenter inflectimus: Nonne Moses est, qui dicit pluuiam esse, quod loquitur: Expectetur, inquit, sicut pluuia eloquiū meum, & descendant sicut ros verba mea, sicut imber super gramen, & sicut nix super fœnum. Intende diligenter auditor, ne putes nos vim facere scripturæ diuinæ, quum docentes Ecclesiam dicimus, vel aquas, vel imbres, vel alia, quæ corporaliter dici videtur, spiritualiter sentiēda. Audi quomodo Moses verbū diuinæ legis nunc pluuiam nominat, nunc rorem vocat, nunc imbrē, nunc etiam niuē dicit. Et sicut Moses varia & diuersa proloquitur, tanquam ex gratia multiformis Dei sapiētię proloquēs, ita & Esaias, cum dicit: Audi cœlum, & auribus percipe terra, quomodo dominus locutus est. Sed & vnusquisque prophetarū cum aperuerit os, imbres deducit super faciē terræ, hoc est, auribus & cordibus auditorū. Hoc sciēs & Apostolus dicebat: Terra enim venientē sapius super se imbrē bibens, & generans herbam opportunam ijs, à quibus colitur, accipit benedictiones à Deo: quæ aut protulerit spinas & tribulos, reprobata est, & maledictio proxima, cuius finis ad exustionē. Nunquid hæc Apostolus de terra hac dicit: Sed nec accipit terra benedictiones à Deo, cum imbres biberit, & fructum produxerit, sed neque cum spinas ac tribulos post pluuiam protulerit, consequitur maledictiones à Deo. Sed nostra terra, id est, nostrum cor, si suscipiat frequenter venientē super se pluuiam doctrinæ legis, & attulerit fructum operum, accipit benedictiones. Si verò non opus spiritale, sed spinas et tribulos .i. sollicitudines seculi habeat, aut voluptatē & diuitiarum cupiditates, reprobata est, & maledictio proxima, cuius erit finis ad exustionē. Propterea vnusquisque auditorum, cum conuenit ad audiendum, suscipit imbrē verbi Dei. Et si quidē fructum attulerit operis boni, benedictionem diuinam consequetur. Si verò susceptum Dei verbum contempserit, & frequenter audita neglexerit, ac sollicitudini rerū secularium, libidiniq; se subiecerit, tanquam qui spinis suffocauerit verbum, maledictionē pro benedictione conquiret, & pro beatitudinis fine finem exustionis inueniet. Dabo ergo, inquit, vobis pluuiam in tempore necessario. Addidit &, in tempore. Sicut enim imber iste terrenus, si importunē veniat, id est, cum messis colligitur, cum frumenta teruntur in areis, obesse magis quam prodesse videbitur: ita & ijs, quibus pluuiā verbi Dei ministranda committitur, obseruare debent hoc, quod dicit scriptura, vt in tempore præbeant. In ne crapulato & ebrio verbum Dei ingerant, ne occupato in alijs animo, cum attentus esse non potest, vel cum alicuius vitij languore constrictus est, & non doctori, sed morbo proprio interior præstatur auditus. Prudenter ergo cōiiciat, vbi potest vacare mens, vbi sobrius, vbi vigilans, vbi intentus auditor est, & vbi pluuiam ministrat in tēpore. Sic & tritici mensuram seruus fidelis & prudēs in Euangelio conseruis dare iubetur in tēpore. Sed & alio modo possumus intelligere hoc, quod mandatur, scilicet quod imber dandus est in tēpore. Puer est aliquis & paruulus in fide, indiget pluuiā, sed lactis pluuiā. Sic enim dicit ille, qui sciebat pluuias in tēpore dispensare: Lac potum dedi vobis, non escam, nondum enim poteratis. Proficit post hæc in fide, creuit ætate & sapientia, aptus sine dubio factus est, qui solidiorem percipiat cibum. Infirmatur aliquis, & non pro tempore, sed pro infirmitate, capere non potest, quæ robusta sunt: verbi causa, non potest plenē de castitate capere sermonem, oportet compati & metiri doctrinam pro virium qualitate, & concedere talibus nuptias, hoc est oleribus pascere infirmum, & ad huiuscemodī mēsuram animæ aptare velut tenuem & roris similē pluuiam verbi. Est autem alia terra, quæ potest suscipere validos imbres, ferre etiā flumina verbi Dei, & rapidos portare torrentes.

De his

A De his enim talibus Propheta dicit in Psalmis: Et torrentem voluptatis tuæ potum dabis illis. Dabo ergo, inquit, vobis pluuiā in tempore suo, & dabit terra natiuitates suas. Post primam benedictionem pluuiæ, ista secunda est, qua dicitur terra suscepta pluuiā dare natiuitates suas. Inuenimus quia & Isaac benedicēs Iacob, ait: Det tibi dominus de rore cœli, & ab vbertate terræ plenitudinem frumenti & vini. Putasne tale frumentum in benedictione dabit Isaac filio suo Iacob, quale habent & peccatores homines, & quali abundabat etiam impius Pharaon? Hæc erat tanti patriarchæ benedictio: Vis tibi adhuc ostendam, quomodo & alibi iniqui habeant multitudinem frumenti: Intuere illum in Euangelio, cuius ager multos attulerat fructus, qui dixit: Destruam horrea mea, & maiora reedificabo, & dicam animæ meæ: Habes multa bona reposita in annos multos, manduca, bibe & lætare. Talia ergo credimus esse bona, quæ diuinis benedictionibus, sanctis quibusque & fidelibus tradebantur: Alios ergo terræ fructus aspicio, & aliter multitudinem natiuitatis intueor. Si enim terra mea adferat fructus, si natiuitates ex domini benedictione producat, intelliget sensus meus, & explanare poterit, quæ & qualis sit ista terra, quæ accepta cœlesti pluuiā natiuitates proferat rationabilium frugum. Testimonium de Euangelij sume, quomodo exijt, qui seminat, seminare: & aliud quidem cecidit secus viam, aliud autem supra petram, aliud super spinas, aliud autem super terram bonam. Dedit autem terra fructum suum, & natiuitates suas produxit: attulit enim fructum centesimum, & sexagesimum, & tricesimum. Sed & ligna, inquit, camporum dabunt fructum suum. Habemus intra nosmetipsos & ligna camporum, quæ fructum suum producunt. Quæ sunt ista ligna camporum: dicit fortassis auditor. Quid iterum Eurisilogus ait: Quid vndecunq; verba conquirat, vt explanationem lectionis effugiat: Quomodo intra nos esse ligna docebit & arbores: Si non temerē obtrectes, iam nunc audies: quia non potest arbor bona malum fructum facere, neque arbor mala fructum bonum facere. Habemus ergo arbores intra nos, siue bonas, siue malas. Et quæ bonæ sunt, fructus malos non possunt adferre: sicut quæ malæ sunt, fructus non adferunt bonos. Vis tibi arborum ipsarum, quæ intra nos sunt, vocabula & appellationes expediam: Non est ficus, nec malus, nec vitis: si vna arbor iustitia appellatur, alia prudentia, alia fortitudo, alia temperantia nominatur. Et si vis, maiorum adhuc arborum multitudinem discere, quibus fortasse dignus putabitur confitus etiam paradisi Dei. Est enim ibi arbor pietatis, est & alia arbor sapientia, est & alia disciplina, est & alia scientia boni & mali: super omnia verò est arbor vitæ. Non tibi magis videtur, quod pater cœlestis agricola huiusmodi arbores in anima tua excolat, & huiusmodi plantaria in tua mente constituat: Sic ergo dicit saluator: Non potest arbor mala fructus bonos facere, neque arbor bona fructus malos. Hoc est, quod docet: Arbor pudicitia bona est, non potest adferre fructus impudicitia. Arbor iustitia bona est, & adferre fructus iniustitie non potest. Sic & e contrario, si habeas malæ arboris radicem in tua mente plantatam, bonos reddere non potest fructus. Si enim sit in te radix malitia, fructus non dabit bonos. Si sit in te cor tuum stultitia plantata, nunquam proferet sapientia florem: si iniustitia, si iniquitatis arbor sit, nunquam huiusmodi ligna gaudere de bonis fructibus possunt. Si ergo seruemus madata Dei, suscepta pluuiā verbi Dei, de qua superius diximus, etiā arbores, quæ in campis animæ nostræ & cordis nostri latitudine plantatæ sunt, lætū & bonæ suauitatis adferent fructum. Vis aut tibi de scripturis ostendam, arbores vel ligna appellari has singulas quasque virtutes, quas superius memorauimus: Adhibebo testem sapientissimum Salomonem, dicentē de sapientia: Lignū vitæ est, inquit, omnibus, qui amplectuntur eā. Si ergo sapientia lignum vitæ est, sine dubio & aliud lignū est prudentia, & aliud iustitia. Neque enim cōsequenter diceretur, ex-

Q. iij. omni-

Esaiæ 5

Deuter. 32

Esaiæ 1

Hebræo. 6

Lucæ 3

Lucæ 12

1. Corin. 3

Psal. 37

Genesis 27

Lucæ 12

Lucæ 8

Matth. 13

Marc. 4

Eurisilogus

verborum inuētor.

Ioann. 15

Matth. 7

Prouerb. 3

omnibus virtutibus solam sapientiam meruisse, quod lignum vitæ dicitur: cæteras autem virtutes nequaquam similis sortis suscepisse vocabula. Ligna erga campi dabant fructus suos. Hoc credo de se sentiebat & beatus David, quum dicebat: Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei. Ex quo manifestè ostendit, & sanctum hominem mysticè oliuam dici. **Comprehendet, inquit, vobis trituration vindemiam.** Si seminatum est in anima semen bonum, & suscepta à Deo pluuia creuit & venit ad spicam, necessariò consequetur & messis. Et si messis, consequetur etiam trituration, in qua frumenta purgètur. Etenim anima, quæ germinat, & ex verbo Dei, & ex cœlesti pluuia rigata germen producit ad messem, necesse est ut ipsa messis, quæ profert, purgetur in area, id est, ut sensus, quos genuerit anima, in medium proferat, & siue cum cæteris doctoribus, siue etiam cum ipsis, quæ sentit, diuinis voluminibus conferat: ut si quid in eis inane & superfluum, si quid paleæ simile fuerit aut aristis, flante in se spiritu discretionis excutiat, & purum frumentum, quo solidè queat nutrire conseruos, & mensuram tritici in tempore disperfare, retineat. Et consequetur, inquit, vobis trituration vindemiam: quia panis (ut scriptura dicit) confirmat cor hominis, & vinum lætificat. Quæcunq; de continentia, de obseruantijs & custodia mandatorum dicuntur, hæc possunt videri frumentum, ex quo panis efficitur, & auditorum corda confirmat. Ea verò, quæ ad conscientiam pertinent, & occultorum explanatione mentes lætificant audientium, vino ac vindemiæ videbuntur aptanda. Cordi etenim læticia tribuitur, quum quæ occulta & obscura sunt, explicantur. Et vindemia, inquit, cõprehendat fationem. Ut si dicamus, primò semino quæ legis sunt: & post eam seminatum est, orauit ut daret dominus pluuiam in tempore: & facta est messis. Post hoc non maneo ociosus, sed iterum semino, accipio scripturam propheticam, & ex ea semino terras, & noualia auditorum, post hæc semino & alia de Euangelicis sermonibus. Diuersa sunt, quæ seminantur. Per totum annum possumus seminare, possumus & ex apostolicis literis multa semina iacere. Semper est quod seminetur in omni vita nostra: ocij nullum tempus est. Quamdiu respiramus, seminemus: tantum est ut in spiritu seminemus, ut de spiritu metamus vitam æternam. **Et manducabitis, inquit, panem vestrum in satietate.** Nec hoc ego corporalis esse benedictionis accipio, quasi custodiat legem Dei, panem istum communem in abundantia consequatur. Quid enim? Nonne impij & scelesti panem non solum in abundantia, sed & in delictijs comedunt? Magis ergo si respiciamus ad eum, qui dixit: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendit: & qui manducauerit hunc panem, viuet in æternum: & aduertamus quia qui hæc dicebat, verbum erat, quo animæ pascuntur: intelligimus de quo pane dictum sit in benedictionibus à Deo: **Et manducabitis panem vestrum in satietate.** Similia his etiam Salomon in Prouerbijis pronunciat de iusto, dicens: Iustus manducans replebit animam suam, animæ autem impiorum in egestate erunt. Hoc si secundum literam accipias, quia iustus manducans replet animam suam, animæ verò impiorum in egestate erunt, falsum videbitur. Magis enim animæ impiorum cum auiditate cibum sumunt, & satietati student: iusti autem interdum etiam efuriunt. Denique Paulus iustus erat, & dicebat: Usque ad hanc horam & efurimus & sitimus, & nudi sumus & colaphis cædimur. Et iterum dicit: In fame & siti, in ieiunijs multis. Et quomodo dicit Salomon, quia iustus manducans, satiat animam suam? Sed si intuearis, quomodo iustus semper & sine intermissione manducet de pane viuo, et repleat animam suam, ac satiet eam cibo cœlesti, qui est verbum Dei, & sapientia eius inuenies quomodo ex benedictione Dei manducet iustus panem suum in satietate. **Et habitabitis tuti super terram vestram.** Iniquus nunquam tutus est, sed semper mouetur & fluctuat, & circumfertur omni vento doctrinæ in fallacia hominum ac deceptioe erroris. Iustus verò, qui legem Dei custodit, tutus habitat super terram

ram suam. Sensus enim eius firmus est, dicentis ad Deum: **Confirma me domine in verbis tuis.** Et confirmatus, & tutus, & radicans habitat supra terram, fundatus in fide: quia ædificium eius non est super arenam positum, neque radix eius super petram: sed domus quidem eius fundata est super solidam & firmam (quæ Christus est) petram: planta verò eius radicata est in profundo terræ, hoc est, in interioribus animæ eius. Rectè ergo ad huiuscemodi animam dicitur in benedictionibus: **Et habitabitis tuti super terram vestram, & dabo pacem super terram vestram.** Quam pacem dat Deus: istam, quam habet mundus, negat se dare Christus. Dicit enim: **Meam pacem do vobis, meam pacem relinquo vobis: non sicut hic mundus dat pacem, & ego do vobis.** Negat ergo se pacem mundi dare discipulis suis, quia & alibi dicit: **Quid putatis, quia veni pacem mittere in terram? Non veni pacem mittere, sed gladium.** Vis ergo videre quam pacem dat Deus super terram nostram? Si terra nostra sit bona illa, quæ adfert fructum centesimū, aut sexagesimum, aut tricesimum, illam pacem suscipiet à Deo, de qua dicit Apostolus: **Pax autem Dei, quæ superat omnem sensum, custodiat corda vestra, & sensus vestros.** Hæc est ergo, quam dat Deus super terram nostram. **Et dormietis, & non erit qui vos exterreat.** Et Salomon in Prouerbijis dixit: **Si enim federis, sine timore eris: & si dormieris, libenter somnū capies, & non timebis terrorem venientem tibi, neque impetus impiorum superuenientes.** Hæc ille dixit de iusto & sapiente viro, et hæc in benedictione dicuntur: **Dormietis, & non erit qui vos exterreat.** Si enim iustus efficiar, nemo me exterrere potest, nihil timebo aliud, nisi Deū. Iustus enim, inquit, confidit ut leo: & ideo non timet leonem diabolum, nec draconem Satanam, nec angelos eius, sed dicit secundum David: **Non timebo à timore nocturno, nec iaculo volante per diem, & à negotio perambulante in tenebris, à ruina & daemónio meridiano.** Addit & illud: **Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo: Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo: & iterum: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.** Vides confidentiam & virtutem animæ custodientis mandata Dei, & habentis fiduciam libertatis ingenitæ. Post hæc: **Exterminabo, inquit, bestias malas de terra vestra.** Bestiæ istæ corporales non sunt malæ neque bonæ, sed medium: quædam enim sunt muta animalia. Sed illæ bestiæ malæ sunt spirituales, quas Apostolus dicit spirituales nequitias in cœlestibus. Et illa est mala bestia, de qua dicit scriptura: **Serpens autem erat sapientior omnium bestiarum, quæ sunt super terram.** Ipsa ergo est hæc mala bestia, quam promittit Deus exterminaturum se de terra nostra, si eius madata seruemus. **Vis videre & aliam bestiam malam? Aduersarius, inquit, vester diabolus, sicut leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.** Quod si adhuc plures bestias vis discere, docebit te Esaias propheta, qui sub visione, quam intitulauit quadrupedum in deserto, talia quædam prophetico spiritu de bestijs loquitur: **In tribulatione, inquit, & angustia leo & catulus leonis. Inde & nati aspidum volantium, qui portabant super asinos & camelos diuitias suas ad gentem, quæ non proderit eis. Nunquid vilo modo videri possunt hæc de corporalibus bestijs dicta, etiam ijs, qui valde sunt amici literæ? Quomodo enim leo & catulus leonis, vel aspides volantes possunt super asinos & camelos portare diuitias suas? Sed euidenter cõtrarias potestates dæmonum pessimorum Propheta spiritu sancto repletus enumerat, eosque collocare diuitias deceptionum suarum super animas stolidas, peruersasque (quas camelis & asinis per figuram cõparat) designauit. Et his bestijs ne traderetur, anima Deū timens orabat, dicens: **Ne tradas bestijs animam confitentem tibi.** Et exterminabo, inquit, bestias malignas de terra vestra, & pugna non transibit per terram vestram. Multæ sunt pugnæ, quæ trāseunt per terram nostram, si legem Dei non custodiamus, nec præcepta eius seruemus. Sed eat vnusquisque ad animam suam, & ipse se in-**

Psal. 15

Lucæ 12
Psal. 103

Galat. 6

Ioann. 6

Prouerb. 3

1. Corin. 4
2. Corin. 11

Ephes. 4

Psal. 118

Lucæ 26

Ioann. 14

Matth. 10

Marc. 4

Philipp. 4

Prouerb. 3

Prouerb. 28

Psal. 90

Psal. 16

Ephes. 6
Genesis 3

1. Petri 5

Esaia 30

Psal. 79

se interna recordatione discutiatur, & videat quomodo terra nostra, id est, caro nostra, nunc spiritu fornicationis, nunc ira furoris vrgetur, nunc auaritiæ iaculis confoditur, nunc telis pulsatur inuidiæ, nunc spiculis libidinis terebratur. Et in quibus cunque concupiscit caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, internis prælijs semper agitur. Quid autem dico de cogitationum pugnis, quas cordi nostro suggerit inimicus, vt nos exuat à fide Christi, & à spe vocationis nostræ? Cùm enim afflictiones tentationum & molestiarum seculi suscitauerit nobis, cõsequenter iam suggerit cogitationi, superfluum & ineptum esse hæc tolerare pro Christo, multo esse melius securam, & sine persecutione vitam ducere. Hæc sciens & apostolus Paulus dicebat: Cogitationes destruentes, & omnem altitudinem extolentem se aduersus scientiam Christi. Qui ergo diuina præcepta seruauerit, & m̃a data eius custodierit, & fecerit ea, hanc pugnam & hæc bella non patitur. Sed Deus aufert ea de terra eius, & non sinit ea transire per animam iusti. Et persequimini inimicos vestros. Quos inimicos, nisi ipsum diabolum, & angelos eius, & spiritus malignos, & dæmonia immunda? Persequemur ea non solum, vt à nobis ipsis effugemus, sed & ab alijs, quos infestant, si diuina præcepta seruemus. Persequemini, inquit, inimicos vestros, & cadent in conspectu vestro morte. Si cõterat Satanam sub pedes nostros velociter Deus, cadet inimicus in conspectu nostro morte. Ego arbitror, quòd hoc modo in conspectu nostro. Si enim mortificemus membra nostra, quæ sunt super terrã, fornicationẽ & immundiciam, si hæc mortem inferamus membris nostris, illi cadent in conspectu nostro. Quomodo cadent in conspectu tuo? Si tu iustus sis, cecidit iniustitia in conspectu tuo: si castus sis, cecidit libidosis pius, impietas corruit ante te. Et persequetur ex vobis quinque, centum: & centum ex vobis persequentur multa milia. Qui sunt isti quinque, qui possunt persequi cõtum? Quinq; numerus ponitur & in laudabilibus, ponitur & in culpabilibus. Quinq; sunt sapientes virgines, & quinq; insipientes. Sicut centenarius numerus ad vtramq; partem accipi potest. Si itaq; nos sumus ex quinque sapientibus, persequemur insipientes centum. Si enim sapienter & probabiliter in verbo Dei pugnemus, si prudenter de lege domini differamus, conuincemus & fugabimus infidelium multitudinem. Si enim quinque numerus & sapientes indicat & insipientes: ita & centenus numerus vt fideles indicat, & infideles. Nã sub centenarij annorum numero Abraham Deo credidisse, & iustificatus esse describitur. Et peccator, qui moritur centum annorum, maledictus erit. Et hic centum infideles à quinque sapientibus fugantur. Et rursum centum fideles, nõ tam numero centum, quàm perfectione signati, multa milia infidelium persequentur. Fugant enim fideles doctores innumeros dæmones, ne animas prudentiũ antiqua fraude decipiant. Et cadent, inquit, inimici vestri in cõspectu vestro gladio. Qui sint inimici, supra diximus: quo autem gladio dicantur cadere, requiramus. Apostolus Paulus nos docet, quis sit hic gladius, quem dicit. Viuus enim est sermo Dei, & efficax, et penetrabilior omni gladio vtraq; parte acuto: pertingens quoq; vsque ad compagem animæ ac spiritus, membrorum quoque & medullarum: & est discretor cogitationum & intentionum cordis. Hic est gladius, cuius acie cadent inimici vestri. Sermo nanque Dei est, qui prosternet omnes inimicos, & ponet eos sub pedibus suis, vt subditus fiat omnis mundus Deo. Vis adhuc de alia epistola Pauli discere, quia gladius sermo Dei sit? Audi eum, quomodo arma præparat militibus Christi, quomodo dicit: Et galeam salutaris accipite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem & obsecrationem. Euidētissimè etiam per hæc pronuncians, quia per verbum Dei, qui est gladius vtraq; parte acutus, cadent inimici nostri in conspectu nostro. Et respiciã super vos, & augebo vos. Plenum beatitudinis est hoc ipsum, si quẽ respiciat Deus. Vis videre si respiciat do-

minus ad hominem, quanta sit salus? Petrus aliquando penè perierat, & ex consecratione apostolici numeri (diabolo per os ancillæ pontificis inspirante) fuerat ereptus. Sed vbi respexit ad eum Iesus tantum, vbi ad eum placidi vultus ora conuertit, statim reuersus in semetipsum, & prolapsus de præcipitio reuocans pedẽ, fleuit, inquit, amarissimè: atq; ita respectus à Deo, locum suum flendo recepit, quem negando perdidit. Respiciam ergo, inquit, super vos, & augebo vos, tanquam si sol respiciat segetem, & adferat fructus: quam vtiq; si non respexisset, infructuosa mansisset. Ita Deus segetem cordis nostri respiciens, & radijs nos verbi sui illuminans, auget nos & multiplicat: vt vltra iam non simus paruuli, sed magni efficiamur, sicut magnus factus est Isaac, & magnus factus est Moses, & magnus Ioãnes. Statuam, inquit, testamentum meum vobiscum. Vide quantæ benedictiones promittantur, si mandata seruemus. Statuam, inquit, testamentum meum vobiscum, & comedetis vetera, & vetera veterũ, & eijcietis vetera à conspectu nouorũ. Quomodo eijcimus vetera à conspectu nouorum? Veterem habuimus legem & prophetas: vetera autem veterũ, ea quæ ante legem fuerunt ab initio, cùm mundus factus est. Venerunt Euangelij bona, venerunt & apostoli, à conspectu horum eijcimus vetera. Quomodo eijcimus legem: secundũ literam eijcimus, vt statuamus legem secundum spiritum. Possumus & hoc modo dicere: Antequam veniret homo de cœlo, & nasceretur homo cœlestis, eramus omnes terreni, & portabamus imaginem terreni: sed vbi venit homo nouus, qui secundum Deum creatus est, eijcimus à conspectu eius vetera: deponentes nos veterem hominem, & induentes nouum, qui secundum interiorem hominem renouatur de die in diem. Et ponam tabernaculum meum in vobis. Si hæc habemus in nobis, quæ supra dicta sunt, si abiecto veteri homine, renouatum est cor nostrum, venit ad nos Deus, & habitat in nobis, qui dixit: Et ponam tabernaculum meum in vobis, & non vos abominabitur anima mea. Non nos abominabitur anima Dei, si obseruemus ea, quæ scripta sunt. Veruntamẽ velim requirere, quid est anima Dei? nõ quid nam putamus, quia Deus habet animam sicut homo? Absurdum est hoc sentire de Deo. Ego autem audeo, & dico, quia anima Dei Christus est. Sicut enim verbum est Christus, & sapientia Dei: ita & anima Dei est. Et hoc modo dicit, quia non vos abominabitur anima mea, id est, filius meus: sed ambulabo inter vos. Non mihi videtur, quòd hoc promittat Deus, quia in terra Iudæorum ambulaturus sit, sed quia si quis meruerit ita puri esse cordis, vt Dei capax sit, in eo se dicit ambulare Deus. Et vos eritis mihi populus, & ego dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegypti, quomodo essetis serui, & contriui iugum vinculi vestri. Verè eduxit nos de domo seruitutis: serui enim eramus peccati. Quia omnis qui peccat, seruus est peccati, & contriuit iugum vinculi nostri, quod imposuerat super ceruices nostras ille, qui nos in captiuitatem duxerat, & peccatorum vinculis colligauerat. Cõtriuit ergo peccati vincula, & iugum nostræ captiuitatis excussit dominus noster Iesus Christus: & suũ nobis suauẽ iugum fidei, & charitatis & spei, ac totius sanctitatis imposuit. Ipsi gloria in æterna seculorum, Amen.

Decimifexti Libri FINIS.

Luca 22

Genesis 26

Exodi 12

Luca 1

1. Corin. 13

Ephesi. 4

2. Corin. 4

1. Corin. 1

Ioann. 6

✠ D. CYRILLI AR.
CHIEPISCOPI ALEXAN.
drini in Euangelium B. Ioannis Apostoli
& Euangelistæ Commentario-
rum Libri XII.

*Nouo sagaciorisq; studio, quam unquam antehac, a mendis
& rebus quibusdam superuacaneis uindicati.*



*Coloniae ex officina Melchioris Nouestanti,
Anno M. D. XLVI.*

A D CYRILLI AR

CHIEPISCOPI ALEXANDRI

ni in Libros Commentariorum super Euange-
lium Beati Ioannis Theologi

PROLOGVS.



B *X*quisita profecto est, diuinitusque defluxa omnium Euangelistarum doctrina. Nam cum quasi ab alta specula cuncta circumspeciat, auditorum undique commodum ita diligenti studio colligit, ut qui ueritatem diuinorum sitiunt dogmatum (si recto animo scripturarum sensum inquirunt) facile quicquid eis conferat, in ea inueniant. Non enim illis, qui temeraria inuestigatione, humanisque potius rationibus, quam auctoritate scripturae gaudent, gratia spiritus (quippe quae in malignam animam non ingreditur, nec preciosissimas gemmas suas in pecorum inuolui pedibus patitur) sed simplicioribus ueritatem infundit mentibus: quae cauillationibus nullis studentes, non parua cum ueneratione dexterum atque regium iter sequuntur. Confusus enim, ut est apud Salomonem, graditur, qui simpliciter ambulat. Quum ergo mirabilis, excelsaque sanctorum Euangelistarum doctrina sit (non enim ipsi, ut saluator dicit, sed spiritus patris in ipsis loquitur) Ioannis Euangelium, si quis sublimitatem mentis atque acumen consideret, & quam magnus sit sententiarum in eo cumulus, cogitet, longe omnium non iniuria praestantissimum ducet. Nam et si diuinorum dogmatum expositio aequaliter omnibus proposita sit, atque ad eundem quasi calcem curriculo diligenter omnes ferantur: sic tamen diuersa eis oratio est, ut quamuis in unam urbem peruenerint, in magnificentiores tamen aedes, alius alio ingressus esse mihi uideatur. Nam quum caeteri exquisitissime genealogiam saluatoris, aut ab Abraham in Ioseph descendentes, aut ab Ioseph in Adam usque ascendentes conscripserint, solum Ioannem uidere licet non multum his laborasse, sed feruenti animo, ultra quam homini possibile sit, uolare uoluisse, & ineffabilem uerbi generationem uerbis exprimere ausum fuisse. Nec ignorabat gloriam domini, omnem orationem, omnemque mentem humanam superare, uixque posse humana uoce diuina significari. Verum quia necesse iam erat, quasi palmo coelum metiri, ac humana humilitate in altissima prouehi, ne malignis doctoribus, si nulla discipulorum domini uoce a prauitate sua coercerentur, latus in simpliciores sit aditus, uigilantissime ad diuinorum dogmatum fundamentum uolauit: In principio erat uerbum, magna exclamans uoce, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Hoc erat in principio

R ij apud

PROLOGVS IN IOAN.

apud Deum. Verum quum æquum sit omnia, quæ ad ueritatem conferunt, libenter suscipere: ut more apîs e multis atque uarijs ad unum confluentibus, dulces sancti spiritus fauos conglutinemus, non erit abs re, quod a studiosissimis quibusdam accepimus, breuiter præponere. Aiunt enim, post saluatoris nostri crucem, atque in cœlis ascensum, falsos quosdam pastores, doctoresq; perniciosos, quasi truculentas feras, ex corde suo, non ex ore domini loquentes, ut scriptum est, in gregem dominicum irruisse: qui non cordis sui solummodo, ut diximus, uerum etiam sui patris, diaboli uidelicet doctrinam, Ecclesiæ tradere conabantur. Si enim nemo potest anathema Iesu dicere, nisi in Beelzebub, quomodo illi a doctrina diaboli alieni fuerunt, qui unigenitum Dei uerbum, in quo mouemur omnes & sumus, tunc primum extitisse impie affirmabant, quum ab intemerata uirgine carnem assumpsit, & secundum scripturam, in terra uisus est, & cum hominibus conuersatus? Ad quos, cæterosq; omnes, qui æternam ineffabilemque generationem filij negare audent, iure illud propheticum dicitur: Vos autem accedite huc filij, inquit, semen adulterorum & fornicariæ: super quem iurastis, & super quæ dilatastis os, & eiecistis linguam? Non enim ex bono animo bona uerba proferunt, sed perniciosi uenenum sufflant serpentis, de quo Psalmista oratione ad Deum conuersa clamat: Tu confregisti capita draconis. Quoniam igitur non contemnenda inter fideles erat turbatio, simpliciorumq; animas pestis (multis a ueritate ad nugas illorum labentibus) contagione depopulabatur, qui firmiores erant, ad saluatoris discipulum Ioannem profecti, rem omnem, & imminens Ecclesiæ periculum diligenter explicarunt, & periclitantibus manum porrigere rogarunt. Hac re commotus Ioannes, par esse putauit tam præsentibus, quam futuris, huius Euangelij conscriptione consulere. Itaq; quæcumq; ad carnem domini pertinebant, alijs latius aut dicta aut dicenda permisit. Ipse uero acerrime, quasi robustissimus iuuenis, in insaniam hæreticorum insultans exclamat.

D. CY

96.
D. CYRILLI AR.
CHIEPISCOPI ALEXANDRINI

Commentariorum in Euangelium diui
Ioannis Theologi Lib. I.

Quod æternus, & ante secula unigenitus Dei filius. Cap. I.



IN principio erat uerbum. Quid igitur ad hæc, qui nouissimum nobis filium ita esse prædicant, ut nec Deus quidem esse credatur? quid, inquam, dicere possunt? Non erit tibi Deus recens, scriptura clamat. Quomodo autem non erit recens, si nouissimis natus temporibus est? Quomodo etiam non mentiebatur, dicens ad Iudæos: Amen dico uobis, anteq̃ Abraham fieret, ego sum? Neminem enim fugit, multis seculis post Abraham, à sanctissima uirgine Christum natum fuisse. Si ergo in nouissimo unigenitus natus est seculo, quomodo in principio ipsum fuisse, ueritatem habebit? Sed nugas eorum etiam ex sequentibus refutabimus. Illud uero & subtilius enodetur, quod Euangelista dixit: In principio erat uerbum: principio nempe, si quidem definitionem principij retinet, nihil antiquius est. Nunq̃ enim principij principium poterit excogitari. Nam si aliud quiddam ante principium intelligitur, excidet profectò, nec erit uerè principium. Præterea, si ante uerè principium aliud inueniri poterit, in infinitum nobis erit procedendum: aliud semper ante aliud quærētibus, nec in uo simpliciter principio consistentibus. Quare ne infinita quærētes inexplicabilis nobis fiat consideratio, quæ nunq̃ possit in exitum peruenire, nec principium principij dabimus, nec filium in tempore à patre genitum concedemus: sed æternaliter cū patre ipsum esse confitebimur. Si enim in principio erat, quæ mens poterit unq̃ ueltra illud, erat, conuolare? Aut quando illud, erat, mēte ita tenebimus, ut cogitationes nostras non antecedit? meritò igitur stupore perculsus clamat Esaias: Generationem autem eius quis enarrabit? quia sublata est à terra uita eius. Tollitur enim profectò à terra generationis unigeniti ratio: omnem enim mentem excedens, omnemq; rationē humanam superans, ineffabilis est: quomodo igitur factum, creatumq; nonnulli adserunt? cū mens nostra, ratione ac tempore creata omnia facile circumscribat, generationē uero unigeniti nullo modo comprehendere queat? In principio, inquit, erat uerbum. Principium sanè temporis nullo pacto possumus in unigenito Dei filio intelligere. Qui enim ante cuncta secula est, eius æterna substantia est. Præterea, cū ad exitum peruenire diuina recuset natura (eodem enim semper modo se habet, iuxta illud: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient) à quoniam principio, temporis spacijs mensurato filius incipiet: qui ueluti natura Deus, ac ideo uerè clamans: Ego sum uel ta: peruenire in exitum non potest. Principium enim temporis quantitate significatum, nunq̃ in seipso sic esse potest, imò uero nec intelligi quidem, ut finem & exitum suum non respiciat: quasi enim ad finem principium dicimus, et finem rursus quasi ad principium referentes nuncupamus. Quoniam igitur ante secula filius est, in tempore genitus esse non potest: sed est semper in patre, quasi in fonte, sicuti ab ipso dictum est: Ego ex patre exiui ac ueni. Quasi enim fontem patrem intelligimus, in quo uerbum est, sapientia, uirtus, character, splendor & imago eius existens. Quare si nullum unq̃ erat tempus, quando absq; sapientia, uirtute, caractere, splendore, ac deniq; imago

Autoritate confutat hæreticos.

Psal. 80

Ioannis 8

Ratione confutat.

Esaiæ 53

Psal. 101

Ioann. 14

Ioannis 8

R. ij. gine

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

Declara-
tio paradi-
suarum.

Psal. 109

Ioannis 5

Prouer. 8

Esaia 66

Sententiā,

gine sua erat pater, fateri necesse est coeternū & esse filium, qui sapientia, virtus, &c. patris aeterni est. Quō enim character, aut quō imago exquisitissimae patris est, nisi pulchritudinem illius perfecte consecutus sit, cuius imago est: Non est autē absurdum, quod diximus in patre filium, tanq̄ in fonte intelligendum esse. Nihil enim aliud nomen fontis nobis significat, q̄ vt ex quo: filius verō in patre & ex patre est, non profluens foras, sed aut quasi à sole splendor, aut quasi ab igne insita sibi caliditas. In his enim exemplis vnum ab vno produci, & ambo cōsempiterna sic esse conspiciunt, vt aliud absq; alio nec esse possit, nec naturae suae rationem retinere. Quō enim erit sol, splendore priuatus: vel quomodo erit splendor, nisi sol sit à quo defluat: ignis verō quō erit, calore carens: vel calor vnde manabit, nisi ab igne, aut ab alio forsā non procul à substantiali qualitate ignis dissecto: Sicut igitur quae ab istis profluunt, si mulcum illis sunt, vnde profluunt, ac semper vnde fluant, ostēdunt: sic in vnigenito intelligendum est. Ex patre enim esse intelligitur, sed in patre etiam esse creditur, non alienus natura, neq; post patrem natura secundus: sed in ipso patre semper, & cum ipso, & ex ipso secundum ineffabilis generationis modum. Dicitur autem filij principium pater à scriptura, nulla prorsus alia significatione, quā vt ex quo: quod Psalmista de secundo saluatoris nostri aduentu, spiritus sancti gratia commotus ostendit, sic ad filium dicens: Tecum principium in die virtutis tuae, in splendore sanctorum tuorum. Dies enim virtutis filij illa est, in qua orbem terrarum iudicaturus, merita singulis secundum opera sua retribuet. Venturus autē sic est, vt & ipse in patre sit, & pater in ipso: ita aeternū ei principium pater est, sola (vt diximus) illa significatione, vt ex quo, quoniam ex patre est: In principio, inquit, erat verbū. Multa nobis atq; varia vndiq; veritatem dogmatum indagatibus principij significatio subiicit, rectē nāq; saluator inquit: Scrutamini scripturas, quia in ipsis vos putatis vitam aeternā habere: & ipsae sunt, quae testimoniū perhibēt de me. Videtur igitur principij hic nomine, B. Euangelista patrē significare. Hoc em̄ modo super omnia natura diuina collocabitur, si omne, qd creatū est, sub pedibus eius intelligatur: vt quasi omnibus insidens, quae creauit, omnia foueat atq; conseruet. In hoc igitur, quod omnium principium est, quodq; super omnia est, in hoc, in qua, principio verbū erat, non cū omnibus sub pedibus eius, sed absq; creatis vniuersis: quasi coeternus arboris fructus in ipso est naturaliter, locū (vt ita dixerim) genitoris natura possidens. Idcirco cū liber sit, libero patre genitus, omnium rerum principium secum habet. Quod inde maximē approbatur, quia (vt diximus) tunc primū esse incepisse nōnulli Dei verbū impiē contendebant, cū ex intemerata virgine tēplū hoc hominis propter salutem nostrā assumpsit. Quod si ita esset creatus, & eius esset naturae, quam oēs res habent, quae à nihilo productae sunt: nec dñi, sed serui vocabulum ei verē applicaretur. Nulla enim creaturarū, creatoris Dei ac domini seruitutē recusat: nihil omnino factū est, quod principio & potestati diuināe nō subiacet: quam Salomon significans, dicebat, cū iustitia sedem principij præparari. Parata enim, valdeq; ad iustitiam decora, principij omnium sedes est. Quā nā verō sedes illa est, de qua modo dicitur, ipsum Deum dicentem audias: Coelum mihi est sedes. Coelum igitur, sancti videlicet spiritus, quos & angelos appellare solemus, ad iustitiā, seruitutemq; paratissimi sunt. Quamobrē ne vnā cum alijs creaturis subiectū Deo patri filiū putes, ac quemadmodū alia in feruilem locum deducas, nuperrimē ac in tempore natum existimans (sic enim necessariō creatura esset) nō iniuria diuinus Euāgelista Ioannes vehemētius huiusmodi cogitationes expellēs, ab omni seruili cōditione filiū vēdicat, atq; à libera, omniq; principate substantia emanare ostendit, & in ipsa eū naturaliter esse adserit, dicens: In principio erat verbū. Principij autē vocabulo cōmodissimē verbū, erat, cōnectit: ne solū decorus, verum etiā aeternus, et ante secula filius intelligatur. Profundissimā em̄ atq; incomprehensibilē generationem, quae cuncta superat tēpora, erat istud, cogitationis sententiā adducit. Erat em̄ per se

IN EVANG. B. IOAN. LIBER I. 97.

A per se indeterminatē prolatum, nullis vnquam terminis circumscribetur, quum natura sit scrutantē semper intellectum præcedere, ad eō, vt quocunq; arbitreris, quasi ad vltimum exitum & quietem, ipsum erat, iam peruenisse, inde superioris cursus, initium statim factum esse videatur. Erat igitur verbum in principio, illo scilicet, quod super omnia est, vnde ipsum verbum est, dominicam naturaliter possidēs maiestatem. Quod si ita est, sicuti certē est, quomodo factus aut creatus filius putabitur: aut quomodo, si de verbo, id est, de filio Dei vnigenito verē ac absolutē erat, prædicatur, poterit vnquam, non erat, prædicari?

Consilium
Gnomen.

Quod patri consubstantialis filius quum sit, in propria tamen hypostasi est, similiter & pater. Cap: II.



T verbum erat apud Deum. Inanem iam & procul à veritate sententiā illorū ostēdit, qui ex nihilo productū filium arbitrantur. Quare quē admodum optimus, solertissimusq; agricola, quum omnes ab horto eradicare vepres desideret, diligenter longis rastrorum dentibus radices euellit: sic beatissimus quoq; Ioannes acutissimē ac solertissimē germinaturas conspiciens falsas hæreticorum opiniones, hoc Euangelio, quasi rastris eas euertit, ac in recta fide studiosum conseruat lectorem. Nam quum mentis oculos diuina gratia illuminatos haberet, non ignorabat venturos homines quosdam, qui nunc ad eundem patrem & filium esse, ac solis sanctissimam Trinitatem nominibus, nō hypostasibus proprijs distingui dicere auderēt. Vt igitur pater verē & non filius, & filius rursus propriē filius & non pater intelligatur, quasi ad præsentem iam, quae futura erat, hæreticorum prauitatem accinctus, ad id, quod dictum est: In principio erat verbum, in Deo scilicet patre, sicut iam diximus, statim adiūxit: Et verbum erat apud Deum. Necessariō autem vbiq; ac exactissimē, erat, repetit, vt aeternam verbi generationem expressius designaret. Quum autem apud Deum verbum esse prædicet, vnum quidem esse filium, subsistentemq; in seipso, & vnum rursus Deum patrem, apud quem verbum est, apertissimē ostendit. Quomodo enim quod vnum numero est, ipsum apud seipsum esse intelligitur: Sed nō erit abs re, latius ac exquisitius falsitatem huius perniciosae opinionis ostendere. Consubstantialis quidem filius patri, & pater filio rectē creditur. Ad eō enim summa in eis identitas est, vt in filio pater, & in patre filius conspiciatur. Qui enim videt me, saluator inquit, patrem meum videt. Et rursus: Ego in patre, & pater in me est. Quod quum ita sit, non tamē idcirco aut filius in propria hypostasi, aut rursus pater per seipsum subsistere negabitur, nec summa illa identitas, personas, id est, hypostases confundet, nec quoniam vnum substantia sunt pater, & qui ex eo est filius, idcirco numero etiam vnum erunt, sed natura quidem eadem in vtroque, propriē autem & verē vterque subsistit. Ita enim pater verē pater, & filius verē filius erit, connumeratoq; sancto spiritu, plenitudinem sancta Trinitas, maiestatemq; suam cōsequetur. Prætereā, si qui est filius, ipse quoq; pater est, quae ratio varietatem nominum induxit: Si enim nullo modo genuit, quare pater vocatur: aut quomodo filius dicitur, si genitus à patre non est: Hanc enim nomina ipsa sententiam necessariō nobis declarant. Quare quoniam genitum à patre scriptura prædicat, & veritas ita se habet, quod necessariō à generante genitum re ipsa distinguitur, tam filius per seipsum, quā pater verē subsistit. Accedit, quod beatus Paulus ad Philippenses in forma Dei esse filium, nec rapina consequutum, vt sit equalis Deo affirmat, nōne igitur necesse est alium eū esse, qui nō rapina æqualitatē Dei consecutus est, aliū ipsum, in cuius forma esse cognoscitur: nō sunt ergo idē numero pater & filius, sed subsistit vterq; & alter in altero propter identitatē substantiæ inspicitur, & est alter ex altero, filius à patre videlicet. Saluator q; idipm nobis aperit: Ego, inquit, & pater vnū sumus. Nisi enim vterq; subsisteret, non sumus, sed sum vnū ego & pater, dixisset. Verum quoniam

De diuinis
hypostasi-
bus.

Ioann. 14

Psal. 2

Philip. 2

Ioannis 10

R iij plurali

plurality numero, sumus vnum, dixit: commodissime tam vnitatem naturæ, q̄ plura
 litatem personarum ostendit. Nunq̄ enim de vno, sumus, etiam si disrumpatur hæ
 retici, prædicari poterit. Insuper verba Dei scriptura recitat dicētis: Faciamus homi
 nem ad imaginem & similitudinem nostram. Si ergo in vnū numero Trinitas san
 cta contrahitur, vt impij contendunt, quis est, qui dicit, & ad quem dicit: Faciamus
 hominem ad imaginē nostram: Aut cur nostram, & non meam imaginē scriptum
 est: Faciamus igitur, plurali numero dictum, & imaginē nostram adiectum ideo
 est, vt clara magnaq; hac voce tu audire atq; intelligere queas trinum esse persona
 rum in sancta Trinitate in vna substantia numerum. Adde, quod splendor patris,
 quasi lumen è lumine filius appellatus, quō alius, q̄ pater non erit: Quod enim sic
 uti splendor emanat, ab alio, nō à seipso necessariō emanabit. Cū verò ex patre exi
 uisse de se dicat filius, atq; venisse, ac rursus ad patrē se proficisci ostendat, quomodo
 non alia, q̄ pater erit hypostasis: Nulla enim ratio patitur, vt quod ab alio effluxit, ab
 eo à quo effluxit, non distinguatur. Præterea in patrem & filium & spiritum san
 ctum credētes saluamur, idcirco ad discipulos Christus inquit: Euntes docete oēs
 gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Quod si vna hy
 postasis atq; persona horum nominum diuersitate intelligitur, quare non in vnita
 tem, sed in Trinitatem baptizari fideles voluit: Manifestum igitur est, in Trinitatē
 nos ideo baptizari, quoniam ad eum numerum, personarum ratio exit, quæ qui
 dē personæ, quia in idēitate naturæ cognoscuntur, in vnū Deū credimus, & vnum
 Deū piē adoramus. Ad hæc, per irā Dei Sodomitarū vrbes exustas fuisse scriptura
 narrat. Pluit, inquit, dominus à domino ignē ac sulphur. Hæc enim pars calicis eius,
 eis conseruatur, qui talia committunt flagitia. Quis igitur dominus à domino ignē
 descēdere fecit: Pater, quia pater per filium omnia peragit: brachium enim & vir
 tus patris filius quum sit, ipse in Sodomitas ignem immisit. Quod si dominus à do
 mino ignem pluit, quomodo alius à patre filius, & pater à filio non est: quum enim
 dicitur, dominus à domino, vnus ex vno profectō significatur. Adde, quod prophe
 tia commotus spiritu, quo futura præuidebat beatus ille Psalmista, quoniam non
 aliter humanum posset saluari genus, quàm per apparētiam filij Dei, cognoscebat,
 idcirco mitti ad nos illum, qui solus à seruitute in libertatem posset nos vëdicare, o
 rabat ad Deum ac patrem, dicens: Emitte lucem tuam & veritatē tuam. Quæ nam
 verò ista sit tam lux, quàm veritas, ipsum audi filium: Ego sum lux, inquit, & ego
 sum veritas. Quod si lux & veritas patris, vnigenitus videlicet filius eius, ab eo ad
 nos mittitur, quomodo alius, quàm pater non est: Et si id, quomodo ipse per se non
 subsistit: quamuis vnum cum patre sit idēitate substantiæ. Quod si vnus pater &
 filius numero esset, nōne orās Propheta: Veni ad nos lux & veritas, dixisset: Cū
 verò emitte dixerit, patet, quia diuinitus institutus alium mittere, alium mitti, mis
 sionisq; modum, vt Deum decet, intelligebat. Postremò, per filium vnīuersa visibili
 lia atq; inuisibilia, & scripturæ facta testantur, & omnes credimus, qui veritati piera
 tūq; diuinorum dogmatum adhæremus. Scrutemur ergo diligenter, quid ista vox,
 per filium, possit. Nōne ilico alium esse, qui facit, alium per quem facit, demon
 strat: Ita quum per filium cuncta fieri scriptum sit, duæ personæ procul dubio desi
 gnantur. Quomodo enim vnus numero propria atq; verè per filium cuncta creasse
 dicitur, si nulla prorsus alia persona intelligitur: Nihil ad hæc arbitror aduersarios,
 si scripturam admittunt, respōdere posse. Per filium sanè à patre cuncta fieri, & scri
 ptura prædicat, & nos credimus. Quomodo igitur necesse non est, patrem per se,
 ac filium similiter subsistere: Non enim idēitas substantiæ læditur, si Trinitatem
 personarum sanctè ac piē fatemur.

Quod Deus filius nullo pacto minor aut dissimilis patri est.

Cap. III.

Et Deo

A T Deus erat verbū. Non ignorauit diuinus Euāgelista vēturos poste
 rioribus seculis nonnullos, qui deitatem filij negantes, non natura Deum
 verbum patris, sed quasi adulterinum, ac nomine solūmodo Deū contē
 derent, qui filiū Deumq; appellatū quidē, non aut verū Deum putarent.
 Quod præcipuè Ariani, Iudaicam impietatē in animo concipiētes, passi mihi viden
 tur. A tenebroso enim eorum corde, nō viuificās pietatis verbū, sed mortificans di
 aboli doctrina profluit: dolosa omnino est lingua eorum, & verba oris eorū quasi
 iacula. Quemadmodum igitur si hoc pacto aduersus Euāgelistam contēdissent, Ariant.
 quancq; apud Deum verbum sit (credimus enim hoc tibi dicenti) ac alius pater, ali
 us persona filius sit, non sequitur tamē hinc eiusdē cum patre ipsum esse substantiæ. Quod fitt
 Quare quum vnum Deum prædicare scripturam inueniamus, patri solummodo us consub
 id nomen verè attribuimus, apud quem erat verbum. Quasi ergo hæc dicturos au stantialis
 diēs: Non modò, inquit, verbum erat apud Deum, verum etiam Deus erat. Sic quo patri.
 niam apud patrē, inquit, est, per seipsum subsistit: quoniā verò Deus est, & ex Deo Deutero. 6
 patre, consubstantialis patri & natura Deus esse intelligitur. Cū enim vna Dei na
 tura omnibus creditur, nō potest profectō sanctissima Trinitas idēitate substantiæ
 non contineri. Deus igitur erat verbū, non nuperrimè factū, sed æternum, quancq;
 qui Deus est, is necessariō æternaliter est. Quod enim in tēpore factum est, aut qd
 à nihilo productum reperitur, id natura Deus esse non potest: Dei autem verbum,
 quoniam æternum est, & quoniā Deus est, patri consubstantiale omnino est. Qui
 bus ergo supplicijs digni non sunt, qui minorem quodam modo, aut dissimilem ge
 nitori vnigenitum arbitrantur: qui eò impietatis profecti sunt, vt in medium hæc
 proferre non dubitent, parum de rebus tam magnis attendentes. Nullo enim mo
 do minore patre filiū esse, rationibus multis atq; firmissimis à fonte scripturarū sca
 turientibus discemus. Multis enim atq; varijs filiū Dei nominibus nūcupare solēt.
 Virtus enim Dei & sapiētia est, vt Paulus ostēdit: Christus, inquit, Dei virtus est &
 sapientia. Veritas etiam, & lux, & iustitia est, vt in Psalmis scribitur: Emitte lucē tu
 am & veritatem tuam. Et rursus: In tua iustitia viuifica me. Pater enim in Christo si
 deles viuificat. Consilium etiam dicitur, iuxta illud: Consilium autem domini in se
 culū manet. Quoniam igitur hæc omnia filius & dicitur & est, virtus videlicet, sapi
 entia, lux, veritas, iustitia & consiliū patris: dicant nobis Ariani, quomodo patre mi
 nor est: aut quomodo si minor est, perfectè sapiens pater, perfectè lux, perfectè ve
 ritas, perfectè iustus est: Sed nec consilij quidē perfecti pater erit, si minor eo filius
 est. Perfectus autē pater & est & creditur: quia omnia, quæ habet, perfectè habet.
 Perfectus etiam filius, sapientia, virtus, lux, veritas, iustitia & consilium patris. Quo
 modo igitur patre minor est, quo pater perfectus est: Præterea, si quum minor sit
 patre filius, à cæteris creaturis, & à nobis adoratur, duos colere Deos inueniemur.
 Nullo enim modo idēitate naturæ, imperfectus, id est, minor filius, cum perfe
 cto patre contineri poterit. Magna verò diuersitate à seipsis ea deciduntur, quæ ra
 tione naturæ diuersa disseparātur. Fides autem nostra nullum Deorum numerum
 suscipit, sed vnus est Deus pater, & ad eandem vnitatem filius vnā cum spiritu san
 cto conscendit. Quomodo igitur minor, qui substantia perfectō patri naturali
 ter atque absolutè vnitur: Ad hæc, plenitudo filius dicitur. A plenitudine, inquit, Ioann. 1
 eius omnes accepimus. Quomodo igitur perfectō patre minor, si ipse plenitudo
 est: Non enim possunt in eodem simul subiecto, quæ inter se contraria sunt, inue
 niri. Insuper, si quum minor patre sit filius, vnīuersa replet, vbi excellentior magni
 tudo patris locabitur: licet enim aduersus furētes, quasi de corporibus loqui, quan
 quam non sumus nescij maius & minus longè aliter in rebus incorporeis, quàm
 in corporibus intelligi. Præterea, si super omne nomen Deus est, cuius quum hæ
 res filius sit, perfectus tamē nō est, quia minor, nihil magni est super omnia esse, nō
 erit igitur magnū quiddam Deus. Quod q̄niam plenum est insanix atq; furoris,
 necesse

Ioannis 3

Philip. 2

Elaia 48

Danielis 7

Ioannis 1

neceſſe eſt filium, qui quum Deus ſit, ſuper omne nomen eſt, perfectum conſiteri. C
 Accedit, quod de filio Ioannes ait: Quia non ex meſura dignis hominibus ſpiritum
 præbet. Immenſus ergo filius eſt, in quo meſura non eſt. Quomodo igitur minor
 qui immenſus eſt: Prætereà, ſi filius quidem minor eſt, pater autem maior, non ea-
 dem profectò meſura, ſed magis quidē pater, quàm filius, minus verò filius, quàm
 pater nos ſanctificabit. Quare ſpiritus quoq;, in quo ſanctificamur, ſimplex non e-
 rit, quippe qui minor in filio, maior verò in patre neceſſariò erit. Ita perfectius à pa-
 tre, quàm à filio ſanctificabimur. Magna certè amentia his verbis in eſt. Vnus enim
 ſpiritus ſanctus eſt, vna perfecta ſanctificatio, quæ à patre per filium naturaliter præ-
 betur. Non eſt igitur filius, qui eandem cum perfectò patre habet operationē, quicq;
 genitoris ſpiritum, vt proprium bonum, non aliter certè, quàm ipſe genitor habet,
 non eſt inquam patre aliquo modo minor. Adde, quòd in forma & æqualitate pa-
 tris, ſecundum Paulum, filius eſt. Quomodo igitur minor eo erit? Nequaquam e-
 nim hominis aſſumptio, propter quam ſe humiliat filius dicitur, maiestate ac per-
 fectione deitatis filium denudauit. Nam & humiliat ſe factus homo, veniet tamē
 in maiestate atque gloria patris. Quomodo igitur in maiestate atque gloria patris
 eſt, qui eo minor eſt: præſertim quum Deus magna voce per Prophetam iam di-
 xerit: Non dabo gloriam meam alijs. Interrogandi ſunt ergo omnes, qui aduerſus
 filium impij ſunt, imo etiam aduerſus patrem (qui enim filium non honorat, is nec
 patrem quidem honorat) vtrum quum minor ſit patre filius, vt ipſi credunt, con-
 ſubſtantialis patri eſt, an non: Nam ſi conſubſtantialis eſt, mente capti videbuntur,
 qui minorem eſſe opinantur. Quæcunq; enim eiſdem naturæ atq; ſubſtantiæ ſunt,
 quantum ad rationem ſubſtantiæ pertinet, nullo modo maius & minus ſuſcipiunt
 hoc autem eſt, quod quærimus. Sin verò conſubſtantialem eſſe negabunt, quod e-
 os facere conſequens eſt, quia minorem dicunt, erit omnino à ſubſtantiâ patris alie-
 nus. Quomodo igitur gloriam eiſdem habebit: aut quòd honor & regnum ipſi datum
 eſt, vt Daniel aſſerit: Vel ergo Deus pater mentitur, qui ſe gloriam ſuam alijs datu-
 rum pernegat: aut ſi verus eſt, ſicuti certè eſt, & gloriam ſuam filio ſuo dedit, neceſſe
 eſt eiſdem eſſe ſubſtantiæ filium, qui fructus, id eſt, genimen patris eſt. Quod ſi
 ita eſt, quomodo minor quàm pater erit, qui eiſdem naturæ cum eo eſt: Ad hæc, ſi
 quum pater omnipotens ſit, filius quoq; omnipotens eſt, quomodo minor eſt: Num
 quam enim poterit perfectò imperfectus, ſecundum potētiam exæquari. Si etiam
 pater dominus eſt, & filius quoq; ſimiliter, nōne furor erit minorem appellare: Si
 enim minor eſt, libertas, dominationisq; dignitas minor ſit in eo, quàm in patre ne-
 ceſſe eſt. Quomodo ergo dominus eſt, qui dominationis dignitatem plenam non
 habet: Pater prætereà lux, & filius ſimiliter, quare ſi minor eſt, perfectè lux non
 erit, & deprehendetur aliquo modo à tenebris, ac ita falſitatis vitium Euangelio
 accommodabitur. Dicitur enim: Et tenebræ eum non comprehenderunt. Vita
 etiam filius, ſicuti & pater eſt, quomodo ergo minor: aut quomodo fideles, quo-
 niam Chriſtus in interiore homine habitauit, viuunt, ſi filius perfecta vita nō eſt:
 Si enim non perfecta vita eſt, quo viuimus, non omnino viui, ſed mortui quodam-
 modo ſumus. Hæc abſurda & inconuenientia toto animo fugientes, perfectum eſ-
 ſe filium, & perfectò patri ſecundum ſubſtantiâ æqualem conſitemur. Accedit, ſi
 minor eſt filius, quàm pater, & propterea non conſubſtantialis, nec filium quidem
 eum eſſe, nec omnino Deum neceſſe eſt. Quomodo enim verè filius erit, ſi ex pa-
 tre genitus non eſt: aut quomodo Deus erit, qui non eſt ex Deo naturaliter: Cre-
 dimus autem omnes in filium. Erramus igitur omnes, nec verum Deum adhuc co-
 gnouimus. Quod quoniam abſurdum eſt, qui credunt in filium, illi etiam in patre
 piè credunt, & in ſpiritum ſanctum videlicet. Nō eſt ergo alienus à patre filius, nec
 minor eo, ſed vnum cum eo, quoniam ex eo ſecundum naturam, ac ideo æqualis
 ei atq; perfectus. Nam ſi ex Deo patre vnigenitus filius verè effuſit, etiam nolētes
 confi-

A conſiteri oportet, ex ſubſtantiâ naturæq; patris ipſum eſſe. Id enim filiatio vera ſigni-
 ficat. Quomodo ergo minor, qui ex ea ſubſtantiâ naturaliter profluit, in q̄ nihil mi-
 nus aut maius, ſed omnia perfecta inueniuntur: Quòd ſi ex ſubſtantiâ patris ſecun-
 dum naturam non eſt, nec verè quidē filius erit, quare nec pater verè pater. Si enim
 filius nō eſt, propter quem pater pater eſt, quomodo patrem eſſe intelligemus: ſed
 Deus verus pater eſt, id enim vbique diuina ſcriptura clamat, quare filius verè fili-
 us eſt, & à patre naturaliter: non eſt ergo minor patre, qui ex eo eſt, & quia ex eo,
 idcirco ei omnino conſubſtantialis. Prætereà, paternitatis nomen non à nobis in
 Deum, ſed à Deo in homines defluxit. Ab eo enim & in cœlo & in terra omnis pa-
 ternitas eſt, vt Paulus ait. Cuius imitatione quadam atq; ſimilitudine nos, qui ad i-
 imaginem eiſdem facti ſumus, patres appellamur. Dic igitur quæſo, quare nos patres
 filiorum noſtrorum ſecundum naturam ſumus, ſi exemplari, cuius imitatione id ha-
 bemus, hoc non in eſt: Quomodo autem paternitatis nomen à Deo in alios de-
 fluxit, ſi Deus verè pater non eſt: Nam ſi ita eſt, non à Deo in nos, ſed à nobis in De-
 um paternitatis nomen aſcendit, eritq; Deus non re, ſed ad ſimilitudinem noſtram
 pater appellatus. Mentitur ergo veritatis teſtis, qui tam in cœlo, quàm in terra om-
 nem paternitatem à Deo eſſe teſtatur, ſed non mentitur ille, in quo Chriſtus loque-
 batur. Paternitatis ergo nomen à Deo in nos defluxit, quare verbum patris, ſecun-
 dum naturam ab eo eſt: genuit autem nō minorem, neq; diſſimilem ſibi, quoniam
 & nos, qui patris nomen inde per incarnationem aſſecuti ſumus, æquales nobis ſe-
 cundum rationem naturæ, non inæquales filios ædere poſſumus. Quas ob res non
 armentur cauillationibus aduerſus veritatem hæretici, nec nudis verbis filium Dei
 fateantur, nec ex ſubſtantiâ patris eſſe pernegent. Quomodo enim verè filius, qui
 filius natura non eſt: Aut ergo ſimulationis huius velamina projiciat, ac nec Deum,
 nec filium conſitentes, nudo (vt dicitur) capite blaſphement, aut ſi autoritate ſcriptu-
 rarum, & doctrina ſanctorum victi, filium conſiteantur, minorem patre non di-
 cant. Nam ſi Deus erat verbum, qua ratione minus ſuſcipietur: Nam neq; filius ho-
 minis ea ratione, qua homo eſt, minor patre eſt. Nullo enim modo homo homine
 minor aut maior, in quantum homo, nec aliud quicquam minus aut maius eo eſſe
 poteſt, cuius ſubſtantiæ atq; naturæ ratione, n ſuſcipit. Quare ſi filius verè filius eſt,
 neceſſe eſt à patris ipſum ſubſtantiâ conſiteri. Vnde ſi pater natura Deus eſt, & qui
 ex eo genitus eſt filius, natura Deus, neceſſariò cuncta illius naturæ propria poſſidēs.
 Quomodo igitur Deus Deo ea ratioe, qua vterq; Deus eſt, minor erit: Dicite quæ-
 ſo, vnde ad hoc perueniſtis: aut quomodo id ita eſſe credidiſtis: Non enim video,
 qua ratione minorem patre filium putatis. An tempore id dicitis: Sed ante ſecula ſi
 lius eſt, & ſeculorum ipſe eſt conditor, nec contineri tempore poteſt, qui in tempo-
 re natus non eſt. An quantitate: Sed incorporea natura nullā vnquā ſuſcipiet quan-
 titatem. Quomodo igitur minor, ſi his minor non eſt: Gloria forſan, virtute & ſapi-
 entia dicitis. Exponatis igitur nobis, quantus qualisq; (vt ita dixerim) in iſtis eſt pa-
 ter, vt ad illud meſuratus à vobis filius minor reperiatur. Aut ſi incomprehen-
 ſibilis, immenſaq; gloria, virtus & ſapientia patris eſt, qua vos ratione menſi au-
 detis minorem filium dicere, ac inſita naturalique ſibi dignitate, quantum in vobis
 eſt, eum priuare: minus enim meſuratione maioris, quæ collectione minoris ſit,
 comprehenditur. Quum igitur immenſa ſit dignitas patris, vnde minorem eſſe fi-
 lium didiciſtis: Iure igitur atq; verè de huiusmodi hæreticis, quod vulgo fertur, poſ-
 ſumus exclamare: Amentes inſanique aduerſarij noſtri. Quomodo enim non in-
 ſaniunt: quum neque quid dicant, nec de quibus diſceptent, intelligant. Hæc nos
 dicere illud commouit, quòd Deum de Deo filium ex patre natum conſitentes, mi-
 norem eſſe patre contendunt. Qua ex re multa nefaria, etiam auditu horribilia con-
 ſequentur. Nam ſi filius, quum natura Deus ſit, minus aliquo modo ſuſcipit, erit ne-
 ceſſario aliquid maius Deo, Quod ſi ita eſt, pater etiam ipſe, q̄niam natura Deus ſit,
 progre-

Ephesio. 3

2. Corin. 13

Coloss. 1

Ioannis 14

Ioannis 16

Ioannis 17

Ioann. 14

progredi posse ad maius intelligitur. Nam si tã pater quàm filius Deus est, & Deo aliquid maius intelligitur, patre quoq; maius aliquid intelligitur. Quod si adhuc non suscepit, tamen susceptivus est, quod per filium, qui eius imago est, ita esse ostenditur. Quomodo autem potètia huiusmodi erit in Deo, quæ in actum adhuc non exiuerit: Sed magna in his cogitationibus blasphemia inest. Nunquam enim maius aut minus pater suscipiet, quoniam natura Deus est, quare nec filius, quum & ipse similiter Deus sit. Ad hæc, si quum ex Deo patre secundum naturam filius sit, aut dignitate, aut substantia, aut quouis modo minor est, non tantum ipse deprimatur, quantum substantia, vnde esse creditur, de honestatur. Nam quum omnia, quæ generant, similia sibi, æqualiaq; ratione substantiæ producant, sola diuina natura minus seipsa generabit. Sed natura patris nullius vitij est susceptiva: bona verò, quæ in nobis sunt, multo perfectius in eo, vt in primitiuo, à quo ad nos defluunt, quàm in nobis sunt. Non ergo minorem se filium generabit, sed æqualem ac consubstantialem, ne qui naturam humanam in infinitum excedit, non parum deficere ab eo bono, quod alijs largitus est, comperiatur. Adde, quod æqualè se Deo patri Christus ostendens: Qui me videt, ad discipulos ait, videt & patrem meum. Si ergo talis natura est, vt qui eum intellexerit, patrè intellexerit, vt ipse asserit, quomodo minor? Si enim in seipso patrè ostendit nullo subintellecto discrimine (videtur enim in immutabili sua imagine pater) minus ipsum, quod filio inest secundum hæreticos, patri etiam necessariò inerit, quod omnino impossibile est: filius ergo, in quo vt per imaginem pater conspicitur, sicuti pater omnino perfectus est, alioqui nunquam verè dicere filius potuisset: Omnia quæ habet pater, mea sunt. Et rursus ad ipsum patrem versa oratione: Omnia mea, inquit, tua sunt, & tua mea. Si ergo minor patre filius est, & filio pater maior, vt hæretici sentiunt, quoniam quæ filij sunt, patris sunt, & quæ patris, filij: minus ipsum quod in filio est, patri etiam inerit, & econuerso, maius ipsum quod in patre est, filio quoq; necessariò accommodabitur. Nihil ergo prohibebit patrem quoq; minorem filio credere, & filium patre maiorem. Quæ omnia quum absurdissima sint, necesse est æqualem omnino patri filium esse, quum omnia quæ patris sunt, communia sibi cum filio sint. Quare si pater perfectus est, filius quoq; perfectus est. Sed dicant nobis, qui æternum ignem in caput suum preparantes, diuinorumq; dogmatum euerteres veritatem, varias ad decipiendos simpliciores cauillationes exagitant: vtrum, quum maior filio pater secundum eos sit, melior quoq; est, an non? Nam si nullo pacto melior est, neq; filius quidem minor eo erit: sin verò melior, quod eos dicere consequens est, cuius rei gratia pater non æqualem sibi, sed minorem genuit filium: Nam quum melius erat æqualem sibi secundum omnia generare, quid eum prohibuit? Prohibens enim illud, quicquid fuit, maius patre necessariò confitebuntur. Quod si nihil prohibuit, sed ipse pater, quãuis non ignorauerit melius esse æqualem sibi, quàm minorem parere filium, minorem tamen genuit, quàm voluit, liuor eum detinuit, ne filio dar et quã potuit æqualitatem, ita pater aut vi, aut inuidia minorem filium genuisse videbitur, quæ quoniam procul ab immortalì diuinãq; absunt natura, fatèdum est æqualem sibi patrem in omnibus filium genuisse. Præterea, ipse saluator dixit seipsum in patre, & patrè in ipso esse. Palàm autem omnibus est, non tanquam corpus in corpore, aut in vase & in loco, alterum in altero esse: sed identitate substantiæ immutabili, & similitudine ac vnitate naturæ, quemadmodum si quispiam quum formam suam in imagine aspiciat, & exquisitam imaginis similitudinem admiratus, clamet: Ego in hac sum, & ipse in me. Aut quæadmodum si dulcissima mellis qualitas de seipsa diceret: Ego in melle sum, & mel similiter in me. Aut si calor ignis, qui ei naturaliter inest, diceret: Ego in igne sum, & ignis in me. Singula enim, quæ dicta sunt, vnum ab vno sunt, & quamuis distinguantur, vnum tamen natura sunt, & alterum in altero est. Sic igitur, imò verò in infinitum sublimius propter identitatem substantiæ, & quoniam

A niam character & imago patris summam identitatem patris gerit, pater in filio est. Quomodo igitur audent dicere minorem esse filium: aut quomodo maior pater in minore filio erit: Necessè est enim, si in eo est, vt æqualis in æquali, & perfectus in perfecto sit.

Aduersus eos, qui audent dicere, aliud esse interius atq; insitum naturaliter in Deo uerbum, & alium, qui a scripturis filius Dei dicitur, quæ perniciofa opinio Eunomianorum dicitur fuisse. Cap. IIII.



HOC erat in principio apud Deum. Cùm hoc erat in principio, dicit Euangelista, breuissimè sub hac demonstratione superiora repetere videtur, quasi magna voce clamans: Hoc dico uerbum, quod in principio erat, hoc quod apud patrem erat, hoc quod erat Deus ex Deo: hoc inquam, & non aliud est, de quo librum istum conscribimus. Nam quoniam diuinitus futura prospiciens, non ignorauit, vt mihi quidem videtur, & verè videtur, vt arbitror, futuros nonnullos laqueos mortis, ad barathrum inferi simpliciores detrudentes, qui ad damnationem suam aliud audeant dicere interius atq; insitum Deo patri uerbum, alium filium: & uerbum Dei, per quod cuncta Deus creauit, interiori atq; insito similitum, vt quasi uerbum uerbi, & imago imaginis, & splendor splendoris intelligatur. Tales inquam hæreticos, qui hæc dicturi essent, futuros prospiciens, quum iam determinauerit breuiter vnum, solùmque esse uerum, & ex Deo, & in Deo, & apud Deum uerbum, miro quodam modo atque diuino uelociter intulit: Hoc erat in principio apud Deum: sicut filius uidelicet apud patrem, sicut insitum atque interius, sicut ex substantia patris, sicut unigenitum, hoc inquit, quia nullum aliud secundum est. Sed vt impietas ista pateat apertius, utq; facilius, quasi à uenoso serpente omnes ab ea fugiant, ne latere possit, rationes suas perstringamus, vt liquidius refutatae ueris scripturarum rationibus, quas sapientia Dei nobis concesserit, nullam perniciem Ecclesiæ Dei adferant. Unigenitus, inquit, Dei filius, non est propriè ipsum Dei uerbum, sed interius atq; insitum Dei patris uerbum in ipso Deo est semper: qui autè ex ipso genitus esse filius dicitur, is interius illud uerbum suscipiens, cuncta ab eo discit, atq; ideo ad similitudinem eius uerbum est, & etiam nunciatur. Hanc peruersam sententiam suam rationibus postea firmare conatur, vt catenis peccatorum suorum (vt dicitur) miser constringatur. Si uerbum, inquit, naturale interius, atque insitum Deo patri ipse filius est, & est consubstantiale genitori: quid prohibebit, ne pater uerbum sit & uocetur? Deinde, si uerbum filius Dei est, nec præter ipsum aliud est, quo uerbo, inquit, pater ad filium dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te: Quum enim omne quod dicitur, uerbo non aliter dicitur, patet non absq; uerbo ita patrem ad filium fuisse loquutum. Ipse quoq; saluator: Scio patrem, ait, & uerbum eius seruo. Et rursus: Uerbum quod auditis, non est meum, sed eius, qui me misit. Quoniam igitur uerbo pater filium alloquitur, & ipse quoq; filius fatetur modò, quia patris uerbum seruat, modò, quia non suum, sed patris uerbum, Iudæi audiebant, quomodo procul dubio non erit concedendū aliud esse filium, quàm interius atq; insitum, id est, in motu intelligendi uerbum, quo suscepto, & eo plenum prolatum uerbum, & substantiæ patris expressiuum, uerbum uocatur & Dei filius: Talia uerors ille mala sibi connectit, nec ueretur scripturis omnibus repugnare, vt illud in eo ueritatem habuisse uideatur: Cùm in profundum malorum impius uenerit, tunc omnia despicit. In eum namq; Dei atq; hominum inimicus seipsum amentia fundum immerlit, vt ueritatis rationes depellens, inanes suas cogitationes sequatur. Id enim omnino est unigenitus Dei filius, & uerbum eius, quod à sequentibus facillè potest cognosci, quamuis etiam ea, quæ per spicua sunt, difficilia cognitu hereticis sint. Quomodo enim in malignam animam sapientia ingrediatur? Quid autem malignius istis vnquam excogitari poterit?

S qui,

Impia Eunomij sententia.

Argumenta huius impietatis.

Psal. 2

Ioannis 8
Ioannis 14Refutatio & increpatio hæreticorum.
Prouer. 18

Sapient. 1

2. Timot. 4. qui, vt scriptum est, auditum suum à veritate auertunt, & ad suarum cogitationum
 Hierem. 23. fabulas ita confluunt, vt iure illud scripturæ in eos dici possit: Væ qui prophetas à
 1. Corin. 12. corde vestro, & non ab ore domini. Quis enim ab ore domini loquens, anathema
 Micheas 3. dicit Iesu: quod nonnulli faciunt, aduersus pietatis dogmata insultantes (sicut qui-
 2. Petri 2. dam propheta dicit) omnia recta peruertentes: sed ad illos quidem non iniuria di-
 Psal. 118. æquum est, ad cœlestem doctorem clamare: Conuerte oculos nostros, ne videant
 vanitatem: vanitas enim & nugæ veræ sunt, quæ ab impèritia eorum innouantur.
 Non enim, quia verbum aliud in seipso haberet, filius patris verbum cōseruare ad-
 ferebat, nec quasi pædagogum quendam secum adferens ad nos, vnà cum eo venis-
 se vnquam affirmavit. Sed sicut ille, qui solus secundum naturam in patre est, quicq;
 Ioannis 14. similiter in seipso nulla re penitus intercedente patrem habet: Ego, inquit, in patre,
 & pater in me est: non aliud quoddam verbum interius atque insitum, sed ego ipse,
 inquit, in patre sum. Quomodo igitur, inquit, intelligendum est, quod ad Iudæos
 Primæ ca- uillationis dilutio. dixit: Ego patris verbum seruo: Docebat saluator durissimum Iudæorū populum,
 Ioannis 14. & paulatim à legali obseruatione studēs liberare, sæpenumero clamabat: Ego sum
 veritas. ac si diceret: Excutate legis & Iudæi iugum, suscipite cultum spiritalem, um-
 bras atq; figuras procul abijcite, & veritatem iam præsentem sequimini. Sic veritas
 quidem clamabat. Illi autem parum credentes: si à Deo esset iste, dicebant, non sol-
 ueret sabbata: ita eum criminabantur, qui peccatum penitus ignorauit. Ad hæc igitur
 Dilutio se- cundæ. illerespondēs (ne si apertius longè se abesse à peccato dixisset, furore incitaren-
 Ioannis 8. tur, soli Deo id conuenire dicentes) occultius, quoniam homo & sub lege factus
 Ioannis 14. est, verbum se patris conseruare adseruit: vt ostenderet, nulla in re quicquam se di-
 cturum aut facturum, quod præter voluntatem patris esset. Peccatum enim tran-
 sgressione legis committitur. Ipse verò quum natura Deus sit, longè ab omni deli-
 cto aberat. Quare nemo iure increpare poterat eum, qui cum secundum naturam
 Galat. 4. legis autor sit, assumptione hominis sub lege factus est. Scire autem patrem se di-
 cit, non simpliciter, sicuti homines, quia Deus est: sed quia ipse ex patre est, ipsam
 se patris naturam scire confirmat. Ita quemadmodum immutabilem esse patrem
 cognouit, sic se quoq; immutabilem esse insinuat, qui ex immutabili patre est: im-
 mutabilis autem quum sit, delinquere nullo pacto potest. Quare Iudæorum accu-
 satio, qui aduersus Deum patrem ipsum prædicare putabant, inanis omnino erat
 & falsa. Seruat enim verbum patris, & naturaliter longè à peccato abest, qui scit pa-
 trem similiter longè à delicto abesse, cui vt verus filius consubstantialis est. Sed age,
 iam ad illud veniamus, quod pater ad filium dicere à scriptura introducit: Ex vte-
 ro ante Luciferum genui te. Nō enim idcirco, quia hæc ad filium pater loquitur, aliud
 innatum patri verbum, & aliud esse filium intelligere debemus: sed illud pri-
 mo sciamus, nobiscumq; diligenter voluamus, quod mysteria nobis in spiritu præ-
 dicens propheta, personam induit filij, ac ita se audiuisse à patre adserit: Filius me-
 us es tu. Non ergo, quæ secundum humanum habitum ac potestatem oratio susci-
 pitur, duo nos verba intelligere compellet: sed nostris moribus dispēsationem ser-
 monis attribuentes, non iniuria imbecillitati humanæ naturæ huiusmodi loquuti
 onis verba accommodabimus. Quippe qui nec verbis exprimere, nec mente diui-
 na mysteria concipere possimus: superat enim diuina res & verba & ingenium no-
 strum: vnde est, vt multa, non vt dicuntur, sed vt rebus conuenit, intelligantur. Hæc
 qui rectè dici negant, quum generare patrem ex vtero audiant, vterum & dolores
 partus intelligant. Sed respondebunt, nihil aliud in Deo vterum significare, quam
 propriam filij ex eo generationem. Sic igitur piè illud etiam, si humano more con-
 scriptū sit, intelligatur, & omnis p̄stigiosa cauillatio dissoluetur. Sed ad hoc iam sa-
 tis dictum est: nunc ardentius in cætera insurgamus, ac sua ratione p̄posita, fluētē
 Cauillus. hæresis magno impetu amnē retrudamus. Nisi aliud, inq̄t, insitū atq; interius Dei
 verbum

A verbum sit quàm filius vnigenitus, qui eius imitatione verbum appellatur, erit ne-
 cesse fateri, patrem quoq; verbum esse, verbumq; vocari oportere, quia filio suo, qui
 verbum & est & nuncupatur, consubstantialis esse conceditur. Hæc ille. Nos verò
 ad hæc dicimus, nullam esse rationem, quæ cogat, quia pater verbo suo consubstan-
 tialis sit, idcirco ipsum quoq; verbum appellari: nō enim, quæ eiusdem naturæ sunt,
 in alterutrum mutari possunt, vt à multitudine aut à dualitate in vnitatem contra-
 hantur. Nam & pater noster Adam filio suo consubstantialis fuit, nec idcirco in fili-
 um ipse decidit, nec filius in locum patris ascendit: ita quum pater filio eiusdem sub-
 stantiæ sit, proprietatem suam retinet, quemadmodum & filius. Qui enim ex patre
 est, is filius esse intelligitur: ille verò, qui genuit, pater dicitur. Quod si consub-
 stantialitas nullum esse inter consubstantialia discrimen vos cogit confiteri, quid
 induxit iudicem omnium non punire patrem pro filio, nec à filio supplicium pro
 patre sumere? Anima, inquit, quæ peccauit, ipsa morietur: nec pater peccatum
 filij eius assumet. Vides, quamuis consubstantialis pater filio suo sit, non tamen,
 quæ alter peccauit, ex altero expostulari. Cur igitur putas, quoniam consubstantia-
 le verbum Deo patri sit, Deum quoq; patrem verbum esse appellandum? Deus e-
 nim pater semper pater est, & verbum eius: & quia verbum, idcirco filius semper
 filius: aliter in peiore esse statu diuina, quàm nostra intelligerentur. Quia summa i-
 dentitas inter patrem & filium secundū naturam est (imago enim exquisitissima,
 & character personæ patris filius est) idcirco ad discipulos eius dicebat: Qui me vi-
 det, videt & patrem meum. Si ergo, quia hæc ita se habeant, nihil prohibebit pa-
 trem verbum ac filium dicere, & intelligetur filius in patris locum ascendisse: attri-
 buantur sibi verba illa, vt ipse ad patrem dicat: Ex vtero ante Luciferum genui te.
 Quo facto ita omnia confundentur, vt sanctissima consubstantialisq; Trinitas, quæ
 semper Trinitas est, ad vnitatem contrahatur. Et sic, quod vniciq; trium persona-
 rum propriè inest, consubstantialitatis ratione destruetur: naturæq; identitas, per-
 sonarum distinctionem euertet: quod omnino absurdum est. Non ergo quia con-
 substantialis pater verbo suo est, idcirco verbū ipse erit: sed erit semper id ipsum, qd
 est, immutabiliter pater. Ad hæc, si omne verbum, alicuius verbum est, eius vide-
 licet qui lingua loquitur, aut eius qui corde cogitat, est autem pater verbum, quo-
 niam verbo suo consubstantialis est, erit ipse verbum sui ipsius, aut potius nullius,
 & sic nec erit omnino aliquid: quomodo enim erit verbū, nisi alicuius sit verbum?
 quamuis ergo consubstantialis verbo suo pater sit, nunquam tamen ipse in verbum
 decidet: sed erit semper pater, sicut & verbum suum semper filius est. Præter eā, lon-
 gè ab omni mutatione ac alteratione semper diuina abest natura, quomodo ergo
 pater in verbum mutabitur: Non enim erit ipse pater, nisi seruet, quod erat. Quare
 si nepharium est mutationem diuinæ naturæ accommodare, nūquam pater in ver-
 bum mutabitur, sed erit immutabiliter semper pater. Ad hæc, quum se Deum ve-
 rum, & ex Deo vero vnigenitus Dei filius voluerit ostendere: Omnia, inquit, quæ
 pater habet, mea sunt. Omnium enim, quæ patri naturaliter insunt, quoniam ex eo
 secundum naturam est, hæres est filius, pater solummodo esse nunquam poterit. Id
 enim vnum est, quod pater est. Erit autem filius omnium, quæ insunt patri, sic hæ-
 res, vt nullo careat, etiam si pater nunquam sit. Et quemadmodū ipse omnia patris
 possidet bona, eodem modo, quæ filij sunt, omnia patri natura insunt, quamuis nū-
 quam in verbum & in filium pater mutari possit, sed maneat semper id, quod est
 pater. Hoc enim modo & pater & filius immutabilitatē habere intelligentur. Po-
 stremò non ignoramus, à legis autore Deo nonnullos, quia inter sanctū & propheta-
 num non distinguebant, accusatos fuisse. Magna enim inter hæc differentia, cōtra-
 rietasq; omnibus, qui rectè iudicāt, esse videtur. Sed si possibile omnino sit, vt con-
 substantialiū natura in seipsam confundatur, vt singularium & hypostasiū propria
 ad alias hypostasēs eorundem generum aut specierū transeant: quænam ratio san-
 ctum à

Dilutio pa-
triter & cō-
suetatio.

Ezechi. 18

Ioann. 14

Psal. 109

Ioannis 16

Pater solū
modo, fili-
us scilicet
esse nunq̄
poterit.

Ezechi. 22

Si pater, si
ipse filius,
pater nun-
quam sit.

Etum à prophano distinguere poterit: Si nulla singulorum differentia, quæ hoc aut e hoc constituat, propter identitatem substantiæ comperietur: erunt igitur omnia (nobis singularium rerum ablata cognitione) inter se confusa: ut Iudas proditor, Petrus aut Paulus sit: Petrusq; rursus vel Paulus, Iudas proditor: quoniam eiusdem cum eo naturæ sunt. Quod si omni furore furiosius dictu est, eiusdem generis aut speciei, atq; naturæ singularia non amittent, quia eiusdem naturæ sunt, singulares propriasq; suas differentias, quibus hoc & hoc sunt. Quare nulla humana ratio tantum vnquam valebit, ut cogere possit verbum & esse & vocari Deum patrem oportere: quoniam verbo suo consubstantialis piè ac verè creditur. Manet enim semper pater, nunquam enim distinguentem proprietatem, qua hoc est, amittere potest. Nec propter identitatem substantiæ nihil proprium patri esse vnquam concedemus. Nec quoniam ita se res habet, plus quicquam quam filius habebit. Qui cum ex eo propriè sit, immutabilitatem & æternitatem genitoris possidens, filiationem suam ita conseruat, ut in patrem mutari non possit, sicuti nec pater in filium. Sed non iure, inquit, quasi hæreticis nobis insultas, qui insitum atque interius Dei verbum aliud præter filium dicimus, quum audias ipsum magna voce clamare: Scio ego patrem, & verbum eius seruo. Nam si necesse est aliud esse, qui seruat, aliud quod seruatur, nec ista conuenire vnquam possunt, non poteris negare aliud esse filium Dei, & aliud verbum eius. Sed dicatis nobis, quæso, si ita sit, ut ipsi contenditis, vtrum verbum illud interius, quod ex imperitia Deo patri inesse fingitis, subsistat an non: nam si subsistit, cum in propria esse intelligatur hypostasi, non vnus, sed duo prorsus erunt filij. Sin verò minimè subsistit, cum nihil intersit inter filium & patrem, quod alterum ab altero disseparet: quò tertius erit à patre filius, & non immediatè, veluti filius patri connexus: Nam cum insitum, atq; interius verbum inesse Deo patri contendant: quomodo voluntatem patris, filius dicit: Nonnemagna ex dementia insanire videntur: Patris enim nomen ad filium ita refertur, ut nihil penitus interesse patiatur. Quòd si secundum eorum stultam sententiam verbum quoddam interius paterni expositiuum consilij inter patrem & filium est, & filium à patre tanquam materia quædam disseparat: siquidem propria hypostasi consilium Dei, & expositiuum consilij verbum subsistere intelligantur, nec pater erit amplius, nec filius proprietatem filij retinebit. Sin verò non subsistunt, inter erit immediatè filius patri: quò igitur abit verbum illud interius: aut quemnam locum Dei consilium, si aliud est à filio, consequetur: Prætereà, consubstantialem esse sanctam, adorabilemq; Trinitatem, rectè credimus, etiam si hæretici dirumpantur. Quæcunq; autem consubstantialia sunt, ratione naturæ in omnibus ad vnguem conueniunt. Si ergo, ut temeritas aliquorum prædicat, aliud præter filium interius inest patri verbum, filius quoq; aliud interius quoddam verbum in seipso continebit. Imago enim patris exquisitissima est, & character hypostaseos eius, ut scriptum est. Sed spiritus quoq; sanctus tale quid similiter interius verbum habebit. Ita nobis Trinitas duplicabitur, & compositione diuina non creabit natura, quod longè absurdum est, & cogitatu nefarium. In simplici enim substantia nihil aliud præter ipsam inesse potest. Sancta igitur, consubstantialisq; Trinitas, immediatè nulla re inter mediante sibi coniungitur. Illud apprimè tenendū est, quòd quando diuina scriptura nominibus, secundum Græcæ linguæ usum, articulos præponit, tunc & vnum, & quod solum propriè atq; verè tale quid dicitur, significat: articulo autem non adiecto, generalius cuncta designat, ut verbi causa: Multi vocati sunt dñj, sed quando, cum articulo Græca lingua Deus dicitur, tunc solus & propriè Deus designatur: cum verò absq; articulo Deus profertur, q ad hoc gratia vocatus est, intelligitur. Sic cum homo sine articulo dicitur, homo quispiam designatur: quando autem articulus accedit, vnicum atq; singularem hominē denotat. Ideo videmus filium hominis articulo ad vtrumq; nomen præposito, à saluatore nostro proferri, quando se solum ab infinita

nita hominum multitudine velit significare. Hæc cum ita se habeant, dicant quæso, quomodo intelligendum est: In principio erat verbum: cum huic vocabulo, verbum, articulus sit adiectus: Non enim potest, nisi ad vnum verbum, quod propriè atq; verè in principio erat, articulata referri oratio. Cur igitur frustra contendunt, aliud nobis verbum adducentes, ut à dignitate, naturæque patris filium depellant: Prætereà, si vnigenitus Dei filius idcirco verbum est & vocatur, quoniam (ut ipsi dicunt) insitum patris verbum suscipiens, ad illud formatur, cur non dixit ad discipulos, ego & verbum patris vnum sumus. & qui me videt, is etiam verbum patris videt: Quoniam igitur non ita dixit, sed omnia prætergressus, ipsi soli patri identitate se confert, impium profectò est, alium, nescio quo verbo, quasi confirmari aut doceri, filium credere, qui absq; vilo medio ipsi genitori consubstantialitate coniungitur. Sed alium, inquit, esse filium præter interius atq; insitum verbum, non rationibus nostris, sed scripturæ autoritate persuasi credidimus. Quum enim filium sic patri dicere audiamus: Pater glorifica filium tuum, ac patrem rursus respondere videamus: & glorificauit, & iterum glorificabo: nonne fateri necesse est per verbum filio patrem respondere? Quomodo igitur aliud, quàm filius, verbum non est, quo pater filio respondet? Non ad eò mirandum id mihi, quàm flendum videtur. Plorandi enim certè sunt, qui hæc fingunt. Et illud propheticum super ipsis dicendum: Nolite flere mortuum, nec plorate ipsum: flete, plorateq; illos, qui talia de vni genito dicere audent. Quid enim illis miserius excogitari poterit: qui cum oportet eos non moribus nostris diuina subijcere, sed altius atq; sublimius (quamuis humana consuetudine dicantur) intelligere, eam vocem, quam non saluator solus, sed multitudo etiam discipulorum audiuit, verbum patris interius esse putarunt. Corporea enim vox & sonus à labijs, aut quodam alio ictu in aerem profusus, auditū mouere solet. Patris verò consilium, quod ineffabili voce in mentem ipsius vertitur, solus filius, qui in ipso patre naturaliter est, sicuti sapientia eius cognouit. Voce autem ictu aeris conformata Deum vti, omnino incredibile est. Non enim oportet ignorare, super omnem creaturam, creatoris esse naturam: quamuis etiam ipse dominus & saluator noster, non Dei patris vocem illam esse affirmavit, nec sibi ea opus fuisse adseruit: non enim vocem patris audisse, nec propter se, sed propter illos factam significās: non propter me, inquit, ista vox, sed propter vos facta est. Quòd si omnia per ipsum Deus pater operatur, vocem quoq; illam per eum operatus est. Imò verò ipse vox illa erat, qua non sibi voluntatem genitoris, quam veluti filius nouit, sed discipulis aperit, ut facilius in fidem adducantur. Ad hæc, si verbo quodam filius insito indiget, ut per illud patris voluntatem perdiscat: quid sibi voluit dicens, Christus Dei virtus & sapientia: Quomodo enim filius sapientia patris erit, si sapientia ipse carens, ab alio, vel per aliud quæ nesciat, discit: aut quomodo necessariò non sequetur, sapientiam patris in ipso patre perfectam non esse? Deinde, si filius patris sapientia est, quomodo consilium patris aliud esse præter filium intelligunt, nisi forsan in sapientia consiliū patris esse affirmare audeat: q omnia impiè & dicuntur & cogitantur. Non ergo ab alio, vel per aliud doctus, patris consilium nouit filius: sed quum ipse sit verbum, sapientia & consilium, profunditatem etiam ipsam Dei patris scrutatur, sicut de spiritu sancto scriptum esse non ignoramus. Prætereà, imaginem characteremq; patris filium scripturæ vocitant. Et, qui me videt, patrem etiam videt, saluator ait. Tantā ergo cum patre identitatem habens, si q sunt patris, non per seipsum scit, sed quasi alio narrante perdiscit: non erit incongruum, si quis patrem quoq; indigere expositore affirmauerit, ut ea sciat, quæ in filio recondita sunt. Nam cum filio suo similis omnino sit eadem ignorantia, qua filius, detinebitur. Ita diuina natura ignorantia susceptibilis erit. Fugienda igitur, fugienda impia hæc hæresis omnibus viribus est, præsertim cum spiritus omnia, profunditates etiam ipsas Dei scrutari ab Apostolo scribatur. Sicut enim nemo hominum, ait, quæ

Cauillus.

Ioannis 8

Cōsultatio.

Hebræ. 1

1. Corin. 8

δ υος τς δυ
δγαπης.

δ λογος.

Cauillus.

Ioannis 12

Hierem. 22
Refutatio
& dilutio
cauilli.

Ioannis 12

Cōsultatio.

1. Corin. 1

1. Corin. 1
Hebræo. 1
Ioannis 14

1. Corin. 2

hominis sunt, nouit, nisi spiritus hominis, qui in eo est: sic & quæ Dei sunt, nullus nouit, nisi spiritus Dei, qui in eo est. Quoniam ergo spiritus sanctus, qui profunda Dei scrutatur, non solum patris est, verum etiam filij, quomodo filius, qui spiritum in seipso naturaliter habet, eorum quæ patris sunt, aliquid ignorabit: non rectè igitur dicitur, ab alio vel per aliud voluntatem patris filio significari. Quid enim opus est aliud interius confingere verbum, cum ipse per se sapientia sit, & scrutantem omnia spiritum communem cum patre habeat? Dicant nobis præterea, qui vnigeniti substantiam idcirco deicere conantur, quoniam voluntatem ipse patris per se nesciat, vt aiunt: sed & verbo (nescio quo) quasi magistro atq; doctore vtatur, vtrum illud verbum, quod interius appellant (supponatur enim, per se subsistere) æqualitatem habeat cū filio, an minus maiusue sit. Nā si minus dicent, in ipsum patrem hæc impietas ascendet. Erit enim aliquid in eo, aliud ab eo, & minus eo. Sin vero maius esse, q̄ sit filius, contendant, dupliciter in patrē peccabunt. Primū em̄ minorē genuisse filiū comperietur, quā ipse substantia sit: deinde ipse quoq; verbo suo interiore minor videbitur, cum filio suo consubstantialis sit, quē interiore verbo minorem dicunt. Hæc si fugientes æquale substantia insitum illud verbū filio affirmauerint, omnia sibi continuè delabentur. Quō em̄, si æquales natura sunt, alter quasi nescius, ab altero quasi natura sciēte docet: ita vndiq; falsitas opinionis suæ apparet. Impiū igitur est, inter patrem & filiū quicquam quasi intermediū intelligere: repiū autem, credere ipsum filium esse verbum patris, quod in principio erat: in quo quidem verbo Paulus ait omnes cognitionis atq; sapientiæ thesauros esse reconditos. Quod si ita est (non enim mentitur Paulus) quomodo sibi opus est, vt ab alio doceatur: aut in quōnam perfectam cognitionem atq; sapientiā esse dicemus, si qui sapientia est, aliena doctrina sit sapiens: vel quomodo sapientiæ veræ ac propriæ nomen sibi accommodabitur, si aliunde discit: non igitur nugis hominum, sed spiritus sancti doctrinæ attendere oportet. Quare quoniam spiritus sanctus per Paulum nos docuit, cognitionis ac sapientiæ thesauros in filio esse absconditos: credere oportet, non ab alio ipsum discere, sed cum in patre sit, omnia patris, tanquam perfecta eius sapientiā, naturaliter scire.

Coloss. 2

Quod secundum naturam, & non ut minister una cum patre creator filius est, quoniam ex substantia eius est. Cap. V.



Mnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Cū varias impiarum hæresium rationes breuiter euerterit beatus Euangelista, & exquisitam de vnigenito nobis doctrinam tradiderit: ad dissoluendum iam alium diaboli laqueum accedit, qui à prisco errore ortus, multos decepit, ligauit, ac demum ad inferos deduxit. Quoniam igitur gentilitas sapientiæ huius mundi adhærens, & spiritum principis huius seculi possidens, veritate contempta, inanimata idola coluit: & alius quidem ligno dicebat, Deus meus est tu; alius verò lapidi, tu produxisti me: & nonnulli non meliores multitudinē, quamuis ita viderentur, deitatis gloriam cœlo ac elementis tribuebant: necessariò Ioannes summus veritatis Theologus, vt fraudes illorum retundat, & viam attendentibus rectam aperiat, creatorem natura, magna voce ostendendum putauit, dicens omnia per vnigenitum producta, & sine ipso nihil penitus factum esse. Quum autem ab eo factas esse creaturas censeat, omnes liquidò docet, alium præter naturas eum esse, cuius ineffabili virtute à nihilo simpliciter ad esse vniuersa producta sunt. Sic enim in pulchritudine creaturarum, opificem quo vniuersa facta sunt, & quo conseruantur, cognoscimus. Ita ergo aduersus gentiles hanc ab Euangelista vocem scriptam esse credimus. Verum, quoniam hæreticorum quoque facillè hinc falsa refutatur opinio, non est abs re non nihil etiam aduersus eos conscribere. Omnia, inquit, per ipsum facta sunt, & sine ipso factum

Esaiæ 44
Hierem. 2

Sapient. 13

A ctum est nihil. Deitatis enim maiestatem etiam hæc verba vnigenito Dei filio attribuant, cum omnia naturaliter ac verè inesse ipsi ostendant, quæ Deo patri dicuntur inesse. Non enim de foris sicuti hominibus per gratiam hæc appellatio illi accedit, iuxta illud: Ego dixi, dii estis, & filij excelsi omnes. Si enim omnia per ipsum facta sunt, non potest ille cum omnibus simul enumerari. Quum enim omnia dicantur, nihil est, quod in omnibus non contineatur. Sic certè etiam Paulus omnia intellexisse comperitur. Nam cum sub pedibus saluatoris nostri subiecta esse omnia dixerit, ilicò intulit: In eo enim, quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectū ei: quare, quoniam per filium facta esse omnia credimus, nullo pacto aliquid omnium ipsum esse intelligimus, sed ab omnium numero ipsum separantes, & à natura creaturarum longè seorsum ponentes, nihil aliud esse ipsum, q̄ Deum ex Deo naturaliter confitemur. Quid enim inter Deum & creaturā inueniri potest, vt præter vtrumq; aliud intelligatur: aut in quānam substantia filium collocabimus, si naturam creaturarum in infinitum vt creator excedit? Omnia enim per ipsum facta sunt, vt per virtutem, vt per sapientiam Dei patris: quæ non quemadmodum in hominibus, quasi quædam qualitas Deo inest, sed per seipsam verè subsistit, quamuis ineffabili generationis modo à patre prodeat. Sic enim sapientiā & virtutem patris, verè filius esse creditur. Nec tamen, quia omnia, quæ sunt, per ipsum facta dicuntur, quasi alienæ voluntatis minister, aut quasi ab alio vires accipiat, quibus creare queat, credendus est. Imò verò, quoniam virtus ipse patris, sicuti vnigenitus filius est, vniuersa cum patre simul & spiritu sancto creauit: cuncta enim ex patre per filium in sancto spiritu sunt. Nec vnā cum patre in creando filium idcirco intelligimus, quia pater ad creandum impotens sit: sed quia propter incommutabilitatem atq; substantiæ identitatem natura sibi coniunctus est. Quemadmodum si quis in olfactione odoris, qui ex flore quodam est, operationem odoris ab ipso flore, à quo naturaliter odor profunditur, nullo modo seiungat. Nec ignoro paruum exempli esse similitudinem, sed quum natura diuina cuncta superet, necesse est nobis, secundū vires nostras, etiam minimarum rerum similitudines non despiciere. Quomodo enim aliter rectè illud intelligemus: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor? Non enim seorsum, atq; per seipsum operari patrem, aut filium rursus, quasi quiescente patre intelligendum est. Sic enim duo creatores, & non vnus, pater & filius esse viderentur. Et ad hæc, non esset necesse in patre semper filium esse, & in filio patrem similiter, ac ita falsum illud inueniretur: Ego in patre & pater in me. Non enim secundum identitatem substantiæ solum, quasi character, in patre filius est, aut rursus pater in filio, quasi exemplar tantummodo: sed etiam ex substantia effulgere filium, & in ipsa, & ex ipsa, in propria hypostasi Deum verbum subsistere confitemur, patrem quoq; similiter sicut filio consubstantiali, natura quidem vniri, sola verò ea ratiōe distingui, qua pater est, intelligimus: pater enim pater est, quamuis naturaliter in filio sit, sicut in splendore solem esse cōcedimus: filius quoque similiter, quanquam in patre, sicut in sole splendor sit nō alia ratione, quam ea, qua filius est, à patre distinguitur. Sic enim pater verè pater est atq; intelligitur, & filius similiter verè filius. Ita spiritu quoq; sancto connumerato, Trinitatis numerus ad vnā & eandem deitatem colligitur. Quomodo enim aliter vnus esse Deus intelligeretur, si singulæ Trinitatis personæ ad separatam omnino quandam ita proprietatem abibunt, vt integræ, à naturali nexu, substantialiq; habitu dispartite, Deus vnaquæq; nominaretur? Secundū rationē igitur, qua per se singulæ deitatis personæ subsistunt, & patrem, & filium, & spiritum subsistere intelligamus: non confundentes personarū, i. nominum distinctionem, sed cōseruantes vnicuiq; vt illud propriè & sit, & dicatur, quod est: atq; ita credentes, in vnā naturaliter deitatē contineri Trinitatē confitebimur, præter nominū, i. personarum, oēm aliā distinctionem recusantes: verbum enim, & sapientiā, & splendor, & character, & virtus

Psal. 81

1. Cori. 15

Roman. 11

Ioannis 5

Ioann. 14

Sapientia. patris, filius appellatur. Verbum quidē ac sapientia, quoniam ex intellectu immediate atq; indiuisibiliter est, & propter istarum rerum (vt ita dixerim) reciprocam immisionem: mens enim & intellectus in verbo, si sapientia est, & verbum rursus ac sapientia in intellectu conspiciuntur. Nec quicq; interest aut intermediat, qd alterum ab altero separet. **Virtus.** Virtus autem quoniam indiuisibiliter inest ei, qui naturaliter eam habet, nec quasi accidens absq; subiecti corruptione potest ab eo separari. **Character** Character verò, quia semper naturaliter coniungitur, nec potest ab ea substantia separari, cuius character est. Quas ob res, quoniam naturaliter atq; necessarid alter in altero est, quum pater operatur, tunc filius quoq; vt naturalis, substantialis, subsistensq; virtus eius operatur. Similiter operante filio, pater quoq; vt operantis verbi fons, q naturaliter suo filio inest, velut ignis suæ caliditati, quæ in eo est, semper cooperatur. Quare patet falsas hæreticorum effecogitationes, qui filium ab alio discere, & ministri loco, quoniam per ipsum facta cuncta dicuntur, creare impudenter contendunt. Ego autem non possum satis ipsorum impudentiam admirari. Nam quæ humilius, quomodo de vnigenito adferri à scriptura videtur, magno vndiq; cuncta studio aucupatur, & vndiq; perditioni suæ venena colligunt; quibus aut apertissimè in gloria patris filius collocatur, ea omnia miro quodam premunt silentio, vt nihil aliud videantur intendere, q̄ maiestatem filij conculcare. Nam cum per ipsum vniuersa fieri audiant, ministracionis nomini callidè inhærent, seruum pro libero, & cultorem pro domino ipsum somniantes. Quum verò statim Evangelistam videant intulisse; quia sine ipso factum est nihil ad sublimiora extolli nequeunt. Nam quoniam Deus pater potest creare nō potest, q̄ per proprium filium, qui virtus & sapientia eius est, idcirco nihil prorsus sine verbo Evangelista factum adserit. Idcirco etiā gloria patris & est & dicitur vnigenitus: glorificatur enim creator pater per filium vniuersa operans, & à non esse ad esse producēs. Sed ad hoc **Genesis 1** **Euangelicū,** quia sine ipso factum est nihil, illud rectè potest adferri: Faciamus hominem ad imaginē & similitudinē nostram. Nō enim imperat, nec tanq; ad seruū ac ministrū dicit: fac hominem. Sed vt cum indiuisibiliter, & secundum naturā coniuincto (dicam enim humano more) colloquitur atq; deliberat: non antecedēs quidem, cū aliquid intelliget cognitionē filij, sed sicuti mens indiuisibiliter impresso & insito verbo semper manifestus. Semper autem superari à diuinis in infinitum, exēpla atq; similitudines istæ credendæ sunt. Cooperari aut filio patrē dicimus, nō diuisim duos intelligētes, ne duos deos introducamus: nec in vnum duas personas cōtrahentes, ne aut pater in filium, aut in patrē filius cōpellatur: sed illo potius modo, quo splendor lumini, à quo effulget, cooperatur. In hoc enim, & in similibus distinguī quidē intelligitur, quod effulget ab eo, à quo indiuisibiliter prodit. Vnum aut atq; idem vtrumq; natura est, & alterū absq; altero esse nō potest: excedit tamē creaturarū similitudines, qui nullā in creaturis exquisitam habet similitudinē, atq; ideo ad declarandum quod volumus, non ad imaginē Trinitatis perfectā exēplis vtimur: quod si putant, quoniā per ipsum scriptum est, ad ministri locum à patre assumi filium, atq; ideo à naturali patris equalitate decidere, quid de ipso patre dicēt **1. Corin. 1** **Ephes. 1** cū particula, per, ei quoq; à scripturis accommodetur: Fidelis enim, inquit, Deus per quem vocati estis. Et rursus: Paulus apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei. Et alibi istaq; non est seruus, sed filius, Paulus inquit. Si natura filius, & hæres per Deum. Hæc enim omnia ad personam patris referuntur: & nemo aded insanit, vt propter particulam, per, ad ministri locum patrem deducatur: indifferenter enim plerūque dictionibus abusionis modo diuina scriptura ita vtitur, vt probè res grandes, quantū possibile homini est, verbis significet. His illud adiungendū est, qd gloria domini verbum obscurat: nulla nanq; ferè verborum vis tanta est, vt exquisite ineffabilē Dei gloriā possit exprimere: nō debemus igitur verborū humilitate turbari, cū sciamus, pieq; credamus, omne mētis acumen in exponēda re diuina hebescere. **Galat. 4** Quodd

A Quod filius vita secundum naturam est, atq; ideo non creatus, sed ex substantia Dei ac patris. **Cap. VI.**



Quod factum est, in ipso vita erat. Adhuc de verbo Dei verba exquisitissimè facit Evangelista: vt cum omnia, quæ illi natura insunt, diligenter explanet, & hæreticos deterreat, & rectè credentes, non humana sapientia, nec eloquentiæ viribus, sed spiritus virtute confirmet. Quū igitur creatorem omnium modò ostenderit, quod à non esse ad esse cūcta produxit, & sine ipso factum est nihil: nunc quoniam creatura durādī nullam virtutem in se per naturam continet, sed ipse cunctis quasi commixtus vita eorum fit, & in propria naturæ conditione cōseruat, idcirco clamat: quod factum est, in ipso vita erat. Non solum, inquit, per ipsum facta sunt vniuersa: sed quæcūq; facta sunt, vnigenitus Dei filius principium, & subsistētia omnium, tam visibilium, quàm inuisibilium, in ipsis vita erat. Nam quum ipse sit per naturam vita, tam esse, quàm viuere, et moueri rebus benignissimè atq; variè largitur, non diuisibiliter, aut commutabiliter, in singula, quæ natura differunt, immixtus: sed cum ipse vita vna sit omnium, omnia penetrans, à singulis, prout fieri potest ac decet, recipitur. Ipsa verò creatura ineffabili sapiētia, & virtute creatoris in seipsa variatur atq; commutatur. Et quia, quod à nihilo productum est, corruptibile est, omniaq; orta in exitum festinant (sola enim diuina natura absq; principio & fine est) quasi arte quadam perpetuatem rebus attribuit. Successiones enim, & mutationes rerum in alterutras adinuenit, quibus singulas rerum species perpetuas efficit: & hoc est etiam, quod de plantis scribitur, cuius semen in semetipso sit super terram, & ineffabili creatoris voluntate fieri quotannis videmus. Erat igitur in omnibus vita, vt dicitur. Sed quid ad hæc insania hæreticorum dicet, quum spiritus sancti Evangelicam vocem audiat, quod in creatis omnibus verbum Dei, quod in principio est, vita erat? An etiam **Per naturam vita increata.** nunc, non ex substantia Dei ac patris filium esse, sed factum atque creatū affirmare audebit? Et quomodo non iniuria imperitiæ crimine non condemnabitur? nā si verbum Dei, vt per naturam vita, participatione sui viuere omnibus præbet: alius certè est, quā ea sunt, quæ præsentia sua viuere creduntur. Qui verò alius, quàm creatura naturaliter est, quomodo is, qui super omnia est, Deus non erit? Si verò et creatum contendis, & vitam esse rerum non negas: quoniam creaturarum vna parte est, vitam etiam ipse, sui ipsius participatione habere intelligetur. Quod quoniam absurdum est, necesse est, vt participabilis Dei filius alius natura, quàm participantia sit. Non ergo creatus, sed vt per naturam vita in creaturis est: quod ex sequentibus magis patebit. Nam si ex substantia patris filius non est, sed factus, vt illi dicunt, atque creatus, quomodo vniuersa ipse viuificat? aut quomodo id Paulus quasi præcipuum Deo attribuit, quum viuificantem ipsum appellat? Nam si quum creatus filius sit, omnia viuificat, seipsam creatura viuificat, quare nihil præcipuum vltra creaturam in Deo erit. Creatura etiam Deo ad viuendum nequaquam egebit, quum non minus sibi, quàm Deus, ipsa per se vitam adferat, sed indiget semper creatura creatore. Non ergo collocandus in creaturis filius Dei, quum per se vita sit, atq; etiam intelligatur. Prætereà diuinæ admiratus naturæ dignitatem Psalmista canebat: Quoniam apud te fons vitæ. Si ergo filius cū sit creatura, quæ facta sunt, viuificat, & vt viuificās secundū naturā vita est frustra, quasi præcipuū soli Deo fontē vitæ Psalmista attribuit. Siquidē filius etiā, qui secundū ipsos creaturis cōnumeratur, fons vitæ erit, quia viuificat. Sed fons vitæ solus Deus est, per naturā ergo filius vita est, vt Deus ex Deo, & vita ex vita. Ad hæc, si cū vita secundū naturā filius sit, non ex substantia Dei ac patris, vt illi blasphemant, sed creatura est, erit creaturarū natura vita, etsi non actu, attamē potentia. Nā etsi nondū omnis creatura vita est, quia tamen creatura quæ dā vita est, nō erit alienum à natura crea-

Genesis 1

Per naturam vita increata.

Psalm. 35

ra crea-

Ioann. 14 ra creaturæ, vt vita possit esse. Ita vitam esse, Deo & creaturæ commune quoddam erit. Quæ igitur frustra se iactat filius, dicens: Ego sum vita: cum potius dicendum esset: Ego & vos vita sumus. Sed quoniam non ita, sed quasi proprium bonum sibi vitam attribuit, manifestum est, quia non creaturis se connumerat, sed naturæ Dei patris coniungit, quæ sola naturaliter vita est. Accedit, quod participans vita, ipsum vitam esse propriè non potest: aliud enim est à participante id, quod participatur. Si ergo creaturæ participabilis filius est, vt vita, erit aliud à participantibus vita, participantia autem creaturæ sunt, non ergo ipse creatus, nec ab alio vitam indigemus Deum, nec alium colimus, quàm eum, qui est. Prætereà, cum rerum omnium diligenter naturam consideramus, Deum & creaturam, & nihil ultra hæc aliud conspicimus: quicquid enim natura Deus non est, id certè creatum est: ac rursus, quicquid creatura esse negatur, id certè Deus est. Quoniam igitur optimè ista partitum sumus, respondeat quæso, quomodo vt vitam viuificare poterit filius, cum id naturæ diuinæ solummodo proprium sit: Si verò, cum creatus sit, vitam esse potest, prædicabitur etiam de altero partitionis membro vitam, & erunt omnia secundum naturam vitam. Quid opus est ergo participatione filij: aut quid magis hac participatione creatura possidebit, si per suam naturam vitam est: eget autem necessariò participatione vitam, quæ filius est, omnis creatura. Nihil ergo creatum, sed solus filius secundum naturam vitam est, & pater consubstantialis similiter. Prætereà, cum filius vitam sit, aut creatura est, aut non creatura, sed Deus verus. Si primò, falsò illud sibi dicitur: ego sum panis vitam, qui de cælo descendo, & mundo vitam præbeo. Habet enim per se vitam, nec participare vitam opus est ei, quæ vitam est. Sin verò creatura non est, proprium id præter creaturas bonum habebit, vt sit secundum naturam vitam. Creaturæ autem proprium, vitam indigere, cuius participatione viuificetur. Ad hæc, si cum secundum naturam vitam filius sit, creaturis connumeratur, quare Psalmista quasi vestimentum veterascere cælos adserit: cum de filio dicit: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Nam aut etià ipse, quemadmodum & nos, deficient & corrumpetur, & ita vitam ipse non est: aut si creatura, vt ipse vitam est, perpetua & incorruptibilis erit. Sed ipse quidem eodem se modo semper habet, creatura verò deficit: non est ergo creatus, sed cum vitam secundum naturam sit, quæ vitam indigent, cuncta viuificat. Accedit, quod nihil seipso participat, creatura verò omnis filio vt vitam participat: nec ergo filius creatura, nec creatura vitam est. Postremò, aliud est viuificare, aliud viuificari, sicut agere atque pati: viuificat autem filius, creatura autem viuificatur. Aliud ergo filius est, quàm creatura: quoniam & quod facit, & quod fit, idem esse non potest.

Quod lux secundum naturam est filius: & ideo non creatus ex substantia Dei ac patris.

Cap. VII.

In vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Deum naturaliter, et bonorum patris substantiali hæredem, nobis etià per hæc filium Euangelista demonstrat. Dixit enim iam natura ipsum vitam esse, & omnia, quæ creata sunt, ab ipso viuificari & conseruari: cum in ipso quicquid factum est, verbum erat vitam. Verum quoniam homo in terris rationale animal est, mentis & disciplinæ capax, & sapientia Dei participans, necessariò rationis ac sapientia humanæ largitorem filium his verbis offendit, vt facilius Deus pater omnia in omnibus per filium esse intelligatur. Vita quidem in ihs, quæ vitam indiget: Lux verò rursus ac vitam in ihs, quæ vitam & luce indigent, ac ideo magna prædicat voce: & vitam erat lux

A lux hominum. Ita qui vniuersa viuificat Dei filius, qui in omnibus vitam est: hic ipse rationale quoque illuminat animal. Et intelligendi virium capacibus intellectum largitur, vt vndique verum esse videatur, quod de creatura dicitur: Quid enim habes, quod non accepisti: nihil enim est, quod à se ipsa creatura possideat: sed tam esse, quàm essendi modum quendam largitione Dei consequitur. Probè autem rursus, erat, de vitam scribitur, vt vndique verbi æternitas falsas hæreticorum cogitationes, qui scripturis omnibus aperte repugnantes, ex nihilo filium Dei productum confingunt, quasi acuta incidat securis. Sed de verbi æternitate, & in superioribus breuiter, & in libro, quem thesaurum appellauimus, latius nobis conscriptum est. Quare quod propositum est, quodque tam presentibus, quàm futuris non omnino inutile fore putamus, Deo nostrum os aperiente dicamus: Si Deus natura filius non est, nec substantie genitoris fructus: si prætereà non lux ipse vera ex vera effulsit luce, sed quasi de foris, vt nonnulli affirmant, productus, creaturis connumeratur: quomodo ipse creaturas illuminat, & creaturæ ab ipso illuminantur? An non est aliud, quod illuminat, quàm quod illuminatur? Ita prorsus arbitror. Nam si idem substantia & ratione esse viderentur, quicquid in altero eorum seorsum est, id etiam in altero coniunctum reperiretur: ita lux quidem erit, quod luce indiget: & lux ipsa indifferenter & illuminabit, & illuminabitur: quam quidem rerum confusionem nemo mentis compos veram esse concedet. Necessaria enim, quæ dicta sunt, ratione dissulari demonstrantur: quum aliud natura sit, quod per se illuminat, quàm illud, quod illuminatur. Quare cum lux vera ex vera luce filius effulserit, non creaturis connumerabitur, sed patri consubstantialis iure credetur. Sed non est forsitan difficile, quæ modo de vitam dicta sunt, quibus alia esse, quæ vitam participant, quàm vitam ipsam demonstrabamus, de luce quoque nunc dicere. Quare ne vos delicia ab utilitate legentium remouisse videatur, breuiter ad hunc locum illa transferre conabimur. Nam quemadmodum vitam aliud est, quàm vitam susceptibilia, sic quæ lux hominum & est & dicitur, aliud est præter ea, quæ quum lucis susceptibilia sint, luce participant, quod ex sequentibus explanatius confirmatur. Nam si verbum, vt natura lux in creaturis est, participatione sui ipsis illucens: aliud profectò natura est, quàm ea, quæ illuminantur. Cum igitur aliud quàm creatura sit, quomodo Deus non erit? Prætereà si cum lux natura filius sit, & creaturas luce indigentes illuminet, creatus est, vt ipsi dicunt: primum quidem aliquid ipsum esse intelligemus, deinde quoniam de numero creaturarum sit, quarum natura est participatione lucis illuminari, erit ipse sui ipsius respectu tam participans, quàm participatus. Quod quoniam penitus impossibile est, non creatum, sed natura Deum & lucem, verbum Dei confiteri necesse est. Ad hæc, si ex substantia Dei patris filius non est, sed de foris, vt creatura factus, quomodo creaturas illuminat? Aut quid maius in natura diuina, quàm in re facta inueniemus? Aut quomodo Psalmista de Deo canebat, in luce tua videbimus lucem? Nam si cum creatura secundum eos filius sit, omnia illuminat, non indigebit creatura luce creatoris. Hæc absurda omnino sunt. Quare non est creatura filius, sed Deus verus & naturaliter lux, quemadmodum & Deus pater. Accedit, quod si secundum illud, in luce tua videbimus lucem, & Emitte lucem tuam & veritatem tuam, Dei patris lux filius est, & tamen creaturis connumeratur: quid prohibebit omnia, quæ creata sunt, Dei patris lucem appellari? Si enim lux est filius, cum creatura sit, de omni profectò creatura communiter lux prædicari poterit. Verum hoc falsum esse nemo negabit: soli enim filio id attribuitur, vt Dei patris lux, & sit, & vocetur: non est igitur creatura filius, sed Deus de Deo, & lux de luce, quæ per ipsum creaturas illuminat. Prætereà, si & natura lux, & creatura filius est, quomodo lux est & vocatur: cum de Baptista scriptum sit, non erat ille lux: atqui tam Baptista, quàm cæteræ creaturæ, natura lux meritò possent appellari. Quod enim creaturæ vt creaturæ conuenit, omnibus creaturis commune sit, necesse est: sed lucem fuisse Ioannem negatur. Fili-

us au-

Liber Cyrilli, q thesaurus dicitur.

1. Cor. 4

Psalm. 35

Psalm. 41

Ioann. 1

us autem Dei lux est, nequaquam ergo creaturis connumerabitur. Ad hæc, si cum creatura filius sit, lux est, omnis creatura lux esse poterit, etiam si nondum actus lux sit. **Ioannis 8** Quod si lucem esse, commune omnibus est: quia se frustra iactat filius dicens: ego sum lux, quum potius dicendum esset: ego & vos lux sumus? Verum quoniam non sic, sed seipsam solummodo lucem appellat, id sibi quasi proprium bonum attribuens: manifestum est, quia se non creaturis connumerat, sed naturam patris coniungit, quæ sola lux naturaliter est. Accedit, quod aliud est participans, quam participatum. Quare quod lucem participat, illud proprie lux esse non potest: participatur autem filius à creaturis ut lux, non est ergo creatura, ne luceat ut ipsa indiget: sed Deus, quo uniuersa illuminatur, & de substantia patris, non de foris: hoc enim modo vnum adorabimus Deum, vnam naturam esse lucem credentes. Præterea naturam rerum omnium considerantes, Deum & creaturam, & nihil ultra hæc aliud conspiciamus. Quum ergo hæc partitio rerum optima sit, dicant quæso, qui longè à natura patris filium depellunt, quomodo ipse veluti lux illuminat, cum id soli diuinæ naturæ conueniat: quod si filius creatura & lux est, omnis creatura lux erit. Ita lux tam de Deo, quam de creaturis æqualiter prædicabitur: quid opus est ergo participatione filij aut lucis, ut quid maius ex hac participatione creatura consequatur, quum & ipsa naturaliter, quam filius lux esse videatur? Sed indiget creatura luce, quum à seipsa non habeat, quare filius, qui natura lux est, & qui creaturas illuminat, Deus verus est, non creatura. Ad hæc, filius, qui natura lux est, aut creatura secundum rationem substantiæ, **Ioann. 12** ut ipsi contendunt, est, aut non. Si primum, falsò illud sibi dictum est: Ego lux in mundum veni. Habet enim mundus lucem in se, tanquam creatura. Quod autem lux est, luce participare non potest: non enim erit lux, quod luce participat. Sin verò filius creatura non est (lux enim ipse est, creatura verò luce secundum illud indiget: quid enim habes, quod non accepisti?) necessariò ipse Deus est, & proprium hoc sibi bonum est, ut natura lux & sit & vocitetur. Creatura verò luce indiget, quum in propria natura lucem non habeat. Ad hæc, nihil seipso participat, omnis autem creatura filio ut luce participat, nec ergo filius creatura est, nec creatura lux. Postremò, aliud est illuminare, aliud illuminari, sicut agere atque pati: illuminat autem filius, creatura verò illuminatur. Aliud ergo filius est, quam creatura: quoniam & quod facit, & quod fit, idem esse non potest. Et lux in tenebris luceat, & tenebræ eam non comprehenderunt. Non iniuria diuinus Evangelista, quoniam non putauit illud ad confirmationem rectæ sententiæ omnibus sufficere, quod vita erat lux hominum: latius modo eandem rem multoque latius exponit. Nam ne quis lucem quidem esse verbum Dei putaret, sed non omnibus, sed quibus velit, quosque dignos iudicaret lucem largiri: cætera verò uniuersa, vel à seipsis sapere, ratiocinarique posse, vel quasi minus id possit filius facere, à Deo patre tantummodo intelligendi vim rationalia consequi. Ne igitur hæc aliaque huiusmodi falsò quispiam putaret: ac ut omnes clarè videant, non horum aut illorum, sed omnium simpliciter rationalium lucem, qua sapiunt atque intelligunt, filium Dei esse, qui modo ineffabili participationis, ut sapientia & intellectus, quam lucem in rationalibus vocamus: ideo seipsum (ut ita dicam) immiscet, ut mentem habere possint, quæ mentis susceptibilia sunt: non enim id aliter possent consequi. Propter hæc, inquam, omnia necessariò intulit, & lux in tenebris luceat, et tenebræ ipsam non comprehenderunt. Ita quasi magna voce clamat, vitam non ideo lucem hominum esse dictam, quia viuendi quispiam disciplina lucem à filio Dei mereatur: sed ut omnes discant, quemadmodum in omni re creata verbum vita est omnia viuificans, quæ vitæ susceptibilia sunt: sic in omnibus, quæ rationis susceptibilia sunt, ipse lux est, quæ rationis participantia, id ipsum quod sunt, id est, rationalia facit: omnia enim in omnibus pater per filium in spiritu est. Tenebræ autem, naturam, quæ illuminatione indiget, appellauit, quæ uniuersaliter à nihilo ad esse producta est. Nam quoniam verbum Dei lucem appellauit, ut indigentem eo naturam aliam esse

esse ostendat, in contrarium verso sermone tenebras eam appellauit. Tenebræ namque veræ sunt, quæ lucem non habent. Vnde mea quidem sententia, creaturarum naturam nihil in se penitus per seipsam habere docuit. Sed tam totum (ut ita dicam) esse, quam totum bene esse à creatore suscipiens, merito potest audire: **1. Corin. 4** Quid enim habes, quod non accepisti? Quum ergo lucem à Deo consequatur, patet, quia ex seipsa non habet, quod aliunde accipit. Quod autem ex seipso lucem non habet, id certè lucis contrarium est, & tenebrarum nomine non iniuria vocitatur: nec verisimile solum, verum etiam necessarium est, ut creatura tenebræ, filius verò Dei, qui in tenebris luceat, lux & sit, & videatur. Nam si natura creaturarum filium Dei ut lucem accipit non est dubium, quin & ipsa tanquam tenebræ accipiat, & filius Dei tanquam lux in tenebris in illa luceat, quæ tenebræ filium Dei non cognouerunt. Hoc enim (ut puto) significat, & tenebræ eam non comprehenderunt. Quam enim omnia verbum Dei illuminat, quæ naturam habent lucis susceptibilem, ignoratur tamen à tenebris. Rationalis enim creatura, quæ in terris est, creatore ignorato, qui est fons sapientiae, intellectus origo, prudentiæ radix, creaturas coluit: & tamen Dei misericordia factum est, ut lucem ac intelligendi vim productioni suæ ad esse concurrentem, sibi in sitam, non amiserit. Hinc etiam notandum diligentissimè rursus est, nulla ratione filium Dei creatum, factumque intelligi posse: sed longè à natura creaturæ remotum, aliud esse penitus, quam creaturam, tantumque ab esse, ut creatura sit, ut quæ admodum lux ad tenebras se habet (contraria enim tenebrarum est) sic ultra omnem comparisonem naturam creaturæ filius Dei excedit. Fuit homo missus à Deo. Cum multa iam de Dei verbo, quibus de natura Dei patris filius ostenditur, nobis Evangelista exposuerit, nunc ad legentium fidem grauissimo teste vtitur. Nam quoniam per Moysen dictum diuinitus est, in trium ore aut duorum omne verbum stare: **Deuter. 19** magnæ autoritatis sibi testem adiungit. Hoc enim putauit oportere sibi soli mirabilia, ultraque hominem narrati, fidem auditorum exigere, ac quasi debitam exposcere. Sed cum ipse testetur, quia in principio erat verbum, & Deus erat verbum, & erat in principio apud Deum: & quia omnia per ipsum facta sunt: & quia erat in rebus creatis ut vita: & quia vita lux erat hominum, quibus omnibus natura Deum, filium esse ostendit, grauissimo Baptistæ quoque vtitur testimonio, præparate viam domini, clamantis: rectas facite semitas Dei nostri. Non enim potest Deus non esse verus, cui dominationis dignitas secundum naturam inest. Nam etsi multi gratia dii, si multi domini nuncupantur, vnus tamen cum patre atque spiritu filius verè Deus est, vnus verè dominus. Nec præter eum proprie atque verè Deus quisquam, aut dominus est: vnus enim, Paulus inquit, Deus pater, & vnus dominus Iesus Christus. Digna ergo sanctorum virorum dualitas, cum propter autoritatem legis, tum propter sanctorum claritatemque personarum, fide auditorum omnino est. Laudibus deinde suis silentio traditis, ne quis dicat: Tu de teipso loqueris, Baptistæ laudes non omisit: sed à Deo ipsum missum fuisse, nec vltro ad testandum accessisse, sed diuinæ voluntati ministrasse affirmat. Fuit enim (inquit) homo missus à Deo. Aduertendum certè diligenter arbitror, quò idonea, secunda, tutaque, ac rerum naturæ accommodata vtitur oratione. Nam cum de verbo Dei diceret, erat, consequenter subiunxit, ut & æternitatem eius ostenderet, & ultra omne temporis principium esse creatorem, non creaturam esse significaret. Quò enim, quod semper est, ad esse ex nihilo productum intelligitur: de beato verò Baptista congruè nimium, ut de mortali homine atque creato, fuit, exclamat. Nec isto solo contentus, tutissimè adiecit, homo, temeritatem non nullorum euertens. Iam enim rumores fuerunt, non natura hominem, sed de numero sanctorum angelorum Baptistam fuisse, ac humano corpore usum prædicasse: quod inde affirmabant, quia dictum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Ignorantes videlicet nomen angeli, ministerium magis, quam substantiam significare. Sic enim alium super alium

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

Job 1
Hebræ. 1
Galat. 1
Luca 1
Ezech. 3
Esaia 40
Psalm. 131
Luca 3
Ioannis 1
70 q̄. 2.
Matth. 5
Psalm. 131
Ioannis 5

alium ad beatū Iob angelos cucurrisse legimus, calamitates nouas sibi atq; inauditas nunciantes. Beatus etiam Paulus tale quid de sanctis angelis determinat. Nōne (inquit) omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiant salutis? Angelus igitur beatus Baptista nuncupatus est, non quia natura angelus esset, sed quia ad nunciandum clamandumq; venit, præparandam esse domini viam. A Deo autem missus fuit, ne quid Deo, qui misit, alienum nunciasset illum existimes; verū enim est testimoniū eius, qui quæ à Deo didicit (id enim à Deo missum esse significat) ea prædicauit. Sic & Paulus per Iesum Christum se missum esse affirmans, non ab alio, sed Iesu Christo, qui misit, reuelante, virtutem se mysterij didicisse ostendit. Sequitur enim omnino, vt qui ad prædicandum, nunciandumq; aliquid à Deo missus est, is à Deo ipso, quæ dicenda sunt, didicerit. Erat autem (inquit) homini nomen Ioannes. Nōne ipso missum à Deo nunciū, vt magnam sibi oratio fidem acquirat, norum facere voluit. Sic enim angelus Gabriel, qui coram Deo (vt ipse dixit) assistit, filium Zachariæ annuncians, cæteris adiunxit: Ioannes, dicens, erit nomen eius: nec aliud scilicet, quàm quod diuinitus accepit, nascituro nomen puero indidit. Quanto igitur honore dignum, quanta pollere autoritate illum arbitramur, qui vel antequam in vtero conciperetur, nomen à Deo consequutus est: His de causis, nominis modò necessariò meminuit. Verū quoniam in testimoniū missum fuisse affirmauit, ac vt omnes per ipsum crederent, adiecit: illò temeritatis nonnulli proruperūt, vt obijcere non dubitarent: quur ergo vniuersi diuinitus missi non crediderunt: aut quomodo Dei nunciū omnibus non persuasit: non culpa Ioannis, sed audientium duritie id factum est. Nam quoniam suæ potestatis est vnusquisq; prauitate animi multi, qui loannem audierunt, non crediderunt, de quibus illud propheticum dicendū est: Qui audit, audiatur: & qui non credit, non credat. Hic venit in testimoniū, vt testimoniū perhiberet de lumine. Singularē atq; præcipuam virtutē ista dictio, hic, significare mihi videtur. Hic enim, inquit, qui missus à Deo fuit, qui excellētia suæ virtutis commouit ludæam, qui prophetarum voce venturus scribebatur, de quo Esaias, vox clamantis in deserto, prædixit. Quem Psalmista lucernam Christo præparatam nominauit. Hic, inquam, in testimoniū venit, vt testimoniū perhiberet de lumine, de verbo videlicet ac filio Dei: vnum enim verbum Dei, & ipsum solummodo secundum naturam lumen esse ostendit. Quò igitur si ipsum propriè lumen est, luminis autem particeps omnis creatura, creatura erit: aut quò si oēm creaturā excedit, in actu lumen oēs illuminans, de lumine, i. de Deo patre genitus nō est: quòd si de Deo genitus, nō factus est, sicuti certè est, quò verè Deus & patri cōsubstantialis non est: Non erat ille lux, sed vt testimoniū perhiberet de lumine. Vrbes contempsit, & eremum habitare voluit diuinus ille Baptista, tantoq; virtutum excelluit numero, vt cum ad summam iam humanæ iustitiæ peruenisset, maximam de se admirationem non iniuria hominibus concitauerit. Vnde factū est, vt nonnulli Christum fuisse putauerint, ac ideo interrogatus etiam fuisse scribitur, an esset Christus. Quod Evangelista nequaquam ignorans, vt & hunc errorem radicatus euellat, & autoritatem eius, quanta esset, ostendat, necessariò subiunxit: nō erat ille lux. Quomodo enim magnus ille non fuit, aut quomodo autoritati eius credendum non erat, qui tanto cumulo virtutis præfulsit, vt lux ipsa à nonnullis esse crederetur: Nō erat igitur (inquit) ille lux, sed ad testimoniū luminis missus. Luminis autem lucisq; nomen, idcirco adiectione semper articuli protulit, vt vnam esse naturam veram lucem ostendat. Nam quàmuis & beatus ille Baptista, & viri sancti omnes, lux esse à scriptura dicuntur (Vos enim lux mundi estis, saluator inquit, & de Baptista rursus scribitur: Parauit lucernam Christo meo, & ille erat lucerna ardens & lucens) non ignoramus tamē, vnde gratiam, largitionemq; luminis consequuti sunt. Non enim propria sancti luce illuminantur, nec proprium lucerna possidet

IN EVANG. B. IOAN. LIBER I. 107.

A. fides lumen: sed illuminatione veritatis splendentes, quasi luminaria mundi sunt, vitæ verba retinentes. Vita verò, cuius verba retinentes lux efficiuntur, nulla profectò alia est, quàm ille, qui dicit: Ego sum vita. Vita igitur verè lux est, cuius participatione, non consequutione naturæ, cætera lux esse profectò videntur. Ioann. 14

Quod lux vera filius est, creatura vero non lux, sed lucis particeps.
Caput VIII.



Rat lux vera. Apertius modò veram lucem à creaturis, quæ lux non sunt, Evangelista diffeparat. Illa enim natura lux est, istæ per gratiam: istæ participant, illa participatur. Indigent istæ luce, illa indigentibus seipsam largitur. Nihil ergo præter illam vera lux est, nec quicquam aliud propriam virtute atq; natura fructum luminis edere potest. Sed quemadmodum ex nihilo producta sunt, sic à tenebris splendore veri luminis accepto, & participatione illius illustrata, imitatione quadam in lucem transeunt: ita Dei quidem verbum substantialiter, non participatione, quæ per gratiam fit, nec per accidens lux est. Creatura verò non sic, sed accipit quod nō habet. Illuminatur vt tenebræ, de foris gratiam acquirit, largitoris misericordia huiusmodi dignitatem consequitur. Quare filius quidem Dei, lux vera est: creatura verò eius illuminatione per gratiā lux est. Quum igitur tanta inter lucem & lucem differentia sit, quomodo non insanire videntur, qui parum, vt mihi videtur, attendentes, impiè creator em creaturis connumerant: præsertim cum vndiq; diligenter cōsideranti, pietatis veritas emergat, nullo videlicet pacto creaturis filium Dei posse connumerari, quod ex sequētibus latius patet. Nam si filius, quia gloriæ Dei patris splendor est, idcirco vera lux est, non erit profectò creatura: nam aliter creatura quoq; gloria Dei patris erit, poteritq; illud esse secundum naturam, quod Dei filius est. Prætereā, si creatura, vera potest lux esse: quam obrem id de solo filio dicitur, cū equaliter sicut filius vera lux creatura possit appellari: sed propriè atq; verè substantia filij lux est, creatura verò minime: quomodo igitur creatura filius erit? Ad hæc, permultum interesse necesse est inter veram lucem & non veram. Aliud ergo est filius Dei, qui vera lux est, aliud creatura. Accedit, quòd non possit reddi ratio, quare filius Dei illuminat omnem hominem venientem in hunc mūdum, si creatura quoq; lux vera est. Frustra enim illuminari per filium diceretur, si per se substantialiter lucem haberet. Sed si filius quidem Dei nos illuminat, nos autem ab eo illuminamur: non sunt ergo secundum substantiam affinia filius Dei & creatura, quemadmodum nec participans et participatum. Adde, quòd si vera lux etiam creatura sit, inanis quidem esset Psalmista, dicens: Accedite ad eum, & illuminamini. Quod enim vera lux est, nunquā participatione alterius lux fiet: quum splendore alterius non illustretur, sed profectò sua natura luceat. Videmus autem falsum hoc esse: non enim dubitamus luce humanum genus egere, nec Psalmistam mentiri putamus, quum ad verbum Dei magna clamitet voce: Quoniam tu illuminas lucernā meam domine, Deus meus illumina tenebras meas. Non ergo sumus nos vera lux, sed alieni naturaliter à vera luce, qui filius Dei est, participatione illustramur. Quòd si lucerna mens humana nuncupata est, cum dicitur: Quoniam tu illuminas lucernā meam domine, quomodo erimus vera nos lux? De foris enim lucernæ lumen conceditur: si etiam tenebras nostras solus illustrat vnigenitus, quomodo non solus vera lux est, nos verò tenebræ: quòd si ita est, sicuti certè est, quomodo verbum Dei, qui creaturas tantum excedit, creatura erit? Ad hæc, si creatura vera lux esset, ac homo etiam, qui creaturæ non contemnenda pars est: quibusnam Deus pater promisit, dicens: Et orientur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ: Non enim illustrante sole vera lux indiget, sed vt verè indigentibus Deus pater solem nobis, vt pollicitus est, dedit quo illuminati sumus. Aliud ergo natura vera lux est, quæ indigentes luce illustrat

strat aliud creatura, quæ illustratur. Præterea, si creatura & nos, ut creati, lux vera sumus, quur ad Deum magna voce sancti conclamant: Emitte lucem tuam & veritatem tuam: Nam si non indiget illuminante creatura, ut vera lux; quur frustra vocabant nullo ad hoc indigentes: sed non fuerunt amentes sanctissimi illi viri, qui illuminari petebant, quibusque rursus ipse Deus pater luce indigentibus filium misit: non est igitur creatura filius. Accedit, quod aperte videmus creaturam luce indigere; non est ergo ipsa lux vera, sed unigenitus filius, qui eam illuminat, quæ per se ipsam accedere ad lucem non potest. Ad hæc, cum verè ac naturaliter lux minimè obtinebretur, si creatura etiam vera lux est, quam obrè de filio scribitur: Et tenebræ ipsum non comprehenderunt: De hominibus autem apud Paulum dicitur: In quibus Deus huius seculi excecauit mentes infidelium, quibus ipse quoque saluator ait: Donec lucem habetis, ambulate in luce, ne tenebræ vos comprehendant. Hæc dicta non essent, nisi tenebris humanum genus esset inuolutum. Quomodo igitur affinita sunt natura unigenitus & creatura, cum unigenitus immutabilis sit, creatura verò mutabilis: Non enim natura insitum habet lumen creatura, cum possit à tenebris comprehendere. Præterea, quomodo si lux vera hominibus natura inest, ad Deum clamamus: In lumine tuo videbimus lumen: Lumen enim ipsum verum, alio lumine illuminari non potest. Non sumus ergo natura & substantia filio Dei coniuncti. Insuper hoc est iudicium, in Evangelio inquit saluator: quia lux venit in hunc mundum, & homines dilexerunt magis tenebras, quam lucem, quod dicitur, quia perperam operabantur. Omnis enim qui prava facit, odit lucem. Quomodo igitur, si creatura etiam lux vera est, ad illuminandum eam venit filius Dei, quæ lucem odit: aut quomodo, si lux vera est, ad lucem venire negatur: quum quæ natura insunt, unà cum natura durent: quæ verò voluntate adhibentur, facillimè (mutata voluntate) commutentur: rationalis enim homo non voluntate, sed natura est. Quare dum homo sit, id sibi necessariò inerat: pravius autem aut probus electione atque iudicio est: ac ideo potestatis eius æqualiter est, utrum velit præponere. Si ergo creatura verè, id est, naturaliter atque substantialiter lux est, quomodo ad lucem non venit, aut quomodo tenebras non odit: Manifestum igitur est, quia verè ac naturaliter ipsa lux non est, sed potestate libertatis suæ, modò meliora, modò peiora persequitur. Aut igitur supernaturalia bona inesse naturaliter filio apertius negent, ut tanquam maioris impietatis rei ab omnibus audiant: Disperdat dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam; aut si firmiter credunt substantialiter filio supernaturalia bona inesse, nolint, ei creaturam secundum naturam coniungere. Ad hæc, si creatura etiam vera lux est, quomodo saluator inquit: Ego sum lux mundi: aut quomodo patiuntur quasi veram hanc vocem saluatoris audire: Sed veritas est saluator noster, & falsa dicere non potest. Dicit autem mundi se lucem esse, quare habitudine quadam ad ipsum, creatura et est, & dicitur lux: non ergo eiusdem est cum ipso naturæ. Præterea, si quum lux vera filius sit, etiam creatura similiter est, quid respondebimus Petro nobis scribenti: Vos autem estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes eius annuncietis, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum: Si enim lux ipsi naturaliter ac verè sumus, quomodo vocati quasi à tenebris ad lucem sumus, qui nunquam in tenebris fuimus: Sumus autem vocati ad lucem, propriè igitur atque verè lux filius est, qui ad se vocat, creatura verò luce participans, substantialiter illi nullo modo coniungitur. Insuper quum Psalmista dicat: Signatum est super nos lumen vultus tui domine: quemnam vultum Dei patris intelligit, cuius lumen super nos signatum est: An patet omnibus, quia unigenitus Dei filius, vultus patris appellatur, incommutabilis illa imago, qui de se dicit: Qui videt me, videt patrem: is in nobis signatus est. Nam conformes sibi nos faciens, & illuminationem sui spiritus, quasi diuinam imaginem in credentibus imprimens, deos, Deique filios per gratiam reddit: quomodo igitur in nobis signata lux est, si vera etiam

A am nos lux sumus: Non enim in lumine lumen, sed in tenebris lucet. Ad hæc, lumen esse ortum iusto, apud Psalmistam canitur. Si ergo habenti atque non indigenti oritur, frustra id fit: sin autem non ut habenti, quod necessariò reliquum est, solus unigenitus lux erit. Quæ verò luce participat creatura, idcirco quia participat, consubstantialis esse filio Dei non potest. Præterea apud eundem Psalmistam canitur: Non enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluabit eos, sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui. Illuminationem certè vultus Dei patris, hic rursus nominat revelationem filij per spiritum, & ducti onem quasi manu ad singulas res factam. Sic enim ab avaritia Aegyptiorum ludæos liberavit. Quur ergo si lux, natura creaturæ insita est, propria luce liberati non sunt, sed quasi carentes lumine, non necessariò illuminantur: sed negari non potest, indigentibus Dei filius illuxisse. Ipse igitur vera lux est, & per gratiam ab eo creatura lucem consequitur, quare illi consubstantialis non est. Item Psalmista: Beatus (ait) populus, qui scit iubilationem, in lumine vultus tui ambulabunt. Cur ergo in sua luce non ambulant: aut cur ab alio lumen quærentes, vix salutem consequuntur: sed neminem dubitaturum puto, filium Dei creaturis illuminationem largiri, quam quum acceperint, saluantur: quomodo ergo eiusdem erit substantiæ unigenitus, et quæ ab eo facta sunt: Misit præterea in tenebris lumem rectis, ait. Quomodo autem rectus homo in tenebris est, si, quemadmodum filius, ita etiam lux creatura vera est: Si verò rectis lumen, quasi non habentibus mittitur, quid opus nobis pluribus verbis est: quum ipsa rerum natura, magna clamet voce, nec perfectum & imperfectum secundum naturam, nec indigens atque propter plenitudinem suam largiens, eiusdem esse substantiæ. Illuminare (inquit) illuminare Hierusalem: venit enim lux tua, & gloria domini super te orta est. Sed si creaturarum natura per se ipsam, id est, natura sui, ut unigenitus, lux vera est, quid opus est, ut lumen accedat, quo Hierusalem illuminetur: sed illuminatur per gratiam. Qui ergo eam illuminat, is solus lux vera est, atque ideo super eam est natura atque substantia. Ecce dedi te (inquit) in testamentum generis, in lucem gentium. Quomodo igitur rationalis hæc & mortalis natura, si ipsa vera lux est, lumine ita indiguit, ut nunc tanquam non habenti, suum Deus filium ei præbuerit: Et nunc, inquit, domus iacob, venite ambulemus in lumine domini. Quare suo lumine non ambulant, sed unigeniti luce tanquam lumine carentes, proficiscuntur: Ego sum lux mundi, saluator inquit. Qui me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Quur etiam creatura, si ipsa quoque verè lux est, huiusmodi vocem emittere non potest: ipsa ergo, quoniam dicere similia horreat, nullam aliam præter filium veram esse lucem aptissimè clamitat: Quousque lucem habetis, saluator inquit, credite in lucem, ut filij lucis sitis. An futurum erat, si non crederent, ut natura insitam lucem amitterent: Et quoniam pacto id fieri unquam posset: Priuationes enim ex desidia in ijs rebus fieri nequeunt, quæ ita substantialiter insunt, ut abesse non possint absque subiecti corruptione: sed in ijs, quæ voluntate acquiruntur, & quæ corrupta substantiam non corrumpunt, ut verbi causa: Rationalis homo natura est, electione gubernator, eger per accidens. Irrationalis igitur nullo fieri casu unquam poterit: gubernandi autem peritiam desidia facile amittet, & ægrotationis accidens curatione depellet: ita quæ substantialiter radices in natura egerunt, absque subiecti corruptione non corrumpuntur. Quomodo igitur, qui credere in lucem recusant, lucem amittunt, si lux ipsi verè, id est, substantialiter sunt: Aut quomodo lucis filij fiunt credentes: Nam si ipsi lux sunt, suorum filij efficientur. Quid erit ergo præmium fidei: nullum profectò. Sui enim ipsorum filij, etiam fidem recusantes, poterunt esse. Solum ergo Dei verbum lucem veram dicemus, creaturam verò longè alterius naturæ confitebimur. Similiter ex illo Evangelico ratiocinari licet: Adhuc modico tempore lumem in vobis est, ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendat: lux

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

enim vera & naturaliter nunquam à tenebris comprehenditur. Et ex illo apud lo-
annem in epistola, qui dicit se esse in lumine, si fratrem suum oderit, adhuc in tene-
bris est. Electione igitur luci adhæremus, & voluntate magis, quàm substantia, lu-
men rationalis accipit creatura. Quod ita esse ostenditur: quia quum fratrem odio
persequeris, adhuc in tenebris es: vnigenitus autem non electione, sed secundum
substantiam lux dicitur, quare super omnem creaturam esse demonstratur. Pos-
tremò, qui fratrem diligit suum, is in luce (inquit) manet: ita charitas lucem crea-
turæ accommodat, lux autē vnigenitus est. Quare longè aliud est, quàm ea, in qui-
bus propter charitatem inhabitat.

*Quod non ante corpus anima hominis, nec propter præcedentia peccata
in corpore delabitur, ut nonnulli falso prædicant. Cap. IX.*

Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,
In mundo erat. Rectissimè atq; tutissimè beatus Evangelista non so-
lum ipsam veram lucem vnigenitum nobis esse declaravit, sed statim de-
monstrationem quoque adiunxit: illam (clamans) veram lucem adfir-
mo, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Nonne igitur,
dicit quispiam, qui scripturarum peritiam habeat, etiam angeli mentē huma-
nam illuminant? Per quem ergo Cornelius didicit baptizari se oportere, si salu-
tem vellet acquirere? Manue verò ille nonne voce angeli futura docebatur? Sed
Zacharias quoq; propheta non cælauit id, dicens: Et dixit angelus, qui loquitur in
me, ego hæc sibi ostendam. Deinde cognitionem rerum occultarum ab angelis in
animum suum infundi ostendens: Ecce (inquit) angelus, qui loquebatur in me, sta-
bat, & alius angelus ingrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum: Curre, & lo-
quere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Hierusalem præ mul-
titudine hominum & iumentorum. Similiter etiam Daniel ab angelo visionum si-
gnificationes discebat, dicit enim: Et factum est, quum viderem ego Daniel visionem,
& quærerem intelligentiam, ecce stetit in conspectu meo quasi species viri, et
audiui vocem viri interrogantis, & vocavit & dixit: Gabriel fac intelligere istū visi-
onem. Nec solum angeli, verum etiam homo hominem illuminat. Probus enim
eunuchus ille prophetiam de domino non intelligens, à Philippo didicit. Et docto-
res tam fidei, quàm disciplinæ vite, innumeri penè fuerunt, quibus orbis terrarum
institutus est. Sed quæ hæc tam multa nobis congeruntur, cum diuina possit hoc
autoritate comprobari: Vos enim, ait saluator apostolis dicens, lux mundi estis.

Ad hæc respondentes dicimus, nihil esse in creaturis, quod simplex sit atque in-
compositum, sed omnia compositione certè constare. Quemadmodum igitur
creatura, quæ doctorem, sapientiorè mque alium reddit, non est ipsa sapientia,
sed sapientiæ, quæ inest sibi, ministra: in sapientia enim sapiens sapit. Et qui alios
docet, non est ipsa doctrina, sed doctrinæ minister, per quam doctus est. Sic qui
alios illuminat, non est ipse propriè lux, sed luminis, quod in eo est, minister, in alios
per doctrinam ipsum diffundens, communèq; faciens, quod acceperat, bonū
idcirco ad apostolos dictū est: Gratis accepistis, gratis date. Quicquid enim habu-
erunt, diuinitus illud consequuti fuerunt. Nulla enim creatura proprio quodam
bono gloriari potest, nec sanctorum quidem angelorum natura: sed omnia à Deo
à non esse ad esse vocata, non aliunde quoq; quàm à Deo naturam, qua benè sunt,
consequuntur, quum nihil in creatura substantialiter sit, quod à creatore dono non
desinat, quodq; in creatoris gratia radicem non habeat. Quum igitur in compo-
sitione omnis creatura inueniatur, nulla lux in ea est propriè ac simpliciter, id est, si-
ne aliqua compositione: sed participatione lucem habet, non aliter, quàm alia bo-
na etiam lucem à Deo accipiēs. Lux autem vera est, quæ illuminat non illuminata.

Ea

IN EVANG. B. IOAN. LIBER I. 109.

A Eavnigenitus est Dei filius, qui natura simplex est, id est, longè ab omni compo-
sitione vt Deus constitutus. Sed obijciat quispiam: Si sancti non sunt lux secundum
naturam, quamobrem non luminis participes, sed lumen saluator eos appellauit? Obiectio.
Aut quomodo non eiusdem naturæ cum eo est creatura, si lux quemadmodum ipse
nuncupatur? Vos enim (inquit) estis lux mundi. Sed non vident, qui hæc ad-
uersus seipos excogitant, quod etiam dñj & filij Dei apud scripturas, omnes appel-
lantur, secundum illud: Ego dixi, dñj estis, & filij excelsi omnes. Negabimusne igitur
propter hæc verba, id quod sumus? & deos, & filios Dei ita nos putabimus, vt
verbo & verè filio Dei à deitate, coniunctioneq; patris depulso, loco illius patri as-
sidere velimus, & gratiam qua honorati sumus in filios adoptati, in materiam im-
pietatis vertemus? Procul absit à nobis hæc cogitatio: filium enim Dei verè Deum
colimus, & nos ita cognoscimus, vt adoptione filios & deos, non natura, sed gra-
tia factos non ignoremus. Sic igitur etiam lucem esse sanctos fatemur: & illud ad-
dimus, quod rationalis quidem creatura omnis illuminata illuminat, traditioneq; à
mente sua in mentem alterius doctrinam transfundit. Quam quidem illuminationem,
discèdi vim potius, quàm reuelationem nominamus. Dei autem verbū oēm
hominem venientem in hunc mundum, non docendo vt homines, aut forsan an-
geli, sed potius creando vt Deus, vnicuiq; semen sapientiæ, id est, pietatis atq; intel-
ligendi radices inserit. Et hoc modo rationalem efficit creaturam, naturæ suæ parti-
cipem faciens, & ineffabilis sui splendoris quasi lucidos vapores eo modo, quem so-
lus nouit, in mentem hominis immittens: propterea noster pater Adam non tem-
pore (quemadmodum nos) prudentiam didicit: sed statim à sui creatione perfectè
sapiens fuit, datum sibi diuinitus lumen adhuc conseruans, naturæq; dignitatem in-
tegram retinens. Filius igitur Dei, creatiuè (vt ita dicam) illuminat: lux enim ipse
verè est, creatura verò participatione luminis splendet, atq; ideo etiam ipse lux ap-
pellatur, super naturam suam glorificantis Dei gratia, & varijs donorum honori-
bus coronantis ascendens: ita vt in medium prodire tanquam summis coronati ho-
noribus magnificè possimus. Quare magna voce gratias agentes, illud dicamus: Be-
nedic anima mea dominum, & noli obliuisci omnes retributiones eius, qui propi-
tatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit
de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus, qui re-
plet in bonis desiderium tuum. Misericors enim verè dominus est, qui creaturam
paruam atq; abiectam secundum naturam, magnam atq; mirabilem sua efficit bo-
nitate: qui etiam nos bonis abundè atque cumulosè suis decorauit, aded vt etiam
deos & lucem nominet. Deinde, quoniam dixit: Quæ illuminat omnem homi-
nem venientem in hunc mundum: quoniam vocabulum hoc, venientem, tam
homini, quam luci, Græcæ linguæ consuetudine accommodari potest, ne ambi-
guum fieret, vtrum venientem hominem in mundum illuminet, accuratissimè
quasi sua exponens verba, de luce subiicit: Quia ipsa in mundo erat: ita venien-
tem in hunc mundum, non lucem, sed hominem intelligamus, qui à nihilo ad es-
se producit. Locus enim quasi quidam creaturarum confingitur ipsum nihil, à
quo modo quodam profectæ locum (vt ita dicam) essendi acquirunt. Accommoda-
tius ergo atq; decentius de natura hominis dici potest, quod à primo statim crea-
tionis tempore illuminata, vnà cum esse vim etiam intelligendi ab vnigenita luce,
quæ in mundo est, adipiscitur, quæ ineffabili dignitatis virtute omnia replet: cum an-
gelis est in cælo, non derelinquit terrestres, inferis adest, nihil penitus sui vnquam
vacuum deserit. Cuius rei miraculo commotus Psalmista, non dubitauit clamare:
Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; Psalm. 138
si descendero ad infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero
in extremis maris: etem illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Om-
nia em loca, & omnem creaturam diuina profectò manus tenet, continēs conser-

T iij uansq;

uansq; in esse, quæ facta sunt, vitam infundens ijs, quæ vita indigent, & intellectualem lucem susceptilibus immittens, nec in loco est, nec transeundi transgredientis motum patitur. Corporum enim hæc proprietas est, Deus autem omnia (vt diximus) replet. Sed quid dicis (quispiam obijciat) quum ipse saluator dixisse inueniatur: Ego lux in mundum veni: quum etiam Psalmista orat, dicens: Emitte lucem tuam & veritatem tuam. Manifestè nanq; venisse in hunc se mundum filius dicit: quare non erat in hoc mundo, antequam venisset: mitti etiam orat Propheta, non eum, qui aderat, sed eum profectò, qui aberat. Nos autem idoneo hic vsu verbo, & commodè loquutum Euangelistam adserimus, quum filium Dei naturaliter vitam, substantialiter lucem, non circumscriptibilem loco, non mensurabilem spacijs, nulla quantitate retentum, non transeuntem de loco in locum, sed vbi que semper præsentem, in mundo esse affirmauerit. Venisse igitur in mundum, quamuis in eo præsens semper sit, dicitur incarnationis mysterio: visus enim est in terra, & veluti homo cum hominibus conuersatus est, manifestiorem nobis præsentiam suam in mundo efficiens. Nam qui olim solo intellectu adesse videbatur, ipsis postea corporeis oculis cernebatur, rudiorem (vt sic dixerim) pietatis cognitionem sensibilibus nobis immittens, & signis atque miraculis cognitus: & hoc modo ipsum ad illuminandum mundum emitti Propheta orabat. Ad hæc illud etiam dicendum censeo, quòd multo velocior mens, quàm oratio est, & ingenij motus lingua multo acutior. Quare quantum humanis viribus licet, ingenij acumine sublimitatem diuinarum rerum speculemur: loquamur autem oratione hominum, quoniam aliter, quæ cogitamus, nullo modo efferre possumus: ac quoniam lingua longè abest ad exprimendam veritatem, Paulum imitemur, qui quum fuerit mysteriorum saluatoris receptaculum, verbum à Deo petebat in apertione oris sui. Nihil ergo dignitati vnigeniti detrahit nostræ orationis angustia: sed intelliguntur quidem omnia, quæ de ipso dicuntur, decenter: verbis autem tam ab ipso saluatore ad nos, quàm à sanctis de ipso iuxta humanæ naturæ mensuram humiliter proferuntur. Verum, quoniam non lucem venire in mundum, sed hominem intelligendum esse adseruimus, non grauabimur frivolas cordis hominum cogitationes refutare. Hac enim autoritate scripturæ nonnulli, non ab ore domini, sed à corde suo eructantes, sic abutuntur, vt ante corpora humana in beata vita fuisse animas in cælo contendant: & has, quamuis perfectiore bono fruebantur, tamen saturitate melioris status, turpi cogitatione alterius vitæ cupiditate ad peiora esse delapsas. Depulit enim eas id ipsum molestè ferens creator, & corporibus quasi in quadam spelunca vel carcere inclusit, vt inflammata cupiditates earum extinguerentur: voluit enim (aiunt) creator, vt periculo animæ discerent, quàm amarum sit, quantique doloris plenum, bonum contemnere, ac ad peiora declinare. Hæc partim hinc (vt diximus) confirmare conantur: quia omnem hominem venientem in hunc mundum illuminari dictum est. Partim alios quoque locos scripturarum malè intelligentes adducunt, ac maximè illum: Priusquam humiliarer, ego deliqui. Ecce, inquiunt, antequam humiliatus sit, id est, antequam corporali nexu fuerit, deliquisse fatetur, atque ideo iure humiliatum fuisse mortali corpori coniunctum. Mortale nanq; cordus est, imò verò mors ipsa, vt Paulus ostendit, dicens: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Si ergo, inquiunt, deprimatur anima, humiliorq; sit in mundum veniens, quia deliquit, antequam deprimeretur, & corpori coniungeretur, patet ipsam ante corpus profectò esse. Præterea, si in mundum hunc aliunde venit, fuit ergo, antequam corpori connecteretur. Hæc aduersus vera Ecclesiæ dogmata dicentes, ac simplices huiusmodi nugis decipientes, verè ita increpabuntur: Væ, qui prophetatis à corde vestro. Prodigia enim quædam, quasi prophetias à corde suo fingentes, diuinæ spiritaliq; apponunt doctrinæ, non animaduertentes ad quantam sui conatus impietate erumpunt.

Cuius

A Cuius opinionis falsitatem modò redarguere tempus est. Si ergo ante corpora hominum animæ fuerunt, & quadam inclinatione ad malum (vt ipsi dicunt) loco supplicij corporibus connectuntur: quomodo venientes in hunc mundum illuminari dicuntur? Illuminatio enim maiorem adferre gratiam videtur, & honoris certè, non supplicij est: non punitur autem, qui honoratur, nec cruciatibus vexatur, qui lumine diuino participat. Quare certum est, non puniri connexu corporis animam, quæ in ipso corpore honoratur. Accedit, quòd falsum omnino esset illuminari animam in hunc mundum venientem, si quidem mens atq; integer intellectus antea fuit. Si enim dum in corpus veniat, illuminatur, necesse est antequam veniat, lumine carere. Quomodo ergo intellectus integer ac purus erit, si tunc tandem illuminari cœpit, quando in hunc mundum, & in molem carnis descendit? Præterea, si ante corpus anima fuit, & sicuti mens pura, & intellectus integer, ipsi bono coniuncti or erat, sed prauitate, cupiditateq; peiorum ad terrena depressa est: quomodo non magna sibi iniuria sit, quæ modò in hoc corpore depressa, rectè viuere, ac non peccare iubetur: quum tunc potius oportuisset, quando nondum corpori alligata, longius ab omni aberat perturbatione. Non potuerunt profectò dicere, aut opportunitatem admonendæ animæ ignotam Deo fuisse, aut iniuriosè ab eo tractatam, qui peccare non potest. Opportunè igitur atque iustè non peccare in hac carne iubemur: quoniam eo cœpimus esse tempore, quo vnà cum corpore in hunc mundum venimus, ac quasi à loco quodam, à nihilo ad esse peruenimus. Præterea, libenter ab eis quærerem, quam veri similitudinem oratio habeat, quum dicant, propter delicta, quæ prius anima commiserat, in corpus eam intrudi, vt rerum experientia, cupiditatis suæ turpitudinem discat. Quomodo non erubescunt hæc dicere: liberanda enim potius à prauis cogitationibus fuisse videtur, quàm in profundum turpissimarum voluptatum detrudenda. Non enim hic, sed ille modus curare eam potuisset. Quòd si vt corporis voluptatibus frueretur, ac eo modo magis ægrotaret, in corpus detrusa est: tam ignorantia, quàm iniuriæ crimine medicus iure accusari poterit, qui ea ratione sanari ægram posse putauit, si in maiora, pluraque delicta per iniuriam ab eo depelleretur. Sin autem, vt delinquendi finem faceret, quomodo ab vltima profunditate miseræ ac cupiditatis emerfuram potius putauit, quàm in ipso malorum principio, quando peccati fomite, id est, corpore carebat, parua castigatione suum statum retenturam? Ad hæc, si ante corpus deliquit anima, & vt pœnas lueret, corpori coniuncta est, oporteret certè credentes, qui fide à peccatis liberati sunt, à supplicio statim, id est, à corpore liberari. Quomodo enim, dic quæso, remissionem peccatorum penitus consecuta esse anima intelligeretur, quum adhuc propter peccatum in corpore inclusa teneatur? Videmus autem multo secus fieri. Non modò enim ilico fideles à corporibus non euolant, verum etiam resurrectionis professione ac fide immortaliter se victuros cum corporibus credunt. Non ergo ad cruciatum corpus animo coniungitur, præsertim quum ita diuinitus honoratum sit, vt & saluatoris reuicturum omnipotentia attestetur, & vitam sit immortalem habiturum. Adde, quòd morte maiora delicta secundum legem plectuntur, cum quileuius peccarunt, viuere permittantur: qui autem omnino innocentes videntur, præmissis etiam, quasi quibusdam ad viuendum inuitamentis afficiantur. Oportebat autem, si vt commissorum pœnas lueret, corpori anima coniuncta est, scelestos homines ad viuendum potius inuitari, vt magis mole corporis vexarentur: innocentes verò contra citius ab hoc corpore, id est, à supplicio liberari. Sed iure lex homicidam, cæterosque huiusmodi mori iussit, iustos autem honoribus decorari. Falsò ergo dicitur, supplicij causa corporibus animas annecti. Insuper dicant, quæso, si ad supplicium corpus animæ connectitur: quid boni nobis, destructa morte, ac immortalitate corpori per resurrectionem donata, saluator cõtulit? Corruptioni potius perpetuæ corporis, terminum supplicio impo-

Cōfutatio
dictæ impi
etatis.

Leuiti. 20

imponenti, quam dominonostro Iesu Christo (quem credimus corporibus resur-
 rectionem donasse) gratias agere deberemus, non autem ita Ecclesia facit, sed Christo
 gratias agit, saluatorem re ipsa existimans, quia nos a morte liberauit; non ergo ad
 supplicium animis corpora data sunt. Nam si sic esset, maiora nobis inferret ma-
 la resurrectio, perpetuo miseris corporibus animas includens, & vnde per mor-
 tem euaserunt, eò repellens: nihil autem mali, sed ad renouationem naturæ à Chri-
 sto pro singulari dono data est, non ergo ad pœnam animis corpora data sunt.
Esaiæ 26 Præterea, singulare nobis quidam Propheta gaudium annuncians: Resurgent, cla-
 mabat, mortui, & suscitabuntur, qui sunt in monumentis, & omnes, qui in terra
 sunt, exultabunt. Magna potius afficientur mœstitia, dicendum erat, rursus in cor-
 pora redeunt. Aut si vera humanum genus afficere lætitia volebat, non resur-
 recturos mortuos, sed perpetuæ naturam carnis datam esse corruptioni affirmas-
 set. Quum verò diuino inflatus spiritu, carnis resurrectionem ad gaudium annun-
 ciet, non fumus ad supplicium corpori annexi, cuius in mortalitate lætari, exulta-
Genesis 15 riq; iubemur. Accedit, quod Deus, quum beatum Abraham benediceret, quasi stel-
 las cœli innumerabiles suos fore pollicetur. Quare si ad corpus, seu ad supplicium
 anima introducit, damnatarum diuinitus animarum turbam, & quasi fugitiua-
 rum à bono, malignitatisq; seruum ac maledictionis potius, quam benedictionis
 semen pollicetur, sed re ipsa benedictus à Deo Abraham fuit. Omni ergo culpa,
 corporis atq; animi caret coniunctio. Similiter diuinus ille vir Moses, quum non
Deuter. 1 iniuria multitudinem Iudæorum admiratus esset: Ecce, nanq; inquit, multitudine,
 veluti stellæ cœli hodie estis, adiecit oras: Dominus Deus patrum vestrorum addat
 ad hunc numerum multa milia; quæ res, si animæ lapsæ in corpore puniuntur, non
 optanda, sed repellenda potius oratione intercessioneq; Mosi ad Deum fuit. Sed fuit
 optanda: non enim inanem quendam hominem fuisse Mosen dicimus. Falsò igitur
 & à seipsis, non à scripturis, nequam homines, huiusmodi falsitates excogitant.
Iacobi 4 Præterea, non ignoramus, nihil concedi à Deo malè petentibus. Petitis enim (in-
1. Reg. 1 quit) & non accipitis, quia malè petitis. Si ergo animæ (vt illi dicerent) incarnatio ad
 luendas pœnas datur, non parum Anna Phanuelis filia peccauit, longa oratione à
 Deo filium postulans. Animæ nanq; lapsum primò, deinde punitionem posebat,
 & si mulier quasi homo errauit, quomodo Deum exorauit: Non enim poterat foe-
 mina in vtero concipere, nisi anima in cœlis deliquisset, vt propter delictum vte-
 rum mulieris ingressa, corpus assumeret. Sed exoratus fuerat Deus, quia benè illa
 petijt: non ergo carni coniungimur, quia peccauerimus antea, quippe qui ante cor-
 pus non fuimus. Ad hæc, si gratia supplicij corpori connectimur, quur Ezechias
4. Reg. 20 vir sanctus atq; probus prorogationem huius vitæ petijt: aut quomodo Deus
 quindecim annos, pietate & lachrymis illius commotus, beneficij loco illi adiecit:
 Calamitatem enim potius & cruciatum, quam donum & gratiam, si aliquid verita-
 tis istæ nugæ habent, illicontulisse videtur. Sed donum certè fuit ac gratia, proro-
Hiere. 39 gatio vitæ: non ergo ad supplicium animis corpora dantur. Præterea, si corpus a-
 nimæ ad pœnam datū est, inanem gratiam Deus ei retribuit, qui Hieremiam à lacu
 eduxit, quemq; à Chaldæorum impetu euasurum, longiusq; victurum pollicetur
 quum potius debuisset, si honorare ipsum volebat, quam primum à vexatione cor-
Danielis 3 poris liberare. Nec præterea, tribus illis adolescentibus, quos Babylonica flamma
Danielis 6 seruauit, nec Danieli, quem à feritate leonū eripuit, boni quicquam impartitus est.
 Falsum autem hoc omnino est: laudatur enim, gratiaq; sibi aguntur, quia præcipu-
1. Cori. 5 um eis cōtulit beneficiū: falsum igitur etiā illud est, vnde hoc sequit. Adde, q̄ pro-
 tribunali dominico opera quæq; nostra patebunt, vt ait Paulus: Omnes enim nos
 manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisq; propria corporis,
 prout gessit, siue bonū, siue malum. Si ergo pro operibus, quæ perperam aut cōtra
 cum corpore gessimus, retributio fiet, nec vlla erit mentio eorum, quæ ante corpus
 probè

A probè vel contrà fecerimus: quomodo ante corpus fuisse animam audent dicere, si
 ea solummodo quæruntur, quæ cum corpore gessit: Deinde, quomodo idem Pau-
 lus ait: Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentē: Nam
 si ad supplicium animis corpora data sunt, quomodo in odorem suauitatis id Deo
 offerimus, per quod punimur: aut quomodo virtutem possidebit, quod natum ad
 puniendū magnas in peccato egit radices: Ad hæc, propter transgressionem primi
 hominis, corruptio genus nostrū inualit, vt ait Paulus: sed regnauit mors ab Adam
 vsq; ad Mosen, & in eos, qui non peccauerunt, in similitudinē præuaricationis Adæ:
 quomodo igitur vel super eos, qui non peccauerunt, regnare mortē affirmat, si pri-
 scorum gratia delictorū mortale nobis corpus annectitur: aut quomodo non pec-
 cauerunt, si propter peccata in corpus deciderunt: Præterea, de quodam ab vtero
 matris cæco saluatorem discipuli interrogarunt, dicentes: Rabbi, quis peccauit, hic
 aut parentes eius, vt cæcus nasceretur: Nam quoniam in prophetis scribitur libris,
 quod peccata parentum filijs Deus retribuit: hac de causa cæcum fuisse natum homi-
 nem illum apostoli arbitrabantur. Quid igitur Christus: Nec iste (inquit) peccauit,
 nec parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo. Quomodo autem non pec-
 casse adserit eos, qui quum homines fuerint, non errasse procul dubio non potue-
 runt: Manifestū igitur atq; conspicuū est, quia verba domini, tēpus quod natiuitatē
 illorū p̄cesserat, respicit, q̄ tēpore nec fuerūt, nec peccare potuerūt. Hoc enim modo
 veritatis integritas in verbis veritatis, id est, Christi conspicietur. Accedit, quod Esa-
 ias quam ob causam terra facta sit ostendens: non frustra (inquit) creata est, sed vt ha-
 bitetur, non autem à nudis spiritibus, nec incorporeis animis, sed animatis corpori-
 bus congruenter habitari potest. Qua ex re sequitur: si præfuisse animas, & delin-
 quentes in corpora delabi dabimus, voluntate ipsas Dei delinquere, vt homines sci-
 licet essent, quibus terrarum orbis habitaretur: sed hoc falsum omnino est, verum
 igitur alterum. Adde, quod omnium artifex sapientia in libro Parabolarum, huius
B modi de se verba dicere introducit: Ego eram, inquit, quo gaudebat vniuerso-
 rum scilicet creator. Quotidie lætabar coram eo in omni tempore, quando con-
 summato terrarum orbe gaudebat & lætabatur super filios hominum. Si ergo
 creato Deus homine gaudebat: quomodo non infaniunt, qui peccatis ad corpo-
 ra intrudi animas opinantur: Si enim gaudet, quia pœnas per corpora dant, non
 erit bonus, qui aliorum supplicio triumphat: Sed bonus est ipse natura, & bo-
 narum creaturarum productor: non igitur instrumentum puniendi corpora sunt,
 vt multi falsò prædicant. Præterea, si quæ ante corpora deliquerunt animæ,
 corporibus annexæ puniuntur: quamobrem aduersus impios diluuiū immissum
 est, & Noe iustus in retributione fidei saluatur: contrà nanq; fieri oportuit, vt iusti
 scilicet citius à corpore soluerentur, improbi verò longiore tempore mole corpo-
 ris cruciarentur: sed iustus dominus morte puniuit impios, & longioribus huius vi-
 tæ spacijs iustum honorauit. Falsa igitur opinio, abijciendaq; penitus ex animis no-
 stris est. Ad hæc, quare saluator Lazarum, quem amabat, suscitauit, & liberatum
 à supplicijs amicū in supplicia reduxit: Sed suscitauit, honorans quem diligebat.
 Aduersus ergo veritatem dicuntur animæ ante corpora deliquisse. Adde, quod si
 ita esset, ratioale hoc animal homo, naturaq; hominis per peccatum producta vide-
 retur: sed per peccatum rursus ingressa in mundum mors est, quare repugnare si-
 bi ipsi peccatum videretur, quum priora posterioribus dissoluat. Satanas quoq; in se
 ipso diuisus esset, quomodo ergo statet regnū eius: Sed hæc falsa sunt, vera igitur,
 quæ eis opponuntur. Postremò, mortem à Deo Ecclesia negat productam. Inui-
 dia enim diaboli venisse in hunc mundum eam scriptura confirmat. Quod si ad pu-
 niendam animam corpus ei coniūgitur, quare diabolus inculpatur, qui morte suppli-
 cii animæ dissoluit: Quare aut saluatori gratias agimus, per resurrectionē rursus
 corpora nobis restituēt: Sed meritò & agimus & debemus gratias saluatori, q̄ nos
 à cor-

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

in corruptione, quam inuidia diaboli nobis intulit, suo sanguine liberavit. Non ergo instrumentum supplicij corpora sunt, nec animæ ante corpora, quando non fuerunt, peccare potuerunt.

Caput X.

T mundus per ipsum factus est. Per vnigenitum Dei, per lucem veram factum esse mundum, necessariò Euangelista significat. Nam etsi omnia per ipsum facta superius dixerit, tamen ne quis erroris locus relinquatur, creatorem rursus ipsum esse prædicat. Nam quoniam de luce dixit, quia in mundo erat, ne quis vnā de partibus mundi hanc lucem esse suspicari possit, sicut sol, luna & stellæ in mundo sunt, & mundi partes, veluti vnus corporis esse membra creduntur, necessariò totius mundi artificem hanc lucem esse confirmat: ita nos iterum ab vnigenito Dei factum esse mundum instruxit. Quis enim adeò rudis atq; agrestis est, qui non videat alium esse à mundo eum, per quem mundus factus est: aut quis hæc audiens, creatorem à creatura secundum naturam non separabit? Aliud enim natura est, quod facit & creat, aliud quod creatur: alioqui idem crearet & crearetur. Quod si ita est, nec est vlla secundum substantiæ rationem differentia, creatura profectò in creatoris naturam conscendet, & creator in creaturarum naturam descendet: nec solus creabit Deus, sed inerit etiam creaturis creatori vis, saltem potentia, si vllò modo Deo substantiæ ratione vniantur: ita creatura quoq; creator erit. Et nudis solummodo verbis creandi autoritatem ac dignitatem vnigenito Euangelista attribuit, dicens: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est: sed non nudis verbis id dixit, sciuit enim vnum esse natura omnium creatorem. Non est ergo, nec intelligi à pijs potest creatura & creator, idem natura: sed creatura quidem, naturæ suæ terminum non ignorans, seruituti se subiiciet. Regnabit autem super ipsam filius, qui solus vnā cum patre atque spiritu, quæ penitus nihil sunt, ea quasi entia potest vocare: & quod nihil prorsus est, ineffabili virtute ad esse producere. Verum, quoniam natura Deum nec creaturam esse filium Dei, latius in libro de Trinitate demonstrabimus, longiores modò non erimus. Illud tamen præmittendū non est, quia quum per filium factum esse mundum affirmet, ad patris nos facilè reducit memoriā. Quum enim, per quem, dicitur, ex quo etiam intelligitur: vniuersa enim ex patre per filium in sancto spiritu sunt.

Caput XI.

T mundus ipsum non cognouit. Sūma solertia, summaq; vigilia inanes hominum cogitationes præuenire atq; anteuertere conatur. Mirabilis nanq; est hic rerū sublimium ordo, & obiectionum euersio: lucem modò veram vocabat filium, à qua illuminari omnem hominem venientem in hunc mundum subiungebat: & ad hæc, quia etiam in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, adseribat. Facile igitur opponere quispiam posset, si verbum Dei lux est, si hæc lux corda hominum illuminat, ac pietatem videlicet, & rerum intelligentiam humano generi congruentem ingerit, si præter eā semper erat in mundo, & ipsa opifex mundi est, quomodo tam longis temporum spacijs ignorata est? Sequitur enim potius, quoniam ignorata est, nec ab ipsa mūdum illuminari, nec ipsam penitus lucem esse. Hoc ne quis obijcere possit, diuinitus intulit: Et mundus ipsum non cognouit. Non verbum Dei, ait, & æternam hanc lucem, sed imbecillitatem suam mundus accuset. Illuminat enim filius, repellit autem gratiam creatura, quæ intelligendi acumine, vt natura Deum cognosceret, sibi dato abusa est, & vt prodiga ad creaturas vim inspiciendi conuertit. Neglexit vltius currere, suffodit illuminationem ex desidia, & contempsit hanc gratiam, quod ne patiatur discipulus Pauli, vigilare diligenter monetur. Non ergo redundabit iure ad lucem, illumi-

IN EVANG. B. IOAN. LIBER I. 112.

A illuminatorum nequitia. Nam quemadmodum, quamuis vniuersis sol oritur, nihil tamen inde cæcus vtilitatis consequitur: nec propterea meritò quispiam splendore solis accusabit, sed non videndi culpam cæcitati attribuet: sic, vt arbitror, de vnigenito etiam intelligendum est. Lux enim vera ille profectò est, & splendorem suum ad omnes emittit: sed huius seculi Deus (vt ait Paulus) mentes infidelium hominū obcæcauit, ne illuminatio cognitionis Dei in ipsis fulgeat. Cæcitatē autem aduenisse homini dicimus, non quia penitus luce priuatus sit: conseruat em̄ natura semper intelligendi vim diuinitus sibi concessam: verum, quia peiore habitu homo hebetat, & ad peiora diuertens languescit quodammodo gratiæ mensuram. Quapropter quando huiusmodi subit hominem, Psalmista tunc iure illuminari orat, clamans ad Deum: Reueta oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Lex enim data est, vt per eam lux, quæ in nobis est, accendatur, lippitudine oculorū mentis deterfa, & depulsis tenebris, quæ prisca ignorantia nos occuparunt. Quasi ergo ingratus atq; insensatus his verbis mundus accusatur, qui suum autorem ignorauit, qui fructum illuminationis non probum ædidit: vt iam de omnibus verè dici posse videatur, quod de Iudæis prophetica voce prædicatur: Expectaui, vt faceret vnam, & fecit vepres. Probus enim illuminationis fructus vnigeniti fuit cognitio, quasi vna ex palmite fertili, humana mente dependens. Temeritas autem cum ad errorem multitudinis trahat deorum, quasi acuti vepres suborti, mentem hominis mortaliter vulnerant.

Caput XII.

B propria venit, & sui eum non receperunt. Explanatius modo Euangelista culpam ignorantie in mundum reijcit, qui ab vnigenito illuminatus vnigenitum ignorauit: & ab errore Iudæorum genitum etiam peccatum ostendit, & quasi ante oculos ignorantiam atq; duritiam mundi ponit. Miro autem modo in incarnationis orationem & expositionem huius mysterij, quod propter nos factum est, à summa illa Theologia descendit. Non enim mirum est, inquit, si mundus filium Dei non cognouit, quum à recta intelligendi via diuertit, nec se in honore factum meminerit: sed pecoribus (vt Psalmista dicebat) similem se fecerit, quum etiam ipse populus, quem sibi peculiarem Deus elegit, carne præsentem, & ad salutem omnium venientem recipere noluit, quamuis regnum eis cælorum pro fide retribuere. Animaduertendum autem est, quam turpissimè sermo contextus est. Mūdus enim nullo modo cognouisse accusatur, & venia quædam hinc sibi præparata, ad cognitionis eum gratiam adducere videtur. De Iudæis autem, quos vt populum peculiarem elegit, non receperunt, adiecit. Non enim omnino verè de ipsis ignorantia dici potest, quum lex primo prædicauerit, deinde propheta prædixerint. Iusto igitur & illi iudicio abscinduntur, & gentes veniam consequuntur. Mundus em̄, id est, gentes, nequitie incurfu à conjunctione Dei repulsus, illuminatorem penitus ignorauit. Illi autem legis cognitione locupletati, & ad placentem Deo vitam reuocati, proteruitate animi, cognitum iam in scriptura & in propria venientem filium Dei non receperunt. Proprius autem ac suus Dei est ratione creationis, vniuersus mundus: ex eo enim & per eum factus est. Sed multo congruentius proprius, atq; suus propter sanctorum patrum electionem, Israel appellatur. Atq; ideo primogenitus inter filios Dei vocatur, quem præcipue suum nominabat, ad Pharaonem tyrannum Aegypti verba faciens: Emitte nanq; inquit, populum meum. Quod Moses etiam confirmat, dicens: Quando diuidebat altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos gentium iuxta numeros angelorum Dei. Et facta est pars domini populus Iacob, funiculus hæreditatis eius Israel. Ad hos igitur tanquā ad suos venit, propterea dicit: Nō sum missus, nisi ad oues quæ perierant domus Israel: à quibus minimè receptus, ad gētes gratiā tran-

Ioannis 9
 stulit. Ita mundus quidem fide ac poenitudine illuminatur, qui verbum Dei prius ignorauit; ludæorum autem populus ad tenebras, vndeeducti fuerat, reuertitur, propterea etiam saluator dicebat: In iudicium ego in mundum hunc veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.

Caput XIII.



Votquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius. Aequo certè iudicio, Deoq; digno, primogenitus eijcitur Israel. Nō enim voluit in affinitate Dei permanere, non recepit filium Dei ad suauentem, nobilitatis largitor em reprobaui, autorem gratiæ repulit, quem gentes fide receperunt. Quare iure huius temeritatis colligit fructum, flebitq; detrimentum huiusmodi, quo ab adoptione filiorum Dei depellitur, fruuntur autem gentes bonis fidei, præmia obedientiæ non parua inuenient, ad locum illorum transplantabuntur, ab oleastro secundum naturam abscissi, & foecundæ naturæ oliuæ inserti. Et Israel audiet: Væ gens peccatrix, populus peccatorum plenus, semen prauum, iniqui filij, dereliquistis dominum, & sanctum Israel irritastis. Gentes autem longè aliter illud ab apostolis, aut eorum alio quo audient: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutem eius annuncietis, qui vos à tenebris ad lucem suam inuirtauit. Nam quoniam gentes filium per fidem receperunt, potestatem etiam accipiunt, vt filij Dei fiant. Accipiunt autem à filio, cui soli naturaliter hoc inest, atq; ideo potest in commune hoc proponere, in signum misericordiæ suæ atque charitatis. Non enim erat possibile aliter terrestris imaginem hominis, corruptionem scilicet, quam peccato induimus, effugere, nisi cœlestis hominis imago & pulchritudo eius, vocatione adoptionis nobis impressa esset. Participes enim ipsius facti per spiritum, & suo signati sigillo, ad similitudinem eius, & in primitiuam imaginis figuram conscendimus, ad quam fuisse creatos diuina scriptura testatur. Sic enim tandem præscam naturæ pulchritudinem recuperantes, & ad diuinam illam naturam reformati, ea mala superabimus, quæ maxima transgressionis vitio nobis acciderunt. Ascendamus igitur ad supernaturalem dignitatem per Christum: non tamen vt propriè, sicut ille, sed vt similitudine illius per gratiam filij Dei simus. Verus enim ille filius Dei patris est, nos verò misericordiâ eius adoptati per gratiam, audimus: Ego dixi, dii estis. Creatura autem quum serua sit, nutu solum & voluntate patris ad supernaturalia vocatur: filius autem & Deus & dominus, non solum, quia pater voluit, Deus filius ac dominus est, sed quum ab ipsa substantia patris effulserit, proprium eius bonum secundum naturam contraxit, quem verum esse filium comparatione quoque nostri cognoscimus. Alia enim naturæ ratio, alia adoptionis, & alia veri filij, alia adoptati, qui similitudine atq; imitatione filij, filius dicitur. Sumus autem nos filij Dei adoptione. Verè igitur ac naturaliter ille filius est, per quem nos in filiationem adoptati, filiationis vocabulo contra distinguimur. Filius enim, aut natura, vt ipse est, aut adoptione, vt nos, gratiæ bonum pro naturali dignitate consequuti.

Caput XIII.



Vi non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati. Qui fide Christi in adoptionem, inquit, filiorum vocati sunt, humilitatem naturæ suæ deposuerunt, & honorantis Christi gratia, quasi splendida induti purpura, ad supernaturalem dignitatem ascendunt: non enim carnis, sed Dei filij adoptione facti sunt. sed aduerte, quàm tutissimè loquitur. Quoniam enim ex Deo natos esse fideles dicturus erat, ne quis putaret, aut ipsos ex Dei patris substantia prodire, & incom-

A mutabiliter vnigenito similes fieri, aut similiter abusionis modo quodam de vnigenito illud dici: Ex vtero ante Luciferum genui te: & sic ad naturam creaturatum, filium Dei adiungeret, necessariò ista præmisit. Ita quum potestatem ipsis datam, ac serui naturam filio enodauerit, & adoptionem ac gratiam per potestatem hanc intellexerit, tutissimè postea intulit: Ex Deo nati sunt. Vt magnitudinem gratiæ ostendat, quæ alienos à Deo coniungit, & Dei filios facit, & seruis nobilitatem domini ex charitate largitur. Sed quid maius (dicit quispiam) Christi fideles, quàm Israel consequuti sunt: Ex Deo enim etiam ludæi nati esse dicuntur. Filios enim, inquit, enutriui & exaltraui, ipsi autem spreuerunt me. Primum illud patet, quia futurorum bonorum vmbra lex continebat, propterea non secundum veritatem, sed figuratè adscribebantur, vsq; ad gratiæ tempus, quo emersuri erant, qui decentius atque verius propter inhabitantem vnigeniti spiritum, Deum patrem appellarent: spiritum enim seruitutis in formidinem illi habuerunt, fideles autem, adoptionis filiorum spiritum in libertatem, in quo clamamus: Abba pater. Populus ergo hic, qui fide Christi adoptatus est, in illo quasi in vmbra depingebatur: quemadmodum circuncilio etiam, quæ in spiritu sit, in carne illorum signabatur, cæteraq; omnia (vt breuiter dicam) quæ in nobis expressa sunt, adumbrata in illis fuerunt. Deinde illud etiam addimus, vocatum in adoptionem Israellem quoque fuisse, mediatore Mose: propterea in ipsum (vt ait Paulus) in nebula & mari baptizabantur, & sic ad seruitutis legem à cultu idolorum reparabantur, ministerio angelorum mandata consequentes. Qui verò fide Christi à Deo adoptatur, non in creaturam aliquam, sed in ipsam Trinitatem Christo mediatore baptizantur, qui & humana sibi assumptione hominis coniungit, & patri natura coniunctus est. Et hoc modo natura seruiens in filiationem ascendit, participatione verè filij ad dignitatem naturalem eius vocata. Quas ob res filij Dei & appellamur & sumus, qui fide regenerationem spiritu factam suscepimus. De quo quidem spiritu sancto, quoniam nonnulli etiam ipsum creaturis connumerare audent, tum ad nostrum, tum ad legentium fructum, non alienum est modò pauca dicere. Si enim natura Deus spiritus non est, nec substantialiter Deo inest, sed in creaturarum numero collocatur: quomodo qui per eum regenerati sumus, ex Deo nati esse dicimur? Aut enim mentiri Euangelistam dicetis, aut si verax est, sicuti profectò est, Deus natura ex Deo spiritus sanctus est. Quo per fidem Christi participantes, diuinam participamus naturam, & filij Dei efficimur, & dii sumus: non solum quia gratia ad supernaturalem gloriam euolamus, verum etiam quia Deum inhabitantem possidemus, vt scriptum est: Viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Alioqui dicant quæso, quomodo templa Dei secundum Paulum sumus, quia habitantem in nobis spiritum habemus, nisi Deus natura spiritus sit: Nam si creatura est, quamobrem destruit nos Deus, tanquam templum Dei destruentes, quando corpus nostrum inquinamus, in quo spiritus habitat, qui naturales proprietates patris & filij omnes possidet. Quod ni ita esset, quomodo vera saluatoris esset oratio? Si quis diligit me (inquit) sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus. Et certè spiritus est, qui in nobis habitat, per quem simul patrem etiam ac filium habere credimus, vt hic ipse Ioannes in epistolis dicit: In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Quomodo autem verè spiritus Dei vocabitur, nisi ex ipso & in ipso natura sit? Quod si creatura est, quur cæteræ creaturæ spiritus Dei non appellantur? Plura dicere non grauaremur: sed quoniam in libro de Trinitate sufficienter (vt arbitror) hoc dictum est, breuiores nunc esse conuenit.

V ij Caput

Psal. 109
 Potestatem
 ipsis datam
 enodauit
 Euangelista,
 quum paulo ante
 dixit: Dedit
 eis potestatem
 filios Dei fieri.
 Enodauit item in
 Euangelio naturam serui
 filio da-
 tam, quum
 dixit: Et
 verbu caro factum
 est.

Macedoni-
 anorum
 cõsuetio.

Roman. 8

1. Cor. 3

Ioannis 14





ET verbum caro factum est. Sermonem incarnationis iam manifestè ingressus, hominem factum fuisse vnigenitum Dei filium, apertissime narrat. Quum enim dicat: Et verbum caro factum est, nihil aliud dicit, præterquam quòd filius Dei & Deus natura homo factus est, nec noui quicquam profertur, quum sæpe diuina scriptura solo carnis vocabulo, integrum (vt ita dicam) & totum hominem significet. Effundam (Ioel inquit) à spiritu meo super omnem carnem. Vbi nisi ex parte vna totum hominem intelligas, ridiculose inanimatæ carni spiritus dari videbitur. Quòd autem rectius ita quam aliter dicatur, ratio nobis reddenda est. Rationale igitur animal homo ex anima & mortali hac carne compositus est, sed à Deo ad esse productus, quoniam sua natura incorruptibilis atque perpetua esse non potuit (soli enim Deo substantialiter hoc inest) spiritu vitæ signatus, habitudine ad eum, immortalitatis bonum & super naturam suam consequutus est. Sufflauit enim, inquit, in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Verùm, quoniam propter transgressionem, terram se esse, & in terram reuersurum iure audiuit, gratia denudatus, spiraculum vitæ secundum carnem amisit, spiritum videlicet eius, qui dicitur Ego sum vita. Ita homo in mortem ex parte carnis solummodo incidit, immortalitate animæ conseruata. Ad solam enim carnem dictum fuit: Terra es, & in terram reuerteris. Quare oportuit, quod ex homine corrumpitur, coniunctione rursus naturalis vitæ ad immortalitatem reuocari. Non aliter enim hoc malum dissolui poterat, nisi vis illius dicti: Terra es & in terram reuerteris, assumptione ineffabili destrueretur, hominis carne mortali, à viuificante omnia verbo assumpta vt quum caro eius fieret, qui verè immortalis est, immortalitate illius participaret. Indecens enim omnino esset, si ignis quidem qualitatem suam coniunctæ sibi materiz immittere possit, ac eo modo in se materiam transmutare: verbum autem Dei proprium sibi, naturaleq; bonum, id est, vitam, coniunctæ sibi carni non posset infundere. Hac igitur maximè de causa scriptum esse ab Euangelista arbitrari & verbum caro factum est, quod ex parte maximè corrupta, & vnione verbi viuificata, totius reparationem significare voluerit. Sic enim facilius & magnitudo vulneris & remedijs vis conspicitur, sic ægrotans & medicus, sic quod lapsus in mortem est, & qui à morte in vitam suscitatur, sic quod corruptum est, & corruptionis expulsor, sic quod mors superauit, & qui mortem vicit, sic quod vita priuatum est, & qui vitam largitur, quasi oculis cernitur. Non dixit autem in carnem filium Dei venisse, sed carnem factum fuisse: ne quis habitudine, sicut in prophetas & in cæteros sanctos, venisse ipsum, sed verè carnem, id est, hominem factum esse arbitretur, propterea etiam Deus est secundum naturam in carne, & cum carne. Propriam enim illam sibi fecit, & tamen aliud præter ipsam intelligitur, & in ipsa, & cum ipsa (vt Esaias dicit) adoratur. Viri sublimes (inquit) ad te transibunt, & tui erunt serui, & post te sequentur vinciti manicis, te adorabunt, teq; deprecabuntur: quoniam tantum in te Deus est, & non est Deus præter te. Ecce Deum inquit esse in ipso, non dissепarans à Deo carnem, id est, hominem. Et rursus non esse alium Deum præter ipsum confirmat, coniungens verbo templum de virgine assumptum, vt eius proprium: vnus enim ex ambobus Christus est.



Habitauit in nobis. Apertius modò, quod dixerat, Euangelista exponit. Nam quoniam carnem esse factum verbum Dei significauit, ne quis ex imperitia in carnem, diuinam naturam penitus immutatam existimet, quod omnino impossibile est (procul enim abest ab omni mutatione substantia Dei) tutissime ilicò intulit: Et habitauit in nobis. Vt quum duo

A necessariò intelligas, habitantem scilicet, & in quo habitat: non putes in carnem diuinam naturam commutatam fuisse: habitasse autè magis in carne, & tēplo quod à sancta assumpsit virgine, vt proprio vsam fuisse. In ipso enim habitauit tota deitas plenitudo corporaliter, vt ait Paulus. In nobis verò habitasse confirmat, sublime quoddam reuelans mysterium. Sumus enim omnes in Christo, & communis humanæ naturæ persona in Christo reuixit. Propterea & Adā nominatur, quòd per naturæ nostræ communitatē gloria & immortalitate oēs ita locupletat: sicut contra, morte & vituperatione omnes Adā primus multauit. In omnibus igitur verbum per assumptionē vnus habitauit: & cum vnus filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis definiatur, ad vniuersum genus humanum hæc dignitas funditur. Et sic per vnū generis nostri, ad nos quoq; illud peruenit: Ego dixi, dñi estis, & filij excelsi omnes. Quare in Christo quidem seruiens natura nostra, verè liberata est, ad vnionem ascendēs mysticam eius, qui serui formam induit: in nobis autem propter affinitatem carnis, qua illi cōiungimur. Nulla em̄ alia de causa non angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehēdit. Vnde debuit per omnia fratibus assimilari, fratribus per omnia similis, & verè homo factus: ita vt in seruiens naturam descendens, ipse quidē nihil acquireret, & se ipsum nobis dono adferret: vt per paupertatē suam nos ditaret, qui similitudine illius ad præcipuū bonum suū conscendimus, dñi ac Dei filij per fidē constituti. Habitauit em̄ in nobis, qui natura est Dei filius, propterea in spiritu clamamus: Abba pater. Habitauit autē in nobis Dei verbū in templo vno, quod propter nos & de nobis sibi cōdidit, vt omnes in seipso habens, in vno corpore patri (vt Paulus ait) reconciliaret.

BT vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a patre, plenum gratiæ & veritatis. Quanquam verbū Dei carnem, id est, hominem factum esse adseruerit, conseruare tamen etiā sic integram deitatis dignitatem patris, non minus, quam antea, plenum bonis ostendit: firma enim atque immutabilis supernaturalis illa natura est, eodemq; modo semper se habens, proprijs semper dignitatibus æqualiter abundat. Quamuis ergo verbum caro factū sit, inquit, nec tamen infirmitate carnis superatum est, nec de prisca maiestate atque omnipotentia decidit, quoniam homo factum est. Vidimus enim (inquit) gloriam Christi à Deo sublimiorem creaturarum gloria: vt mentis quisque compos, nulli alijs, quam vnigenito Dei filio conuenire illā fateretur. Plenus enim erat veritate ac gratia. Nam si quis sanctorum multitudinem consideret, & singulorum mirifice gesta diligenter enumeret, nō negabit gloria illos Dei plenos fuisse. Gloriam tamen & gratiam filij longè absq; comparatione sublimiorē videbit: non em̄ mensura sibi datur vt cæteris, nec de foris accedit, sed vt in perfecto perfecta substantialiter inest, à patre naturaliter habita. Accedit, quòd sancti veluti vernæ in domo sunt, filius autem in domo sua versatur. Nam de vnigenito quidem scribitur: Benedictus qui venit in nomine domini. De sanctis verò Deus pater ait: Et misi ad vos seruos meos prophetas. Præterea, sancti non sua, sed superiore virtute signa operabantur. Christus verò vt virtutū omnium dominus: Si non facio, inquit, opera patris mei, nolite mihi credere: si autem facio, & si mihi non creditis, tamen operibus meis credite. Si tantæ igitur sunt vires vnigeniti, quantæ patris, vt operibus demonstratur, æquali cum patre glorificabitur gloria, qui æqualiter operatur. Quare quamuis homo factus sit, tanto tamen vocatis fratribus superior est, quanto Deus verè & naturaliter hominibus præstat, & quantum adoptione filios verè filius excedit. Sed si plena est, inquit, gloria eius gratiæ & veritatis, quò sapientia, ætate & gratia profecisse apud Lucam scribitur: aut quid accedere potest ad plenum, ultra quòd nihil est? Sed nō vt verbū & Deus profecisse intelligitur, verum quia magis eum

indies homines admirabatur, illorum potius de Iesu opinio, quam illius perfecta crescebat gratia; ut magis indies cognoscentes, magis illum procedere, ac gratia crescere arbitrarentur.

Caput XVIII.

Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens. More suo beatus Evangelista, quoniam gloriam verbi, ut unigeniti gloriam vidimus, dictum est, ac vni personae vidimus recte non accommodatur, tam nomine, quam pietate similem sibi Baptistam citat: nec solum attestari sibi Ioannem dixit, sed optime addidit, quia etiam clamat. Non enim ignorabat de ipso scriptum esse: Vox clamantis in deserto. Clamare autem ipsum adiecit, ne quis dicere posset: Quando Baptista unquam Christo testimonium perhibuit, aut quibus cum unquam de Christo collocutus est? Clamat igitur, inquit, id est, non in occulto, nec demissa, balbutienti, voce, sed tuba sonantius clamat. Quae non ipse solus audiui, ait, sed late per omnes sparsus est clamor eius. Praedicator enim splendidus fuit, non ignobilis, sed insignis & maximus.

Caput XIX.

Hic erat quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat. Quum nomine testem citauerit, & clamore illum ingenti ad ministerium praedicationis usum ostenderit, modum etiam ipsius testimonij nunc explanat. In hoc certe tota questio vertitur. Quid igitur clamabat: Qui post me venturus est, ante me factus est. Ait hic sermo tegitur, & diligenti nimium indiget consideratione, paratus tamen, tritusque sensus hic est: Praecessit saluatoris incarnationem Baptistae natiuitas: sex enim integris mensibus (ut ab Evangelio Lucae percipitur) Emmanuel posterior fuit. Id ergo significari hic putant: quia secundum aetatem, qui post me venit, ante me factus est. Sed si quis ad altiora mentem extollit, primum longe a proposito ad alienos sensus oratio trahitur. Testis enim Baptista citatus est, non ut natiuitatis tempore modo posteriori, modo priorem Christum affirmaret: verum ut ille, qui quo modo Evangelista, sic etiam ipse unigeniti a patre gloriam viderit, gratiae plenam ac veritatis. Nullo igitur pacto, spacio temporis oratio haec accommodari potest. Nam et si non negamus post Baptistam natum esse dominum secundum carnem, praecedentibus tamen hic sensus nequaquam (ut diximus) accommodatus, inconsequenter nimium dicitur. Deinde, quod posterius re aliqua tempore inuenitur, eandem praecessisse tempore non potest. Magis igitur nobis placet, ad rerum spiritualium conditionem, ab imagine ac similitudine rerum humanarum sermone capto, huius contextus sensum accommodare. Solet enim vulgo, qui praecedit, posterioribus gloriosior semper videri: sicut qui fabrilem quandam artem, aut quamvis aliam absolute tenuit, praecedit aut gloriosior eo est, qui adhuc discens, magistrum sequitur, & ad vltiora continue graditur. Qui tamen cum magistrum suum cognitione artificij viderit, non iniuria a superato poterit audire magistro: Qui post me venturus est, prior me factus est. Hac igitur imagine sensum huius orationis saluatori & Baptistae attribuens, recte mea quidem sententia intelliges. Mirabantur enim omnes Ioannem, multos ille vndique discipulos colligebat, magna turba hominum, qui baptizari ab eo volebant, quotidie confluebat. Christus vero illo praestantior ignorabatur, latebat verum ipsum Deum esse. Et quia ignorabatur, multo posterior ac minor quam Baptista videbatur. Maiorem enim honorem atque gloriam ab hominibus Baptista capiebat. Sed qui post venturus erat, prior factus est, maior atque praestantior indies reputatus. Ab operibus enim ipsis Deus esse reuelabatur, cum Ioannes hominis terminos non excedens, in posterioribus relictus sit. Aenigmaticè igitur beatus Baptista, qui post me

A me venturus est, inquit, prior me factus est: & qui honore me inferior erat, gloriosior factus est, & incomparabili praestantia idoneam mihi mensuram gloriae superat. Hic certe sensus non frustrane extra propositum sumitur, sed ad superiora congrue consequenterque dicitur. Testis enim unigeniti gloriae citatus, quia magna erat hominum de ipso opinio, cum maiorem se Christum esse testetur, quid aliud, quam praecipuam ei gloriam attestatur? Quumque prius factam esse dixerit, necessarium adiecit, quia prior me erat, priscam & vetustissimam ei attribuens gloriam, quia prior omnibus non tempore, sed natura ut Deus est. Prior enim, inquit, me erat, hoc est, semper me superior, semper gloriosior erat: hanc autem comparisonem ad vnam creaturam, id est, ad Ioannem factam, ad omnem creaturam factam intellige. Nam unigeniti gloriam, non Ioannis solum, sed omnium simpliciter gloriae praestantior em putamus.

Caput XX.

Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. Approbare his verbis verum esse Ioannis testimonium Evangelista videtur. Clare namque demonstrat, non Baptistam solum, sed omni creatura substantialiter superiorem, tam gloria, de qua modo sermo est, quam aliorum bonorum numero. Rectissime, inquit, de unigenito a Ioanne dictum est: quia prior me erat, id est, multo sublimior atque gloriosior. Nam & omnes nos, qui sanctorum locum possidemus, proprijs ipsius bonis locupletati sumus, et natura humana illius bonis magis, quam suis gaudet. De plenitudine namque filij quasi iugifonte, gratiarum donum scaturiens, in singulas animas, quae dignae sunt, defluit. Si ergo quasi a naturali plenitudine filius dona largitur, creatura vero est, cui largitur, quomodo non dissimilem alijs gloriam possidebit: eam videlicet, quae unigenitum Dei filium decet, qui naturae propriae fructum habet omnem dignitatem atque praestantiam, quam pater habere intelligitur. Hac de re sapientissimum quoque Paulum commotum, ad creaturam dixisse arbitror: Quid enim habes, quod non accepisti? Non enim esse solum, sed etiam bene esse, & sic aut sic esse, a Deo creaturis conceditur, quae quum nihil a seipsis habeant, sola liberalitate largientis ditantur. Illud etiam non praetermittendum, quia plenum, id est, perfectum in omnibus filium esse affirmas, tantum abesse, ne cuius rei egeat, ostendit: ut omnibus unquam ipse deficiens abunde largiatur, & tamen plenitudinem suam eandem atque immutatam semper conseruet.

Caput XXI.

Et gratiam pro gratia: quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Quoniam gloria omnium hominum praestantior em esse filij gloriam dixit, nunc comparatione illorum, qui magnitudine sanctitatis caeteros homines vicerunt, id demonstratione proposuit. Nam de Ioanne quidem ipse saluator ait: Amen amen dico vobis, non surrexit in natis mulierum maior Ioanne Baptista. Sed hunc ipsum ita magnam atque sublimem clamorem introduxit: Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat. Ioanne igitur Christo cedente, necesse est neminem sanctorum ad mensuram eius gloriae Christi posse ascendere, quae splendore operum conspicitur. Sed sancti quidem, qui aduentus temporibus fuerunt, quoniam virtuti Ioannis cedunt, nec ad virtutem illius peruenire possunt, vna cum eo palmam saluatori concedunt. Siquidem eorum omnium excellentissimus Ioannes, non aliorum voce, sed praedicatione sua Christum, ut solum verum sanctum praeposuit. Necessarium igitur, ut vetustis etiam sanctis longe maior Emmanuel videretur, Moysi meminisse, ad quem a Deo dictum est: Noui te praeter omnes, & gratiam inuenisti apud me. Notiore autem Deo praeter caeteros fuisse, hinc scire possumus. Si quis propheta fuerit inter vos, dicit dominus, in visione apparebo ei, & per somnium loquar ad illum. At non talis sicut seruus

meus Moses, qui in tota domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei, et palam, non per ænigmata & figuras dominum videt. Cum igitur Moses antiquioribus sanctis multo præcellerit, superiorem eo vnigenitum idcirco ostendit, ut omnium primus videatur: & gratiam, inquit, pro gratia, quia lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Huiusmodi namque est mea sententia, quod dicitur. Verum, inquit, certè Ioannis de vnigenito testimonium est, cū dicat: Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me est: ex plenitudine enim ipsius nos omnes accipimus. Nec ullus putet Ioanni quidem & cæteris sanctis, qui tempore aduentus fuerunt, Christum excellere, antiquiorum autem gloria superari, cū videre possit multo Christo inferiorem esse Mosen, qui priscis omnibus sanctitate præcelluit, qui cognitus à Deo præ cæteris fuit. Sed Ioannes quidem voce sua seipsum postposuit, ac ita nihil in hac re ambiguitatis reliquit. Vnde autem minorem esse Mosen Christo dicemus: Examines, inquit, diligenter, & conferas Evangelicam per saluatorem nobis datam gratiam legali gratiæ, quam nobis contulisse Moses videtur. Nam quum lex per Mosen data sit, gratia verò & veritas per Iesum Christum facta sit: quanta doctrina Christi legali præstat disciplinæ, quanto legalibus mandatis gratia & veritas Christi, tanto excellentiorem esse Christum, quam Mosen confiteri necesse est. Quantum autem interest inter legem & gratiam Christi, quamuis alterius propositi sit, pauca tamen ex multis dicenda sunt: credimus enim infinita penè dici posse. Primum igitur lex, quod mundum damnauit (concluserit enim Deus per ipsam omnia sub peccato, ut Paulus ait) supplicio nos iure subiectos monstrabat, liberauit verò saluatorem: non enim venit, ut iudicaret mundum, sed ut saluaret. Deinde, quamuis etiam lex gratiam daret, in cognitionem Dei veri à cultu idolorum reuocans, & bonum à malo discernere docens, non tamè id perfectè, sed pædagogicè ac inutiliter faciebat: vnigeniti verò veritas atque gratia, non figuris neque vmbri, sed apertè atque liquidè bona nobis largitur, doctrinamque sua ad perfectam cognitionem fidei ducit. Præterea, lex seruitutis spiritum ad formidinem dabat, Christus verò spiritum adoptionis in libertatem. Lex circumcisionem carnis, quæ nihil est (ut Paulus ait) introduxit. Dominus circumcisionem spiritus atque cordis per fidem. Lex aqua inquinatos baptizat: saluator in spiritu sancto & igne. Lex in tabernaculum ducebat, quod verarum rerum erat figura: saluator in ipsum cælum adduxit nos, & in tabernaculum verum, quod non homo, sed dominus condidit. Nō est opus plura modò coaceruare, sed illud opportunè dicere, quia beatus Paulus legem cum gratia saluatoris conferens, paucissimis hanc quæstionem dissoluit. Nam si ministerio damnationis gloria, inquit, multo magis ministerium iustitiæ gloria superabundabit. Ministerium enim damnationis, mandata legis appellauit: iustitiæ verò ministerium, gratiam saluatoris nuncupat, cui superabundantiam gratiæ attribuit, rectè de natura rerum, ut homo diuinus iudicans. Si ergo lex cōdemnans per Mosen data est, gratia verò iustificans per vnigenitum facta, quomodo non gloriosior contulit? Veraciter igitur Psalmista in spiritu, fulgentissimæ sanctorum multitudini Christum præesse clamat, dicens: Quis in nubibus æquabitur domino, aut quis similis erit domino in filiis Dei: Nubes enim intellectuales prophetæ sunt, qui omnes Christo cedunt, nullo modo ipsi ex æquari contententes: quum non ignorent Mosen, qui præter cæteros à Deo cognitus fuerat, primas ei partes concessisse: filij autem Dei, qui aduentus tempore rutilarunt, non erunt omnino similes filio, nec hoc sibi attribuent, sed mensuram suam non ignorabunt, audientes Baptistam (de quo dictum est: non surrexit maior in natis mulierum) dicentem, quod posterior Christo sit. Veraciter igitur Evangelista gloriam Christi vidisse ait, quasi gloriam vnigeniti à patre, huiusmodi scilicet, qualem vnigenito Dei patris filio, non Ihs, qui ad fraternitatem eius vocati sunt (quorum est primogenitus) conuenire omnes faterentur.

Quod

A Quod solus secundum naturam filius ex patre unigenitus est, sicut ex ipso et in ipso. Cap. XXII.

Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Animaduerte rursus diuini Evangelistæ diuinum acumen. Non ignorauit nonnullos dicturos: Gloriam vnigeniti à patre nobis enarras, nec quicquam magnum atque sublime adfers: sed quasi aliter videri gloria sua non posset, quoniam præstantior Ioanne atque Mose fuit viris singularissimis (non enim negamus) quasi vnigeniti à patre gloriam eius appellasti. At non ita beatus Esaias: Vidi enim, inquit, dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & plena domus à maiestate eius: & Seraphin stabant circa ipsum, sex alæ vni, & sex alæ alteri, & velabant duabus faciem, duabus pedes, & duabus volabant, & exclamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus sanctus sanctus dominus sabaoth, plena est omnis terra gloria eius. Ezechiel autem: Ecce, inquit, vox facta est super firmamentum, quod erat super caput eorum, & super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum: quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni, & super similitudinē throni similitudo quasi aspectus hominis desuper: & vidi quasi speciem electri à lumbis eius desuper, & à lumbis eius vsque ad deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu, velut aspectum arcus, quum fuerit in nube in die pluiæ: hic erat aspectus splendoris per gyrum. Hæc visio similitudinis gloriæ domini. Quum talia igitur impietate atque imperitiâ victuros aliquos non ignoraret, necessariò conatus eorum multo ante repressit, dicens: Deum nemo vidit vnquam. Ipse namque, inquit, vnigenitus Deus, qui in Dei patris sinu est, hoc nobis enarrauit. Ille ad Mosen clarè dixit: quia nemo videbit faciem suam, & viuet. Ille quoque discipulos docuit: quia patrem nemo vidit, nisi qui ex patre est. Soli enim con-

B substantiali filio pater visibilis est, & nulli præter eum alij: visionem autem in his Deo conuenientem semper intelligas, non tamen prophetarum oratio falsa est, cū clamant visum à se fuisse dominum sabaoth. Non enim ipsum, quod natura Dei substantialiter est, vidisse cōtendunt: sed apertè quomodo viderunt, exponunt, hæc dicentes est visio similitudinis gloriæ domini. A rebus ergo corporeis ænigmaticè, quasi figura diuinæ gloriæ formabatur: quæ similitudo quasi depicta in tabula, symbolicè diuinæ gloriæ præstantiam, ultra mentem & orationem hominis esse ostendebat. Optimè igitur sublimis Evangelista, quum se vidisse gloriam eius quasi vnigeniti à patre gloriam affirmauerit, à præstantia, qua omnes Christus superauit, verè se dicere confirmat. Nam quemadmodum per creaturarum pulchritudinem, creatoris virtutem conspiciamus, quum cæli absque voce gloriam Dei enarrant, & opera manuum eius annunciet firmamentum: sic ab operibus præstantior in gloria vnigenitus cæteris demonstratur. Sed aciem oculorum hominis, tanquam Deus effugiens, quia omnem superat creaturam, idcirco increatus, id est, Deus esse et intelligitur & glorificatur. Hic sensus propositi textus meo iudicio est. Sed animaduertendū rursus, quia vnigenitū filiū appellauit, & in sinu patris esse affirmauit, ut ab omni creatura eū dissepararet, et ex patre propriam substantiam habere, & in patre esse ostenderet. Si enim verè Deus est vnigenitus, quomodo non erit alius natura, quam illi, qui gratia & adoptione dii atque filij sunt? Si enim vnigenitus est, non inter fratres esse intelligitur, sed solus ex patre. Nam quoniam secundum Paulum, quamuis multi appellentur in cælo & in terra dii, vnigenitus tamen Deus separatus ab alijs fratribus est, qui per gratiam dii sunt: nobis autem, inquit, vnus Deus pater est, ex quo omnia, & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia. Quum enim vnum sit secundum naturam Deus ac pater, non erit extra naturam Dei verbum, quod ex eo & in eo, quodque genitoris naturalibus bonis præfulgens, ad æqualem dignitatem substantialiter conscendit, quum sit Deus secundum naturam.

Esaiæ 6

Ezech. 1

Exod. 33

Ioannis 6

Sapient. 13

Psal. 18

1. Corin. 8

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

Psal. 109 **Miche. 3** **Roma. 14** **Cauilla- 110.** **Lucæ 16** **Ioannis 3** **Cōfutio** **Ioannis 3** **Psalm. 124** **Exodi 4** **Ibidem.** **Lucæ 16** **Genesis 17**

suram. Propter eam & in sinu patris esse ipsum adserit, ut etiã hinc intelligas in ipso & ex ipso, & ut in Psalmis scribitur: Ex utero ante Luciferum genui te. Nam quem admodum hic, ut ex eo proprie significaret, à similitudine hominum ex utero posuit: ex ventre namque prodeunt, qui à nobis generantur. Sic cum in patris sinu dicat, in patris certè utero intellexit, à quo ineffabili generatione, Deumque decente nascitur filius. Quasi corpus decisum est à genitore genimen suum, sed filius in patre est, & patrem in seipso habet: propria enim bona substantiæ patris, naturaliter in filium defluentia, in ipso esse patrem ostendunt. Habet autem rursus pater in seipso filium, i. identitate incommutabili substantiæ firmatum, atque (ut ita dicam) radicatum, & ex eo germinantem non decisione vlla nec diuisione, sed ita ut & insit, & simul sit. Sic enim patre in sinu patris filium esse intelligemus, non ut nonnulli Deo repugnantes, & recta omnia (ut Propheta dicit) peruertentes, simpliciores fratres, pro quibus Christus mortuus est, seducere conantur. Non enim rectè, inquiunt, quoniam in sinu patris filius esse dicitur, ex patre & in patre rectè ipsum esse intelligitis, & à substantia eius, ut eiusdem naturæ genitum prædicatis. An non audistis (inquiunt) de diuinitate atque Lazaro quid Christus dicat: Lazarum enim post mortem in sinu Abraham delatum fuisse dicit: nec quoniam in sinu Abraham Lazarus postea fuit, idcirco ex ipso & in ipso naturaliter est: sed vocabulo, sinus, scriptura (inquiunt) charitatem intelligit. In sinu ergo patris filius est, i. in dilectione atque amore, ut ipse dicit: pater diligit filium. Sed dicant, quæso, si dilectionem atque amorem sinus apud scripturas significat, an quia Deus iuxta saluatoris vocem mundum dilexit, aut quia dominus diligit portas Sion, securè dicere possumus, & mundum, & portas Sion in sinu Dei patris esse: Cum præterea immittere Mosi manum in sinum suum iubebat, diligere manum suam iubebat, an potius in sinu suo eam cælare? Ridiculosi profectò erimus ita dicentes. Imò verò etiam in patre ipsum impiè faciemus, si vniuersa (cuius enim diligit) in sinu eius esse opinantes, quod filio suo attribuitur, creaturis quoque concedemus, ut nihil maius nec dignius aliquid, quam creature filius possideat. Quare his omissis, quando in sinu patris filius esse dicitur, nihil aliud, quam ex ipso & in ipso filium esse intelligemus. Quod omnibus apertissimum erit, qui Evangelistæ verba diligentius considerant. Vnigenitus enim (inquit) Deus, qui est in sinu patris. Deum et vnigenitum primò dixit, deinde illic adiecit, qui est in sinu patris: ut filius ex patre naturaliter atque substantiãlter intelligatur, sinum pro substantia per similitudinẽ corporum, quæ rebus intelligibilibus manifestiora sunt, posuit. Capiuntur enim plerumque rerum sublimium imagines à corporibus, quibus etiã historicè, ut exposita sunt, multa intelligantur, quale illud Mosi est: quod manum suam in sinum emisit. Quod verò de Lazaro dicunt, non modò nobis non refragatur, verum etiam suffragatur. Nam hac vita defunctus Lazarus, in sinum Abraham fuit deductus, id est, cum Abraham filijs collocatus est: patrem enim multarum gentium Deus ipsum constituit.

Caput XXIII.

Ex primo loco Ioannes Baptista: secundo vero Ioannes Euangelista.

T hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & Leuitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, & non negauit: & confessus est, quia non sum ego Christus. Expressius modò Euangelista quasi res agatur, modum testimonij Ioannis ponit, quod interrogatus dixit. Quum enim (inquit) Iudæorum secundum leges præfecti, Leuitas & sacerdotes interrogatum miserunt, quæ seipse diceret, tunc palam veritatem confessus est, dicens: Quia ego non sum Christus. Quare nec ego, inquit, quum de ipso scripserim, non fuisse illum lucem, sed ut testimonium de luce perhiberet, mentitus sum.

Caput XXIII.

Et in

IN EVANG. B. IOAN. LIBER I. 117.

A **T** interrogauerunt eum: Quid ergo? Helias es tu? & dixit: Non sum. Propheta es tu? & respondit: Non. Dixerunt ergo ei: Quis es? ut responsum demus ijs, qui miserunt nos. Quid dicis de teipso? ait: Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam domini, sicut dicit Esaias propheta. Minutim singula narrat Euangelista, ut & confessionis modus præ oculis ponatur, & imperitia Iudæorum denudetur, qui sapientes se esse dicentes, infatuati sunt: legis enim exquisitam cognitionem ostentamus, & prophetarum sensum tenere credentes, his interrogationibus imperitiam suam detegunt. Moses namque ille, quasi prophetam dominum significans venturum, Iudæis præ dicebat, quia prophetam vobis de medio fratrum vestrorum similem mei dominus Deus suscitabit, ipsum audietis. Esaias autem præcursores nobis significans: Vox (inquit) clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas Dei nostri. Tertius accedit Malachias, qui de Thesbite ait, quod conuertet cor patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, ne fortè veniam & percutiam terram. Quum igitur tres sint, qui expectabantur, plures illi venturos putantes, verè audient: erratis, nescientes scripturas. Quum enim an Christus esset, quæsiuissent, responsumque sibi esset, quia ipse non erat Christus: quid ergo inquiunt, Helias es tu? Illo autem negante, reliquum iam erat, ut de præcursores quærerent. Sed imperitè ad ipsum Christum rursus deuoluti, malè Mosen intelligentes, interrogant: Propheta es tu? quod propter præiacentem articulum, ad vnicum prophetam, & prophetarum omnium dominum pertinet, quem se non esse Baptista iterum affirmavit. Dixerunt ergo ei: Quis es? ut responsum demus ijs, qui miserunt nos, quid dicis de teipso? ait: Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam domini, sicut dicit Esaias propheta, tanquam ignaros scripturarum acriter arguit, autoritate prophetica ministerium sibi commissum exponens. Venio enim (inquit) diciturus, in ianuis ipsum iam esse, qui expectatur, ut parati sitis proficisci quocumque iubebit: ambulastis hæcenus in via Mosi, modò viam Christi suscipite, quam propheta omnes vobis prædixerunt. Esaias enim hortatur vos, dicens: Venite, ascendamus in montem domini, & in domum Dei Iacob, & annuntiabit nobis viam suam, & ambulabimus in ipsa, et rursus: Erunt ibi via munda, & via sancta vocabitur: non erit ibi leo, nec praua illuc ascendet bestia: & qui dissipati sunt, ambulabunt in ea. Et rursus: Principium dabo Sion, & hortabor Hierusalem ad viam. Hieremias quoque similiter: State (inquit) in via, & quærite semitas domini sempiternas, & videte, quæ sit via bona, & ambulate in ipsa, et inuenietis purificationem animarum vestrarum. Quænam igitur est via bona, quæ ambulantes in ipsa purificat: ipse Christus clamat: Ego sum via.

Caput XXV.

B **T** qui missi fuerant, erant ex Phariseis, Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Helias, nec propheta? Vide quanta in Baptistam vtuntur temeritate: cur enim (aiunt) baptizas, si non es Christus, nec Helias, nec propheta ille? Non enim putant dignum in eorum numero ipsum haberi, qui expectabatur, sed ex insita eis arrogantia, quàmuis audierint: Ego vox clamantis in deserto, parate viam domini: parum tamen attendentes, & Baptistæ dignitatem negligentes, aperte increpant, dicentes: Quid ergo baptizas? Quæ tantam rem, quum dignus non sis, aggredi ausus es? Consueuerant enim semper ex proteruitate Pharisei præsentibus nimium contemnere, & venturum simulato afficere honore, & ut ipsi magni apud Iudæos essent, & diuitias ingentes sibi accumularent, neminem præter se honorari patiebantur. Propter eam ipsum quoque interfecerunt hæredem, dicentes: Venite, occidamus eum, & retinebimus hæreditatem eius.

Ca-

Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus, ut solvā eius corrigiam calciamenti. Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans. Nullas cōtumeliæ vices beatus Baptista reddidit, sed benignè valde propter salutem eorum responderet, ac inuitos docet, in ianuis iam, imò verò etiam intra ianuas esse Christum. Ego enim, inquit, præparando, aqua inquinatos peccatis lauo ad initium pœnitentiæ, & hoc pacto ab his minoribus ad sublimiora vos præparabo. Ad hoc eam missus sum, & hoc tã re baptizans, q̄ verbis facio, prædicans præparare viam domini. Maiorum autem rerum, & summæ perfectionis largitor, medius vestrum stetit, quem adhuc, quia carne indutus est, non cognouistis: qui tantum me superat, ut dignus ipse non sim, quasi seruus ad filium domini comparari. Hoc enim, ut arbitror, significat non esse dignum, qui corrigiam calciamenti eius soluat: ita & veritatem dicit, & exemplo sui Pharisæos ab arrogantia in humilitatem traducere conatur. Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans. Diligentia suæ, magnitudinisq; rerum hoc signum est. Solent enim certè homines loca etiam singula, ubi res magnæ gestæ aut expositæ sunt, memoriæ diligentius commendare.

Primi Libri FINIS.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

Commentariorum in Euangelium diui Ioannis Theologi Lib. II.

Caput I.



Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Breui admodum tempore propheta simul & apostolus, Baptista effectus est. Quem enim venturum prædicabat, hunc iam monstrat præsentem: propterea prophetarum mēsuram excessit, ut saluator de ipso ad Iudæos dicebat: Quid exiistis in desertū videre: prophetam, etiam dico vobis plusquàm prophetam. Nā prophetæ venturum Christum prædixerunt, hic verò venturum prædicans, præsentem quoq; monstravit. Altera enim die, inquit, vidit Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Non ait iam, præparate viam eius, ut prius: sed quum præfens oculis cerneretur, propter quem præparatio faciunda erat, non illo modo prædicandum, sed apertius explanandum erat, quis iste præfens esset, & quamobrem à cœlo ad nos descēderit. Ecce igitur, inquit, agnus Dei, ille scilicet, de quo Esaias dicebat: Tanquam ovis ad occisionē ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutuit. Quem vniuersa Mosis lex figuris significabat, qui temporibus legis non ita, neq; ad omnes misericordiam suam diffudit: figuris enim & vmbri lex inuoluta est. At nunc, qui ænigmatice prædicabatur integerrimus agnus, immaculata hostiā, ut peccata omnium pellat, ut hostem orbis euertat, ut mortuus mortem destruat, ut maledictionem hominibus datam dissoluat, ne ilud, terra es, & in terram reuerteris, humanum semper subigat genus, sponte ad occisionē ducitur. Secundus hic Adam est, nō à terra, sed à cœlo, oim honorū initiator, um,

Aum, & ipsius exitium interitus, æternæ vitæ largitor, causa reformationis, qua reformamur ad Deum, pietatis & iustitiæ fundamentum, ad regnum cœlorum via. Vnus enim pro omnibus agnus occiditur, ut omne genus hominum Deo patri offerat: vnus pro omnibus, ut omnes lucrifaciat, ut omnes non vltius sibi ipsis, sed Christo (qui pro omnibus mortuus est, & pro omnibus resurrexit) viuant. Nā quoniam in peccato eramus, atq; idcirco morti atq; interitui debebamur, filium suum pater in redemptionem pro nobis dedit, vnum pro omnibus: quoniam & omnes sunt in ipso, & omnibus ipse melior est: vnus pro omnibus moritur, ut omnes in ipso viuamus. Quum enim pro omnibus occisum agnum mors inforbuerit, retinere non potuit, sed in ipso, & cum ipso cæteros omnes euomuit. Nā si omnes sumus in Christo, qui mortuus est, & resurrexit pro nobis peccato destructo: quomodo etiam mors, quæ fructus peccati est, non destruetur? & radice iam euulsa, quomodo rami germinabūt? Aut quānam de causa mortis vltius debebimur, peccato destructo, quod mortis causa fuit: quare in occisione agni Dei magna exultantes voce solenniter clamamus: Vbi iam est victoria tua o mors? Vbi stimulus tuus inferne? Omnis enim iniquitas (ut Psalmista canebat) os suum obstruxit, cum non possit amplius debilitata peccatores accusare: Deus enim est, qui nos iustificat, Christus redemit nos ex maledictione legis, ipse maledictio factus pro nobis, ut maledictionem peccati nos fugiamus.

Caput II.

Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, qui prior me erat, & ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. In memoriā reducit Baptista, quæ dixerat, & gloriæ Christi vltro & sponte cedit: nec ex charitate magis, quàm ex veritate, etiam necessitate id facit. Subjicitur enim, etiam si nolit, creatura creatori, seruus domino, largitori quod donatur. Quomodo autem post Ioannem Christus veniebat, qui prior erat Ioanne, satis in superioribus dictum est. Ego ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea ego veni baptizans in aqua. Qui dominum in vtero virginis cognoscens exultabat, qui ante partum prophetauit, qui à matris ventre discipulus fuit, nescire saluatorem fatetur, nec illo modo mētitur. Omnia enim à seipso absq; alicuius doctrina Deus solūmodo scit: creatura verò omnis non à se, sed ab alterius discit doctrina, & spiritus in sanctis hominibus habitans, replet quod natura non potest, & bonum suum humanæ naturæ largitur: & ita illuminata, futura & occulta cognoscit mysteria. Quum igitur nesciuisse dominum dicat, secundum humani generis & creaturæ mensuram verissimè dicit, valde autem vtiliter: quāuis nescire saluatorem adferuerit, idcirco tamē venisse fatetur, ut Iudaico populo manifestet, nescilicet sponte ad testimoniū præcurrere videatur, qui non voluntatis suæ, sed diuinæ dispensationis ac voluntatis minister fuit. Quæ sibi animo reuelauit, à quo peccata mundi tollentur. Facilius ergo credere Iudæi testimonio eius debebant, quæ intelligebant à se quidē nesciuisse saluatorem, sed Deo reuelante cognouisse. Poterant etiā dignitate ac magnitudine serui, quantus esset dominus, conijcere. Apertè namq; cū ut ipsum in Israel manifestet venisse fateatur: apertè, inquā, seruū se, illum verò dominū esse ostēdit.

Quod non participatione, nec de foris ut in sanctos, spiritus in filium influat: sed substantialiter, & secundum naturam in ipso est. Cap. III.

Testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi spiritū descendentem, quasi columbam de cœlo, & manentem super eum, & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mi-

hi dixit: Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est, qui baptizat in spiritu sancto. Quoniam eum nesciuisse in superioribus dixerat, idcirco nunc latius diuinū illud denudat mysterium. Nam & modum, quo didicit, quod ignorauerat, & docentem Deū patrem ostendit: ita varijs multisq; vjs auditorum animum ad veritatem inducit. Cum enim à Deo patre didicisse se mysterium ait, refragari Deo vniuersos ostendit, qui magno consilio patris se opposcentes, paruam prædicationi suæ fidem adhibeant. Ita manifestè ac comòdè ad suscipiendum saluatorem omnibus persuadere conatur: præsertim cum spiritu etiam se vidisse testetur in columbæ signo descendisse, & mansisse in Christo. Ad hæc, se ipsum audisse affirmat ab eo, à quo missus ad baptizandū in aqua fuit, illum esse, qui spiritu baptizat, in què descendet, & in quo manebit spiritus sanctus. Dignus certè fide testis hic est, nouū atq; inauditum signū, & his, qui hæc dixit atq; ostendit Baptista, pater & Deus omnium est. Sed hæc quidē hæc tunc. In-
sultabit aut forsan iterum atq; iterū contentionis cupida turba hæreticorū, atq; illud dēs dicet: Nihil nos habere, nisi cauillari velimus, quò hinc refugere possimus. Ecce nanq; (inquit) spiritus ad filium descendit, ecce vngitur à Deo patre filius: quod nō habet videlicet accipiens, Psalmista etiā attestante, dicentēq; ad filium: Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Quò ergo perfecto patri non perfectus filius, ac ideo perunctus, consubstantialis esse poterit: Ad huiusmodi homines, qui veritatem Christiani dogmatis, & scripturarum sensus peruertunt, opportunè illud dicere possumus: Expergiscimini ebrii è vino vestro, vt fulgentissimam veritatis lucem videntes, nobiscum ad filium clament: Verè filius Dei tu es. Si enim credis Deum esse ipsum natura, quomodo imperfectus erit: aut quomodo hæc impietas in ipsum etiam patrem non perueniet: Vnde nanque pater perfectionem habebit, si filius imperfectus est: aut quomodo ad imminutionem filij, qui secundum vos imperfectus est, pater etiam ipse non depelletur, si semel diuina substantia imperfectionem in filio susceperit: Non enim (vt arbitror) audebitis in diuersas rationes substantiæ diuinam immortalemq; naturam ita incidere, vt in altero perfecta, in altero imperfecta esse videatur: præsertim quum videatis humanæ naturæ rationem vnā ac eandem in omnibus esse: nec minus aliquid aut maius hominem homine, in quantum homo est, possidere: nec angelus ab angelo ea ratione, qua vterq; angelus est, qua videlicet ad vnā speciem atq; naturam omnes concluduntur, differre vnquam poterit. Quomodo igitur natura deitatis, quæ super hæc omnia incomparabiliter est, minora bona possidebit quàm creatura: Quomodo inæqualitatē eam suscipiet natura incorruptibilis, cuius corruptibilia susceptiua non sunt: Quomodo simplex, atq; incompressa erit, si perfectum atq; imperfectum in ea inest: Dissimilia enim hæc sunt, ex quibus eam cōstare falsò arbitramini. Si enim similia essent, nec inter se differrent perfectum atque imperfectum, omne perfectum imperfectum esset, & contrā. Quare nec filius imperfectior patre, nec pater perfectior filio, quàm utis ita verbis à vobis dicatur. Sin verò permultum inter est inter perfectum & imperfectum, & vtriusq; deitatis natura susceptiua est, non simplex, sed composita erit. Sed dicet fortassis quispiā, non simul in eodem esse posse subiecto, quæ contraria sunt: sed seorsum, ac per successionem, vt in corpore color modò albus, modò niger. Probè tu quidem è amico, ac citò conuersus, pro nobis pugasti. Nam si vna deitatis natura est, nec altera præter eam excogitari potest, quomodo contrariorum est susceptiua: vel quomodo vni eidemq; subiecto, quæ inter se cōtraria sunt, simul accident: Pater enim natura Deus est, & filius similiter natura Deus. Nulla ergo differentia perfecti & imperfecti inter patrem & filium est, qui ex perfectissima substantia patris emanauit. An non est necesse perfectum esse genimen perfectissimi genitoris: quod & incommutabilis

Cauilla-
tio hæreti-
corum.

Psal. 44
Cauilli cō-
futatio.

Ioelis 1
March. 14

Cauilla-
tio.

Solutio.

lis imago, & character suæ hypostaseos est: ita prorsus omnes assensuros esse arbitror. Quomodo enim aliter perfecti patris character, incommutabilis filius erit, si natura perfectus non est: vt quidam temerè dicunt. Nam quoniam character atq; imago est, nō aliter certè atq; ille perfectus est, cuius imago est. Sed Ioannes vidit de cœlo ad filium spiritum descendere, inquit. Quare pater de foris filium sanctificauit, in quem quali non habentem sanctificator spiritus descendit. Aduertis, quā manifestè filium Dei, creaturam esse prædicas, vix magni aliquid ei attribuens, cū similiter atq; ceteræ creaturæ perfici, atq; sanctificari honorum largitione forinsecus ipsum arbitreris. Et quomodo nō falsus erit Euangelista, dicēs à plenitudine ipsius nos omnes accepisse: Quomodo enim suapte natura plenus erit, si ab alio accipit: Aut quomodo Deus verè pater erit, si vnigenitus creatura est, & nō filius: Verbo nanq; solummodo, non re ipsa pater: & similiter vnigenitus vocabulo tantummodo filius, non verè filius erit. Si autem Deus verè pater est, habebit similiter eū, cuius est filius, à seipso naturaliter natum. Præterea, quomodo pater secundum naturam sanctus, sanctitate nudum filium generabit, & genimen ædet à naturalibus suis bonis alienum: Nam si forinsecus sanctificationem acquirit, vt illi nugantur, vel nolentes fateri necesse est, non semper sanctum fuisse, sed tunc sanctificatum, quando spiritus (vt ait Ioānes) ad ipsum descendit. Quomodo igitur etiā ante incarnationem, Seraphin ordine à primo, sanctus tertio dicentes, vt sanctum eū glorificabant: Si ergo sanctus & ante incarnationem erat, imò verò si semper est sanctus, sicut & pater, quò in nouissimis seculis homo factus, sanctificante indignus: Sed non possum non mirari, quur illud, quum studiosissimi esse videantur, eos latuit. Nam necesse est, si non inest substantialiter filio sanctificatio, sed extrinsecus ei aduenit, vt rationali cuidam creaturæ, quòd possit etiam aliquando à seipso eam excutere: qui aut sanctificationē à seipso excussit, eiectiq; is profectò peccati vinculo pressus ad peiora iam ruit, non conseruans, neq; retinens in se illud, quod superiore peccato eum faciebat. Nō erit ergo immutabilis filius, Psalmista quoq; mentietur, clamans ad ipsum: Tu autem idem ipse es. Ad hæc, illud etiam superioribus simile non præmittam, quod participatur, aliud esse à participante secundū naturam, omnes ratione inducti fatebuntur. Aliter enim idem erit participās et participatū, quod intellectu impossibile est: quomodo enim aliquid seipso participabit: si igitur participans & participatum diuersa natura sunt, considerent qui participatione spiritum filio inesse cōtendunt, in quā magnam impietatem lapsi non sentiunt. Nam si ipsius spiritus particeps filius est, est autem spiritus natura sanctus, non erit sanctus natura filius, sed ex alterius participatione ad meliora ex peioribus per gratiam reformatus. Qua ex re multa sequentur absurda. Primum enim (vt diximus) mutationis erit susceptiuus, imò verò iam mutatus (profecit enim in melius, vt vos dicitis) nō modò minor patre non est, sed quodāmodo etiam maior est factus. Scribit enim Paulus de ipso: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominū factus, & habitu inuentus vt homo, humiliavit seipsum, factus obediens. Quoniam ergo ante incarnationem, in forma & in æqualitate patris erat constitutus: in carnatus autem, suscepto de cœlo spiritu, sanctificatus secundum vos est, melior iā atq; maior seipso videbitur: quare patre q; q; cui prius erat æqualis, maior effectus est. Quod si ita est, & suscepto spiritu patrem excessit, spiritus etiā, per quem filius hoc consequutus est, maior patre atq; melior erit. Hæc auditu etiam horribilia, periculūq; plena ipse iudico: sed non possumus aliter detrimendum, quod per impietatem illorum Ecclesia patitur, depellere. Quare prosequendum nobis esse censeo, si homo factus vnigenitus Dei filius, tunc demum à spiritu sanctificatur, quasi ante incarnationem sanctus non esset: erat autem in æqualitate & forma patris secundum

Cauilla-
tio.
Dissolutio

Ioannis 1

Esaiæ 6

Psal. 109

Philipp. 2

dum illos; sequitur Deum patrem natura sanctum non esse, si quidem conformis
 æqualisq; sibi filius, sanctus non erat. Quod si fortasse quis dicat, quomodo nō san-
 ctificatur à spiritu, & quomodo non participat, cum inquit Propheta: *Vnxit te*
 Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis: meminere secundum formā
 serui, qua patre maior est, & à patre, & à spiritu sancto, & à seipso, qui verbum &
 filius est, esse sanctificatum, sicut ipse dicit: Pro eis ego sanctifico me ipsum. Simili
 modo & fatebuntur participantē: sed de hoc ipso non est quæstio, sed de verbo &
 filio simpliciter. Deinde si verbum Dei suscepto spiritu natura sanctificatur, di-
 cant quæso, utrū maius aut minus seipso factum est, an in eodē statu omnino per-
 mansit: Nā si nihil à spiritu sibi ablatum est, sed permansit idē quod fuit, non tur-
 beris, cum in ipsum descendisse spiritum audias. Sin verò minus factū est, tunc &
 verbū Dei falsibile ac mutabile dicere necesse erit, & substantia spiritus tanquam
 iniqua necessariò accusabitur, quæ suscepta non parvā filio iniuriam intulit. Si autē
 melius suscepto spiritu factum est, erat autē in æqualitate ac forma patris, anteq̄ in
 altiora (vt vos dicitis) ascenderit: non erit suprema gloria patris, qui eam mensurā
 sui conseruet, in qua prius filius etiam erat. Opportunè igitur super istos clamare
 possumus: Ecce populus excors ac fatuus, oculi sunt ipsis & non vident: excæcauit
 enim profectò huius seculi Deus, infidelium mentes, ne illuminatio Euāgelij glo-
 riæ Christi eis illuceat. Quibus ego, quoniam non sentiant quæ dicunt, condolen-
 dum potius q̄ irascendū esse iudico. Rectè autē me iudicare quamuis à superiori-
 bus iam appareat, tamen ex eo potissimū erit cōspicuum, quod à Paulo scriptū pau-
 lō antè proposuimus: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cum in for-
 ma Dei esset, nō rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed semetipsum exi-
 naniuit, formam serui accipiens, in similitudinē hominū factus, & habitu inuētus
 vt homo, humiliavit seipsum. Vide q̄ vehementer gloriam filij admiratur, sicut
 æqualis natura, non rapina Deo patri, atq; conformis. Is causa hominum, forma ser-
 ui adsumpta humiliatus, exinaniuit seipsum, inquit, propter carnē. Si ergo adsum-
 pto spū posteaq̄ homo factus est, melior efficitur sanctificatus: quō seipsum exina-
 niuit, humiliavitq; qui maior seipso factus est: Quæ porrò est exinanitio ista, qua
 plenus spiritu factus est: Quō propter nos humiliatus dicitur, qui tam multū fa-
 ctus homo sibi profecit: Quō pauper propter nos, qui homine adsumpto locuple-
 tatus est: Aut quō ante incarnationem consequutus est bonum: Obstupuit cœlū,
 vt scribitur, obstupuit & horruit valde, dicit dominus. Duo enim magna & praua
 hæreticorum populus cōmisit. Nam nec quæ dicat intelligit, nec de quibus dicat
 perpendit, & de maximis rebus tanquam de ludicris dicere, parui existimat. Nam
 si magnū inde imminere periculū putarent, largo lachrymarū effuso flumine, ma-
 gna nobiscum voce clamarent: Pone dñe custodiam ori meo, & ostium circumstā-
 tiæ labijs meis, nō declines cor meum in verba malitiæ. Pravi enim atq; iniqui ser-
 mones sunt, qui ab eis inconsideratius prolati, summo audientes detrimento affi-
 ciunt. Sed nose eorum nugas à cordibus nostris exterminantes, rectam fidei ratio-
 nem sequemur, illius scripturæ loci memores: Cōsilia destruentes, & omnem alti-
 tudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes om-
 nem intellectum ad obsequiū Christi. Age igitur omne intellectū propositi the-
 orematis in captiuitatē gloriæ vnigeniti redigentes, sic eum subiiciamus in omnia
 prudenter ipsi, vt homini attribuamus: qui cum sit diues, pauper propter nos fa-
 ctus est, vt sua nos paupertate ditaret: quod patientioribus postulatis auribus ex-
 ponere latius nō grauabimur. Ad imaginē & similitudinē veri Dei factus homo
 à Mose dicitur, qui primos nobis scripturæ libros spiritu cōposuit. Ab eodē etiam
 didicimus spiritu ad diuinā imaginē sigillatū hominem fuisse. Et sufflauit in faci-
 em, inquit, eius spiraculum vitæ. Simul enim & vitā creaturæ spiritus immisit, &
 charactèrem suum, vt Deum decet, impressit, & sic rationale ab artifice Deo ani-
 mal

A malconstitutum, mandatum ad salutem accepit, & fuit in paradiso, quousq; grati-
 am creatoris spiritu sancto inhabitante seruauit. Sed postea, quàm diabolica frau-
 de seductus, Dei præcepta contempsit, & spreto mandato gratiam perdidit, terrā
 se esse, & in terram reuerfurum audiuit. Et similitudo Dei, ad quam creatus erat,
 non ita expressum charactèrem suum propter peccatum seruauit: sed obrenebri-
 tum quodammodo et imbecillum retinuit: multiplicato deinde humano genere,
 peccatum quoq; ad eum creuit, & sic miseros animos opprimebat, vt gratia Dei ho-
 mines denudati, quum spiritus penitus ab eis deuolauerit, quasi rationis omnino
 expertes, ipsum etiam creatorem ignorarent. Misericordia igitur motus creator,
 ad priscam imaginem per spiritum reuocare naturam humanam voluit. Nec enim
 poterat aliter diuinam impressionem, quàm per spiritum homo recuperare. Quo
 modo autem id factum est, & quomodo firmam in nobis gratiam suam inseruit,
 aut quomodo radices in nobis spiritus egit natura nostra reformata, modò dicen-
 dum. Nā quoniam primus Adam libertate sua non bonū, vt debuit, sed malū, vt
 diximus, elegit: atq; ideo morti addictus spiritū sanctum amiserat, qui malignos,
 vt scribitur, fugit: nec habitat in corpore peccatis subiecto, de cœlo nobis secun-
 dum Adam misericordia Dei misit. Misit enim immutabilem natura filium suū,
 & procul ab omni peccato remotum, ad carnem nostram assumendam, vt quem-
 admodum præuaricatione primi Adæ, maledictioni subiecti fuimus: sic obedi-
 tia virtuteq; secundi, & maledictionem fugiamus, & quæ ab ea sequuta sunt, detri-
 menta non timeamus. Homo igitur verè Dei filius factus, vt vnus hominum spi-
 ritum à patre consequitur: non quia ipse indigeret, qui largitor ipsius spiritus est,
 verum vt tanquam homo acceptum spiritum nobis conseruet, vtq; radices in no-
 bis gratia, quam amissimus, faciat per eum, qui peccatum penitus ignorauit. Hac de
 causa (vt arbitror) vidisse ait spiritū Baptista descēdisse de cœlo, & mansisse in ipso.
 Spiritus enim, qui à nobis propter peccatum deuolauit, quum nullum peccatum
 in eo inuenerit, mansit in ipso. Nobis igitur in seipso spiritum accepit, & prisca no-
 bis renouat bona: hoc pacto pauper etiam factus esse propter nos dicitur. Nā cum
 sit Deus, nullius indigens rei, homo factus est omnium egenus, de quo rectè scri-
 bitur: Quid autem habes, quod non accepisti? Quemadmodum igitur, quàmuis
 secundum naturā vita sit, mortuus tamen vt homo propter nos est, vt deuicta mor-
 te totam secum nostram suscitaret naturam: omnes enim sumus in eo, in quātum
 homo est: sic & spiritum propter nos recipit, vt totam naturam sanctificet. Non em̄
 propter seipsum homo factus est, sed vt cœlestium bonorum via nobis & ianua fi-
 at. Nisi enim tanquam homo spiritum accipere visus esset, nisi etiam vt homo pas-
 sus esset, quomodo quispiam humiliatum esse posset ostendere: aut quomodo na-
 tura serui rectè recuperari posset, nisi etiam aliqua de ipso, quasi de seruo verè scri-
 berentur: Nemo ergo sapientissimam dispensationis rationem irrideat, quam di-
 uinus ille Paulus admiratus clamabat: Vt innotescat principibus & potestatibus in
 cœlestibus, per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem se-
 culorum, quam fecit in Christo Iesu domino nostro. Sapientia enim certè Deo cō-
 gruens, incarnationis sublime mysterium est. Hoc modo, vt arbitror, descendisse
 in Christū spiritus piè credendus est. Nunq̄ enim ad tantam temeritatē descende-
 mus, vt participatione in filio spiritū esse credamus, quē cōfitemur substantialiter
 (quemadmodū certè ipse etiam patri) filio inesse. Sic enim legimus apud scripu-
 ras filij esse spiritum, quemadmodum etiam patris. Quum venissent, inquit, in My-
 siam, tentabant ire in Bythiniam, & non dimisit eos spiritus Iesu. Si verò quispiam
 participatione in filio spiritum esse adhuc contendere audeat, aut nunc primum in
 ipso aduenisse, quando à Ioanne fuit baptizatus: consideret quæso rursus, quàm
 multa eum sequantur impia. Primum enim videmus Ioannem, quo maior inter na-
 tos mulierum non surrexit, qui ad virtutis ipsum peruenit apicem, Christo quasi
 Math. 11
 X iij Deo

Psal. 44
Ioanni: 17Hierem. 5
2. Corin. 4

Phil. 2

Hierem. 2

Psal. 140

1. Cor. 10

2. Corin. 8
Genesis 1

Genesis 3

Genesis 3

Sapient. 1

1. Corin. 8
1. Corin. 4

Ephesi. 3

Astor. 16

Math. 11

Ioannis 1 Deo accedere. Non enim, inquit, sum dignus, ut corrigiam calciamenti sui solvam, **Luc 1**
Quo igitur impium non est, cum Ioannes ab utero matris spiritu sancto repletus fuerit (sic enim de ipso scriptum est) Ioannis atque omnium dominum credere tunc **primum** spiritum accepisse, quando baptizabatur: At certe ad sanctam virginem **Ibidem.** Gabriel dixit: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Attende quæso, quod altum hic sermo continet sensum. Nam quum de Ioanne scribatur, quia spiritu sancto repletus (dono enim & de foris, non substantialiter insitum habuit Ioannes spiritum) de saluatore probè admodum, non repletus, scriptum est: sed quia quod nascetur ex te sanctum. Nec fore addidit, quoniam semper, ut natura Deus, sanctus est, sed vocabitur. Verum quoniam vndique conferentia colligenda sunt, age, proposita quoque angeli verba consideremus. Spiritus, inquit, sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Dicant, quæso, Ecclesie aduersarij, utrum verbum Dei ante incarnationem filius Dei erat, aut falso vocabulo, quasi adulterinus adorabatur: Nam si filium fuisse negabunt, patrem quoque fuisse negabunt. Cuius enim erat pater, si filius non erat: patrem autem atque filium fuisse, omnis scriptura clamitat. Sin verò etiam ante incarnationem filium fuisse fatentur, quomodo angelus, quod à virgine nasciturum erat, filium Dei vocatum iri annunciat, cum id ab æterno naturaliter esset: Quemadmodum igitur, quis æternaliter cum patre filius sit, tamen quasi principio temporis ab incarnatione capto, filius Dei vocatur, quoniam tunc in mundo ut homo cum hominibus conuersatus est: sic quis substantialiter proprium in seipso spiritum habeat, accipere tamen ut homo scribitur, idoneam homini dignitatem conseruans, & naturæ nostræ proprietates propter nos sibi attribuens. Quomodo autem absque proprio spiritu verbum intelligi potest: an non esset absurdum, si quis eum ab homine spiritum, qui est in ipso, separaret, rationem tamen naturæ, & integrum animum conseruari putaret: ita prorsus arbitror. Quomodo igitur à filio spiritum separabimus, qui sic innatus ei est, ita substantialiter coniunctus, & per eum prodiens, in ipso ita naturaliter est, ut propter identitatem naturæ aliud esse præter ipsum intelligi nequeat: **Ioannis 14** Si diligitis me (saluator ad discipulos ait) mandata mea seruate, & ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, spiritum veritatis, quem mundus non potest capere. Ecce apertissime spiritum veritatis, spiritum sanctum appellauit. Non est autem alia veritas præter filium. Ego sum, inquit, veritas, quam quidem ad veritatem vide quantam identitatem habeat spiritus. Scribit enim in epistolis hic ipse **Ioannis 14** Ioannes de saluatore: Hic est qui venit per aquam, & sanguinem, & spiritum, Iesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua & sanguine: & spiritus est qui testatur, quia Christus veritas est. Propterea cum in interiore homine spiritus habitauerit, ipse Christus habitare dicitur. Et certe ita res se naturaliter habet, quod apertissime Paulus docuit: Vos, inquit, non estis in carne, sed spiritu, si quidem spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Si verò Christus in vobis, corpus quidem mortuum propter peccatum, spiritus autem vita propter iustitiam. Si verò Christus in vobis, statim subiecit, ut identitatem filij ad spiritum, qui proprius eius est, cuique ex eo secundum naturam profunditur, ostenderet. Idcirco & spiritus adoptionis dicitur, in quo clamamus: Abba pater. Et ut in **1. Ioann. 5** epistola Ioannes scribit: Ex hoc cognoscimus, quia in nobis est, quia de spiritu suo dedit nobis. Sufficere ista puto ad repellenda hæreticorum iacula. Si quis autem à filio dediscere impietatem non vult, sed tunc primum acceptum à filio spiritum sanctum contendit, quando incarnatus fuit: ostendat nobis à scripturis, non fuisse prius factum Dei filium, & tacebimus. Mirari autem oportet, quod tam diligenter ubique diuinæ naturæ congrua consequenter Euangelista conseruet. Nam quum in superioribus Deum nemini visum adseruerit, & nunc spiritum à Baptista visum **confer-**

A confirmet, non fuit oblitus confestim adijcere, non natura sua, sed in mitissimi animi malis specie visum fuisse: ita etiam ex hoc rursus naturaliter filio coniungi videtur. Discite namque, ait, à me, quia mitis sum & humilis corde. Non ergo decidit à natura Dei spiritus, qui ut immutabilis, nunquam visus est, præterquam signo & figura columbæ propter discētis vtilitatem: loco enim signi hoc sibi datum, vltro Baptista fatetur, cum testificans dixerit: Qui me misit in aqua baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, hic est, qui baptizat in spiritu sancto. Vnde & temeraria hæreticorum opinio explodenda est, qui quod loco signi factum est, ad veritatem rerum traducunt, quamuis etiam per dispensationem ad vtilitatem generis nostri sic factum sit, ut superius diximus.

Caput III.

FGO vidi & testimonium perhibui, quia est filius Dei. Verum est testimonium grauissimi testis, qui non ignorans scriptum esse: quæ oculi tui viderunt, illa dicit: quod vidit, id loquitur. Vide enim, inquit, datum mihi signum, & intellexi ipsum esse, qui significabatur, testimoniumque perhibeo, quia hic est filius Dei, qui legis Mosaicæ figuris describitur, qui prophetarum scriptis prædicatur: filius autem Dei tutissime adiectione articuli dicitur, ut ille solus secundum naturam, omnium genitoris bonorum hæres ostenderetur: ad quem etiam nos per adoptionem confirmamur, ad huiusmodi dignitatem per gratiam eius inuitati. Quemadmodum enim omnis in cælo & in terra paternitas ex patre est, quoniam ipse propriè, primum ac verè solus pater est: sic omnis quoque filiatio ex filio est, quoniam ipse propriè, primum ac verè solus filius est, non adulterinus, neque falsò ita vocatus, sed ex ipsa substantia Dei patris: non per decisionem, aut fluxum, aut partitionem, cum natura deitatis nullam penitus passionem, nullam immutationem recipiat, sed ut ex vno vnus, qui semper simul est cum genitore, coæternus sibi & insitus. In ipso enim est, & ex ipso prodit indiuisibiliter & inseparabiliter. Non enim corpus deitatis natura est, nec loco circumscribitur, nec per locorum spacia transgreditur: sed quemadmodum insita igni caliditas, ita ex eo prodit & in eo est, ut quamuis aliud esse videatur, non tamè separetur ab eo, sed tota in toto igne seruetur: sic de filio Dei ad sublimiora similitudine coapta intelligentes, subsistere quidem in propria hypostasi eum credemus, sed nec extra vnā, ineffabilemque deitatem collocabimus, nec alterius quam pater sit substantiæ confitebimur. Aliter enim non erit iure verèque filius, & recens nobis Deus comperiet, si aliud quid præter vnū, & solum Deū esse ipsum putabimus. Nam si patri Deo consubstantialis non est, quomodo à vera Dei appellatione non decideret? Sed cum habeamus Baptistam testem grauissimū, qui testimonium perhibet, quia hic est filius Dei, non ambigemus Deum verū, & ex substantia patris filium prædicare. Nihil enim aliud præter hoc veræ filiationis nomen significare potest.

Caput V.

ALtera die iterum stabat Ioannes, et ex discipulis eius duo, & respiciens Iesum ambulante dicit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ostendit iam pridem eum, & filium Dei verè ac propriè adiectione articuli appellauit: nunc quoque iterum discipulis suis ipsum monstrat, & agnum Dei nominans, eum esse affirmat, qui tollit peccata mundi, ad memoriam eos illius prophetici reuocans: Ego sum, ego inquam sum, qui deleo iniquitates tuas. Ita eadem sæpius de saluatore prædicans, optimi doctoris officio fungitur. Opus enim certè docentis est, quod adhuc non rectè intellexerunt auditores, diligenter repetere. Propterea beatus quoque Paulus scribit: Eadem vobis dicere, tum mihi molestum non est, dum vobis tutum.

T audierunt eum duo discipuli loquentem, & sequuti sunt eum. Vides quàm citò à doctrina Baptistæ fructus sequutus est; vides quàm magnum auditoribus emolumentum iteratio sermonis attulit. Discat igitur ex istis, cui docendi opus creditum est, non laudari silentium in pastore, nec talentum domini, sicut infœcundæ terræ, taciturnitati commendandum; sed numularijs esse dispartendum, vt inde cum fœnore saluator illud exigat, quasi fertile semen in terra fœcunda viuificans. Horum omnium confirmationem, Baptistæ didicisti exemplo: quem non piguit iterum atque iterum ostendere dominum, qui hac iteratione doctrinæ tantum discipulis suis contulit, vt quibusdam iam persuaserit. Sequuti enim duo discipuli eius ilicò dominum sunt.

C onuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid queritis? Conuersus opportunè ad sequentes eum dominus, & vt re ipsa verum esse discas, quod canimus: Quæsiui dominum, & exaudiuit me. Donec enim nec fide recta, nec probis moribus dominum quærimus, post eum quodammodo esse comperimur: quum verò diuina eius mandata scientes, præcipuam iustitiæ viam scrutamur, statim conuersus visitat clamans: Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Interrogauit autem quid quæreret: non quia ignoraret, qui vniuersa nouit, vt Deus, sed vt colloquendi principium interrogatio fieret.

Q ui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum magister) vbi habitas? Doctè ad interrogata respondentes, primò magistrum eum appellauerunt, à quo discere cupiebant; deinde, vbi habitet, rogant, quasi opportunius domi reliqua dicturi. Non enim vbique res grandes oportere dicere arbitrabantur: quod factum suum quasi perutile nobis in exemplo semper propositum sit.

D ICIT eis: Venite & videte. Non docuit vbi habitaret, quamuis hoc ipsum ab eo peteretur, sed ilicò illò ire ipsos hortatur. Primum vt doceret, nullam esse in quærendis bonis moram laudandam, quum utilitatis retardatio detrimentum adferat semper; deinde, vt ostenderet non sufficere, si quis vbi Christi domus, id est, Ecclesia fundata sit, didicerit, sed si per fidem in eam venerit, & quæ mysticè in ipsa peraguntur, feruenti animo viderit.

V enerunt & viderunt, vbi maneret, & manserunt apud eum die illo: hora autem erat quasi decima. Diuinorum discipuli mysteriorum cognitionem congruè nimium docebantur. Non enim conuenit, vt citò satiati, à diuina doctrina recedamus: sed per totum vitæ tempus integrum habere feruorem oportet. Id enim designari arbitror, quãdo dicitur: quia manserunt apud eum die illo. Horam autè dicit quasi decimam fuisse, vt nos moneret, non incipientibus seculis, sed post magnam iam eorum progressum, saluatoris nostri mysterium factum fuisse. In nouissimis enim diebus (vt scriptum est) dociles Dei omnes effecti sumus. Et ad hæc, decima hora diuertisse & mansisse apud Deum illos ait: vt discant,

A discant, qui Christo per fidem adhærent, nec peccato, nec incredulitate ab eo alienari oportere.

R at autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierunt a Ioanne, & sequuti sunt eum. Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus, & adduxit eum ad Iesum. Quum accepissent discipuli Ioannis talentum, statim multiplicatum illud domino reddunt. Huiusmodi certe attentus, docilisq; animus est, vt non longa egeat oratione, nec post multos annos aut menses fructum doctrinæ pariat, sed simul quum audiuerit, & sibi profuit, & alijs utilis esse conatur. Sipienti enim da causam, inquit, & erit sapientior: doce iustum, & proficiet. Fratrem igitur Petrum Andreas breuiter, atq; in summa tantæ re significata seruauit: inuenimus enim, inquit, Messiam: vt recòditum in agro thesaurum, vel maximam gemmam precij, iuxta ipsius Euangelij parabolas.

I nuenit autem eum Iesus, dicit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Respicit, vt Deum decet, qui corda & renes scrutatur: videtq; qui nihil ignorat, ad quantam & fidem, & virtutem discipulus peruenturus sit, & antea quàm aliquid de eo quæsiuisset, tam ipsum, quàm patrem eius nomine appellat, & hac re discipulum instruit, eum se esse, qui cuncta, etiam antequàm fiant, nouit: nec Simo fore iam nomen sibi, sed Petrus prædicitur vocabulo ipso commode significans, quod in eo, tanquam in petra lapideq; firmissimo, suam esset ædificaturus Ecclesiam.

I nuenit autem voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum, & dicit ei: Sequere me. Erat autem Philippus a Bethsaida ciuitate Andreæ ac Petri. Probi (vt superiores) Philippus etiam fuerat animi, & valde ad sequendum Christum propensus: cuius futuram fidem atque virtutem non ignorans, vnico verbo illum vocauit, quo quidem verbo, quanta in eo fuit gratia, significatur: vita enim profectò illius probatur, qui ad sequendum Christum iubetur. Non enim elegisset eum, nisi probus fuisset.

I nuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit Moses in lege & prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth. Velociter nimium, vt superiorum affinis, Philippus etiam fructum reddidit. Nathanael enim non casu reperit, sed multo quæsitum studio inuenit. Studiosissimum enim scripturarum virum, diligentissimumq; cognouerat, atq; ideo illum tanquam legis & omnis prophetiæ peritum alloquitur, dicens inuenisse iam se Christum, qui ab omni scriptura venturus prædicatur. Erat autem opinio de saluatore nostro apud Iudæos, quod Nazarenus esset, quamuis scriptura ipsum Bethleemitam appellet, dicens: Et tu Bethleem domus Euphrata, nequam minima es in principibus Iudæ: ex te enim exiit dux, qui reget populum meum Israel, & egressus eius de diebus æternitatis. In Nazareth enim nutritum fuisse scriptura testatur. Et venerunt, inquit Euangelista, in Nazareth, vbi nutritus fuit. Vulgarem igitur opinionem Philippus est sequutus: inuenimus, inquit, eum, qui scripturis prænunciatus expectabatur, filium Ioseph a Nazareth.

Dicit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse. Non potest facile sentire Nathanael magnum quid atque præcipuum esse, quod à Nazareth ortum habeat. Id legis & totius prophetiæ perito fidem non faciebat, quum (vt diximus) non à Nazareth, sed à Bethlehem venturum prophetæ Christum prædixerunt. Si videris solummodo, dicit, si sermonem cum eo conferas, facillimè mihi assenties, ipsum procul dubio esse, qui expectatur. Credere autem nos oportet ineffabilem quandam gratiam in sermone ac verbis Christi fuisse, quibus auditorum anima magna iucunditate allicerentur. Scribitur enim, quia omnes admirabantur de verbis gratiæ, quæ exhibant de ore eius. Nam quemadmodum ad facienda signa, diuina verbis suis inerat virtus, sic etiam ad persuadendum magnas vires habebat.

Lucæ 4

Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, & ait: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Antequam signorum miraculo ad fidem homines traheret, alio quodam modo, nec minus mirabili, natura se Deum esse ostendit, qui humana forma propter salutem hominum uenerit. Quis uero ille modus fuit? occultarum rerum cognitio, quæ soli Deo attribuitur. Non ergo adulatiunculis Nathanaeli blanditur, sed ea, quorum ille conscius erat, exponens, corda se hominum (quod solius Dei est) cognoscere confirmat.

Dicit ei Nathanael: Vnde me nosti? Miratur Nathanael, & ad fidem motus discere quærit, vnde ipsum Christus nouerat. Studio enim, piusque animus exactam exquisitamque rerum doctrinam desiderat. Suspiciatus autem forsitan fuerat, à Philippo ista domino prænarrata fuisse.

Respondit Iesus & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, quum esses sub ficu, noui te. Omnem eius suspicionem saluator excussit, quum antequam de se cum illo Philippus colloqueretur, sub ficu ipsum uidisse adserat, quamuis corpore longè abesset. Vtiliter autem valde per ficum certius ipse locus describitur, vt qui conscius sibi fuerat grauis apud seipsum testis veritatis, ad firmiorem iam fidem inuiteretur.

Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es filius Dei: tu es rex Israel. Nouerat probè Nathanael, soli Deo corda hominum patere, ac illud Psalmistæ infixum animo tenebat: Scrutans corda & renes Deus. Nulli nanque alij, sed diuinæ solummodo naturæ hoc Propheta attribuit. Id quum inesse domino perspexisset, & magistrum, & filium Dei, & regem Israel profitetur.

Psal. 7

Respondit Iesus & dixit ei: Quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis: maius his videbis. Feruentior ad fidem futurus es, inquit, quum maiora his videris. Nam si vno signo inductus ad fidem es, quomodo non eris melior, quando mirabiliora conspicias?

Caput

Et dixit eis: Amen amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis. Aspice Nathanaelis fide posita, ad omnes communiter vertit sermonem: angelos autem sursum atque deorsum ad filium hominis venturos annunciat, mandatis videlicet suis ad salutem credentium ministrantes, quando maxime filius Dei esse (nam merito) credetur. Non enim alterutris, sed Deo virtutes cælorum seruiunt. Nam etsi alij alijs ordine quodam subijciuntur, non est tamen huiusmodi subiectio seruitus. De filio autem Dei scribitur: quia uenerunt angeli et ministrabant ei.

Math. 4

Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem Iesus & discipuli eius ad nuptias, & deficiente uino, dixit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Opportunè iam ad signorum initium accedit. Nam honestè celebratis nuptijs, tam mater, quam ipse cum discipulis inuitatus adest, miraculi potius, quod acturus erat, quam conuiuij gratia profectus: & ad hæc, vt natiuitatis nostræ principium, quantum ad carnem attinet, sanctificaret. Oportebat certè, quoniam totam naturam hominis ad melius restaurabat, non solum natis iam hominibus benedicere, verum etiam nascituris gratiam præparare, & aditum illorum ad hanc vitam autoritate miraculi & præsentia sua sanctum efficere. Præterea, in doloribus parere filios, ad mulierem propter peccatum dictum fuit. Quomodo igitur aliter hæc depellenda maledictio erat, ne condemnata nuptiarum sanctimonia uideretur, quam saluatoris præsentia: qui quum sit verum gaudium, priscum nuptiarum mœrorem præsentia sui depulit. Noua enim omnis creatura in Christo est: præterieruntque vetera, vt Paulus ait, & omnia facta sunt noua. Discipuli quoque adfuerunt, vt miraculo fidem suam confirmarent. Vino autem deficiente, mater eius, quæ vniuersa illi possibilia esse non ignorabat, hortatur, vt solita sua bonitate atque misericordia ueretur. Vinum enim, ait, non habent.

Caput Ioannis secundum.

Genesis 9

2. Corint. 5

Dixit ei Iesus: Quid mihi & tibi mulier? nondum uenit hora mea. Non à se, neque non rogatus, ad actionem miraculorum dominus solet peruenire: necessitati enim atque vsui hominum gratiam suam præbere solet, quamuis gratiora etiam sunt, quæ petuntur, si aliquantulum differuntur. Ad hæc, quantus honor parentibus debeatur, facile ostendit, quum statim ad actum propter matrem accedat: quem quantum in eo erat, parumper distulisset.

Dicit mater eius ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydræ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas aut ternas. Magnam certè auctoritatem dignitatemque deferri sibi à domino mater non ignorabat: quæ persuaso, vt par erat, filio ministros preparat, hortaturque, vt omnia faciât, quæ ipse imperabit.

Dicit

Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua, & impleuerunt eas vsque ad summum. Et dixit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclini- no, & tulerunt. Ut autem gustauit architriclinus aquam vi- num tactum, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant, qui haufe- rant aquam, vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo pri- mum, bonum vinum ponit, & quum inebriati fuerint, tunc id, quod dete- rius est: tu autem seruaisti bonum vinum vsq; adhuc.

Faciunt autem ministri sicut iubentur, aqua verò ineffabili Christi virtute in vi- num transmutatur. Quid enim omnipotenti Deo difficile: Aut quomodo, qui à ni- hilo ad esse res omnes prouocat, non multo facilius vnum ad aliud permutabit atq; traducet: Miratur autem vini qualitatem architriclinus quasi præcipuam; nec aliter nisi optimum esse poterat, quod factum miraculosè à Christo fuit. Sponsum etiam quàm commodè, vt mihi videtur, incusat, quòd peracto ferè conuiuio, nec antè o- ptimum vinum obtulerat.

Caput XXVI.

Hoc fecit initium signorum suorum Iesus in Cana Galilææ, & ma- nifestauit gloriam suam, & crediderunt in eū discipuli eius. Post hæc descendit in Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus: & prope erat pa- scha Iudæorum, & ascendit Hierosolymam Iesus.

Multa & magna eodem signo peragebantur, sanctificabantur nuptiæ, maledictio mulierum, initio nostri ortus benedictio, destruebatur. Gloria saluatoris, quasi so- lis radius effulgebat, discipulorum deniq; fides roborabatur. Sed historicè quidem expositionis nunc finis sit, altiore autem sensum occultius hinc significatum, vt ar- bitror, modò explicemus. Descendit igitur Dei de cælo filius, vt quasi sponsus (si- cut ipse ait) naturam hominis amplexus, spiritalis, veræq; sapientiæ foetum faceret parere. Sponsa igitur humanæ vitæ natura, ista ratione vocatur. Sponsus autem ip- se saluator est, à rebus nostris ad sublimiora, iuxta scripturæ morem, similitudine nò improbè accommodata. Tertia verò die nuptiæ celebrantur: quia in vltimis secu- li huius temporibus saluator apparuit. Nempe numerus iste initium, medium & fi- nem significat, qua quidem re vniuersum tempus mensuratur. Sed illud propheti- cum rectè potest accommodari: Percutiet & curabit, viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius, sciemus sequemurq; vt co- gnoscamus dominum. Percussit enim nos propter Adæ præuaricationem, dicens: Terra es, & in terram reuerteris. Corruptione autem, morteq; percussos, tertio die rursus ipse curauit, id est, non primis, neq; medijs, sed nouissimis temporibus, quã- do propter nos factus homo, totam naturam in seipso suscitauit atq; sanauit: idcir- co primitias mortuorum Paulus eum appellauit. Nouissima igitur tempora, tertiæ diei appellatione significantur. In Cana verò Galilææ, non Hierosolymis nuptiæ ce- lebrantur: extra Iudæam conuiuium, quasi apud Gentium regiones præparetur. Gentium enim Galilæa solet à prophetis appellari. Illud sanè perspicuum est, respul- sum à Iudæis sponsum, ab Ecclesia gentium libèter susceptum fuisse. Venit autem inuitatus ad nuptias, qui multorum vocibus sanctorum vocabatur. Vinum conui- uas defecit: quia sicut insita, naturalisq; ratio seruare hominem nequiuit: sic etiã lex non integra nobis lætitia fuit, nec Mosaica scriptura hominibus satisfecit. Quare verè, tam de nobis, quàm de lege, vinum non habent, dici potest. Deus autem grati- arum largitor, non patitur bonorum carentia naturam hominū deprimi: sed mul- to melius nobis, quàm prius vinum producit. Occidit enim litera, spiritus viuificat & lex

A & lex quidem nullam perfectionē bonorum adfert, Euangelica verò doctrina ple- nissimam benedictionem adducit. Miratur autem tam optimum vinum architri- clinus. Quia pontificum quisq; quibus saluatoris domus cōmittitur, huius myste- rij ratione stupefcit, cui primūm vinū adferri Christus imperauit: quia (vt ait Pau- lus) laborantem agricolam oportet primūm fruges degustare. Hoc autem vnus- quisq; per seipsum intelligat.

Caput XXVII.

T inuenit in templo vendentes & ementes oues & columbas, & nummularios sedentes. Reprehenduntur etiam hinc Iudæi, quasi nul- lam legum habeant curam, & auaritiæ magnopere studeant. Nam cū multis, varijsq; modis purificari secundū legem illos oporteret, qui tem- plum ingressuri essent, argentarij cæteri- q; huiusmodi homines, qui lucro, scœnori, & omnino pecuniæ student, templū impleuerant, ad eò vt qui hæc prohibere debe- bant ne fierent, imperare vt fierent viderentur. Ita verè de ipsis scriptura loquuta est: Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt partem meam, de- derunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis, posuerunt eam in dissipationem. Corrupta enim certè fuit domini vinea, quæ auaritiã præsulum inculca, conculcare pietatem didicit.

Caput XXVIII.

T quum fecisset flagellum quasi de funibus, omnes eiecit de tem- plo, oues & boues, & nummulariorum effudit æs, & mēsas sub- uertit, & ijs qui columbas vendebant, dixit. Iure contemptu aua- ritiaq; Iudæorum saluator mouetur: non enim negociationis locus, sed orationis (vt scriptum est) templum erat. Nec verbis solū molestè se tulisse ostendit, verum etiam verberibus, tanquam iniquos seruos meritò cædens è templo eiecit. Serui certè fuerunt, & in ea conditione permanserunt, qui liberatorem Dei filium per fi- dem suscipere recusarunt: ita quasi in tabula apostolicum illud depingebatur: Si quis templum Dei violauerit, disperdet eum Deus.

Caput XXIX.

V ferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum ne- gociationis. Sicut dominus imperat, & sicut doctor ad æquum & iu- stum hortatur, peccataq; illorū exponit, vt pudore victi, iure se de tem- plo extrudi cognoscant. Aduertendum est autem diligenter, quia vt solus secundā naturam filius Dei, sui solius patrem Deum appellat. Nam si eo modo, quo creatu- raper gratiam vt nos filius esset, cuius rei gratia communē omnibus dignitatē ra- piebat, non domū patris nostri dicens, sed domū patris mei: Ita enim congruè ma- gis dixisset, si adoptione, non natura filius esset. Qui enim aduentitia quadā digni- tate filij sumus, orantes dicimus: Pater noster. Vnigenitus autē non gratia filius, sed ex substantia patris genitus, verè & propriè solus patrem suum, Deum appel- lat. Sed perspice quæso altius, quomodo futurus rerum habitus, duobus his pro- ximis Christi actibus designatur. A Galilæis enim, qui Canam habitabant, inuita- tus ad nuptias atq; honoratus, & miraculo profuit, & vini lætitia repleuit, ac in ea- dem cū eis mensa & conuiuio fuit. Sic ab initio statim doctrinæ Christi, per Galilæos, vniuersæ gentes fidē Christi suscepturæ monstrabantur, quæ per fidē in cœ- lestē thalamū peruenturæ, spiritali conuiuio vnà cū sanctis apostolis & ipso Chri- sto æternaliter perfruentur, nullo privati gaudio. Lætitia em̄ eterna (inquit) super caput eorū: quod expressius à domino alibi dicitur: Multi em̄, ait, veniēt ab Oriēte ac Occidēte & recūbent cū Abrahā, Isaac & Iacob: incredulos verò Iudæos à sancto rū cōuersatione retrudet, ac supplicijs peccatorū suorū catenis deuinctos tradet, nul-

Esaiæ 1

lo modo iniquè factis sacrificijs suis placatus. Auferte nanq; inquit, ista hinc. Hæc Esaias prædixisse mihi videtur: Holocausta arietū, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui, cum veniretis ante conspectū meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris: non ambulabitis in atrijs meis, ne offeratis vltra sacrificiū frustra. Incensum abominatio mihi: neomeniam & sabbatum, & festiuitates alias non feram: ieiunium & solennitates vestras odiuit anima mea, facti mihi estis in fastidium. Id optimè flagellum à funibus factum (supplicij nanq; instrumentum est) quasi figura quædam obumbrabat.

Caput XXX.

Psal. 68

Recordati enim sunt discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. Indies vndiq; rebus singulis scripturam discipuli conferentes, ad maius fidei robur progrediuntur.

Caput XXXI.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quod hæc facis? Respondit Iesus, & dixit eis. Miratur de potestate Christi Iudæorū multitudo, molesteq; ferunt omnes, qui sedentes in tēplo emolumenta (quibus nūc meritò priuantur) sibi conquirebant. Et negare quidem nequeunt non oportere templum Dei negociationis domum fieri: sed vt moribus suis vtantur, illò confugiunt, vt non esse sibi credendum, veluti filio Dei contendant, nisi hoc ita esse signo demonstrauerit.

Caput XXXII.

Lucæ 11

Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quem admodum omnibus, qui benè petunt, facilè Deus cuncta largitur: sic Ihs qui tentantes postulant, non modò nihil præstat, verum etiam quasi malignos aspernatur. Sic alio loco Phariseos, quum signum peterent, acrius carpsit dicens: Maligna & adultera generatio signum quærit, nec dabitur sibi, nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim Ionas tribus diebus & tribus noctibus fuit in ventre ceti: sic filius quoq; hominis erit in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Id ipsum in istis etiam nunc alio exemplo similiter tentatibus respondet. Quod quidem signum, nisi propter salutem omnium futurum omnino esset, nunq̄ tentantibus illis dedisset. Hoc ipsum est, quod malè ab eis intellectū falsò accusantes, postea dicebant: Ille dixit, possum dissoluere templū Dei. Quæ quidem falsa eorum testimonia prophetæ prædixerunt: Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me. Et rursus: Insurrexerūt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. Non impellit autem eos ad cædem suam, quum dicat: Soluite templum hoc. Sed quod facturos sciebat, ad vtilitatem eorum potius, si quid sensus habuissent, subaperit.

Caput XXXIII.

Psal. 68

Dixerunt ei Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud: Profunditatē mysterij non intelligentes, vt temerarij signo illudunt. Difficultatemq; rei proponentes, causam inuenisse putant, ne illi pareant, cui si quid etiam facilius dixisset, nequaquam obtemperassent, ita scripturæ veritas iam emergebat. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Quasi enim inclinati propter nefaria eorum delicta, ac sola terrena respicientes, iure partrocinio Dei ab eis ablatosublimia Christi dogmata speculari non possunt. Contemnunt enim, tanq̄ insani, Christi doctrinam, aduersus salutē suam irruentes. Dominus em̄ noster, propriū suū patrem appellabat, dicens: Nolite facere domū patris mei

A mei domum negociationis. Illi autem hæc verba sua contemnentes, quasi homo Iudæorum esset nudus, magnitudinem temporis, quo templum ædificabatur, obijciunt. Sed increpatio ò mente capti ex superbia homines, iure quispiam dixerit, si Dei templum illud verum esse credebatis, quomodo non intellexistis natura illum Dei filium esse: qui absq; vlla trepidatione, nulloq; periculo, magna voce clamare confidebat: Nolite facere domum patris mei domum negociationis. Nam si hoc in mentem vobis venisset, non ambigui essetis, in tribus illum diebus vnam posse domum restaurare, qui septem dierum spacio à nihilo vniuersa produxit, nec tamē indiget spacio temporis, cuius nutui omnia parent.

Caput XXXIII.

Ille autem dicebat de templo corporis sui. Quum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli, quia hoc dicebat de corpore suo, & crediderunt scripturæ & sermoni, quem Iesus dixit. Sicut sapiens facilè sapientiæ verba retinet, sic in discipulis Christi, tanquam in molliore cera sermo saluatoris impressus conseruabatur. Probi ergo viri, vt contētiosi non sunt, ita veræ doctrinæ tenaces. Duræ autem ceruicis homines, non iniuria maligni nuncupantur: vt ergo probi facilisq; animi discipuli, diligenter scripturarū ruminant verba, ad maiorem pietatis cognitionem quotidie conscēdentes. Verum, quoniam corpus Christi templum appellatum est, quomodo non erit natura Deus vnigenitus Dei filius, qui in eo habitat: Non enim dicitur, qui Deus non est, in templo habitare: nec de corpore nudī hominis dictum id in scriptura quispiam vquam inueniet. Quis maior beato illo Baptista: qui ad apicem virtutis peruenit, qui nulli fuit pietate secundus, qui pro lege diuina tyrannico furori caput suum obiecit: nunc tamen ita de corpore illius scriptura loquitur: Sed venientes, inquit, discipuli eius, Ioannis videlicet, tulerunt cadauer eius. Si ergo de Ioannis corpore cadauer dictum est, quomodo templum cuiusuis hominis, corpus appellabitur: Nec ignoro templum Dei fideles appellari, sed hoc quoniam propter habitantem in nobis spiritum dicitur, Dei templa, non nostra sumus. Sed obijciat forsitan quispiam, quò igitur ipse saluator cadauer corpus suū nominauit: Ed enim, inquit, aquilæ conuenient, vbi cadauer est. Sed hoc non de corpore suo, verum vt similitudine futurum sanctorum ad sese cursum significaret, quando in maiestate patris de cœlo apparebit, ita prolatum est. Quæ admodum enim, ait, rapacissimi marū auium greges veloci ad cadauera volatu deferuntur, sic & vos ad me conuolabitis. Quod Paulus enodans, ait: Sonabit buccina, & mortui suscitabuntur. Et alibi in nubibus rapiemur obuīa domino in aerem, & sic semper cū domino erimus. Nichil ergo veritati obest, quod per imaginem atq; similitudinem dictum aliā quandam rem ante oculos posuit.

Caput XXXV.

Quom autem esset Hierosolymis in pascha, in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa quæ faciebat. Non desinit Christus alios verbis atq; doctrina, alios miraculorum veritate ad fidem pertrahere: sic dictis eius sapientiores miraculis multi persuasi, Deum esse credebant, qui talia & dicere & facere poterat.

Caput XXXVI.

Ipsæ autem Iesus non credebat semetipsum eis. Non est stabilis fides eorum, qui nuper crediderunt: nec mens firma inest in fide recentibus, quum adhuc pietate firmati non sint, quare nec Christus huiusmodi se hominibus credidit: quamuis etiam hinc nobis ostēdat, nō repente, sed longa meditatione bonorū habitū roborari. Discant igitur oēs, quibus salua

toris mysteria credita sunt, nō nimium citō ad diuinam mensam neophytos accipere, nec antequam firmiores catechumini sint, Christum eius, priusq; oporteat, baptismi mysterio commēdare. Habemus enim, quemadmodū & in alijs omnibus, Christi exemplar nobis propositum, qui recipit quidem credentes, nondum autē penitus seipsum illis tradidisse videtur: vt tu non dubites, non paruo tempore in catechumenorum statu, nuper venientes in fidem, esse retinendos. Sic enim vix longa exercitatione in nostris firmati, tutius possunt recipi.

Caput XXXVII.

Quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, vt quis testimoniū perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine. Vero Deo solummodo, nec vlli creaturarum hæc dignitas attribuitur. Vnde Psalmista quoq; dicit: Qui finxit sigillatim corda eorum, qui omnia opera eorum intelligit. Si ergo solus Deus, quæ sunt in cordibus nostris, intelligit, quomodo nō erit verus Deus saluator, qui profunda & abdita cordiū nouit: Quis enim hominū sciuit, quæ hominis sunt, nisi hominis spiritus, qui in ipso est: Cum igitur nullus sciat, solus Deus non ignorat, quoniam cum cæteris omnibus non connumeratur: de quibus iure, nullus, adicitur. Est enim extra numerum omnium Deus, nec quicquam eorum ignorat, quæ sub pedibus eius posita sunt. Viuus est enim sermo Dei, & efficax (vt ait Paulus) & penetrabilior omni gladio accipiti, & pertingens vsq; ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoq; & medullarū, & discretor cogitationum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. Audit quippe omnia, qui plantauit aurem, & considerat cuncta, qui finxit oculum. Vnde ad Iob ipse dicit: Quis est, qui cælat me consilium, continens autē verba in corde putat me cælare: Vt igitur natura Deum, vnigenitum esse credamus, diligenter ab Euangelista scriptum est, non esse illi opus, vt quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine.

Caput XXXVIII.

Rat autem homo ex Phariseis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit nocte ad Iesum, & dixit ei. Propensus ad fidem Nicodemus fuisse videtur, sed pudore improbo victus, & gloria hominum superatus, palam accedere non audeat, ita ambigua quadam sententia, & claudicante iudicio, vtriusq; (vt dicitur) poplitibus laborat. Nam conscientia quidem stimulis suis miraculorum magnitudine ad fidem eum pellebat principatus autem gentis suæ (princeps enim Iudæorum erat) ne palam Christo adhereret, facile illi persuadebat: qui principatus detrimentum, calamitatem non paruam existimabat. Vtrunque igitur, & fidem scilicet & gloriam hominum retinere cupiens, tenebris se commisit: quæ duplicitatem animi eius aperte accusat.

Caput XXXIX.

RAbbi, scimus quia a Deo venisti magister: nemo enim potest facere hæc signa, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus, & dixit ei. Putauit his verbis, Iesu benevolentiam ac pietate in eum consequi posse, satisq; ad salutem esse, si tantūmodo admiratione digna miraretur. Propterea nihil aliud querit, sed magistrum à Deo venisse Christum confirmat, quem adhuc quasi hominem nudum alloquitur.

Caput XL.

Amen

Amen dico tibi, nisi quis natus fuerit desuper, non potest videre regnū Dei. Dixit ei Nicodemus. Non ita vt putas (inquit) Nicodeme, pietatem ac fidem consequeris, nec nudis verbis adipisci iustitiam poteris. Nō enim quicumq; mihi dicit: Domine, domine, sed qui voluntatem patris mei facit, regnum cœlorum possidebit. Voluntas autem patris est, vt spiritum sanctum homo suscipiat, & inaudito nouoq; modo regeneratus, cœlorum ciuis efficiatur. Quum verò desuper regenerationem istam, quæ per spiritum est, fieri adferat, aperte ex substantia Dei patris spiritum esse demonstrat. Ita certè de se quoque ipse alibi dicit: Ego desursum sum. Et Euangelista: Qui desursum venit, super omnes est. De quo latius tempore suo dicemus.

Caput XLI.

Quomodo potest homo nasci, quum sit senex? nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci? Quum animalis adhuc homo mysteria spiritus minimè intelligens Nicodemus esset, fatuitatem potius q̄ sublime aliquid putat, quod dicitur. Natiuitatem enim spiritalem non capiens, nec vltra res humanas quicquam cogitans, corporale quendam ventrem, & reditū hominis rursus ad partum fingere cogitur, ita magnitudine rerū depressus, in his inferioribus voluitur. Nam quemadmodum proiecti lapides duriore obice reperiunt, resiliunt: sic mēs imbecillior sublimioribus quàm ferre possit rebus confusa, refugit, quod Iudæorum princeps passus, & terrenis inhaerens, diuinam & spiritalem regenerationem non suscepit.

Caput XLII.

Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quoniam non intellexit Nicodemus, quid renasci desuper significet, apertius totum mysterium & breuiter sibi exponit. Regenerationem enim, quæ per spiritum sanctum fit, nasci desuper dominus appellauit: vt etiam ex hoc disceremus, idcirco Dei nos fieri participes, quoniam spiritum, qui substantialiter ex Deo procedit, per baptismum acquirimus, quo in pristinam pulchritudinē reformati, & ad nouam vitam renati, à Deo in filios adoptamur. Hoc autem quod dixit, desuper, quum nō potuerit assequi Nicodemus, iterum ab vtero renasci suspicatus est, ac ideo impossibilem rem putans reluctatur. Quapropter reiectis velaminibus, vt imbecillior saluator loquitur: Nisi enim quis (inquit) ex aqua & spiritu natus fuerit, non potest in Dei regnum introire. Nam quum non simplex, sed compositus ex corpore sensibili & intellectuali anima homo sit, duplici quodam ad generationē indiget modo, qui duplicitate sua ad vtrunq; possit accommodari: spiritu enim sancto spiritus hominis, aqua verò corpus sanctificatur. Quemadmodum enim viribus ignis intus aqua calefacta, non aliter quàm ignis vrit: sic spiritus sancti operatione ad diuinam aquæ reformantur virtutem, qua baptizati corpus abstergunt.

Caput XLIII.

Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Alio nunc modo ad cognoscenda sublimiora Nicodemū inducit, ne cum spiritalem audiat generationem, in corpora mente deuoluatur. Sicut enim necesse est (inquit) carnē esse, quod ex carne natum est, similiter quod ex spiritu natū est, spūs est. Vniuersa verò, quorū essendi ratio diuersa est, generationis quoq; modū habet diuersum. Natū autē ex spiritu, spiritum hominis dicimus: non quia ex eo secundum naturam est, id enim omnino absurdum est, sed vna quidem, priscaq; ratione: quoniam per spiritum à nihilo ad esse productus est: altera verò, quā dispensatoriā appellamus, quoniam per ipsum ad Deū reformati,

Y iij mati,

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

Galatas 4
1. Cori. 4
mati, ac proprio eius caractere insigniti, ad suam (vt sic dixerim) qualitatem animo transformamur. Hoc pacto illud etiam Pauli recte (vt arbitror) intelligi potest, C
Filioli quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. Et rursus: In Christo enim Iesu per Euangelium ego vos genui.

Caput XLIII.

Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos nasci de super, spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, & quo vadat. Sic est omnis, qui natus est ex spiritu. Singularis docentis virtus est, vt multis ac varijs auditorum animos modis atrectet. Sic enim sensim difficultas rerum tandem aperitur. Exemplis ergo & figura in cognitionem Nicodemus deducitur. Spiritus enim hic, ait, aereus, per vniuersum, vt vides, orbem quotidie pflat, & quis decurrēs, solo adesse sono cognoscitur: nec cernitur vlli, sed tenuissima quadam aura humana corpora tangēs, operationis suae imprimat sensum. Sic igitur a paruis, quasi manu ad maiora ductus, spiritalē intelligere generationē: sicut in imagine quadam in dicta rei sensibilis similitudine, sensibilis insensibilia collige.

Caput XLV.

Ecclesi 23
Roman. 11
Respondit Nicodemus, & dixit: Quomodo possunt haec fieri? Nihil longa Christi oratione consequutus est Nicodemus. Prudenter igitur a Salomone scriptum est: In aure audiētium loquere, nec tamen vlla non persuadenti magistro culpa danda est. Fungi enim debet probe (quamuis etiam parum proffit) docentis officio, qui hoc in gradu constitutus est: quamuis hinc etiam discimus, quia caecitas facta est ex parte in Israel, audientes enim non intelligunt.

Caput XLVI.

Lucæ 6
Matth. 23
Actor. 23
Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es magister in Israel, & haec ignoras? Ab hoc vno Iudaei oēs, qui multo se doctiores ceteris gentibus putabant, quasi nudo doctrinae pietatisque nomine, nec quicquam florentes a Christo redarguuntur, tanquam tanta imperitia praediti, vt non modo docere ceteros, verum etiam intelligere ipsi nequeant. Nam si Nicodemus, qui apud eos doctor erat, rudior inuenitur: quales fuisse discipulos eorum putamus: cum non excedat discipulus magistri mensuram, vt saluator ait: Non est discipulus supra magistrum suum. Iure igitur tam indoctos atque agrestes homines sepulchris dealbatis dominus contulit. Paulus quoque ad Iudaeorum praesulem vrbanner dicit: Percutiat te Deus paries dealbate.

Caput XLVII.

1. Corint. 3
Prover. 27
Amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur. Cum re ipsa rudior, quam vt posset diuina dogmata capere, longa iam consumpta oratione Nicodemus videretur, ommissa exquisitiorē inuestigandi diligentia, simpliciore fide (quod intelligere non poterat) recipiendum ei esse consulit. Testatur autem certe se scire, quod dicit, autoritate sua contradicendi iter illi obstruens. Recordari enim debebat, quod nuper dixerat, non ignorare se a Deo Christum venisse magistrum. Deo autem, aut nuncio eius contra dicere, quomodo periculosum non erat, cum nihil periculosius sit, quam Deo repugnare? Attendamus nos, oro, qui docendi potestatem accepimus, melius esse vt simpliciter fidem, quam profundiore ratione diligentius expositam, neophytis tradamus. Nam & Paulus lacte nonnullos se nutriti dicit, qui scilicet nondum solidiores cibos digerere poterant. Et gregis tui animas cognoscendas tibi esse prudenter idcirco Solomon consuluit, vt moneret singulorum ingenijs proportionabiliter doctrinam esse accommodandam.

Caput

IN EVANG. B. IOAN. LIBER II. 127.

Caput XLVIII.

A Testimonium nostrum non accipitis. Quoniam patrem ac spiritum in seipso saluator naturaliter habet, plurali numero personas testatium protulit, vt quodammodo secundum Moyses legem, in ore duorum vel trium, omne verbum firmetur. Iudaei autem quasi salutem omnino respicientes, inconsiderato impetu ad profundum perditionis barathrum deferuntur. Nam si nec intelligere propter imperitiam altiora possunt, nec fide praedicationem Christi suscipere volunt, quisnam alius salutis eorum modus inuenietur? Merito igitur inexcusabilem futuram Hierusalem, quod sponte in praecipitia rueret, saluator dicebat. Hierusalem, Hierusalem enim, ait, quae occidis prophetas, quae lapidibus petis eos, qui mittuntur ad te: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum sub alas gallina pullos congregat suos: ecce dimittitur vobis domus vestra deserta.

Caput XLIX.

Sterrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis caelestia, credetis? Et nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, filius hominis, qui est in caelo. Si congruentem, inquit, doctrinam hominibus, quae sensibilia ista vix excedat, ex multa imperitia non suscipitis, quomodo vobis diuina explicabo? Si res humanas non intelligitis, quomodo sapientes in supernaturalibus eritis? Si minora ferre non potestis, quomodo maiora sustinebitis? Si dicenti mihi non creditis, sed multos in singulis testes poscitis, quis caelestia vidit mysteria, quem possim in testem vobis adducere? Nemo enim ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, filius hominis. Quum autem Dei verbum de caelo descenderit, filium hominis descendisse ait, in duas post incarnationem diuidi personas recusans. Nec alicui permittens, vt templum, quod a virgine sumptum fuit, alium filium, & alium Dei verbum praedicet: quamuis quae vtrique naturaliter insunt, decentem distinctionem suscipiant. Vt enim ex Deo verbum est, sic homo ex muliere. Vnus igitur ex vtrisque Christus filiatione in diuisibilis & maiestate diuina. Quomodo enim aliter, quae soli verbo Dei conueniunt, virginis filio accomodari poterunt? Quomodo autem econuerso, quae soli carni conueniunt, verbo Dei attribuentur? Nunc enim de caelo filium hominis descendisse ait, passionis vero tempore, ipse filius Dei, tanquam ipse patiens, quae humanitati suae solummodo congrua sunt, timuisse scribitur.

Caput L.

Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Quum causam attulerit, quare ad sublimiora sermo sibi non exit, ad ea descendit, quae obumbrata a Mose facta fuerunt. Non enim ignorabat, potius eum figuris quam spiritali doctrina ad veritatis vix posse cognitionem deuenire. Oportere autem omnino seipsum adserit modo Mosaiici serpentis exaltari: ita historiae inquisitionem, latentesque in ea figuras rimari hortatur, ac illud quasi rursus inculcat: Scrutamini scripturas, quia ipsae sunt, quae testimonium perhibent de me. Serpentes enim in Iudaeos olim in deserto insiliebant. Quumque more spicarum tempore messis caderent, diuinam opem supplices requirebant. Misericors autem dominus serpentem ex aere Mosi exaltare iussit, vt ea in re discerent fide salutem sperare. Morsu enim serpentis laborantibus, vnicum erat remedium, exaltatum cum si de serpentem aspiceret. Haec quidem historia est, in qua velut in tabula, totum figurate incarnationis mysterium obumbratur. Serpens enim peccatum, quod humanum genus pascebatur, significat, quodque varijs moribus venenum hominibus infundit, quod effugere

Roman. 8

Matth. 20

effugere nullo alio pacto natura humana poterat, nisi auxilio atq; ope diuina. Verbum igitur Dei factum in similitudine carnis peccati, in carne sua peccatum damnauit, vt scribitur. Respicientibusq; in eum fide sincera, æternæ salutis largitor ostenditur. Quod autem in sublime serpens exaltatus fuit, in eam cognitionē passionem Christi peruenturam denotabat: vt sicut ipse quoq; prædixerat, nemo sit, qui in cruce passum fuisse ipsum ignoret.

Caput LI.

Ic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Planè his verbis Deum se natura esse significat. Si quidem necesse est filium Dei vnigenitum, patris similem, Deum esse, qui non de foris filiationis (vt nos) habeat dignitatem, sed illud ipsum verè sit, quod dicitur. Charitatis autem erga homines Dei patris mentionem opportunè fecit, vt Nicodemus durities, aut molliatur, aut apertius pateat. Quid enim aliud est Deo prædicanti non credere, quàm veritatem mendacij crimine accusare: Præterea, cum se datum pro vita mundi affirmet, magna supplicia impendere monet omnibus, qui arrogantia sua tantam Dei patris gratiam negligunt. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Audiant hæc, quæso, rursus omnes, qui Christo aduersantur, nobisq; petentibus explicent, quid magni Dei patris habet secundum ipsos dilectio, aut quomodo ipsam meritò admirabimur: Respondebunt (vt puto) mirandam esse Dei patris erga nos charitatem: quia filium suum pro nobis tradidit, & filium vnigenitum. Vt ergo mirabilis sit hæc Dei patris charitas, filius datus non creatura esse credatur. Filium autem eum dico, qui quum ex substantia patris sit, genitori est consubstantialis, & verus profectò Deus. Nam si, vt vos dicitis, ex substantia Dei patris non est, nõ poterit secundum naturam filius Dei esse. Ita mirabilis illa charitas patris, nulla esse videbitur. Creaturam enim pro creaturis, non verè filium dedit. Et ad hæc frustra nos Apostolus terret, quum dicat: Si qui duobus aut tribus testibus legem Mosaicam spernit, morte puniatur, quanto peiore putatis dignum supplicio eum, qui filium Dei conculcauit: Conculcat enim, qui spernit. Quis igitur si filius verus non est, sed Mosi conseruus (cognata enim est creaturæ creatura, creationis ratione, etiam si quadam præstantia dignitatem alterius superare videatur) maiora supplicia luet, qui eum spernit, quàm qui legem Mosæ contempsit: quia videlicet non in creaturam, neq; in Mosi conseruum peccauit. Ingens igitur atque admirabilis charitas Dei patris est, qui filium suum (qui ex substantia eius est) pro mundi vita misericorditer tradidit.

Caput LII.

Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Quoniam filium Dei se liquidò nuncupauit: idcirco à qualitate magnitudinè que rerū, quasi firmissimo quodam testimonio id comprobatur. Non enim, inquit, missus sum, vt lege orbem terrarum, quemadmodū Moses, damnem, nec vt mandata in redargutionem peccatorum tradam, nec vt seruili ministerio fungar: verum vt per misericordiã Deo conuenientē, tanq̃ filius ac hæres patris à seruitute homines vendicē, dānante lege in iustificantem gratiã commutata, & sic à peccatorum vinculis genus humanū eripiam. Ad saluandum ergo, non ad damnandum veni. Nã vt decens erat, inquit, dānantis legis Mosē (qui seruus erat) ministrū fuisse: sic me decet (cū sim filius Dei) à maledictione legis orbem liberare, & misericordiæ cumulo ægritudinē mūdi curare. Quod si iustificans gratia, dānante mādato legis præstantior est, quò non intelligetur consequenter seruilē is conditionē omnino excedere, qui potestate diuina, vt Deus à peccatorum vinculis hominē liberat: Et hæc quidē vna horum

Roman. 7

2. Corin. 3

A horum Euangelij verborum ratio est: altera superioribus affinis atque coniuncta. Perspiciebat Nicodemum saluator Mosaicis nimium inhæere mandatis, & regenerationem spiritalem horrescere, ac Euangelicam viuendi disciplinam ideo aspernari, quia difficiliorem mandatis legalibus futuram putaret. Hæc veluti Deus nequaquam ignorans, hominis imperiti formidinem vnica ratione dissoluit: onerosam nimium legem esse ostendens, quæ mundum non liberet, sed damnet, se verò gratiæ ac misericordiæ largitorem. Non enim, inquit, Deus filium suum misit in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.

Caput LIII.

Qui credit in filium, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Cū rebus ipsis filiū se Dei esse approbasset, sublimioremq; gratiam mundo præbere à se dixerit, q̃ Mosaica lex cōtulerit (melius enim atq; altius est gratia iustificari, q̃ lege condēnari) mirabilem quandam aliam, vt Deus, viam cōperit, qua ad suscipiendā salutem homines impellit. Credenti enim singulare diuinumq; proposuit præmiū, minimè ipsum in iudicium peruenturū affirmans: nõ credenti autem certa imminere supplicia dicit, ad vnā eandemq; viā vtrosq; cōpellens. Illos enim cupiditate laudabili gratiæ, istos terrore cruciatus ad fidem misericorditer conuocat. Magnum autem crimen esse incredulitatis ostendit, quoniam vnigenitus ipse sit Dei filius. Nam quanto præstantius est, quod contēnitur, tanto maioribus, q̃ spernit, supplicijs subiacebit: iudicatum verò iam ait esse incredulum, quod ipse in seipsum (quoniã largitorem indemnationis nõ suscepit) condemnationis intulit sententiã.

Caput LIII.

Hoc autem est iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Causas condemnationis incredulorum attulit, ostenditq; probè admodum in Prouerbijs dicit: Non iniuria volucris retia tenduntur. Si enim, quum ad lucem venire poterant, in tenebris iacere maluerunt: quomodo non sunt ipsi condemnandi, qui prauo sibi iudicio cruciatus adsciscunt peiora melioribus, & tenebras luci anteferentes: Liberum etiam iudicium hominis, his verbis ostendit, qui ad alterutrum secundum animi sui iudicium potest proficisci. Sic enim iustè laudem, si benè agimus: & contrarium, si mala committimus, inuenimus. Hoc per Prophetam etiam quendam dixit: Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: quod si nolueritis, neq; audieritis me, gladius vos deuorabit.

Caput LV.

Mnis enim qui male agit, odit lucem, nec venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Latius exponit quod dixerat, ostendens, idcirco segnitie homines impediri, ne bona cōsequantur, quoniam praua diligant. Segnitie ei autem radices sunt, quod discere ac perpendere illa nolint, quibus bonus quisq; ac sapiens fieret. Recusat enim, inquit, omnis, qui malè agit, lucis illuminationem: non quia malorum eum pudeat pigearq; (saluaretur enim, si id esset) sed quia ignorare meliora mauult, ne conscientia stimulis quotidie peccans exagitetur: & quoniam putat maiora sese supplicia subiturum, si cū exquisitiorem bonorum cognitionem teneat, volūtatem Dei agere nolit.

Caput LVI.

Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur eius opera, quia in Deo sunt facta. Qui veritatem facit, spiritalem illuminationem non spernit: per ipsam maximè ad eam cognitionem perductus, vt intelligere possit, an omnia secundum diuina peregerit

Prouer. 1

Esaia 5

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

gerit præcepta, nec voluntatē Dei transgressus sit. Certissimū igitur ineffrenatā libidinis signū est, si quis ea recuset discere, quibus possit ad meliora reuocari. Virtutis aut atque pietatis, si quis eam vitā Deo placere arbitretur, quā secundum præcepta eius peragitur: quod ita se habere nō ignorat Psalmista, cū dicat: Lex domini immaculata conuertens animas, testimonium domini fidele, sapiētiam præstans paruulis, Iustitiæ dñi rectè lætificantes corda, præceptum domini lucidū illuminans oculos.

Psal. 8
Psal. 18

Caput LVII.

Rost hæc venit Iesus & discipuli eius in terram Iudæam, & illic morabatur cum eis & baptizabat. Erat autē & Ioannes baptizans in Aenon iuxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur. Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem. Absoluta Nicodemi colloquutione, aliud iam vtilissimum Euangelista enarrat. Videbat enim spiritus gratia illuminatus, quā necessarium esset ea narrare, quibus quantum Christi baptismus, Ioannis baptismo præstaret, aperiretur: perspexit nō multo post aliquos futuros, qui aut nullam inter baptismum & baptismum differentiam facerent, sed pari laude vtrumque coronarent, aut ob imperitiā & lapsum hominum meliorem esse baptismum Ioannis putarent. Nullum enim est tam turpe facinus, quod imperitiā non audeat aggredi. Nulla blasphemia tam magna, ut aduersus sacratissima Ecclesiæ dogmata nō dicatur libèter ab his, qui omnia (ut scriptum est) recta peruertunt. Ne igitur temerarij homines aquā Ioannis, qua in poenitentiam baptizabat, spiritali baptismo Christi anteferre auderent, causas tam turpis temeritatis euertens, ipsum Baptistā exponit huius quæstionis fragilē nodum dubitantibus suis discipulis dissoluisse. Baptizabat enim Christus per discipulos suos, Ioannes quoque ipse non per alios, sed manibus suis; nec in eisdem fontibus, in quibus Christus hæc faciebat, sed iuxta Salim, & in fonte quodam certo atque vicino: ut etiam hac fontis determinatione subobscurè ac enigmaticè subaperiret, baptismum suum, quum esset imperfectus, introductorium ad perfectionem fuisse. Nam veluti lex Mosaica, futurarum rerum & spiritalis cultus præparatio quædam fuit, occultā veritatē parturiens: sic baptismus Ioannis ad baptismum Christi collatus, præparationis vim obtinebat.

Miche. 3

Caput LVIII.

Acta igitur est quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione: & venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei. Quum non possent legales aspersiones suas Iudæi defendere, ac purificationes animalium cinere factas, Ioannis baptismo meliores ostenderent, turbent discipulos, qui sublimiores iam, quā Pharisei videbantur, baptismū magistri legali purificationi præponentes, baptismum Christi laudibus ad depressionem Ioannis efferrunt: non ex animo id facientes, nec quia ita sentirent, sed ut depressis confusisque Baptistæ discipulis, victores ipsi viderentur. Nec aut ratione aliqua, aut autoritate scripturæ, Christi baptismum præferunt (vnde namque talia imperiti homines excogitare potuissent): sed illud solummodo adferunt, quod oppidò pauci ad Ioannem, multi verò quasi gregatim ad Christum confluerent. Sic enim putarunt, discipulis Baptistæ superatis, non paruum de illis victoriā se reportaturos. Euaserunt igitur quasi victores, qui multo magis victi prostrati que fuere, quum laudibus dominum, quem non suscipiebant, vel nolentes decorarent.

Nume. 19

Caput LIX.

Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui testimoniū perhibuisti, ecce hic baptizat, & oēs veniunt ad eum. Molestè hanc offensionē victoriæ, discipuli Ioannis tulerunt: præsertim quia rerum illarū statū considerantes, redarguere Phariseos non poterant. Turbabatur igitur, mino-

IN EVANG. B. IOAN. LIBER II. 129.

A minoris fieri magistrum videntes, ac pudore admirationi mixto verecundè petūt, cuius rei gratia, cui testimonium ipse perhibuerit, gloria magis crescit, & præuenit tantam baptizans multitudinem. Hanc ego quæstionem diuina dispensatione factā contenderim. Hinc enim incitatus ad longum & exquisitum de Christo sermonem Baptista, quanta sit inter baptismum & baptismum differentia, planè ostēdit.

Caput LX.

Respondit Ioannes, & dixit: Non potest homo accipere quicquid, nisi fuerit ei datum de cælo. Nihil, inquit, in hominibus bonum est, quod à Deo non datum sit. Quid enim habet creatura, quod non acciperit? Quare hominem dicit concessa sibi de cælo mensura honoris esse contentum, nec maiora, quàm ferre possit, flagitare, ne ingrato animo datam desuper sententiam spernere, & diuino iudicio retragari videatur. Non enim debet pudore turbari, si perfectiores diuinitus præferuntur: sed ea potius magni facere, quibus misericorditer decoratus à Deo est. Non ferat igitur grauius hoc eorum quisque discipulorum, Meam ipse mēsuram conseruo, maiorem minimè ignoreo, hominem me esse non sum nescius.

1. Corin. 4

Caput LXI.

Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus, sed quoniam missus sum ante illum. Ea modò ad discipulorum memoriā verba reducit, quæ sapius ab eo audierunt: tum ut quasi segnes ad res præclaras arguat, tum ut eis persuadeat à scriptura diligentius quærere, quantum futurum prædicet Christum, & quantum præcursorem eius Baptistam. Sic enim certiore habita rerum cognitione, non turbabuntur, idonea vtrique fieri videntes: nec alijs mihi modò testibus opus est, inquit, cum vos ipsi iam pridem hæc eadem à me audieritis. Ego enim me seruum esse profiteor, qui missus sum ad predicandum: quia ego non sum Christus, sed ille. Superet ergo, & teneat omnia gloria eius, qui dominus ac Deus est.

Prædicet, scriptura scilicet.

Caput LXII.

Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Similitudine rursus rerum humanarum ratio tracta, in cognitionem diuinarum inducit. Figuræ namque intellectualium hæc corporalia sunt: quæ quum sentiuntur, clariora plerumque faciunt ea, quæ aliter vix intelligere possumus. Sponsus igitur, celebritatisque princeps, inquit, Christus est: minister autem coniugij ego sum. Illaque mea dignitas est, ut inter amicos numeratus vocem sponsi audiam: & ego quidem, quod optabam, consequutus iam sum. Non enim tantum prædicaui, quia Christus veniet: sed præsentem video, & vocem eius auribus percipio. Vos autem, quum humanum genus atque naturam, quam Christi sponsam nomino (quæ prius ab eo refugiebat) spiritaliter sponso suo per spiritalē baptismum coniungi videatis, non molestè feratis, quia non ad me magis, quàm ad spiritalē sponsum (ut par est) vndique confluunt. Sponsus enim est, qui sponsam habet. Nolite, inquit, in me sponsi coronam quærere. Non enim propter me sponsam Propheta hortatur, dicens: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui. Nec thalamum meum sponsa quærit, quum dicit: Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie. Cælestis est sponsus suus, ego verò vnigeniti gaudio triumpho, quia serui conditio-
ne deposita, tam nomine, quàm re amicitia fruor.

Psal. 44
Cantic. 1

Caput LXIII.

Illum

Illum oportet crescere, me autem minui. Grauius mō vt pro re parua turbatos arguit, præfertim quoniam anteq̄ scirent, quis Emmanuel esset, etiam commoti sunt. Non enim hac re solum, quia plures ab ipso baptizantur, gloriam meam superatille, ait: sed eò ascendet, vt quemadmodum Deus est, ita etiam hominibus videatur. Crescit enim quotidie, orbemq̄ splendor suus illustrabit: ego verò minuar, nec datam mihi mensuram excedam, sed in eisdem permanens, tanto minui videbor, quāto ad maiora ille præcurrer. Hæc sanctus ille Baptista nobis prædixit. Nos autem etiam exemplis, quod dicitur, præ oculis ponamus. Certæ igitur cuiusdam magnitudinis lignum videre fingamus, iuraq̄ ipsum magnæ futuræ arboris plantam nunc primū è terra prodire imaginemur. Num igitur si vocem lignum assumeret, ac diceret: hanc plantam crescere oportet, me verò minui: detrimētum quoddam ligno futurum intelligeremus: Minimè arbitror. Sed ideo minui dicemus, quia dum ad plantam confertur, minus atque minus quotidie reperitur. Commodè stellarum quoq̄ clarissima de sole dixerit: illum oportet crescere, me verò minui. Nam quousq̄ profunditas aeris nocturnis tenebris obscuratur, aureo fulgore, gloriaq̄ integra splendere Luciferum magna omnes prædicant admiratione. Quum autem ad ortum sol festinare videatur, quumq̄ lux eius nostrum hunc orbem aliquantum illuminauerit, cedit sensim maiori Lucifer, & Ioannis verba nō iniuria dicere potest: illum oportet crescere, me autem minui.

Quod filius non est de numero creaturarum, sed super omnia.
Cap. LXIII.

Vi desursum venit, super omnes est. Non est magnum, inquit, neque mirabile, si humanam gloriam Christus excedit. Non enim in hoc gloria eius terminatur, qui Deus est, sed omnem superat creaturā. Super omnes creaturas, inquit, est: nō vt inter omnes connumeratus, sed vt ab omnibus separatus, & tamen omnibus præsens, vt Deum decet: cuius rei causam proposuit, vt pudore aduersariorum linguas deprimeret. Qui enim desursum venit, ait, id est, qui à superiore germinauit radice, is paternam conseruas naturam, super omnia esse verè profectò credetur. Impossibile nanq̄ est, non esse talem naturam filium, qualis genitor eius est. Quomodo autem, qui eadem natura pollet, qui fulgor patris atq̄ character est, minoris erit quā pater gloriæ? Nam si patris propria bona filio non dabimus, sed eius characterē despiciere voluerimus, ipsum quoque patrem contemnemus. Scribitur enim, vt omnes honorent filium, sicut honorant patrem. Ita qui filium non honorat, is patrem etiam parui facit. Qui autem nō alio, quā pater honore glorificatur, quoniam ex ipso secundum naturam est, quomodo creaturarum omnium substantiam nō excedit: hoc enim significatur, cum dicitur: super omnes est. Non me fugit, magna voce hinc aduersarios clamuros atq̄ dicturos, quænam ratio, quum desursum scriptum sit, ex patris potius substantia filium esse, propter illud desursum intelligere coget, quā aut de cælo, aut ab innata sibi excellentia deuenisse, propter quam & supra cæteras creaturas esse prædicatur? Aduersus hæc non dubitabimus ita respondere: Non rationibus vestris inanibus atq̄ friuolis nos scripturæ sensum inuestigamus, sed sacras sequentes literas, altius vniuersa scrutamur. Quærendum igitur est hoc, quod desursum aut desuper dicitur, quomodo soleat accipere scriptura. Omne datum (sanctorum quidā spiritu plenus ait) & omne donum perfectum, desursum est, descendens ex patre luminum. Ecce desursum hoc, nihil aliud, quā ex patre significare potest, nec iniuria. Quid enim super creaturas, præter ineffabilem Dei naturam est, cui desursum ac desuper (quod Græci *ὑψωθεν* dicunt) accommodari propriè possit? Cætera enim

A enim omnia seruitutis iugo premuntur, solus autē Deus naturaliter regnat. Quare ipse solus verè super omnia est: quam dignitatem filio etiam veluti Deo, & ex Deo secundum naturam piè attribuimus. Quod si desursum nihil aliud, quā de cælo significat, quur de omni angelo & rationali virtute non dicitur? Veniunt enim ad nos de cælo, & ascendunt & descendunt, ait, in filium hominis. Quid igitur coegit Baptistam, quod multis commune cum filio est, tanquam præcipuum filio soli attribuere, & quasi de vnico dixisse: ille qui desursum venit: quum dicendum potius esset, qui desursum veniunt, super omnes sunt, vt multis hæc dignitas communis pateret esse: non ignorauit certè illi solummodo verbum huiusmodi deberi, quia superiore pullulauit radice. Non ergo de cælo, sed quod diximus, piè ac verè ipsa dictio *ὑψωθεν* nobis ostendit. Quomodo autem & super omnia erit verè, si non ex patre, sed de cælo desuper significare putabimus? Sic enim angelorum quisque, quum verè de cælo venire dicatur, verè super omnia erit. Quumq̄ non connumeretur cum omnibus, quod super omnia est, quāsnam creaturas super omnia collocabimus? aut quomodo integrè, syncerèq̄, quoniam desuper venit, super omnia est: quum tam ingens angelorum multitudo in omnibus (quia etiam ipsi de cælo similiter veniant) nequaquam comprehenderentur. Non enim possumus omnia intelligere, si quicquam omnium non comprehendī putabimus. Verbum autem, quod ex Deo patre effulsit, quod desursum propriè natum est, quod à fonte substantiæ patris profluit, non collocatur in omnibus, quum pars eorum minimè sit: sed vt aliud præter omnia, genitoris naturaliter bonis perfulgens, super omnia erit profectò. Sed si non de cælo, desursum illud significare putas, at tamen, inquit, negare non poteris ab innata filio excellentia significare. Inspiciatis rogo diligentius, quò hæc vobis peruentura tandem ratio sit. Primum enim imperitè videtur sanè dici, à dignitate innata sibi filium venire, & quasi ab aliquo loco, aut quasi ex vno vnus veniens, super omnes ascendat. Deinde libenter etiam eos interrogauerim, vtrum excellentiam hanc, qua super omnia esse filius scribitur, substantialem atq̄ inseparabilem inesse filio dicunt, an aduentitiam, extrinsecusq̄ quasi accidens comparatam? Nam si aduentitia illi adest excellentia, & extrinseca dignitate verbum Dei ornatur, non poterunt effugere, ne confiteantur posse aliquando illum huius excellentiæ facere iacturam. Accidens enim omne, quod substantiæ inest, abesse à subiecto posse intelligitur. Erit igitur mutabilis filius Dei: & vanis Psalmista illum verbis glorificat, quum perituros cælos canendo prædicat, ipsum autem in æternum permanens. Et omnes, inquit, vt vestimentum veterascent, & sicut opertorium complicabis eos, & mutabuntur, tu verò idem ipse es, & anni tui non deficient. Quomodo igitur idem, qui sicut creatura mutabilis secundum vos est, & mutabilis ad peiora? falsò autem & ipse de seipso dicit: Videte, videte, quia ego sum, & non est Deus præter me. Quomodo autem hæc mutabilitas filij patrem quoq̄ non attinget? Siquidem filius imago & character eius mutabilis est: erit igitur etiam Deus pater mutabilis, & erit super omnia per excellentiam quandam extrinsecam: taceo quod sequitur. Non enim poterunt negare, imaginis omnia exemplari etiam esse insita. Sin autem propter hæc incōuenientia, nō aduentitia illum splendore dignitate fatebuntur, sed substantiali atq̄ inseparabili, nōne etiā inuiti secundū naturam Deum esse concedent filium, ac ideo super omnia esse, & ex sola substantia patris venire: nam si nihil creatum est, quod in omnibus non contineatur, est autem filius super omnia, aliud videlicet est præter omnia, & substantiali super omnia excellentia viget. Quum autem non idem natura cū creatura sit, quomodo Deus verus non erit? Cumq̄ naturam creaturarum effugiat, quidnam aliud erit nisi Deus? Nihil enim secundum substantiæ rationē inter creatum & increatum quasi medium inuenitur: sed creatura quidem sub regno creatis est, regnat aut super ipsum Deus. Si ergo Deus secundum naturam filius est, na

Z tusq̄

Ioannis 1

Secunda pars causationis, Satisfactio.

Psalm. 101

Esaiæ 45

Hebra. 1

Ioannis 5

Cauillatio.

Satisfactio ad primam partem. Iacobi 1

rusq; ineffabiliter ex Deo est: desursum hoc, nihil aliud profectò, q̄ genitoris natura significat: propter eà etiã super omnia vnigenitus est, quia ex ipsa profectus est.

Caput LXV.



Vi est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Non æqualiter, inquit, persuadere hominibus poterit, qui de terra est, quemadmodum Deus, qui super omnia est. Nam qui de terra est, quum homo sit, consiliarij locum obtinebit, totamq; credendi potestatem auditori necessariò committet. Qui verò desuper venit, tanquam Deus virtute sua inanimis audientium verba immittit: quantoq; natura præstantior est, tanto efficacius atq; citius operatur. Vtiliter autem valde suis hæc discipulis Baptista inculcat; qui quoniam gloria saluatoris obscurari illum videbant, non parum turbabantur, atq; ideo accedentes dicebant: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce ille baptizat, & omnes veniunt ad eum. Quoniam, inquam, turbabantur, necessariò motionem animi eorum abijcere volens, rectam de tantis rebus doctrinam tradidit: ita saluatoris super omnia præstantiam ostēdit, & causam adfert, quamobrem ad illum omnes concurrant. Ad superiorem enim, qui spiritu baptizat, non iniuria omnes, inquit, confluunt.

Ioannis 3

Caput LXVI.



Vide cælo venit, super omnes est. Hoc, inquit, signum est, in infinitum ab ijs, qui de terra sunt, eum, qui de cælo, id est, desursum descendit, filium Dei distare: quia nec ego docere sufficiens sum, nec verba mea possum vobis satisfacere. Ipse quoq; filius incomprehensibilem hæc esse differentiam docens, ad Iudæos dicebat: Vos deorsum estis, ego desursum sum. Infra enim atque deorsum, creaturarum naturam significat, quæ sic appellatur, quoniam Deo, qui eam ad esse vocavit, serua subiectaque est. Sursum verò, diuina, ineffabilis, & dominatrix natura vocatur: quia vniuersa, quæ ab ea creata sunt, potestatis suæ iugo subiiciuntur. Hæc non frustra superioribus adiecit Baptista. Nam ne forte fingi hæc discipuli eius idcirco putarent, quòd pudore motus nollet ab homine superatus videri: mirum videretur hominem à deo vincì, ipsius quoque saluatoris hoc ipsum verbis comprobandum putauit, vt non falsò hæc, sed verè ab ipso narrata crederent.

Ioannis 8

Caput LXVII.



T quod vidit & audiuit, hoc testatur. Duo sensus hominibus sunt, visus videlicet atque auditus, quibus maximè nati sumus vltro ac citro de veritate rerum certiores fieri. Nam quum ipsi audiuius & vidimus, nihil ambigentes, quod vidimus & audiuius, loquimur. Vt igitur ad fidem Christi citius eos compelleret: quod (inquit) optimè nouit, quia vidit & audiuit, illud testatur. Vidisse autem audisseq; filium Dei, à similitudine hominum, vt Deum decet, intelligemus.

Caput LXVIII.



T testimonium eius nemo accipit. Non quia nemo accipit testimonium, quòd scilicet Deus natura sit, & desursum, ac de cælo, id est, ex patre profectus super omnia sit, idcirco ista dicuntur: multi enim testimonium eius acceperunt, & ante omnes Petrus, qui dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Sed quia multo melius atq; citius cæteris dignitatem ipse Christi comprehendit, concutiens quasi caput, & pedes manibus cædens, incredulitatem hominum magnam admiratur.

Math. 16

Quod Deus ex Deo naturaliter filius est. Cap. LXIX.

Qui



Vi autem accipit eius testimonium, signauit quia Deus verax est. Non aliter incredulorum impietatem præ oculis ponere potuisset, nisi credentium virtutem ostenderet. Facile namq; bonorum oppositione, malorum fœditas cernitur, cognitioneq; melioris turpia statim arguuntur. Qui ergo, inquit, verba eius accipit, qui desursum venit, hic sapientia sua quasi conclusum quoddam & certum signauit, non posse diuinam mentiri naturam. Hinc oppositum emergit: qui enim fidem Christi recusant, hi falsò testantur, quia Deus verax non est. Animaduertendum autem, quomodo his iterum verbis à cõsubstantialitate creaturarum filium remoueat, & Deum esse verum ostēdat. Nam si qui doctrinam eius & testimonium suum de ipso accipit, hic signauit probè atq; discreuit, quia Deus verax est: quomodo non erit Christus natura Deus, quum verax esse confirmatur? Vel si hoc negat, respondeant quæso, quomodo deitatis naturam verax honoratur, si saluatoris testimonium non accipitur? Si enim secundum naturam Deus non est, qui ei vt veraci credit, non pius erga Deum, sed erga pulcherrimam quandam inuenitur creaturam. Sed quoniam veritatis huius sententia, si Christus quasi verax creditur, non creaturam, sed Deum demonstrat, patet quia non nudo vocabulo, sed re ipsa Deus quum sit, consentientium atq; credentium laudibus decoratur. Sed ridebit fortasse magnus veritatis quispiam inimicus, Deumq; natura filium nolens confiteri, magna voce clamabit: Quid huiusmodi cauillationibus, peruersisq; rationibus simplicem atq; rectum scripturæ sensum obtenebras? Nam quoniam de cælo filius Dei descendit, quoniam apertè de se prædicat, dicens: Non loquor à me, sed qui me misit pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicā, & quid loquar. & rursus: Omnia quæ audiui à patre, nuncio vobis. Quæ enim misit Deus, Dei verba loquitur, idcirco modò dicit: Qui accipit testimonium eius, signauit quia Deus verax est. Verax enim sanè Deus pater est, tu aut id, quod patri debetur, in filium reducere conaris. Nos verò ad hæc: An igitur cum prophetis vos vnigenitum collocabitis, prophetæq; illum officio functum dicentes, nihil aliud ei attribuetis? Cui enim non apertissimè patet, Dei ad nos voces, prophetarum ministerio fuisse allatas? Et quid præcipuum dabitis filio, si ipsum solummodo fecit? Quomodo autè super omnia est, si prophetis connumeratus, in serui mensuram cognoscitur: quomodo præterea tanquam gloria illis præstantior, ipse de se dicit: Si illos dicit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scripturam quem pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemus, quia dixi, filius Dei sum? Se ipsum enim filium Dei apertè in his appellans, à grege prophetarum se remouet: & Deos illos quidem nominatos fuisse, quoniam Dei verbum ad eos peruenit, se autem filium Dei affirmat, nec iniuria. Prophetis enim particularis quædam per spiritum gratia collata est, sed in Christo saluatore tota deitatis plenitudo habitare corporaliter apud Paulum scribitur. Quapropter à plenitudine ipsius nos omnes accepisse Ioannes adseruit. Quomodo ergo æqualis est accipientibus, qui largitur? Aut quomodo cum ministris locabitur deitatis plenitudo? Considerent igitur (oro) in quantam impietatem eorum incidit oratio. Quomodo autem illud intelligendum est: Ego à me ipso non loquor, sed qui me misit pater, mandatum mihi dedit quid dicam, aut quid loquar: loco suo latius dicemus. Nunc satis est, si pietatis dogmata his suis rationibus corroborari fateamur. Mandata igitur accipere à patre filium, & nihil à se ipso loqui contendunt, sed quæ audiuit, ea dicere. Hæc nos concedentes, nihil quantum ad rationem substantiæ pertinet, veritati catholicæ obesse affirmamus. Quando igitur dicentem ipsum audiunt, ego & pater vnum sumus, & qui me videt, videt & patrem, & ego in patre, et pater in me: accipiant hoc testimonium eius & signent, quia Deus pater verax est, quòdque veracissimè scit, id filio loqui persuadet. Non discredant ergo verbis domini, qui patris mentem hominibus explicat.

Calumnia perfidorū, & oblatratio vana.

Ioannis 12
Ioannis 15

Purgatio infandæ calūniæ.

Ioannis 10

Coloss. 12
Ioannis 12

Ioannis 10
Ioann. 14



Vi enim a Deo missus est, verba Dei loquitur. Scit ergo pater natura in se filium suum esse. Hoc enim arbitror, & non aliud illud significat: Ego & pater vnum sumus. Scit filium esse, non creaturam: filium autem dico, non nudo filiationis vocabulo decoratum, sed ex substantia genitoris prodeuntem. Scit incommutabilem esse imaginem suae naturae, in qua perfectè ipse videtur, quum in ipso patre, qui ex eo secundum naturam ineffabiliter effulset (vt ita dicam) depingitur. Habet enim in seipso filium pater, & ipse rursus propter identitatem substantiae in filio est. Haec si confiteri volueritis, & vos à pestifera haereticis aegritudine incolumes euadetis, & nos ab hac multitudine verborum liberabimur.



Exodi 3

Hierem. 1

Ioannis 8

Vem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Hoc si, vt iacet, rursus tantum modo intelligitis, quid magni erit in filio: Vtrum prophetarum quisq; à Deo missus non est; an verba Dei non loquebatur: At qui ad Moysen dicitur: Et nunc mitto te in Aegyptum, & dices ad Pharaonem: Haec dicit dominus. Et ad Hieremiam: Non dic, quia iunior ego sum: quia ibi ad quoscunq; ego te mittam, & quae tibi mandabo, loqueris. Quid igitur magis in filio est à Deo missio, et verba Dei loquenti: Non enim maius prophetico ministerio aliquid fecisse videbitur. Quare missio in istis, aut secundum incarnationis rationem, quia in hunc mundum cum carne venit, aut altius atq; sublimius, et vt Deum decet, intelligitur. Ex natura enim patris vt splendor lucis secundum ineffabilem diuinæ generationis modum effulset, quod ipse ostendit, dicens: Ego ex Deo processi, & veni. Procedit enim ex patre in propriam substantiam filius, quamuis in ipso secundum naturam sit. Quod igitur ibi procedere, id ipsum hic rursus mitti significat. Verbum igitur, quod ex patre effulset, quia Deus ex Deo est, Deo congruentibus verbis vtetur. Congruunt porro illa Deo verba, quae vera sunt, & nulla mendacii turpitudine maculantur. Qui ergo saluatoris testimonium accipit, is quasi quodam sigillo firmiter signauit, quia Deus verax est. Filius enim verè secundum naturam Deus est.



Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Attentissimas modò aures praebas, vt rursus mirabilem Baptistae doctrinam nobiscum admireris. Nam quum à Deo missum esse filium dixerit, Deique verba loqui Christum adseruerit: quoniam verba haec prophetica quoq; dignitati accommodari possent, per ea, quae modò dicit, longè à prophetis filium separatur. Et vno hoc signo immensam esse differentiam inter homines & filium ostendit. Impossibile namq; inquit, est, vt qui mensura spiritum acceperunt, alijs etiam illum largiantur: nunquam enim sanctus vir alteri sancto spiritus fuit largitor, sed omnibus ex amplitudine sua filius largitur. Non ergo ad mensuram dat, nec vt illi, mensura & participatione spiritum habet. Quoniam igitur largitor spiritus est, nemo abneget, quin substantialiter in seipso spiritum possideat. Qui ergo tanta praesentia prophetas excedit, non vt illi verba Dei loquetur, sed vt Deus ex Deo decetia Deum praedicabit. Sed apostolorum quoq; manibus datum spiritum non ignoramus, quispiam obijciat. Orabant illi spiritum à amico, qui quum exoratus veniret, manibus eorum praebere dictus est. Non enim ipse beatus Moses à spiritu, qui erat in eo, accipere videbatur, ac alijs praebere, sed soli diuinæ hoc seruatum est potestati solus enim Deus haec sublimia Deoq; digna efficere potest.

Quod patris bona, non participatione, sed natura & substantialiter in filio sunt.

Pater



Pater diligit filium, & omnia dedit in manum eius. Dixit iam idcirco, quia ex Deo Deus filius est, non alijs ipsum verbis vti posse, quam verissimis & quibus pater vtatur. Qui enim à Deo missus est, verba Dei loquitur. Hoc ipsum modò latius aperiens, ait: Pater diligit filium. Non offendimus, inquit, Deum patrem, si aequalem filio suo referemus honorem, decenti Deum gloria filium coronantes, qui substantialiter bonorum patris haeres esse cognoscitur. Nam quoniam pater diligit filium, aequali eius gloria gaudet, & contrario semper offenditur. Nec istam solummodo dignitatem proprio haeredi dedit, sed omnia dedit in manum eius: omnia dico simpliciter, quae substantialiter insunt patri, filio quoque insunt, manum autem hic virtutem nominat, vt alibi dicitur: Manus mea caelos firmavit. Omnia verò patris propria substantialiter bona, non participatione data filio sunt. Sic enim deitas filij aduentitia, non naturalis inuenitur: sed ita vt caliditati, quae ab igne procedit, proprietatem ignis dari naturaliter dicitur: qui dandi modus quemadmodum nullum danti potest adferre detrimentum (cū ea, quae dari videtur, nullam diuisionem patiantur) sic capienti nullo dedecori sunt. Haec enim omnia nihil aliud, nisi ex quo significantur naturalis enim, vt ita dixerim, qualitas producentium, producta esse videntur, substantiam producentis (quae nō sit) ostendentia, & naturalem sui fontis actionem decorantia. Sed haec de eis dicimus, quae loco exempli sumuntur, Deus autem super haec omnia est. Quocirca humana mens atq; oratio, si corporeis ad explicandum exemplis vtitur, accusanda non est: gloria enim domini obscurat orationem, vt scribitur. Nam quum per specula, & per aenigmata, & ex parte intelligamus, necesse est, vt multo minus lingua exprimere possimus. Aut ergo, vt diximus, intelliges, aut ad Christum vt hominem ista referes, vt magna voce dicere videatur: Nō dedignetur quispiam, quum rerum omnium dominum atq; creatorem hominem esse videat, nec recuset vt Deo eicredere, quia ipsum cum carne videat: sed accipiat libenti animo testimonium eius, & signet, quia Deus verax est. Hoc enim modo poterit patrem non offendere, qui suum filium diligit: cuius dilectionis signum est, quia omnium eius rerum tradidit potestatem. Omnia enim, ipse ait, tradita mihi sunt à patre meo, et rursus: Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra. Nec quia data sibi potestas est, idcirco dante patre minor videbitur. Accepit enim vt homo, quādo humiliavit seipsum, aliter quō ab aequalitate Dei patris descendisse humiliatus diceretur: An non vides in istis patre quidem vt Deum dare, filium aut vt hominem accipere illa, quae vt Deus habebat: Non ergo ita dat pater, vt initium potestatis filio praebat, sed ita vt cū carne filius ad potestatem, quam absq; carne semper naturaliter habet, recurrat. Non enim quando factus est homo, haec sibi potestas primū est. Ad quā enim diceretur humilitatem descendisse, si factus homo potestatem in omnibus accepit: Aut quō serui formam accepisse crederetur, qui cū acceperit, tūc demum factus dominus est? Abijciamus haec impia ex animo nostro: factus enim homo, vt homo incipit dominari, qui nunq; conuenientem Deo dignitatem amisit, sed cum carne ad id, qd semper est, factus homo ascendit. Quod autem haec ita se habeant, ipse ostendit, dicens: Pater glorifica me illa gloria, quam habebam apud te, anteq; mundus esset. Perpendis, quia non initium gloriae petit, sed renouationem, vt ita dicam: non quod amittere timeat, sed quia vt homo regnare incipit. Quod autem propter carnem domini dicantur, quis multis probari possit, optimè tamen ex illa horribili Danielis visione monstratur, in qua vidisse ait antiquum dierum in sede, & mille milia acceties centena milia ministrari illi atq; assistere, quibus adiecit: Et ecce cum nubibus caeli, quasi filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem & regnum, & oēs populi, tribus & linguae ei seruiant. Vides quomodo filius regnū à patre, vt filius hominis accipit: humiliavit enim seipsum, vt scribitur, habitu propter nos inuentus

Esaia 48

Prouer. 25
1. Corin. 13

Matth. 11
Matth. 28

Philipp. 2

Ioannis 17

Daniel. 7

Philipp. 1

Z iij vt ho-

Cauilli so
lutio.
Act. 8

Numer. 11

vt homo vt quum primus ad regnū redierit, initium & via æternæ vitæ, regalisp; glorix nobis proponatur: & veluti quamuis ipse naturaliter vita sit, descendit tamen propter nos, vt homo ad mortem, vt hoc modo verè in omnibus naturæ nostræ (vt ita dicam) permixtus, & ab interitu nos liberaret, & æternæ vitæ nos participes faceret. Sic quamuis Deus sit, dedecora tamē nostra sumpsit, vt ad regium naturam hominis reduceret honorem. Primus enim (vt Paulus dicit) factus omnibus & via & ianua, & origo bonorum nostrorū, à morte ad vitā, à corruptione ad immortalitatem, ab imbecillitate ad virtutē, à seruitute in adoptionem filiorum Dei, à dedecore & infamia in honorē & gloriā nos restituit. Quare quando vt homo accipere illa videtur quæ habuit, & semp habet vt Deus, nō conturbemurised dispensationis memores, absq; detrimento integrā mentem nostrā conferuemus.

Caput LXXIII.



Vi credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam. Non absq; ratione credentibus in Christum, vitam referuari testatur, sed ab ipsis rebus tantæ rei demonstratio nem adducit. Vita enim secundū naturam, vni genitus Dei filius est; in

Acto. 17

1. Ioann. 4

Ephes. 3

Cauillatio

Solutio.
2. Corin. 5

Coloss. 3

Psalms. 33

ipso enim viuimus & mouemur, & sumus. Ingitur enim ad nos per fidem, & per spiritum sanctum inhabitat, quod in epistolis hic ipse testatur Euangelista. In hoc enim, ait, cognoscimus, quia in nobis est, quia ex spiritu eius dedit nobis. Viuificat igitur Christus credentes in se, quia quum secundū naturā vita sit, in fide libus habitat. Quod autem per fidem hoc fit, Paulus ostendit dicens: Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt det nobis bonitatis suæ virtutem, corroborari per spiritum eius, habitare Christum per fidē in cordibus vestris. Quoniam igitur ipse filius vita substantialiter est, & per fidem in credentibus habitat, quomodo non veraciter dicitur: Qui credit in filiū, habet vitam æternā; qui autē incredulus est filio, non videbit vitā. Num igitur, dicit aliquis, eam opinionem nobis Baptista imprimere voluit, qua resurrectionis mysteriū imminuitur: Vitam enim habituros æternam fideles comprobatur, incredulos autē non visuros vitā ait: ita nō omnes, sed fideles reuiuunt, vt Baptistæ oratio significare videtur. Sed quod illud abibit, simpliciter de omnibus dictū, resurgent mortui: Quid autem & Paulus sibi voluit dicens: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonū, siue malū: Non possum nō laudare ambigentes, si credentes discendi gratia dubitant. Propositæ namq; orationis hic sensus est: Credenti, ait, vita æterna proposita est. De incredulo verò aliud quidam verba subostendunt. Non enim dixit non habituros vitā incredulos, quippe qui communi resurrectionis lege suscitabuntur: sed vitā, inquit, nō videbūt, id est, nec quantū ad visum quidem pertinet nudum, ad vitam sanctorum peruenire poterunt: non attingent illam beatitudinem, non gustabunt illa gaudia, non videbūt verā illam vitam. Supplicijs enim cruciabūtur, quod omni morte tristius est, in solo sensu dolorum animā in corpore retenturi. Hanc vitæ distinctionē Paulus quoque prædicata uidi, quæso, qualia scribit ad mortuos peccato propter Christū: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cū Christo in Deo: quando enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Aspicias quomodo vitā sanctorū eā appellat manifestationem in gloria cū Christo: Quid porro quando Psalmista canit: Quis est homo, qui vult vitam diligens dies videre bonos: Prohibet linguam tuam à malo. Nōne dicemus sanctorum vitā istis verbis significari: conspicuum, vt arbitror, est. Non em̄ à malis abstinere hortatur, vt carne reuiuiscat (resurgent enim etiam qui malè operantur) sed ad illā inuitat vitam, in qua videre quis potest dies bonos, in beatitudine atq; gloria æternaliter viuens.

Caput

Caput LXXV.

A



Ed ira Dei manebit super ipsum. Apertissime modò hac adiectione, quod diximus, explicauit. Inspiciat hæc diligētius, oro, q; discere gliscit. Qui filio incredulus est, ait, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super ipsum. Si enim non resurrecturos incredulos verum esset, non intulisset statim: Sed ira Dei manebit super ipsum. Verum quoniam iram Dei nomi nauit, manifestè videtur à iucunda sanctorum vita acerbum impiorum cruciatum distinguere, & vitam quidem, gloriam cum Christo, quæ verè vita est, supplicia verò impiorum, iram Dei appellare: solet enim scriptura iram pro supplicio plerūque accipere. Testes sunt Paulus & Ioannes, quorum alter ad conuersos ex gentibus dixit: Eratis iræ filij natura, vt reliqui. Alter ad Phariseos & Scribas; Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?

Ephes. 2
Lucæ 3

Caput LXXVI.



Tergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisei, quia Iesus plures discipulos facit & baptizat, quam Ioannes, quanquam Iesus nō baptizaret, sed discipuli eius, reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam. Vnde hic sermo ad hoc processit, aut à quonam rerum initio narratione orta cognouisse dominus dicitur, quod Pharisei audiuerint, operæ precium est exponere. Quum enim dicitur: Vt ergo cognouit Iesus, præterita quædam res manifestè monstratur. Vniuersa quidem absq; nuncio, sicut Deus, vel antequam fiant, cognoscit. Expectat autem vniuscuiusq; rei opportunitatem, rerumque ordinem potius, quam cognitionem suam in plerisque mirabiliter dispensans sequitur. Quæstione igitur inter Ioannis discipulos & Iudæos de purificatione facta, vt dictum est, magna vterq; suam contentione opinionem defendebat. Nam alij Ioannis gloriæ studentes, legali aspersione, omniq; purificatione Iudæorum sublimiorem esse baptismum eius affirmabant. Cuius rei signum verisimiliter, vt puto, adferebant: quia multi prisca consuetudine sprete, ad Ioannem proficiscebantur. Alij quum non possent flumen orationis illorum deprimere (ingens enim veritatis vis est) inuiti ad Christi baptismum propter confusionem aduersariorum confugiebāt. Et eadem ratione, quia multo plures ad Christum, quam ad Ioannem apertè confluerent, meliorem esse baptismum Christi contendebant; vnde, vt arbitror, magno ardore discipuli Ioannis incensi, ad magistrum accesserunt, dicentes: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimoniū perhibuisti, ecce ipse baptizat, & omnes veniunt ad ipsum. Rationem enim Iudæorum, figura dicēdi mutata, modo interrogationis proferunt. Hinc ergo cognouisse dominus dicitur, quia audissent Pharisei plures se, quam Ioannem discipulos facere atq; ideo æstantem eorum vitans inuidiam, & tempore opportuno passionem reseruans, à regione Iudæorum in Galilæam rursus abiit.

Caput Ioannis III.

B

Caput LXXVII.



Portebat autem eum transire per mediam Samariā. Venit ergo in ciuitatē Samariæ, quæ dicitur Sychar, iuxta prædiū, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. O prudentiam admirabilem. O aciem mentis inauditam. Narrationē incipiens, quæ paulò post quispiam quære re posset, statim incipiendo dissoluit. Dubitare certè possemus, quamnam ob re dominus noster Iesus Christus Samaritanos ante tempus illuminauit: & qui ad Tyriam illam mulierem, quum filix supplex salutem peteret: non est bonum, dixit, vt filiorum panem canibus immittamus: qui antequam Israel eum pelleret, non esse prius præseruatam Iudæis gratiam, gentibus dandam significans: non esse

Matth. 15

Z iij esse

esse dicebat se missum, nisi ad oues perditas domus Israel. Quomodo nunc Samaritanos, anteq̄ omnino Israel salutem suam abiecerit, docebat: Ad hæc igitur omnia reprimenda, per Samariam ipsi transeundum fuisse præmisit. Non enim, inquit, huius gratia ut alienigenas doceret, ac vniuersam penitus Hebræorū benedictionem transferret, in Samariam abiit: sed quoniam illa transeundum erat, sapientiæ opus etiam ibi necessariò fecit. Nam quemadmodum naturalem vrendi vim ignis nunquam amitter, sic omnino impossibile est, opus sapientiæ à sapientia non proficisci. Vt igitur quamuis filiorū panem canibus non esse dandam dicebat, lachrymantem tamen, constanterq̄; inhærenti mulierculæ gratiam misericorditer præbuit: sic Samaritanos quoq̄; suscipiebat, non ab alio commodam nunc dari occasionē discens, sed ipse vnā cum patre ac spiritu, veluti Deus ac dominus determinās: ineffabilem ergo suæ potestatis virtutem ostendens, vniuersam transiens regionem illum minabat, quamuis etiam cædē eius iam meditantēs Iudæos præmonere videatur. Hac enim in alienigenas transitione minari quasi pellentibus videtur, in alios se ab eis, nisi resipiscant, gratiam translaturum: ita hoc per Samariam iter futurorum quædam erat figura.

Matth. 15

Caput LXXVIII.

Rat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat. Quum à terminis Iudæorum exiuerit, alienigenarum regionem ingressus, super fontem Iacob sedebat: ut ænigmaticè significaret, quamuis Iudæorum genere relicto, in gentes abitura sit veritas, non tamē honor & dignitas patrum decider, sed crescit potius, quasi iugibus aquis Christi irrigata. Sedit autem fatigatus ex itinere: ita pellentium impietas maior videtur, qui cum honoribus eum afficere deberent, sudore laboreq̄; persequentes fatigant. Quæ res per Psalmistam prædicta erat: Retribuebant, inquit, mihi mala pro bonis. Verum Iudæorum quidem in his superbia facilè intelligitur. Quid autem rursus nobis Ariani: aduersus quos meritò dicere possumus: Sodoma iustificata est à vobis, qui Iudæorum insaniam excefferunt. Ab illis enim Christus crucifixus est: ab istis ineffabilis natura verbi blasphematur. Quid, inquam, dicent: fatigatus ex itinere sedit. Vtrum ergo propter hæc verba, virtutum omnium dominū imbecillem atq̄ infirmum putabitis? Laboremq̄; itineris vnigenito patris filio accommodabitis, ut passibilis iuxta vos inueniatur, qui pati minimè potest: an hæc quidē tanquā impia recusabitis, & naturæ humanæ quā assumpsit, atq̄ corpori rectè facientes, hæc attribuetis? Nam quoniā in vnam personā duæ naturæ conuenerunt, idcirco nec in duos filius vnus Christus scinditur, & omnia posse ut Deus dicitur. Quumq̄; impassibilis sit, hominis tamen sibi dolores attribuit, quos non ut Deus, sed ut homo perpeffus est. Caueamus igitur, ne quando artificio quodam, ac acie mentis ad consequendā pietatem nobis maximè opus sit, tunc quasi rudes atq̄ agrestes rationē in carnationis assumptionemq̄; hominis longè abijciamus, & maiora quàm ferre possumus, onera humeris nostris imponamus. Si enim homo factus non esset, si serui formam non accepisset, conturbari iure possetis, quando seruire aliquid de ipso dicitur: si verò firmiter credimus, quia verbū caro factum est, & habitauit in nobis: cum ea dixisse, aut perpeffus fuisse dicitur, quæ naturæ nostræ conueniunt, humanitati hæc eius attribuas. Non em̄ poteramus aliter verbum Dei hominem factum esse cognoscere, nisi & loquutus, & perpeffus aliquavt homo fuisset.

Psal. 37
In Arianos increpatio.
Ezech. 16

Ioannis 1

Caput LXXIX.

Ora autem erat quasi sexta. Causam attulit, qua iuxta fontē meritò Iesus sedere voluit. Quum em̄ ad laborem intensior etiam æstus diei accesserit, non voluptate fontis captus, sed calore laboreq̄; ut homo fatigatus

A tus quiescit: horam verò non certè sextam, sed quasi sextam fuisse scribitur etiam nos discamus, vel in minimis non paruam veritatis curam habere.

Caput LXXX.



Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, ut cibos emerent. Dicit ergo ei mulier Samaritana. Non ignorauit, ut Deus, mulieris aduentum dominus, sed quia venturam ad aquas sciebat, doctrinæ illi tetendit retia, ab ipsa re, quam mulier faciebat, facto colloquutionis initio. Quoniam igitur ab omni re immunda cauendum esset Iudæis lex iubebat, nec cum alienigenis aut incircuncisis conuersari (vnde ad maius illi proficiscentes, ac vana potius superstitutione, quàm exquisita voluntate legis commoti, nec tangere quidē alienigenæ corpus, aut simul comedere biberēq̄; patiebantur: immundosq̄; se putabant, si quapiam in re cum Samaritanis conuenirent) ut ergo hac nouitate rei comota mulier, quis esset, & vnde, & cur cum Iudæis habitu videret, à Samaritana potū quæreret, & sic sermo posset ulterius progredi, aquam sitiens, postulans dicit: Da mihi bibere. Illa verò respondit:

Leuiti. 9

Caput LXXXI.



Quomodo quum Iudæus sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana: non enim contuntur Iudæi Samaritanis. Initium disciplinæ quaestio est, & dubitatio prudens, radix cognoscendi, quæ ignorantur, solet fieri. Hanc colloquutionis originem, cum mores Iudæorum contemnere videretur, naçtus prudenter saluator est.

Caput LXXXII.

B



Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi: da mihi bibere, tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Diuinam ignorans mulier vnigeniti naturam, & Dei verbum factum esse hominem nesciens, Iudæū nominabat. Christus verò ad hoc quidē nihil, sed ad altiora mulieris erigens mentem, nescire ipsam ait quis est, qui ab eo potum petit, & quantam habeant gratiam, quæ Deus largitur. Nam si scires, inquit, tu prius aquam viuam à me posceres. His verbis eam impellit, ut harum rerum disciplinam quæreret diligenter. Animaduertendum autem vigilantius est, quomodo absq̄ arrogantia vlla Deum se esse ostendit. Nam primum tardæ ad intelligēdum mulieri admirari oportere Dei gratiam suggerit, deinde eius se gratiæ largitorem profitetur. Si enim scires dona, inquit, Dei, & quis est, qui abs te potum poscit, tu ab eo profectò peteres. Nemo autem potest dona Dei largiri, nisi Deus natura sit. Aquā porò viuam, viuificantem spiritus gratiam appellat, per quam humana natura ab ariditate, infœcunditateq̄; qua diaboli artibus infecta fuerat, depulsa, ad pristinam pulchritudinem ac viriditatem irrigata recurrit, magno virtutum numero florens, & charitate erga Deum suauissimos fructus producens: quod per Esaiam ita futurū Deus prædixit: Glorificabunt me bestiæ agri, dracones & strutiones, quia dedi in deserto aquas & flumina in terra in aquos: ut darem potum populo meo, quem mihi formaui, ut laudes meas enarret. Iusti quoque animam, quasi in fructuosissimam arborem secus aquarum fluenta positam, quidam alius fore narrauit. Multa prætereo scripturæ testimonia, quibus vocabulo aquæ spiritus sanctus intelligitur. Altissimum enim mihi, magnūque pelagus adhuc nauigandum relinquitur.

Esaiæ 43

Psal. 1

Caput LXXXIII.

Dicit

Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias, habes, & puteus altus est: unde igitur habes aquam viuam? Nihil præter communia dictu mulier intelligit, atque ideo putabat repente ipsum sine aliquo instrumento (artibus ut nonnulli faciunt magicis) ab ipsis fontibus putei aquam hauritur: viuam enim communi pacto, quæ modò à fontibus hausta sit, aquam appellari putauit.

Caput LXXXIII.

Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum hunc, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Cito seipsam non piè de Christo suspicatum, quia decantator quidam esset, mulier intellexit. Non enim poterat (nec iniuria) per gratiam eius, cuius verba at tentè audiebat. Quasi ergo non magus, sed propheta esset, qui aquam sine instrumento viuam, vel ab eo, vel ab alio fonte repente posset adferre, ad honestiora mutaret sermonem, & quasi sanctum sancto comparans, dicit: Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis hunc puteum? Ita iam non de difficultate hauriendi, sed de qualitate aquæ loquitur. Samaritani autem, quamuis à Babylone in Coloniâ missi fuissent, tamen aut quia vicini Iudæis erant, aut quia nonnulla religionis Hebraicæ probauerant, maiores Iudæorum patres suos appellare non erubescerant: licet multi eorum à Iacob originem traherent. Hieroboam enim Nabath filius, tempore quo Salomonis filius Roboam regnabat, decem tribus & mediam tribus, Effrem partem secum contraxit, & à Iudæa profectus, Samariam habitauit.

4. Reg. 17

3. Reg. 12

Caput LXXXV.

Respondit Iesus & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam dabo ego, fiet ei fons aquæ salientis in vitam æternam. Nunquid tu maior es patre nostro Iacob: quasi confutatum impossibilem orationem mulier protulit. Saluator autem, verbis quidem sibi (ne arrogans videretur) id aperte non attribuit, rebus autem hoc ipsum persuadet. In infinitum ergo differre has sensibiles aquas atque terrenas ab intelligibilibus ostendit: omnis qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum: qui verò, inquit, biberit ex aqua, quam ego præbeo, non modò nunquam sitiet, sed illum in seipso fontem continebit, qui possit ad vitam eum æternam deducere. Qui ergo maiora largitur, illo maior est, qui vix minora præbere potest. Aquam autem, rursus gratiam spiritus appellauit, quam qui adeptus est, diuinæ scientiæ scaturientem fontem sic adeptus est, ut præceptis hominum non indigeat: sed facillè possit ad potum verbi coelestis etiam ceteros hortari, quales olim erant prophetae atque apostoli, & modò qui ministrum illo rum sunt successores, de quibus scribitur: Hauriatis aquas cum gaudio de fontibus saluatoris.

Esaiæ 12

Caput LXXXVI.

Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire. Terrena rursus mulier cogitat, nec sublimè quiddam intelligit, sed totam saluatoris liberalitatè id efficere posse credit, ut sitiens à magnis hauriendi aquæ laboribus liberetur.

Caput LXXXVII.

Dixit ei Iesus: Vade & voca virum tuum, & veni huc. Probè atque veraciter dici potest, foemineam esse foeminarum omnium mentem. Mollis enim ac tardus earum est intellectus: docilior autem natura virorum atque callidior

A callidior: & hac de causa, ut arbitror, virum vocare suum mulier iubetur: ita & quæ si rudis mulier increpatur, & ad ea quæ sequuntur, mirabiliter oratio præparatur.

Caput LXXXVIII.

Respondit mulier: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Bene dixisti, quia non habeo virum: quinq; enim viros habuisti, & nunc quæ habes, non est vir tuus: hoc vere dixisti. Quum iam perspicuum est, non ignorasse saluatorem nulli tunc legitimè ipsam cohabitare: virum tamen illius quæsisse, ut occasio ad manifestanda occulta mulieris daretur, ut saltem hac re super hominem aliquid de ipso sentire posset. Probat autem respõsum eius, quòd dixerit virum se non habere, quæ tam multis adhæsit. Non enim qui ex voluptate conuenerunt, sed qui secundum legem ex charitate consenserunt, sanctis cohabitare nuptijs dicuntur.

Caput LXXXIX.

Dicit ei mulier: Domine, video quia propheta es tu. Vix non perfectè, sed aliquantulum mulier respuit: prophetam enim dominum prophetarum esse opinatur: melior tamen sensim facta est, nullo modo reprehensionem molestè ferens, & à signo magnam vtilitatem colligens. At tarditate namque, & foemineo ingenio paulatim ad virile conscendit, animi oculos ad altiora iam erigens. Qua in re domini patientia, & peragens virtus vehementer miranda est, qui vel agrestes hominum mentes facillimè, momentoque penè temporis ad sublimiora conscendere facit.

Caput XC.

Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & vos dicitis, quia in Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet. Quamuis prophetam Christum putauerit, quia tamen Iudæum ex habitu esse videbat, Samaritanorum adorandi more gloriatur, & Iudæorum arrogantiam despicit. Iudæi enim non rectam de natura Dei sententiam habentes, in Sion tantummodo, quæ Hierosolymis erat, adorandum esse Deum contendebant, quasi manu facto Deus templo concluderetur. Unde voce prophetarum hoc modo ad ipsos loquitur: Cælum mihi sedes est, terra verò scabellum pedum meorum. Et quam mihi domum ædificastis, dicit dominus: aut quis est locus quietis meæ? Samaritani etiam rursus tam regione, quam imperitia Iudæis vicini, in monte Garizin nominato, solum adorare Deum oportere opinantur. Quæ ridiculosa religio inde orta est, quia in monte Garizin (ut in Deuteronomio legitur) data benedictio est. Hanc igitur Samaritanorum, Iudæorumque in adorando differentiam, tanquam inexplicabilem Christo proposuit, dicens: Patres nostri in monte hoc adorauerunt.

Esaiæ 66

Deuter. 29

Caput XCI.

Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Arrogantiam & imperitiam utrorumque cõdemnat, adorandi modum ad sublimius atque verius transferendum ostendens. Non enim quæretur locus, ubi Deus habitet, inquit, sed tanquã omnia replens atque conseruans, ubique adorabitur, ut quidam prophetarum prædixit. Horam autem atque tempus istius translationis, tempus conuersationis suæ cum hominibus nemo fuisse ambigit. Anima duertendum autem arbitror, quomodo mirabiliter, ut de filio Dei aliquid cogitet, oratione saluatoris mulier inuitatur. Patrem enim Deum appellauit: pater porro nisi filius ei sit, intelligi nequaquam potest.

Malach. 1

Quod

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

Quod non est de numero adorantium filius ea ratione, qua Deus est, sed una cum patre ac spiritu adoratur. Cap. XCII.



OS adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Rursus, quia ita dispensandum erat, quasi Iudæis loquitur, & Iudæorum religione plus aliquid cognitionis attribuit. Samaritani enim non legis, vel prophetarum doctrina ut Iudæi, sed rudiore quadam ratione Deum adorabant. Idcirco nescire illos, Iudæos autem quodammodo scire affirmat, à quibus omnium & Samaritanorum ipsorum salus est: ex semine namque David, qui de tribu Iuda fuit, Christus secundum carnem natus est. Adorantibus autem seipsum connumerat, qui cum patre ac spiritu sancto, tam ab angelis, quam à nobis adoratur. Quum enim serui formam assumpsit, seruo conueniens ministerium suscepit, nec amisit, ne ut Deus ac dominus adorabilis sit, idem ipse est etiam factus homo, ubique utriusque naturæ rationem conseruans. Quam inauditam humilitatem cum audieris, mirari ac imitari debes, non accusare. Tales enim etiam Paulus esse nos hortatur, dicens: Hoc sentite in vobis fratres, quod & in Christo Iesu: qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus ut homo, humiliavit seipsum. Vides, quomodo humiliatus exemplar ipse nobis factus est, qui quum sit Deo patri æqualis, vltro ad humilitatem vltimam propter nos descendit. Quomodo enim obedientiæ aut humilitatis habitus aliter cognosci poterat, quam rebus & verbis humillimis, multoque minoribus, quam verbo ac filio Dei, si homo non factus esset, conuenirent? Quomodo enim descendisse eum dicemus, nisi quicquam sibi deitate indignum attribuemus? Quomodo in similitudine hominum factus est (ut Paulus ait) si congruentia hominibus non assumpsit? Conuenit autem maxime hominibus, tanquam debitam Deo adorationem offerre. Adorat igitur etiam Christus, postquam factus est homo, ut homo. Adoratur autem semper cum patre & spiritu, quoniam Deus verus secundum naturam est. Non ignoro, quia hæc verba contemnent Christi aduersarij, adorarique patrem à filio dicent: non ut à nobis aut angelis, sed alia quadam adoratione sublimiore. Quibus nos dicere non ambigemus: O quam præcipuam vnigenito serui dignitatem attribuitis. Desinite oro huiusmodi honore filium offendere, si patrem glorificare vultis. Qui enim non honorat filium, is nec patrem quidem honorat, ut scribitur. Quis enim honor vnigenito redditur, si sublimius cæteris patrem adorat? Nempe si adorantibus connumeratur, seruus erit, etiam si adorator præcipuus sit, nec à creaturis ut creatura differet, sed quadam alia præstantia excellentior erit, veluti angeli hominibus præstantiores esse cognoscuntur, qui substantialiter, aut ratione sanctitatis, aut quodam cumulo gloriæ, ut opifici Deo visum est, hominibus præstant: in eo autem quod creaturæ sunt, & secundum rationem, qua verè ex nihilo producti sunt, cum cæteris creaturis conueniunt. Quare si villo modo adorare filius patrem ut Deus dicitur, non effugiet, ne creatus esse credatur. Quomodo igitur filius, si creatus: aut quomodo dominus, si adorator ac seruus? Nam mea quidem sententia, regalis atque dominica dignitas, in eo quod quis adoratur, perspicitur. Subiecta verò atque seruilis conditio, in eo quod quisque adoratur, definitur. Quapropter vniuersam creaturam Moses hortatur, dicens: Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruius. Qui ergo natura seruus est, & iugo deitatis subiicitur, huic colere, adorareque Deum necesse est. Quum enim dicitur: Dominum adorabis, ad seruum huiusmodi mandatum refertur: quum verò, Deum, ad creaturam. Ut enim simul cum natura domino, natura seruus cointelligitur: sic cum deitate creante, quod ex nihilo productum est, cointelligitur. Filius autem, cum æternaliter in patre sit, quumque dominus natura

Roman. 1
Adoratio
Trinitatis

Philip. 1

Erroris
conferentia

Ioannis 5

Deuter. 6

IN EVANG. B. IOAN. LIBER II. 136.

Atura sit, quia Deus & creator, quomodo adorandi ei conditio conueniet: ego qui dem non video. Illi autem nugantur dicentes: Quia nec ut seruus, nec ut creatura, sed ut filius patrem adorabit. Erit ergo necesse, in ipsa filiationis ratione hanc adorationem inesse, & oportebit filium adorare, quia in hoc natus est. Veluti etiam nos rationales mortalesque sumus animantes, mentis & disciplinæ capaces: non quia ita volumus, sed quia in hoc nati sumus. Si ergo innatum filio naturaliter est, ut patrem adoret, & sic intelligunt atque prædicant: quomodo in ipsum patrem impij esse non videbuntur? Talis enim etiam ipse natura necessario erit, qualis imago & character & filius eius est. Incommutabiliter enim quæ patri natura insunt, ea etiam filio insunt. Sin verò sponte sua filius patrem adorat, & id est quod sentiunt, coniecturis magis mouentur quam rationibus veris. Et quid prohibet pietatis simulators dicere, quia etiam pater sponte sua filium adoret? Sed par, inquit, atque æquum est, non patrem filio, sed filium patri adorationis munus offerre. Itane rursus nobis, o vos quasi ab adytis, tripodèque ac lauro Appollinis vaticinamini, secundum Eulamitem Samiam, à corde, non ab ore domini verba eructantes: ita bonum & æquum in hac re dicere non erubescitis? An æquum & bonum non est, ut Dei veri filius, Deus verus sit: & is quem creatura omnis adorat, non adorantis, sed natura adorabilis filij pater & sit & vocetur. Non incōcinna sapientibus hæc futura puto. Quomodo autem par esse dicemus, patrem à filio suo adorari: quum utriusque detrimentum id adferat. Primum enim incommutabilem naturæ imaginem, qui adorat, non retinebit. Quippe qui ut minor adorat, & minor non quantitate, aut accidenti aliquo (hæc enim omnia inde abfunt) sed ratione, qua vniuscuiusque substantia definitur. Etiam quomodo verè dicere poterit: Qui me videt, videt & patrem meum: Quomodo præterea non minus se, quam patrem honorandum dicit, quum ratione adorationis eandem gloriam non habeat? Deinde ipse quoque pater detrimentum, ut diximus, patietur. Magna enim ei gloria est, talem naturam filium genuisse, qualis ipse est. Sicut contra non paruum dedecus, si alterius naturæ filium ædidit: quod nec ipsa creaturæ natura patitur. Omnia enim quæ vim generandi nutu creatoris possident, similia sibi secundum naturam pariunt. Educat, inquit, herbam fœni terra, & lignum pomiferum habens semine secundum genus & similitudinem. Erit ergo, quantum ad hanc rem, deitatis natura creaturis inferior. Quodque probè creaturæ largitus est, eo ipse solus carebit. Quis igitur pati poterit has nugas eorum, qui dicunt patrem à filio adorari oportere? Verum, quoniam sponte id fieri à filio dicebant, nec alia re magis, quam æquo & bono id confirmari opinabantur: age rursus à sacris literis, vnde maxime ista sumenda sunt, veritatē scrutemur. Lex igitur à singulis Iudæorum medietatē didrachmi, quasi tributū loco, Deo offerri iubebat: non quoniā pecuniam Deo colligere vellet, sed quod per figuras maiora doceret. Primum quia nemo sui capitis dominus est, sed vnum omnes habemus dominum, quæ tributū depositione profiteamur: deinde in re corporali spiritale tributū describebat. Honora, inquit, dominum ex tuis iustis laboribus, & primitias ei offeras à tuis fructibus iustitiæ: quod iam Evangelica doctrina, cultu legali cessante, effectum est. Non enim corruptibili materia, & exteriori colendum esse Deum arbitramur, didrachmum attribuentes: sed ut veri adoratores in spiritu & veritate adoramus, hunc sensum in lege illa latuisse putandum est. Quum igitur in Hierosolymis esset dominus, ab exactoribus didrachmi dictum fuisse Petro scribitur: Magister vester non soluit didrachmum: Iesus autem antequam à Petro quicquam audisset, præuenit eum, dicens: A quibus reges terræ capiunt census: à filiisne eorum, an ab alienis? Quumque ab alienis, Petrus respondisset: liberi ergo sunt filij, Iesus subiicit. Sed ne scandalizemus eos, accipe, inquit, hamum, & vade in mare, & primū qui ascenderit piscem tolle, & aperiens os eius, inuenies statērem, quem da pro me & te. Vides sub tributo nolle filium fieri: vides ipsum non pati, ut sub iugo seruitutis ut cæteri esse

Calumniæ
refutatio.

Hierc. 23

Ioann. 14

Genes. 1

Exodi. 30

Prouer. 3

Matth. 17

credatur. Quum enim liberam naturæ suæ dignitatē esse cognoscat, nihil se Deo patri debere seruire affirmat. Liberi enim, inquit, sunt filij. Qui ergo vel figuram rei abiicit, quomodo rem ipsam spōte facere, vt dicitis, patietur? An non videtur vobis quasi spiritale quoddam tributum, sed seruitutis quædam professio, adoratio esse? Et cuius rei causa lex adorationem seruituti coniunxit, dicēs: Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruiēs: ianua enim quasi quædam, & via ad seruitutis opera, adoratio est: quum initium seruitutis, qua Deo seruire profitemur, existat. Ideo Psalmista adhortatur omnes, dicens: Venite, adoremus & procidamus ante eum, & ploremus coram domino qui fecit nos. Vides adorationem prociētiæ coniūctam esse: hac re nihil magis, si quis rectē cōditiones rerum intelligit, seruitutis habitum significari puto. Quod si nostri adhuc contendere audent aduersarij, & friuolas accumulare rationes non erubescunt: ostendant nobis omni sancta scriptura reuoluta, vbi verbo & filio Dei carne nudo adoratio attribuitur: Nam vt homo iure adoratur, sic antequam homo fieret, nunquam à sacris literis id ab eo factum esse ostenditur. Coniecturis autem fallis vtentes, meritò audiēt: Erratis, nescientes scripturas, & virtutem Dei, vni genitiq; gloriam ignorantes. Nam quia ea ratione, qua verbum Dei est, non adoratur, sed factus homo propter nos, propter carnem id suscepit, non aliunde melius quam à verbis suis cognoscemus. Vos enim, ait, adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus. Nōne igitur quū plurali numero vtatur, & seruis seipsum connumeret, perspicuum est, hæc vt à seruitutis homine dici: Quid enim eum prohibuit singulari numero (si adorator patris predicari vellet) orationem protulisse ac dixisse: Ego adoro quod scio, vos adoratis quod nescitis: vt cæteris non cōnumeratis sibi hoc attribueret: Nunc verò, quum nos dicat, propter incarnationem, quia homo propter nos factus est, adorantibus se iudæis propter regionem connumerat.

Caput XCIII.

Sed venit hora, & nunc est, quādo veri adoratores adorabūt patrem in spiritu & veritate. Nā & pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorāt eū, in spiritu & veritate oportet adorare. Præfens aduentus sui tempus significat, in quo figuras legis in veritatem, & vmbra in cultum spirituale, & placētē Deo patri viuendī normam per Euangelicam doctrinam transmutari insinuat. Veros adoratores, spirituales videlicet homines futuros adferit, vt ad eum planiore currāt itinere. Spiritus enim Deus, quando corporibus cōfertur, esse intelligitur: & spiritalis adorator sibi gratus est, qui non forma & figuris Iudaicis ad pietatem obumbratur, sed Euangelica virtute refulgens, recta dogmatum disciplina veram peragit adorationem.

Caput XCIII.

Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, quod dicitur Christus. Cū ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia. Quum tempus iam venturū, imò verò adesse dominus dixerit, in quo adoratores veri spiritalem cultum Deo patri offerent: ilicò vel supra ingenium suum mulier ad memoriam Messiae, qui tunc vulgo à Iudæis expectabatur, reducta, venturum esse Christum confitetur, & quamuis voluptatibus carnis data esset, non tamen omnino ignorauit sublimioris Christum doctrinæ fore magistrum.

Caput XCV.

Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum. Non rudibus, neq; contentiosis, sed illis solet se dominus hominibus reuelare, qui ad discendum propensiores, & credendi radices simplici sermone parturientes, ad perfectiorem illuminati facilius cognitionem ascendunt, qualis & Sama-

A Samaritana fuisse videtur: quæ quamuis agrestius atq; rudius altiora consideraret, non tamen bona voluntas ei defuit, nec ab intelligendo procul omnino erat remota. Primum enim potum petenti Christo non dedit, sed Iudæorum spernentē consuetudines videns, transgressionis huius rationem quærebat. Deinde in progressu sermonis prophetam confessa (tantum sibi ad salutem redargutio profuit) maiora diligenter quæsiuit. Patres enim, ait, nostri hic adorarūt, vos autem dicitis, quia in Hierosolymis adorare oportet. Et sic didicit iam adesse tempus, quum veri adoratores, determinata locorum adoratione relicta, spiritualiter patrē colerent. Cuius rei cognitionem soli Christo illa conferens: Non ignoramus, inquit, Messiam venturū, qui Christus dicitur: qui quum venerit, vniuersa hæc nobis explicabit. Vides qua sermonis serie ad fidem mulier præparata est, & quasi per gradus ascendens, ex paruis interrogatiunculis in sublimiorē habitum prosiluit: Non erat igitur alienum totam ei rem vnico verbo declarare ac dicere: Ego sum, qui loquor tecū. Hoc nos moniti exemplo, qui docendi gradum in Ecclesia Dei possidemus, à minoribus incipere debemus, quæ quum neophyti ruminauerint, tunc à paruis ad maiora sic adducendi sunt, vt Iesum Christum iam videant. Qui autem teneros in fide in interiora sanctorum introducentes, ac illotis (vt dicitur) manibus agnū Dei committentes, sacerdotali dignitate nondum benè catechumenos ornantes, sciant e non paruam huius rei in die iudicij rationem reddituros.

Caput XCVI.

T continuo venerunt discipuli eius. Præsentia discipulorum colloquutionis cum muliere attulit finem. Scintilla enim fidei animo mulieris iam hæsit, quæ magnam fauore Christi flammam inferre poterat. Sic enim intelligendum puto, quod ab eo dictum est: Ignem veni in terram mittere.

Caput XCVII.

T mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Stupent discipuli tantam saluatoris humanitatem: nō enim (vt nonnulli simulatione sanctitatis) colloquutiones cum mulieribus euitabat, sed misericordiam suam omnibus præbebat, re ipsa non viris solummodo, sed etiam feminis vitam per fidem attribuens. Non repellant ergo mulierculas, qui pastoris vice funguntur, nec voluntati suæ, sed vtilitati seruiant prædicationis.

Caput XCVIII.

Nemo tamen dixit, quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Probi officium discipuli est, tanta doctorem reuerentiā colere, vt nihil temere interrogare audeat, nec in turpes exeat cogitationes, si cum muliere magister colloquatur: sed pudore potius atq; timore linguam sub sepe dētium teneat, expectetq; vt à magistro expositio istius rei adferatur. Mirari ergo debemus humanitatem Christi, qui cum muliere loquebatur: discipulorum quoq; prudentiam, qui nihil hac de re dicendum esse non ignorarunt.

Caput XCIX.

Reliquit ergo hydream suam mulier, & abiit in ciuitatem. Superior iam huius seculi curis, voluptuosa paulò antè mulier facta est, nullam que sitis aut aquæ habens rationem, ad sublimiorem habitū per fidem instituebatur: & charitatis, quæ virtutum optima est, viribus accensa, bonum quod ei contigit, cæteris quoq; cursu præbere studebat: nec mirum. Occultius enim Christus secum loquebatur, dicēs: Gratis accepistis, gratis date. Non ergo imitandus ille seruus, qui talentum obruit, sed multiplicanda sunt quæ accepimus: quod probè nobilis illa mulier fecit, quæ Samaritanis omnibus, quod accepit, AA ij pro-

Deute. 6
Adoratio
quid sit.

Psal. 49

Math. 22

Spiritualis
adorator.

Luca 12

Matth. 10
Matth. 19

propofuit: quæ non aqua à terrestri hausit fonte, nec terrestrem hydriam domum reportauit, sed cœlesti saluatoris gratia & doctrina plena, ad docendos alios continuo fuit profecta. Vnde discimus, maiora melioraq; à Deo nos consequuturos, si parua hæc & temporalia neglexerimus.

Caput C.

ET dixit illis hominibus: Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunq; feci, nonne ipse est Christus? O mirabile mulieris prudentiam, o ineffabilem virtutem Christi: artificiosè iam loquitur, quæ paulò antè nihil intelligens, audiuit: Vade voca virum tuum & veni huc. Opera certè precium est inspicere, quàm artificiosè loquatur: non em̄ inuenisse se Christum dicit, nec statim incipiens, narrationè de saluatore textit, ne à Samaritanis, qui mores eius cognouerant, tanquam delapsus, & quasi maiora q̄ intelligere posset, dicens, derideretur. Miraculi ergo narratione præposita, præparauit auditores ad fidem. Venite, inquit, & videte. Sufficiet enim solus visus ad fidem: faciet vos ille multis ingentibusq; miraculis certiores. Nam qui cordium nouit secreta, & hanc diuinam possidet dignitatem, quomodo cuncta non efficiet, quæ voluerit?

Caput CI.

Xierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum. Durities Iudæorū à Samaritana facilitate arguitur, & credulitas illorum, horum humanitate reprehenditur: considera enim animos vtrorumq; vt multo magis Iesum possis admirari, quia à Iudæis recessit, & alienigenis seipsum largitus est. Iudæi enim, quibus Christus lege Mosaica venturus prædicabatur, quibus prophetarum multitudo iam in ianuis penè ipsum ostendebat, dicens: Ecce dominus Deus noster, ecce dominus: quibus nouissimè magnus inter natos mulierum Ioannes p̄sentem monstrabat, dicens: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, quibus quod maius ac mirabilius erat, mirabili potestate signorū seipsum saluator reuelabat. Iudæi, in quâ, omnibus istis instituti, cædè meditant̄ iniustam, insidiant̄ impiè, refrenare furorē inuidiæ nequeūt: pellunt à se vitam, lucē, saluatorem omnium, viam & ianuam regni cœlorum, peccatorum remissionē, adoptionis filiorum Dei largitorē. Meritò igitur Christus dicebat: Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas, quæ lapidibus petis omnes, qui ad te mittuntur: Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis: ecce dimittitur domus vestra. Samaritani verò longè meliores, innatam sibi cupiditatem felicitate mortū & obedientia superantes, cum vnicum narrare miraculū audierint, ex vrbe ad Christum effunduntur, non prophetarū voce p̄moniti, non Mosaica lege instituti, non Ioannis doctrina firmati: sed vnica muliere, & illa peccatrice ac vili narrante, cursim ad Christum contendunt, quare nos quoq; saluatoris sententiam admirantes, clamemus: Iustus es domine, & recta iudicia tua.

Caput CII.

Interea rogabant eum discipuli eius, dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis. Nihil ita paruū in sacris scripturis inuenitur, quod magnam nobis vtilitatem non pariat: omnia enim ad nostram à sanctis viris scripta doctrinam sunt. Inspiciamus igitur q̄so, q̄ præcipuæ modò rei exemplar doctoribus Ecclesiæ dominus ponitur. Nam cum citò venturos ad salutem Samaritanos non ignoraret, sic inde pendet, vt quamuis ex itinere fatigatus esset, nullam tamen corporis haberet rationem: ita exemplo sui, saluti hominū potius, quàm proprio corpori studere, pastoribus Ecclesiæ persuadet, ne illud propheticum audiamus: Væ qui opus domini facitis negligenter. Vt igitur non ignoremus in huiusmodi maximè temporibus ieiunasse dominū, non prætermisit, quomodo

A modo à discipulis rogabatur, vt manducaret.

Caput CIII.

Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. A rebus, quæ iam instabant, responsio textitur, occultiusq; significatur: quod si discipuli scirent de Samaritanorum conuersione iam agi, de illo cibo magis cogitare, quàm de corporali consulerent. Hinc etiam discimus, quanta sit erga homines Dei charitas, quasi em̄ cibū suū putat, perditorū hominū conuersionem.

Caput CIII.

Dicebant ergo discipuli adinuicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare? Non intellexerunt discipuli verba domini, atq; ideo ab aliquo meliorem forsitan illi allatum fuisse cibum cogitabant.

Caput CV.

Dicit eis Iesus: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, & perficiam opus eius. Omni velamine orationis reiecto, rem eis apertissimè dicit. Nam quoniam orbis futuri erant magistri, exēplo sui eos docet, multo maiorē salutis hominū, quàm proprii corporis curam esse habendā. Quomq; suauissimū sibi cibum esse dicat, vt voluntatē patris faciat, & opus eius perficiat, apostolici ministerij conditionē breuissimè describit. Itaq; illos affectos esse oportere ostendit, vt à sola docendī cura pendeant: & quæ corpori necessaria sunt, non ad voluptatem, sed ad conseruandam vitam solūmodo accipiant. Sed hæc quidem ad disciplinam vitæ apostolicę pertinentia sic breuiter dicta sint, nunc dogmaticè verba Euangelistæ consideremus. Missum igitur se à Deo patre adserit: vel ratione carnis, quia homo voluntate patris factus in hunc mundū venit: vel vt verbum à generante intellectū prodiens, & voluntatē patris perficiens: non quasi alienæ voluntatis minister, sed quia ipse est verbum viuens, & voluntas patris exquisitissima, qua qui perierunt, saluantur, idcirco paterni operis perfectorē se appellat. Omnia em̄ per patrē in filio sunt. Sed quamuis & verbum, & consiliū, & voluntas, & virtus patris filius est, idq; omnibus, vt puto, pateat: non erit tamē abs re, autoritate scripturę hoc confirmare. Verbum igitur ibi apertè dicitur: In principio erat verbum, & verbū erat apud Deū, & Deus erat verbum. Consiliū autem Psalmita oratione ad patrem conuersa nominauit dicens: In consilio tuo deduxisti me. Voluntatem similiter dicens: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Nerui enim, vt ita dicam, pulchritudinis sanctorum, totiusq; virtutis habitus à viua & subsistente patris voluntate, id est, à filio roborantur. Virtus autem ibi dicitur: Manda Deus virtuti tuæ, confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Vides apertè bona voluntate Dei patris, virtutē eius, id est, filium carnē assumpsisse, vt hoc quod in nobis fabricatus est, corpus robustius redderet. Nisi em̄ habitasset in nobis, nullo modo natura carnis nostræ ab interitu posset liberari. Quom igitur ipse filius voluntas patris sit, opus eius perficit, ijs qui credunt in eū, salutem largiens. Obijciat autē quispiā, si ipse filius voluntas patris est, quam voluntatē patris perficere missus est: Alius enim est, qui perficit, aliud quod perficitur. Nos autē dicimus, quia etsi horum nominū potestas diuersa certa requirat significata, sæpe tamen in Deo pro eodē accipiuntur. Exactam enim nominū potestatem deitatis natura recusat: de qua quicquid dicimus, non vt se habet, exq̄sitè ac absolutè dicimus, sed vt lingua humana proferre, & aure percipere possumus: necesse est em̄, vt qui in ænigmate videt, in enigmate q̄q; loq̄tur. Nonne vides, quia simplicissima illa natura, vi orationis plerunq; si verba quis sequit̄, duplex videbit̄? Ducebant, inquit, filios eorum per ignem, quod non mandauit eis, neq; ascēdit in cor meū. An igitur necesse non est, aliud esse cor, aliū illum, cuius cor est? Quom igitur simplex est Deus? Sed

AA iij patet,

Esaiæ 40

Ioannis 1

Matth. 23

Psalm. 118

Hiere. 48

Ioannis 1

Psalm. 72

Psalm. 29

Psalm. 67

Obiectio-
nis solutio.

Hiere. 19

patet, quia humano more dictū est, nō em̄ possimus aliter de Deo loqui: intelligere aut̄ omnia ita debemus, vt Deo congruant, & sic linguæ nostræ imbecillitas detrimento nobis nō erit. Quare si filius quoq; de voluntate patris, quasi de alio q̄ de se loqui nonnunquam videatur, sermonis humani ratio veniat tibi in mētem, quo nec dicere, nec audire aliter possemus. Hæc igitur dicta sint, vt voluntatem patris filium plerunq; appellari non ignoremus; quamuis in hoc loco necesse nō sit ita intelligere, cum videatur conuenientius bonam voluntatem, qua qui perierunt, in salutem reuocantur, voluntatem patris hic appellari.

Caput CVI.

Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Rebus rursus sensibilibus, occasioneq; temporis spiritalia præ oculis ponit: initium enim veris tūc verè fuisse videtur, & fata vix adhuc herbescentem viriditatem emiserant, quæ post quatuor menses, vt matura seges, metentium manum poterant desiderare. Nōne vos homines dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit?

Caput CVII.

Ecce dico vobis: Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albae sunt iam ad messem. Si aliquantulū, ait, mentis oculos à rebus terrenis in altius leuabitis, ac spiritalia fata considerabitis, messem iam ad se videbitis. Totaverd hæc res similitudine quadam aspicitur. Sata enim intellectualia, & spicae spiritalis sunt, qui prophetarum voce culti ad fidem Christi perueniunt, quæ seges albescit tunc, cum iam maturus, id est, promptus ad suscipiendam fidem Christi & veram religionem animus est. Messoria verò falx, est apostolorum splendida prædicatio, quæ à legalibus figuris auditores abscindens, ad arcam, id est, ad Ecclesiam Dei transponit: vbi labore virtutis contriti, fulgens in triticum ac diuino dignum horreo efficiuntur.

Caput CVIII.

T qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, & vt qui seminat, simul & gaudeat et qui metit. Prædicationis, inquit, iam tempus est, quæ in fidem conuocet, à legalibus auocet, & finem totius prophetiæ aduenisse iam doceat. Nā lex quidē vmbri atq; figuris vëturum Christum significabat; prophetæ verò post legem sancti spiritus verbis iam iam ad futurū prædicabant. At apostolorum prædicatio, nō venturū, sed præsentem monstrabat; & ita messuit à legali cultu seruientes homines legi, & nudis vocibus in hærentes, & quasi manipulos in Euangelicam disciplinam veri filij Dei transposuit; ac, vt breuiter dicam, terrenis affixos homines, ad vitam angelorum per fidem Christi transtulit; & hæc, inquit, messorum efficiet prædicatio, quæ sine mercede futura non est. Colliget enim fructum, qui possit æternaliter viuere nutrire, nec soli hac mercede lætabuntur mellores, sed q̄ labore prophetarum seminata colligent, in vna celebritate cum illis triumphabūt. Hoc puto Paulum etiam, qui futura probè didicit, de sanctis patribus & prophetis dixisse, cum adserat illos omnes fide consummatus, nō accepisse repromissionem, Deo aliquid pro nobis melius providente, ne sine nobis consummarentur. Simul em̄ saluator voluit mellores cum seminatoribus gaudere.

Caput CIX.

In hoc enim verum est verbum, quia alius est qui seminat, & alius qui metit. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Multo apertius iam

A iam totā rem ante oculos ponit, & vt prophetarum atq; apostolorum amicus, nec labores illorum à laboribus apostolorum separat, nec totam prædicationis gloriam, qua mundus cōuerteretur, apostolis solum attribuit, sed vtriusq; operam in vnum commiscens; vnum inquit futurum prædicationis per fidem fructum ex vtrorūque laboribus, quāuis præparatam multis sudoribus, & maturam iam segetem apostoli susceperint. Ita non dimittit prædicationis gloriam insultari, sed honorandos illos suadet, partim quia labore, partim quia tempore præcesserunt. Hoc & nobis profuturum est, si vt regulam in similibus rebus obseruabimus.

Caput CX.

In ciuitate autem illa multi Samaritanorum crediderunt in eum propter verbum mulieris. Accusatur certè his verbis Israel, & Samaritanorum ad credendum facilitate, imperitiæ simul & credulitatis crimine condemnatur. Quasi enim mirari Euangelista videtur, quod multi propter verbum & testimonium vnus mulierculæ in eum crediderunt, cum qui & lege & prophetis ad agnitionem eius deducerentur, omnia hæc recusauerint, vnde iure à gratia & spe (quam in Christo habemus) decidit Israeli multitudo autem gentium, locum eorum obtinuit.

Caput CXI.

Qum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, vt ibi maneret, & mansit ibi duos dies. Paucis atq; simplicibus verbis, quod factum fuit, exponit: vnde rursus alia quadam ratione ostendit iure decidisse Iudæos, & alienigenas in locum eorum esse transplantatos. Iudæi enim multa & varia miracula videntes, non erubescabant saluatore suum persequi, vt ei vel à patria sua fugere opus esset. Samaritani verò vnus mulierculæ verbo commoti, cursim ad ipsum contendunt, summo per eum rogant, vt apud eos urbem suam ingressus, manere velit, ac salutarem eis doctrinam prædicare. Quæ ambo Christus libenter concessit, quia sciebat non paruum fructum inde sequuturum: plures enim crediderunt propter sermonem eius. Hinc intelligere infideles oportet, quia Christus longè ab offendentibus eum recedit, habitat autem in ijs, qui humili obedientia & sincera fide sibi coniunguntur.

Caput CXII.

T mulieri dicebant, quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuiimus & scimus, quia hic est vere saluator mundi Christus. A maioribus rebus, Samaritanorum fides iam crescit: non enim aliorum verbis, sed ipsius Christi doctrina persuasi, Christum admirantur, cognoscerēque aiunt, quia hic est saluator mundi: ita quum in eo spem salutis habere profiteantur, præcipuum fidei suæ testimonium, ac (vt ita dicam) pignus adferunt.

Caput CXIII.

Post duos autem dies exiit inde, & abiit in Galilæam. Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia propheta in patria sua honorē non habet. Salutari verbo in vrbe illa iam seminato, & fide in animis hominum posita, non vt silentio, quæ audierunt & viderunt, traderent, sed vt absentia eius maiore arderent desiderio, & hoc modo ad maius peruenirent, urbem illorum post duos dies reliquit. Verum quum Nazareth, vbi enutritus fuit, in Galilæam descendenti primū occurrebat, tamen in eam non diuertit: eiusq; rei causam attulit, dicens ipsum Iesum testatum fuisse, quia propheta in patria sua honorem

Hebræ. 11

Luce 4
Matth. 13

AA iij norem

norem non habet. Solemus enim, quod tritum est atque quotidianum, etiam si magnum sit, parui pendere. Præterijt ergo patriam, non quia inanis esset gloriæ cupidus, sed quia optimè sciebat prædicationem fidei fructum ibi facere non posse, ubi prædicator contemneretur. Prætergreditur ergo, non parum illis gratiæ faciens, qui quum neglecturi sermonem eius essent, huius contemptus supplicia effugerunt, quæ daturos omnes scimus, qui prædicationem veritatis parui faciunt.

Caput CXIII.

Quom ergo venisset in Galilæam, acceperunt eum Galilæi: quum omnia vidissent, quæ fecit Hierosolymis in die festo. Ipsi enim venerant ad diem festum. Non temerè à Galilæis suscipitur: vident enim, quàm multa magnæq; Hierosolymis signa fecisset, & ita etiam ipsi religione ac pietate sua ludæorum cõdemnant superbiam, quum legis imperiti multo meliores, quàm docti ludæi comperiantur.

Caput CXV.

Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Libentius cum gratis hominibus, & cum ijs, qui beneficiorum sensum aliquem capiunt, Christus conuersatur, maioræq; largiri paratus est: petit igitur Cana, iterum miracula æditurus, ubi omnia eum posse opinio quodam modo aliqua, hominum animis inhæserat.

Caput CXVI.

Terat quidam regulus, cuius filius infirmabatur in Capernaû. Hic quum audisset, quia Iesus a Iudæa in Galilæam veniret, abiit, & rogabat eum, ut ascenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. Quàmuis ignoraret natura Deum Christum esse regulus, ut hominem tamen adiit, qui filium eius ab imminente periculo mortis posset liberare. Quanquam ergo dominum appellet, veræ tamen dominationis dignitatem ei non concedit. Si enim verum illum esse dominum cognouisset, non rogasset, ut ad ægrotantem adolescentulum ascenderet, sed ut verbo vexantem morbum expelleret. Quid enim necesse erat rogare, ut ad infirmum ascenderet, si credidisset sola eius voluntate posse sanari: Valde autem imperitè liberare quidem à morte posse arbitratur: Deum autem, qui talia efficere possit, nõ arbitratur.

Caput CXVII.

Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Quum duritiam mentis eorum saluator videret non posse ad fidem oratione reduci, signis atq; prodigijs opus esse illis affirmat, ut natura se Deum possint cognoscere.

Caput CXVIII.

Dixit ad eum regulus: Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Parum certè videbat regulus, qui in petenda gratiâ quasi perer delirat. Nam si non modò præsentem, verum etiam absentem posse Christum credidisset, non indignam opinionem de ipso habuisset. Nunc autem id quidem ab eo petit, quod omnipotentis est, nec tamen putat ubiq; ipsum esse, nec morte omnino esse superiorem, quàmuis mortuo iam ferè posse ipsum opitulari sperare incipiebat enim (ut scribitur) mori adolescens.

Caput CXIX.

Dicit

Dixit ei Iesus: Vade, filius tuus vivit. Non imperitiam in omnibus nostram Christus respicit, sed ut Deus etiam peccatibus auxilium adfert. Docet igitur hominem, quod per ignorantiam non fecit, & quæ optauerat, ei largitur. Nã in eo quod ait, vade, fides est: in eo verò quod dicit, filius tuus vivit, rei optatæ consummatio, magna cum potestate perficitur.

Caput CXX.

Redidit homo sermõni, quem dixit Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius eius viueret. Duos eisdem saluator verbis curauit. Nam & reguli animum ad fidem induxit, & à corporis morbo adolescentem eripuit. Hæc ambo eodem ita tempore fecit, ut difficile dictu sit, quemnam prius curasset. Simul autem ego vtrumq; vnã cum verbis saluatoris, alterum animo, alterum corpore curatum fuisse arbitror. Serui autem occurrerunt, velocitatem & vim verborum Christi annunciantes domino sic dispensante, ut ab euentu rerum reguli fides confirmaretur.

Caput CXXI.

Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit: & dixerunt ei, quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: filius tuus vivit: & credidit ipse, & domus eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, quum venisset a Iudæa in Galilæam. Certior fieri de hora studet, in qua filius eius conualuit: ut videat si tempori congruit, in quo à saluatore sibi gratia fuit concessa. Cũq; ita esse didicisset, Christo totã rem attribuens, cũ vniversa domo saluatur, feruentiorem iam fidẽ agendarum gratiarum adferens loco.

Caput CXXII.

Post hæc erat dies festus Iudæorum: & ascendit Iesus Hierosolymam. Est autem Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethesda, quinq; porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem domini secundum tẽpus descendebat in piscinam, & mouebat aquam. Et qui prior descendebat in piscinam, post motionẽ aquæ sanus fiebat, a quacuncq; detinebatur infirmitate. Non absq; causa reditum domini in Hierosolymam superioribus Evangelista coniunxit: sed ut à collatione rerum ostenderet, quanto alienigenæ tam moribus, q̃ facilitate credendi Iudæis præstarent. Hinc enim, non aliunde discere possumus, iustissimo Dei iudicio Iudæos à gratiâ decidisse, & locum eorum gentes occupasse. Sed non est abs re, collationem breuiter ante oculos ponere. Vniuersam igitur Samaritanorum ciuitatem, vnus mulierculæ testimonio conuersam fuisse ostendit: Regulum & totam domum eius vno miraculo credidisse affirmavit ita facilitate gentium demonstrata, in Hierosolymam rursus saluatorem reduxit, ubi longo cõfectum hominem morbo liberauit. Regulus igitur cũ vniversa familia credidit. Iudæi autem quum mirari amarèq; deberent, impiè benefactorem suum, quasi perditum hominem persequuntur, factis suis multo se peiores alienigenis ostendentes, & multo post terga eorum relictis. Hoc est certè, quod in Psalmis ad dominum Iesum dicitur: Quoniam pones eos dorsum. Nam qui primi omnium propter virtutes patrum erant, post vocationem omnium gentium saluabuntur. Quum enim plenitudo gentium ingressa fuerit, tunc vniversus saluabitur Israel. Hic sensus sola compositione ac ordine rerum emergit, nunc cætera consideremus.

Caput Ioe
annis V.

Psal. 20

Roman. 11

Caput

Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate, hunc quum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei. Tempore Paschæ, die festo azymorum, ac occisionis agni celebrato, Phariseorum morositate depulsus ab Hierosolymis, ad Samariam dominus decessit. Pentecostes verò tempore (hic enim dies festus post illum deinceps sequitur) Hierosolymam reuersus, hominem à morbo liberauit diuturno: triginta enim & octo annis iacuit, & duo solummodo anni ei deerant à quadraginta: qui annorum numerus secundum legem perfectus definitur. Sed hæc historia modo præmittatur, & in spiritali rerum figura contemplationem ascendamus. Post Pascha igitur, quando agnus occidebatur, inuidia Iudæorum pulsus, Samaritanis & Galilæis salutem præbuit. Qua ex re post eadem in cruce sua relicurus Iudæorum gentem, et gentibus se daturus significabatur. Sic enim discipulis, postquam resurrexit, dicitur iri mandauit, quia in Galilæa eos præcederet. Quod autem in fine septem hebdomadarum pentecostes die reuersus in Hierosolymam est, ænigmaticè Iudæorum conuersio significatur: quæ in ultimis huius seculi temporibus misericordia saluatoris fiet. Quod autem antequam determinatum lege spatium temporis absolueretur, à dissolutione membrorum æger ille liberatur, dissolutionem & morbum Iudæicæ gentis longum significat. Non tamen omnino omnes perdentur, sed saluatoris virtute, obedientia & fide in piscina tandem saluabuntur. Quod autem quadragenarius numerus secundum diuinam legem perfectus est, omnibus puto esse perspicuum, qui scripturarum peritiam habent.

Caput CXXIII.

Is saluus fieri: Magnum misericordie Christi est argumentum, non expectare semper laborantium preces, sed sua misericordia præuenire. Præcurrit enim, ut vides: venit ad facientem, misericordia flebitur, etiam antequam ei supplicetur. Interrogat autem si sanari vellet, non quia id alicui dubium esset, sed ut cupiditate valetudinis ad petendum incenderet. Præterea interrogatio huiusmodi, si vellet rem optatam consequi, ad illud occultius intelligendum reducit, quod ipse facile id præstare possiet. Ad hæc, paratior est ipsum fieri ad suscipiendum hanc gratiam, interrogando hortatur.

Caput CXXV.

Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut quum conturbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum enim venio ego, alius ante me descendit. Die pentecostes angeli de cælo descendentes, piscine illius aquam mouebant, & huius motionis sonus, adesse ipsos ad sanctificandum aquam significabat. Ad quam qui primus post huiusmodi factam turbationem descendebat, ab omni ægritudine curabatur. Hæc curationis virtus in vno terminabatur homine: quod signum erat utilitatem legis in solo Iudæorum genere terminatam, nec ad alios unquam transgressam fuisse. Mandata enim legis per angelos in monte Sinai monstrata, die pentecostes postea constituta ministrata, à Dan vsque ad Bersabee solummodo dilatata fuerunt. Quapropter aqua etiam illius piscine, angelorum aduentum significans, non alio, quam pentecostes tempore mouebatur. Sed æger iste iam dolores suos, quam solitudinem desolebat, dicens: Domine, hominem non habeo, qui me in piscinam mittat. Ad hoc enim profuturum sibi Christum sperauit.

Caput CXXVI.

Dicit ei Iesus: Surge & tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo, & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in illa die. Non est hominis tanta potestas & virtus

A virtus: solius enim Dei est proprium, ut sic imperare possit. Non enim orat, ut homo curetur, ne de prophetarum numero aliquis videatur, sed ut virtutum omnium dominus, fieri quod vult, imperat, grabatum etiam in humeris ferre iubet, ut qui videbant, quanta domini virtus esset, inde colligerent. Facit autem illico eger, quod audiuerat, obedientia & fide, quod longis temporibus optauerat, consequutus. In sabbato autem sanauit. Cumque sanasset, confestim ad soluendas legis obseruationes hortatur. Grabatum enim tollere iubet, quum aperte Deus per quendam prophetarum clamet: Non exportabitis die sabbati onera ex domibus vestris, nec tamen ad contemnenda Christi mandata legis hominem impellebat, sed quia vltima hebdomada dies sabbatum est, vltimis Iudæos temporibus integritatem fidei suscepturos significabat, & in nouam viuendi reformatos disciplinam, ymbra & figuras legis deposituros. Hinc beatus Paulus, ut arbitror, recurrentibus ad legem scribit: quia si circumciderentur, nihil Christus eis prodesset, & rursus: Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.

Caput CXXVII.

Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanus factus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Probè, ut puto, de illis dici poterat: Ecce populus stultus ac vecors, oculos habent, & non vident. Quid enim istis infans: qui quum admirari tantam Christi vim debuissent, non modò id non faciunt, verum etiam increpant atque reprehendunt, & transgressionis crimine hominem accusant, qui vix post longa tempora morbum effugit: & iacere imperite persuadent, quasi sabbatum ægrotatione quoque hominum honoraretur.

Caput CXXVIII.

Respondit eis: Qui me fecit sanum, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Prudentissimè atque breuissimè Iudæorum criminationes repellit. Nam quoniam ut transgressorem accusabant, non licere dicentes in sabbato hæc onera ferentem ambulare, ad illum totam rem transfert, qui sanitatem ei largitus est: & magna quasi voce dicere videtur, illum potius quam sabbatum esse honorandum, cui tantæ vires, cui tanta gratia inest, ut diuturnum hunc morbum verbo fugauerit. Non enim homo, sed Deus solummodo rem huiusmodi facere potest. Quomodo enim gratus Deo non est, qui mirabili, diuinæque potestate virtur: ita significantius atque acerbius in eos oratio fertur.

Caput CXXIX.

Interrogauerunt ergo eum: Quis est homo ille, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum & ambula? Is autem, qui sanus fuerat factus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinavit a turba constituta in loco. Feruet cupiditate cædis animus Iudæorum, & eum, qui tollere grabatum imperauit, diligenter inquirunt: ille autem ianuas quidem mortis effugit, & medicum non cognouit, non absque dispensatione in multitudine hominum occultatum, ut ira Iudæorum aliquantulum deferuisceret: non quia ipse timeret, ne quid irati possent aduersus eum, antequam vellet, facere, sed ut exemplo eius declinandum esse ab iratis discamus.

Caput CXXX.

Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit ei: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Ut dispensando latuit, ita rursus dispensando apparet, temporum in omni re oportunitate seruata: nec poterat certè ab eo quippiam fieri, qui peccare nescit, quod ratione factum non sit. Occasionem autem loquendi admonitio præbuit, qua homo docetur, iam non peccare, ne in peiora incidat. Hinc docemur, non so-

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

non solum ad futurum iudicium peccatoribus supplicia reseruari, verum etiam multis ac varijs modis in hac vita plerumque ipsos puniri. Quod ita fieri etiam Paulus te-
1. Corin. 11 statur clamans: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi quod si nosmet ipsos diiudicemus, non vtiq; diiudicamur: dum iudicamur autem, à domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.

Caput CXXXI.

A Bijt ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Iesus esset, q̄ fecit ipsum sanum. Nunciat manifestatq; Iudæis medicum, non vt mali quicquam in eum cogitantes, impietatis se crimine coinquinent: sed vt non ignorant medicum, si quis etiam eorum curari desideraret. Non enim quasi accusans dixit, quia Iesus esset, qui tollere grabatum, ac ambulare in sabbato imperasset, sed qui fecit eum sanum. Quare patet, nihil aliud eum facere voluisse, quam medicum eis ostendere.

Caput CXXXII.

Ropterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbato. Non simpliciter, quia eum persequerentur, narratio hæc ostendit, sed vt impudentia Hæbræorum nō lateat, causa etiam additur, quia ista faciebat in sabbato. Quasi enim non liceret in sabbato bene facere, quasi eo die miserericordius lex prohiberet, quasi nihil ex charitate fieri iuberet, & humanitatis laudem atq; gratiam in illo die exterminaret. Ita Iesum persequuntur, vt non solum impij, verum etiam imperitissimi fuisse videantur: multis enim atq; varijs rationibus voluntatem legis ignorasse arguuntur. Nam, vt ipse Christus dixit, boues ouesq; suas die sabbati potum ducebant: circuncidebantur etiam in sabbato: deinde turbantur, quum à longa ægrotatione in sanitatem eo die homo reductus sit. Tanta enim iniquitate tenebantur, vt hominem, qui ad imaginem Dei factus est, pecoribus non præponerent. Sed illa quidem absq; culpa, à fame ac siti posse liberare credebant: omnibus verò supplicijs cruciandum putabant, si quis proximo prodesset in sabbato. Iure igitur de illis scriptum est: Erratis nescientes scripturas, à quibus figuratè Iesus describitur indifferens de sabbato futurus fuisse. Mose namq; vita perfuncto, ac in superiores translato mansiones, iudicio ac sententia Dei Iosue gubernationem populi sortitus fuit. Qui quum innumeris militibus Hiericho urbem circūdedisset, arcam Dei integris sex diebus per Leuitas circūduxit: in septima verò, id est, in sabbato vniuersam multitudinem summos clamores ad clamorem tubarum ædere iussit, & sic mœnia concussa deciderunt, & ingressi Iudæi, urbem ceperunt. Nec propter legem, quæ de sabbato est, victoriam amiserunt, nec ductoris sui Iesu Naue imperia recusarunt: sed principatum eius omni laude semper prosequuti sunt. Hæc quidem figura fuit, venit deinde veritas, id est, Christus, aduersus naturam hominis fabricata à diabolo mœnia depositurus. Quumq; aduersus morbos nostros in sabbato militet, iam diu per figuram (vt diximus) soluto, ferre imperiti non possunt. Ita quoniam Iesum sanantem homines persequuntur, ipsam etiam naturam, quæ id plerumq; facit in sabbato, accusare videntur.

Caput CXXXIII.

Iesus autem respondit eis: Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor. Hæc verba Christus die sabbati loquutus est. Hoc enim quum dicat, vsq; modò, intelligere omnino debemus: nam aliter nulla huius orationis vis est. Quum igitur propter imperitiam Iudæi naturam vniogeniti penitus ignorarent, ac soli Deo patri Mosaicam legem attribuerent, cui omnino parendum censebant, hac oratione breuissimè atq; apertissimè docentur,
in o

IN EVANG. B. IOAN. LIBER II. 142.

A in omnibus se patri cooperari. Nam quoniam eiusdem naturæ cum patre est, nec aliud præter illum, quantum ad identitatem substantiæ pertinet: idcirco alia, quam pater velit, velle non potest: ipse enim viuens consilium, atq; virtus patris subsistens est, ac id eo vniuersa operatur cum patre. Vt igitur iratos sibi propter sabbatum reconciliaret: pater meus, inquit, vsq; modò operatur, & ego operor. Si creditis, inquit, nutu & voluntate opificis Dei sabbati quoq; die omnia gubernari, ac solè qui dem oriri, fontes fluere, plantas è terris prorumpere, ignem vsui hominum etiam die sabbati seruire: quur temerè atq; imperitè accusatis eum, per quem omnia pater operatur? Omnia enim Deus pater non aliter, quam per virtutem & sapientiã suam, qui filius eius est, peragit: propterea, inquit, & ego operor. Refrenare igitur atq; retundere iram eorum studeat: quum non tantum sibi, quantum patri, cui legè attribuebant, ostendat repugnare: & vt filium patris natura se esse significet, singulari quodam modo articulo præposito, patrem suum Deum appellat, vt ad hæc verissimam religionem mentes auditorum impellat.

Caput CXXXIII.

Ropterea ergo magis quærebant Iudæi eum interficere, quia nō solum soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Ad maiorem incitatur crudelitatem animus Iudæorum: & quum oporteret eos verbis Christi ad melius commutatos fuisse, in eadem eius incenduntur, qui rebus magis, quam verbis nihil in Deū commissum esse docebat, si homini salutem suam in sabbato largitus est. Et vt maioribus impietatis se ipsos vinculis stringant, non possunt ferre singulari quodam modo patrem Christi Deum appellari. Non enim intelligebant verbum Dei, vitam ex patre fluentem, vniogenitum scilicet eius filium, per quem propriè atq; verè Deus & dicitur & est pater, hominem propter nos esse factum. Nō est enim propriè atq; verè pater noster, sed adoptionem nō natura ad illam nos dignitatē, sed propter Christum, qui in nobis per spiritum sanctum habitat, ascendimus. Hominem igitur esse evidentes, & habitantem in eo Deū non cognoscentes, ferre non poterant, singulari, vt diximus, modo Deum ab eo patrem appellari. Rectè namq; id solū intelligebant: quia cuius verè ac propriè Deus pater est, is secundum naturam Deo æqualis est. Quod in maiorem eos insaniam incitabat.

Quod neq; secundum uirtutem, neq; secundum operationem pater filius minor est, sed æqualiter omnipotens, ut ab eo prodiens secundum naturam.

Caput CXXXV.

Respondit Iesus, & dixit eis: Amen amen dico vobis, non potest filius a seipso quicquam facere, nisi quod viderit patrem facientem. Quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Quod iam præuenientes diximus, id nunc alio modo latius exponit, vndiq; ad veritatem auditores inducens: & quod imbecillitate temporis intelligere non potuerunt, varia oratione pertractans. Opus certè diligentis magistri est, non transcurrere, neq; altiora prius menti auditorum ingerere, quam priora cognouerint. Diuinis igitur humana commiscens, & dignitatem vniogeniti eo modo subti- cens, vt & naturam hominis quasi dominus excedat, & seruis connumerari percipiatur, ait: Non potest filius quicquam à seipso facere, nisi quod viderit patrem facientem. Quæcūq; enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. In eo enim, quod omnia potest similiter sicut Deus pater facere, identitas substantiæ confirmatur. Similiter enim operantur, quæ omnino eiusdem naturæ sunt. Quæ autem diuersas essendi habent rationes, in ijs idem operationis modus esse non potest. Sicut igitur Deus verus ex Deo vero, eadem patri similiter facere potest. Verum vt non solum
BB modo

modo æqualis in omnipotentia patri esse videatur, sed etiam eiusdem omnino voluntatis, nihil posse à se filium facere dicit, nisi quod viderit patrem facientem. Ita quasi magna voce ad invidentes & persecutores dicere videtur: Non honorari à me sabbatum putatis, quia hominem eo die curavi: Sed ego nunquam id fecissem, nisi hæc à patre quoque fieri viderem, qui per me mundum etiam die sabbati gubernat. Impossibile, inquit, est, cum filius eius, & ex eo naturaliter sim, me aliud velle aut aliud facere, quam quod pater & velit & faciat: non quia quasi exemplo quodam didicerim, aut quia voluntate imitandum esse patrem iudicaverim: sed quia naturæ legibus ad eandem operationem atque consilium conscendo. Id certe significari puto, quum dicitur non posse à seipso filius quicquam facere, & sic pie omnis sensus ad obsequium Christi capietur. Sed insultabit iterum forsan his verbis, quasi pabulo enutritus, veritatis inimicus, dicens: Si æqualis patri filius esset, nec minor villo modo secundum naturam, quum apertissime nihil posse à seipso facere, nisi quod viderit patrem facientem affirmat: Clarè namque his verbis nihil à seipso posse facere dicit: quod non diceret, nisi superiorem semetipso patrem cognosceret. Sed oportebat te de homine diligenter prius horum verborum potestatem rimari, quam ita temerè nobis insultare. Qua enim ratione ab æqualitate patris filium detrudis: quum dictum non sit, ideo non posse à seipso quicquam facere, quia nihil possit, nisi pater ei concesserit: sed potius nisi quod viderit patrem facientem. Illud enim imbecillitatem eius ostenderet: hoc æqualis esse virtutis atque potentia comprobatur. Videndi enim sensus non maiores vires immittere solet, sed ad perspicientiam rerum prouocat. Cum igitur patris opera videre se filius dicat, non ostendit se imbecillum, sed perfectiorem (vt ita dicam) operum patris: quod paulò post latius enodabimus. Quòd autè identitate operationis, omnipotentia identitas declaratur, à verbis suis liquidò colligitur. Ipse namque subiicit: Quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Quò igitur minor est, qui eadem operatur: aut quomodo ignis aliud, quam ignis operabitur: Sed hæc de proposito textu dicta sufficiant. Consideremus autem rursum virtutis & potentia nobis ratione proposita, non conuenienter dici secundum esse natura filium à patre. Vtrum igitur Deum verum ex Deo naturaliter, & ex substantia patris filium posse profiterentur, aut Deum quidem esse concedunt, sed non ex substantia patris esse contendunt: Nam si non est ex substantia patris, nec secundum naturam Deus erit, nec Deus verus. Quomodo enim natura Deus esse intelligitur, nisi ex Deo naturaliter sit: Aut quò filius verè, nisi ex substantia patris natus sit: Aliter enim adulterinum quendam & recentè introducunt Deum. Si autem erubescit id dicere, et Deum natura, ac verè unigenitum patris filium non negabunt: quomodo minor, quam pater erit: Aut quò, si minus ipse in aliquo, quam pater possit, imbecillitatis crimine ipsa etiam substantia patris non accusabitur: Nã si quum natura Deus filius sit, imbecillus est, quid prohibet patrem quoque eiusdem naturæ Deum, imbecillè in aliquo videri: Et ita secundum opinionem istorum, non erit natura deitatis immutabilis, & firmæ beatitudinis. Proh dolor, quis patietur hæc audiens: Quis non stupebit, quum imbecillus filius ab istis dicatur, quem scriptura prædicat dominum esse virtutum: quod propriè atque verè soli filio cum patre ac spiritu sancto inest. Sed pater, dicent, primus in operando est: quia & virtutis, et scientia in eo perfectio est. Filius autem primò videt, deinde imitatione patris habitus, operatur, & ita similitudine operandi Deus appellatur. Quod ipse nos docuit, dicens, nihil posse à seipso facere, nisi quòd viderit patrem facientem. Quid dicis, de omnium hominum audacissime: tu figuras quasdam operationis paternæ colligere filium credis, & hoc modo Deum appellari putas: Doctrina quadam ergo, & non natura Deus esse videbitur, & scientia quadam & arte more humano patrem imitabitur. Hunc ergo, qui solo artificio Dei nomen consequitur, in cœlis adorant angelus, & nos absque culpa adoramus: quibus à scriptura dictum est, ne vllum alium præter verum

verum Deum adoremus. Sed non sentiunt, qui ista dicunt, quòd impietatis deueniunt. Primùm enim mutatio in filio inspicietur, qui à minoribus ad maiora imitatio nis studio proficiet. Atqui is ipse filius de se per Prophetam dicit: Videte, videte, quia ego sum, & non mutor. Psalmista quoque ad eum clamat in spiritu: Tu autem idem ipse es. Nam si facientem, quasi magistrum patrem speculatur, vt opera eius possit imitari, quomodo ab ignoratione ad cognitionem proficere, & à peioribus ad meliora immutari non credetur: cum nemo sit, qui cognitionem ignorantia meliorem non putet. Deinde dicant nobis, quæso, qui magistrum magis, quam patrem Deum appellant, vtum opera patris ignorans filius facientem videt vt discat, an quis optimè sciat, nihil tamen facit nisi à patre doceatur: Nam si hoc vltimum dabunt, ridiculosissimi profectò erunt, qui & filio, tanquam ignorantem, considerandi quæ sciat, & patri docendi frustra laborem imponunt. Sin verò alterum dicent, ac vt ignorantem, vt discat, facientem patrem videre contendant, quòd vniuersa scire dicitur, antequam generentur: aut quomodo verè de seipso dicit: Deus appropinquans ego sum, & non Deus de longè, non occultabitur quicquam à me: Præter eà quomodo stultum non est credere, quòd omnia spiritus scrutetur, etiam profunditates Dei, cum largitori spiritus paternorum operum ignorantiam attribuatis, & minorem ei cognitionem, quam spiritui suo accommodetis: An etiam sapientia non erit filius: Quispe secundum vos, si discendo proficit, non erit sapientia ipse secundum naturam, sed sapientia potius capax. Sapientia enim est, quæ sapientes facit, non quod sapiens sit: sicut et lumen, quod illuminat, non quod illuminatur. Erit igitur aliud ipse, aliud sapientia, quæ in ipso est. Quare nec simplex, sed à diuersis rebus compositus: nec igitur Deus natura, & substantialiter. Discere namque ab alio, & duplicem esse atque compositum, alienum penitus à deitatis natura est, cui summa simplicitas, & summa perfectio inest: quòd si filius natura Deus non est, quomodo ea operatur, quæ solus Deus potest operari: An sufficere ad tantam virtutem ei putabunt, vt solummodo patrem videat facientem, & confestim omnia possit facere, quæ pater ei ostenderit, & sic dignitatem Dei consequatur: Quid igitur prohibebit, si alijs quoque operum suorum viam hanc, rationemque pater voluerit ostendere: nonne multi nobis emergent dii, & ita paternæ substantia dignitas ad discendi studium tota conferetur: Sed certè non doctrina (vt ipsi nugantur) in dignitatem naturæ patris ascendit filius, sed natura, vt ipse dicit: Ego & pater vnum sumus: qui me videt, videt patrem meum. Considerent igitur, quæso, quanta impietas è verbis suis erumpit, & rectam de filio Dei sententiam capiant, qui non consideratione operum patris, nec quia quasi doctorem imitetur, creator, & mirabilium operum operator, et filius est, sed naturalis quædam lex in identitate patris eum continet, & hoc à perfecta operum similitudine demonstratur. Sed proposito rursus textu, sensum diligentius perscrutemur, & quòd pie intelligatur, consideremus. Non potest, inquit, filius facere quicquam, nisi quòd viderit patrem facientem. Quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Perspicias, vt operum identitate æqualè se patri ostendit, ac substantia patris hæredem. Hæc enim dicit, vt necessariò natura Deus intelligatur, quum eadem cum Deo patre operetur. Nemo autem turbetur, quoniam nihil se facere posse ait, nisi quòd viderit patrem facientem. Nam quia serui formam assumpsit, propterea dispensando ita loquitur, vt Deum & hominem simul deceat: & hæc quidem ratio vera est, illa verò etiam acutior. Cum enim dicitur, non posse filium quicquam à se facere, non imbecillitatem aliquam filius sibi attestatur: vt si quis dixerit, non posse decem semilia pondo humeris ferre. Sed est alia quoque istius verbi potestas: stabilem enim operationem naturæ, quæ aliter se habere non potest, non nunquam significat, vt si rationalis quidem homo, & ex homine secundum naturam rationali natus, non posse diceret, quasi proprium quicquam à seipso se naturaliter facere, quòd naturæ patris inesse non videat. Hoc igitur modo nihil à seipso facere si-

Obiectio.

Solutio.

Psalm. 23

Tergiuersationis reiectio.

Deuter. 6

Malach. 3
Psalm. 101

Hierm. 23

1. Corin. 2

Ioannis 10
Ioann. 14

Istius verbi, scilicet posse, est alia potestas, vis alia ac significatio.

lius potest, nisi quod viderit patrem faciētem. Nolite igitur opera filij carpere, qui aliud facere potest, quā id, quod substantia patris similiter facit, verbi gratia: Si misericors est natura patris, filius quoq; qui ex eo est, misericors naturaliter est, nec potest aliter se habere, quā pater se habeat. Nam quemadmodum à patre substantiam habet, sic substantiæ quoq; bona simpliciter, & procul ab omni compositione, vt Deus habet. Quod autem hic sensus integerrimus est, ipse declarauit, cum statim subiēcerit: Quæcunq; enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Verū si causam etiā, quare à Christo hæc dicta sint, consideraueris, à sensu huius loci vero non aberrabis. Nam quoniam in ægrotum hominem die sabbati misericors fuit, ac propterea Iudæi vt iniquum persequerentur, reconciliare illos his verbis voluit, & ita Deum patrem etiā in sabbato misericorditer facere affirmat. Nunquam enim, quæ ad salutem nostram faciūt, prætermisit. Quare dicebat: Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor. Quibus ne magis mouerentur, adiecit: Nō potest filius facere à seipso quicq;, nisi quod viderit patrem faciētem. Quæcunq; enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Quoniam enim, inquit, semper, & in sabbato quoq; similiter, misericordem esse patrem video, idcirco etiā ego in sabbato misericorditer facio. Non enim possum substantiam patris commutare, cum vnum atq; idem cum patre secundum naturam sim: quare, vt ab ipso sum, ita omnia, quæ ipse peragit, facio. Qui autem dicunt patrem primò facere, deinde filium opera illius imitari, magna imperitia laborant. Quomodo enim seorsum (vt ita dicam) ac solus absq; filio pater vnq; operabitur: quum virtus eius, qua operatur, sit filius, qui æternaliter inest, & voluntatis eius, motionisq; (vt ita dixerim) in agendo expressius. Quod si contendunt expectari à filio patris operationem, vt eam imitari possit, ostendant nobis, absq; filio à patre vnq; aliquid esse factum, aut quod ad rem pertinet, aliquem dissolutum membris à patre absq; filio curatum adferant, vt possint per imitationē patris à filio hunc hominē curatū fuisse nobis persuadere.

Caput CXXXVI.

Pater enim diligit filium. Frustra exacerbatos propter sabbatum arguit, quum se diligi adferat à patre. Non enim offendentem, sed potius gaudio se afficientem pater diligit: frustra igitur persequitur eum, qui operibus suis gaudium patri adferat: & ipsi Deo patre manifestè repugnant, cū odio persequantur, quē ipse diligit. Patet autem non esse illum dilectum patri filium, qui genitoris voluntatem contemnens, sua consilia sequitur. Verū, quoniam filium diligit pater: patet quia etiā in solutione sabbati ei consentit. Patet etiā, nihil hanc rem habere, quo Deus legis dominus iure offendi possit.

Caput CXXXVII.

Tomnia demonstrat ei, quæ ipse facit. Necessariò hæc superioribus addidit. Patres enim humano more, naturali quodam filiorū amore etiā inobedientes filios ferunt ac patiuntur, vt quadam naturæ ad hoc impulsis: sed nō ita, inquit, Deus pater diligit filiū. Nihil em̄ facere potest filius, quod pater non faciat. Nam quum vna patris & filij substantia sit, naturali quadam (vt ita dicam) lege in vnam virtutem & voluntatem conducuntur. Nihil ergo præter voluntatem patris filius facit, sed quæ ipsum facere videt, ea peragit, quum propter identitatem substantiæ à voluntate patris excidere nequeat. Expers enim omnino mutationis est: idem autem semper manet, vt Psalmista cecinit. Pater etiā rursus filio demonstrat, quæ ipse facit, non quasi depicta in tabulis, nec quasi ignorantem doctrina iuuans (omnia enim filius veluti Deus nouit) sed totum seipsum in natura filij sic pingens, vt quæcunq; in se habeat, in filio demonstrat. Ita vt ex quibus quænam sit natura patris, cognoscitur, ex illis etiā natura filij demonstratur: idcirco dictum est, quod nullus cognoscit filium, nisi pater, nec patrem nouit aliquis, nisi filius.

A si filius: est autem in vtroq; non per doctrinam, sed naturaliter vtriusq; cognitio: & pater quidem in seipso filiū videt, filius autem patrem in seipso rursus videt, propterea dicit: Ego in patre, & pater in me est. Videre autem et videri, non humano modo, sed Deo conuenienter intelligatur. Ioann. 14.

Caput CXXXVIII.

Et maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini. Dicitur est in superioribus propter sabbatum, & quia singulari quodam pacto patrem suum Deum esse dicebat, æqualem seipsum Deo faciens, commotos Iudæos quæsiuisse Iesum occidere. Primum igitur accusationem de sabbato reiecit, quum ipsum etiā patrem similiter operari in sabbato demonstrauerit. Nunc quāuis homo propter nos factus sit, æqualem tamen se patri esse ostendit. Hoc enim post illud sequebatur, propterea dicit: & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini. Sanatus est, inquit, homo, qui triginta & octo annis morbo vexabatur: & hæc res diuinam virtutem eius, qui gessit, & potestatem patefecit. Quem ita mirabiliter, & cum tanta potestate facientem, nullus iure carpere potest, si Deum se esse dicat, & filium Dei patri æqualem in omnibus. Verū, quoniam, inquit, propter hoc opus commoti, credere non vultis, multo maiora videbitis, & mirabimini in me tantā sitā esse potestatem, vt mortuos etiā possim suscitare, quæ virtus & gloria Deo solummodo congruit, quem iniquitatis crimine modò vos accusatis & persequimini, quia me filium Dei dixi. Quomodo autē Deus pater opera filio demonstrat, in superioribus expositum est.

Caput CXXXIX.

Sicut em̄ pater suscitatur mortuos & viuificat, sic & filius quos vult, viuificat. Aspice rursus in his æqualitatem maximè demonstrari. Qui enim non aliter, quā pater, mortuos suscitatur, quō minor eo erit: aut quomodo non eiusdem cum eo erit substantiæ, qui eiusdem naturæ habet proprietates: Proprium enim esse supremæ substantiæ, vt mortuos possit viuificare, quod æqualiter patri atq; filio inest. Non autem aliās pater, aliās filius, aut seorsum alter ab altero viuificatur: omnia enim agit filius, cum patrem in se habeat, & omnia similiter pater per filiū operatur. Quoniam igitur vtriq; naturaliter inest, vt possit viuificare mortuos, idcirco etiā vtriq; diuisa oratione id accommodatur.

Caput CXL.

Non enim pater iudicat quenquā, sed omne iudicium dedit filio. Aliud quoddam diuinum atq; præcipuum adfert argumentum, quo se natura & verè Deum ostendit. Cui enim orbem terrarum iudicare alij conuenit, quā soli Deo: quem solum ad iudicandum diuina scriptura vocat, dicens: Exurge Deus, iudica terram. & rursus: Quoniam Deus iudex est: alium humiliat, & alium exaltat. Datum autem sibi à patre ait iudicium, non quia potestatem hanc ipse natura non habeat, sed per dispensationem, vt homo, in diuina potestate sita esse docet vniuersa. Quare in quantum quidem verbum Dei, & Deus est, hæc potestatem naturaliter habet: in quantum autē homo factus est (quoniam ad hominem dicitur: quid enim habes, quod non accepisti?) accepisse hanc se potestatem apertè profitetur. Sed dicet rursus aduersarij: ecce ipse filius à patre accepisse iudicium se docet, accepit autem, quod non habet: quomodo igitur natura non erit, qui abundat, & dat ei, qui indiget atq; accipit? Nos autem accommodatè, vt arbitror, atq; decenter propter incarnationis dispensationem, qua se humiliat, vt in similitudinem hominum factus, id ita esse dictū affirmauimus. Verū, quoniam tu hæc simpliciora Ecclesiæ dogmata negligis, & altiora curiosè quærens, rationibus tuis respondere acutius cogis: primum istud dicimus, nō necessariò, neq;

semper non habenti datur, nec maior est semper, qui dat, quam qui accipit. Quid enim respondebis, si Psalmistam audieris dicentem: Date gloriam Deo: Gloria ne carere Deum putabis, aut maiores creatore creatos homines arbitraberis, quia gloriam Deo adferre iubeantur? Plena gloriae deitas est, etiam si nihil a nobis acciperit. Quod autem a se habet, si id loco honoris accipit, non est minor propterea eo, qui obtulit. Quare nec pater maior proprio filio est, quia ei totum iudicium dedit. Deinde considerandum diligentius est, quia iudicare actus quidam potius est, quam substantia; nam si non actus, sed substantia esset, quum quis iudicare cessaret, confestim etiam ab esse cessaret; quod manifeste falsum est. Nihil ergo aliud iudicare est, quam quidam actus atque operatio. Quid igitur pater filio suo dedit, si totum ei iudicium praestitit? nihil aliud profecto, quam actum quendam super eos, qui iudicantur. Quomodo igitur maior natura, quam filius, aut quid praebuit filio, quod non habebat? Nonne ipse liquidum dicit: Omnia, quae habet pater, mea sunt: Quomodo igitur, inquit, datum sibi esse iudicium intelligemus? Audi quae so, atque attende. Nam quemadmodum cum Deus pater creare omnia possit, per filium tamen ut per virtutem suam id facit: sic cum iudicare orbem queat, per filium ut per iustitiam suam id peragit. Veluti si quis diceret, ignem naturali suo calori cremandi potestatem dedisse, non longe aberraret a veritate: quia cremandi actus hoc modo perficitur. Sic datum esse iudicium filio intelligentes, a diaboli laqueis non capiemur. Si verum impudenter contendunt, dicentes honorem filio accessisse, quum factus sit iudex, ostendat nobis, quomodo dominus erat omnium, qui haec laude in nouissimis temporibus coronatur.

Quod omnes deitatis dignitates in filio sunt, non participatione aut deforis, sed naturaliter. Caput CXXI.



Voēs honorificent filium, sicut honorificant patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum. Causa quaedam modo redditur eorum, quae dicta sunt: sed ut uniuersam orationis potestatem absolutius comprehendamus, paulo altius superiora reperamus. Singulari quodam modo patrem suum esse Deum dicebat, ac se Deo parem faciebat. Similiter quoque omnipotentem se non aliter, quam pater ostendebat, dicens: Quaecumque enim ille fecit, & filius similiter facit. Vitam etiam se, & viuificantem secundum naturam veluti & patrem declarabat. Sicut enim pater mortuos suscitavit & viuificavit, sic & filius, quos vult, viuificavit. Iudicem quoque assensu patris se affirmabat. Pater enim neminem iudicat, sed totum iudicium dedit filio. Quae igitur de causa haec omnia dicta sunt: Ut omnes (inquit) honorent filium, sicut honorant patrem. Nam si omnia ipse est, quae pater est, quantum ad deitatis maiestatem pertinet: quomodo par non erit, aequaliter illum patri honorari, cui ad identitatem substantiae nihil prorsus deest? Sed quid ad haec nobis obijciunt, qui omnia recta, ut Micheas dicit, peruertunt: Si quoniam, inquit, scriptum est, ut omnes honorent filium sicut honorant patrem, idcirco aequaliter patri & filio honoratis, longe a veritate aberratis. Sicut, enim similitudinis dictio est, & si similitudinem quandam, non aequalitatem rerum significat. Sic enim saluator consulit, dicens: Sitis misericordes, sicut & pater vester misericors est. Num igitur ad aequalitatem misericordiae patris ascendere homines hortatur: nequaquam. Et rursus ad patrem de discipulis suis: Et dilexisti eos, ait, sicut dilexisti me. An ergo aequaliter discipuli & filius a patre dilecti sunt: minimè. Cur ergo dictione similitudinis decepti, quae nullam ad hanc rem adfert necessitatem, aequaliter filium patri honorandum putatis? Acerbis, inquam, de vos aduersus veritatem rationibus illatris. Sed prodeant foras canes, ut Paulus ait, foras omnes mali operarii exeant. Veritatis enim nos filij sumus, & genimina lucis. Propterea una cum patre filium veluti Deum ex Deo, veluti lucem ex luce, veluti vitam ex vita, aequali honore atque gloria glorificamus. Scrutari au-

Oblectio
impiorum.
Mich. 3

Luca 6

Ioannis 17

Confutatio.
Philipp. 3

A tariautem altius, quod fide susceptum est, non esse omnino tutum putamus: sed tamen ne nobis illudatis, dictionis huius, quam similitudinis esse dicitis, potestatem inuestigare non grauabimur. Quando igitur de rebus dicitur diuersis ac natura differentibus, tunc non aequalitatem, sed similitudinem (ut etiam vos dicitis) significat. Quando autem de iis dicitur, quae eiusdem naturae sunt, tunc ultimam similitudinem, imò identitatem & aequalitatem ostendit. Nam si quis candorem argenti miratus, sicut solem splendere argentum quispiam dixerit: quoniam diuersa haec natura sunt, non aequaliter soli splendere argentum intelligemus, sed similitudinem quandam splendoris propter dictionem illam, sicut, ostendi concedemus. Sin verò de Petro & Paulo natura hominibus ac discipulis Christi, aliquis dixerit honorari oportere Paulum, sicuti & Petrum, nemo ambiget, quin aequalem velit utriusque honorem contribui. Quare cum honorandum esse filium, sicuti & patrem audimus, aequalem utriusque honorem, eundemque offerre iubemur. Futura enim, ut Deus prospiciens, & liuorem imperitiae tuae non ignorans, non statim sicuti & patrem honorari se oportere adseruit, sed cum affirmauerit Deum se esse naturam, cum singulari modo patrem suum Deum appellauerit, cum vitam se mortuorum esse ostenderit, cum uniuersa se posse facere, quae pater faciat, comprobauerit: tunc tandem intulit, ut omnes honorent filium, sicut honorant patrem. Quid igitur prohibet, si omnia quae pater habet, ipse quoque habeat, si cuncta facere potest, quae pater facit: quid inquam prohibet, ne ei eosdem quos patri honores offeramus? Filium enim honorantes, ipsam naturam patris in filio fulgentem honorabimus. Ideo enim subiicit: Qui non honorat filium, non honorat patrem, qui misit illum. Non enim in alium quam in patrem contemptus filij ascendit. Qui ex natura sua quasi quodam ex fonte filium ita addidit, ut eternaliter cum ipso, & in ipso a scriptura esse adserat. Sed esto (inquit) ascendat contemptus filij non in alium quam in ipsum patrem (molestè enim ferret filium suum contemni) sed non ideo, quia in filio natura eius contemnatur, ut vos dicitis, sed quia imago eius & character est optimè ad deitatis naturam formatus, idcirco ad ipsum profecto contemptus ascendit. Par enim est, ut qui characterem diuinum contempsit, ipsum primitiuum contempsisse videatur. Veluti etiam qui regis alicuius terreni statuas euertit, non aliter quam si regem ipsum contempsisset, punit. Simile quoddam a Deo nobis dictum inueniemus. Qui enim sanguinem hominis (inquit) effuderit, suus etiam effundetur: quia in imagine Dei creauit hominem. Vides, inquit, imagine Dei contempta, quamuis non natura ipsius deitatis contempta sit, in Deum tamen patrem ascendere iniuriam. Hoc modo ergo etiam a Christo dictum est: Qui non honorat filium, non honorat patrem. Num igitur nobis (cum cuncta peruertitis) longe a substantia patris filius depelleat? Quomodo ergo erit natura Deus, si non est eiusdem cum patre naturae? Impie verò nos facere videbimur, qui Trinitatem eiusdem esse naturae confitemur, quos videlicet oportebat patrem ut Deum adorare: filio autem atque spiritu aliam quandam gloriam, ut diuersis quibusdam a Deo naturis accommodare, aliam rationem naturae unicuique attribuentes. Sed unum scripturae praedicant Deum, & filium cum patre simul atque spiritu hoc nomine comprehendunt, ita per substantialem identitatem in unam deitatis rationem sancta Trinitas cogit. Non ergo a natura patris alienus est unigenitus, quae nec filius verè intelligeret, nisi a substantia patris prodiret. Huiusmodi enim in omnibus profecto est modus, & definitio filiationis. Si autem filius verè non est, nec pater erit verè. Quomodo igitur verax erit Paulus, dicens: Ex quo omnis paternitas in caelo & in terra nominatur: Si enim non genuit filium ex se, ut Deum decet, quomodo paternitatis principium in ipso est, & ab eo per imitationem in ceteris, tam in caelo, quam in terra? Sed verè Deus pater est, unigenitus ergo secundum naturam filius est, & deitatis integrè rationem possidet. Deus enim ex Deo nascitur, sicuti etiam homo ex homine: nec ita vana erit Dei ac patris natura, ut dissimilem sui fructum producat. Verum quoniam non naturam Dei patris in filio, sed aliud

Aduersariorum
cauillatio.

Genesis 9

Epheso. 9

quiddam ut imaginem regis vel statuam cōtemni arbitrantur, & hac re Deum læ
 di contendunt, interrogandi sunt, quō patris imaginem esse, ac dici filium putant. ^C
 Imò verò nos ipsi genera imaginis prius distinguamus, ut huius quæstionis veritas
 clarior reddi possit. Primum igitur imago naturalem identitatem omni substan-
 tiæ proprietate seruata significat: hoc modo Abel imago Adæ dicitur. Deinde ima-
 go dicitur, quæ sola imago similitudinem continet: veluti quæ in tabulis diligen-
 ter pinguntur, aut alio quodam modo designantur. Præterea disciplinam vivendi,
 & mores probos aut improbos solet hoc nomen plerunque ostendere: ut si pro-
 bum virum Pauli, improbum Simonis imaginem diceret. Similitudo enim vitæ nō
 ineptè nomen imaginis accipit. Ad hæc dignitas, honor & gloria, omnisque præ-
 stantia posterior, quum præcedentem imitetur, hoc nomine nonnunquam appella-
 tur: ut si quis in principatu successor, imago eius dicatur, cui successit, & cuius maie-
 statem præ se ferat. Postremò, ut cuncta præstringamus, aut qualitate, aut quantita-
 te, aut habitu atque proportionem dicitur. Quum igitur hæc ita se habeant, respon-
 deant quæso, utrum naturalis similitudo atque identitas, imaginis nomine in diuinis
 intelligitur: ut patris imago vnigenitus ideo sit, quia ex eo est, sicut & Abel ex
 Adam, totam in seipso naturam patris conseruans: An hoc ideo absurdum putant,
 ne scilicet Deum ex Deo secundum naturam fateri compellantur: sed veritate repugnantes,
 sola figuræ similitudine dici contendunt: Non arbitror ita stolidos esse, ut hoc dicere
 audeant. Nulla enim quantitate, nulla figura, nullo Deo loco circumscribitur,
 nec has proprietates corporum patitur. Quare nec ille modus capiendæ imaginis,
 quem secundò posuimus, de ipso dici potest. Num igitur quia mores & virtutē
 patris sequatur, sic appellari putant: sed quomodo natura Deus dicitur, si cum sola
 voluntatis ad bonum inclinatione Deo similis sit, aliud quiddam quam Deus est?
 Non enim negabunt verbū Dei subsistere. Sed quid maius quam creatura possidebit,
 si ita est: Nā & angelos credimus, quum aliud natura quàm Deus sint, voluntatis
 tamen inclinatione, quantum natura eorum patitur, Dei bonitatem imitari, imò verò
 nos quoque id facere iubemur. Sitis (inquit) misericordes, sicut & pater vester mi-
 sericors est. Paulus quoque imitator Christi fuit. Sed his omnibus, ut arbitror, quasi
 ad maius atque dignius, ad illud tandem peruenient, clamabuntque imaginem Dei esse
 vnigenitum dignitate, gloria, efficiendi virtute, miraculorum operatione, regnandi
 omnium potestate. Et quia (dicent) quum iudex sit cōstitutus, ab hominibus &
 angelis, & ab omni creatura simpliciter adorant: quibus omnibus nobis patrem ostendit,
 ac ideo his omnibus non per substantiam, neque naturam character eius appellat.
 Ergo ut modò dicebamus, nihil eorum, quæ dixistis, secundum naturam habet filius,
 nec Deus verus, nec filius, nec rex, nec dominus, nec creator, nec iudex, nec bonus
 natura est: sed nudus secundum substantiam his omnibus, non iure adorant. Et quemadmodum
 in tabulis sola varietate picturæ similitudo effulget, nihil rei veræ possidens: sic
 dignitates paternæ nudis nominibus in filio esse videbuntur, quasi coloribus quibusdam
 figura rerum ex parte naturæ depingentes diuinam. Quò igitur nō adeò manifesti
 scripturæ hostes eritis, ut iure de vobis dici possit: Duræ ceruicis, incircuncisi aures atque
 corda, semper veluti patres vestri spiritui sancto repugnatis: Vbi enim non verus Deus,
 filius dicitur: aut vbi non ex substantia pater na emanare scribitur: Quis autem sanctorum
 vnquam dixit, non esse natura creatorē rege omnipotentē, ac denique adorabilem: Nonne
 Psalmista clamat ad eum: Sedes tua Deus in seculum seculi: Nonne Thomas probus
 Christi discipulus, & Deū & dominū suum appellauit: Nonne omnipotens & creator à
 scriptura vocatur: Nec aduentitias, & quasi acquisitas, sed naturales habet has dignitates.
 Propterea & à nobis & ab angelis adorant, cum certè nihil adorare scriptura præter
 solum dominū Deū iubet. Si ergo de foris sibi aduenisse has dignitates credunt, & tamen
 adorandū esse putant: nō creatorē, sed creaturā adorant, recentē quendā Deum ex imperitia
 fingentes.

Lucæ 6
 1. Corin. 4

Act. 7

Psal. 44
 Ioannis 20

^A gentes. Si verò non consubstantialem patri filium dicunt, & tamen verum Deū &
 verum filiū, verum quoque dominum, regem & creatorem fatentur, & hæc illi sub-
 stantialiter inesse arbitrantur: attendant quæso, quò impietatis ceciderunt. Nihil enim
 firmū ac stabile, nihil perpetuū soli Deo attribuetur, si creatura quoque ea sub-
 stantialiter, & per naturam suscipere poterit, quæ in Deo substantialiter sunt. Et quæ
 non perhorrescit tantam veritatis dogmatum perturbationē audiēs: Omnia enim
 sursum atque deorsum evertuntur, deitatis natura ad creaturam deducitur, & creatu-
 rarum substantia per insaniam ad supremæ naturæ locum scandere creditur. Hos
 ergo fluctus, hanc tempestatem impietatis relinquentes, ad tutum pietatis portum
 enatare studeamus. Imaginem itaque Dei patris filium, non acquisita atque aduentitia
 dignitate, sed substantiæ identitate piè fateamur. Omnia enim naturaliter est, quæ
 pater est, Deus verò ex Deo vero, omnipotens, dominus, creator, bonus, adorabi-
 lis & omnia secundum naturam. Ita enim solummodo verum erit, nō honorari pa-
 trem ab eo, à quo filius non honoratur.

Caput CXLII.



Men amen dico vobis: quia qui verbum meum audit, & credit
 ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudiciū non venit, sed trā-
 sit a morte in vitam.

Quum iam per superiora non solum in filium, verum etiam in patrem peccare omnes affirmauerit, qui doctrinæ suæ atque operibus
 iniquitatis maculam inesse opinabantur, ac eo terrore temeritatē ludæorum, quantum
 pertinet ad officium doctoris, oppresserit, futurorum modò spe ad obediendum ei
 hortatur. Mirabili autem orationis artificio utitur. Nam quoniam non rectè senti-
 re de se ludæos sciebat, fidem rursus ad personam retulit patris. Honorificatur enim
 etiam ipse propter identitatem substantiæ, cum ipse pater verè honorificatur. Cre-
 dentes autem, non vitam tantummodo participes affirmat futuros, sed iudicij quoque
 periculum adserit euasuros: ita iustificatum iri eos comprobatur, & formidinem spei
 commiserit. Sic enim significantior ac expressior oratio textitur.

Caput CXLIII.



Men amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mor-
 tui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent. A morte ad vi-
 tam transituros in superioribus fideles dixit, modò seipsum huius rei esse

se autorem affirmat: occultè significans mirabilem quandam fuisse rem,
 quod omnibus mēbris antiquo dissolutis morbo æger, verbo eius sanatus sit: sed
 maiora se verbo solummodo facturum, non egrotationes corporum, sed ipsam mor-
 tem depellendo, & ab interitu in vitam humanum genus reducendo. Hoc ipsum
 illis verbis significabatur: Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse fa-
 ciat, & maiora his ei demonstrabit opera, ut vos miremini. Maior enim admiratio
 illa in suscitatione mortuorum fieri videtur. Occultè autem non paruum eis terro-
 rem incutit, suscitaturum se mortuos ostendēs, & in iudicium deducturum: ut au-
 dientes se reddituros illi omnium harum rerum rationem, tardiores hac formidi-
 ne ad persequendum facti, quietiore animo doctrinam eius audiant. Credimus igitur
 omnes fideles tempus aliquando fore, in quo suscitantis vocem omnes mortui
 audient. Sed nunc etiam tale adest tempus, aut quia (ut communiter dicitur) salua-
 toris vocē Lazarus audiuit, aut quia fideles mortui erant, antequam saluatoris do-
 ctrinam reciperent. Hæc verisimiliora nobis magis videntur, quam exquisita: qua-
 re eisdem iterum propositis verbis conuenientiorē sensum scrutemur. Venit (in-
 quit) hora, & nunc est, quando mortui audient vocē filij Dei: & qui audierint, vi-
 uent. Quum igitur vocē filij Dei auditur os mortuos dicat, tempus illud significat,
 quo ad reddendā huius vitæ rationē, voce, voluntate, & potestate sua omnes resur-
 gent.

Ioannis 5

Ioannis 11

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

gentis (veluti iam diximus) hac formidine, ut ad rectam viam conuertantur, impellit. Quum autē subiicitur: Et qui audierint, viuent, tempus in eum credendū iam adesse ostendit, & huius obedientiæ mercedem, æternam vitam fore promittit. Ita illud quasi clamans testatur: Venietis omnino in iudicium, resurrectionis tempore: ubi si condemnari amarum ducitis, si æternas mihi dare pœnas formidatis, nolite idoneum istud credendū tempus omittere, sed præsentem iam doctrinā meam complectimini, si ad æternam vultis vitam peruenire.

Caput CXLIII.



Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Vide rursus, vide in quā horum dispensationem verborum, & huius orationis habitum miratus, imperitorū cogitationes effugies, & extremam perditionem vitabis. Homo enim vnigenitus Dei filius factus, & in terris visus, ut scribitur, ac multis varijsq; modis ad salutem Iudæos inducēs, duas res magnas, ac Deo dignas sibi accommodauit. Nam & suscitaturum se mortuos, & pro tribunali suo ad iudicium deducturum non obscure dicebat. Turbabantur ergo hæc illi audientes, ac varijs ad persecutionem cogitationibus mouebantur: quia & suum esse patrem Deū dicebat, & æqualē se illi faciebat. Quare potestati, splendoriq; deitatis, humanitatis orationem coniungens, quum summissus de seipso loquatur, iram eorum mitigat. Sicut enim pater (inquit) habet vitā in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso. Nolite, inquit, mirari, si quum me hominem esse videatis, suscitaturum tamen mortuos me pollicear, & in iudicium deducturum miniter. Dedit enim mihi viuificandi virtutem pater, dedit iudicandi potestatem: sed ut lubricam Iudæorum mentem his retinere studuit, sic aliorum quoq; curam non paruam habuit. Quapropter causam, quare hæc sibi data à patre dixerit, ilicō subiicit, dicēs: Quia filius hominis est. Ut intelligamus omnia sibi data fuisse ut homini, qui quum creatura sit, nihil habet à seipso. Vnigenitus verò filius, non vitæ particeps, sed vitæ naturaliter ut pater est: quod latius illud exponentes, quod factum in ipso vita erat, ostendimus.

Caput CXLV.



Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. His verbis, resurrectionis omnium tempus significatur. Quādo (ut diuinus Paulus scribit) ipse dominus in iussione, in voce archangeli, in tuba Dei, ad iudicandum in iustitia orbem de cœlo descendet, redditurus vniciq; secundum merita eius. Repetitur autem hoc paulò quoq; antea dictum, ut tarda Hebræorum mens, maiora facturum possit intelligere, quā vnus ægroti curatio sit. Propterea nolite, inquit, mirari hoc, quod vnus lōgo morbo dissolutus, verbo corroboratus, grabatum etiam tulit & abiit, quum mortem omnino destructurus sim, & orbem terrarum iudicaturus. Non debemus tamen putare, splendorem illius miraculi à Christo ipso diminui. Non enim prohibet, ne hoc mirentur, sed paruum hoc esse ostendit cæteris comparatū. Credere itaq; illos hortabatur, non à morbo solum, sed etiā à morte posse ipsum liberare, ideo maiora hæc narrat. Quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei. Nam qui à nihilo cuncta produxit, quō non poterit quæ semel producta sunt, ab interitu ad vitā rursus reuocare: eiusdē certē vtrunq; ac immēsa potestatis est. Processuros autē vtilissimè de monumentis subiicit, pœtores quidē in supplicia sempiterna, iustos verò cōtrā in vitā æternam.

IN EVANG. B. IOAN. LIBER II.

147.

nam. Sic harum omnium iudicem moderatoremq; se futurum demonstrat: & partim à vitio terrore deterret, partim ad virtutē magnitudine præmiorū inuitat.

Quod Deus ex Deo secundum naturam filius est, & imago genitoris exquisitissima: propterea æqualiter patri honorificatur & glorificatur. Caput CXLVI.



Non possum ego a meipso facere quicquam: sed sicut audio, iudico, ac iudicium meum iustum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Attēde rursus diligenter, ut verborum potestatem inspicias. Nam quum profundum incarnationis mysterium Iudæi penitus ignorarēt, & in templo de virgine assumpto verbum Dei habitare nescirēt, temerario & non secundum cognitionem zelo (ut Paulus ait) ita mouebantur, ut lapidibus obruere ipsum meditarent quia Deū se faciebat, & quia patrem esse suum Deū affirmabat, æqualem se faciens Deo. Sic igitur perperam & sententijs, & prædicantibus de ipso, magna dispensatione saluator vti, quum nec conuenientem Deo sermonē omnino prætermittat, nec penitus à conuenientibus humanæ naturæ verbis recedat: sed digna Deo de se loquutus, ilicō irā auditorum mitigans, humanum quippiā adijcit. Et rursus ad ea quæ humano more dicta sunt, non nihil adferre solet, quo se natura Deum esse ostēdit: hunc dicendū modum etiam hic seruat. Dictū enim iam est: Quia sicut pater mortuos suscitatur & viuificatur, sic & filius quos vult viuificatur: & quod omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & subituri iudicium, retributionē operationum accipiēt. Quæ vtraq; potestate solummodo Dei, quæ immēsa est, effici possunt. Turbantur ergo, qui hominē nudū esse credebant: præsertim quum non ignorarent, in sacris literis enutriti, Deo solummodo iudicium orbis attribui. Canebatur em̄ apud eos illud Psalmistæ: Exurge Deus, iudica terrā. & rursus: Quia Deus iudex est. Molestē igitur ferētes, ab ira reuocat, humilia de se dicens. Non em̄ possum (inquit) à meipso facere: sicut audio, iudico. Quantum igitur ad primam verborum faciem, Iudæorum tarditatē irridere videtur, quasi enim ironicè imb ecillitatē hac sibi ratione attribuit. Sed non ita res habet. Quū em̄ æqualis patri filius sit, eandē operationem ac potestatem naturaliter habet. Dicit autē nihil se posse à seipso facere, iudiciumq; nō aliter quā audit exercere: alio quodam modo idem velle, & idem se posse quod & Deus pater ostendens. Nā nec pater absq; filio (qui virtus eius est) aliquid vnquam operabitur (Omnia em̄ per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil) nec filius absq; patre quicquid effecit, propterea nihil à seipso facere se dicit: sed pater ait, qui in me manet, ipse facit opera. Nec aded hebetes aut fatui erimus, ut vires quas dā à patre donari filio putemus. Nō em̄ esset natura Deus, si deitatis pulchritudo atq; potestas forinsecus sibi accederet: sed ipse quidē pater perfectiones deitatis possideret, quū per caractērē naturæ suæ, ut per virtutē propriam cuncta operetur. Nam qui ita credit, alium quēdam ei quærere necesse est, qui tā imaginī quā primitiuo instalgat. Et sic in infinitū oratio progrediēs, in profundū impietatis pelagus submerget. Verum, quoniam ex patris substantia filius est, ac omnes genitoris perfectiones naturaliter possidens, vnā cū ipso identitate naturæ continetur, propterea ipse in patre est, & habet in se patrem, ac ideo suorum operum virtutē irreprehensibiliter atq; verè patri attribuit: nō quia ipse minus possit hoc faciens, sed quia vni deitatis actioni vniuersa sunt accommodanda. Idcirco vna deitas in patre, & filio, & sancto spiritu est: nec virtute, aut operatione, aut alia quadā re, patre minor filius est, sed in omnibus æqualiter omnipotens: ut latius tūc demonstrauimus, quando illud exponebamus: Non potest quicquam filius à seipso facere, nisi videat patrem.

Baruch 3

Roma 10.

Ioann. 10.

Ioannis 5.

Psal. 81.

Psal. 74.

Ioannis 5.

Ioann. 14.

Thess. 4

patrem facientem. Quæcunq; enim ille facit, hæc & filius similiter facit. Verum, quoniã nulla segnitias, ne dogmata Ecclesiæ iterũ atq; iterum confirmetur, impedimento nobis esse debet, age rursus diligenter eadem ruminemus. Non igitur naturam suã filius imbecillum ostendit, quũ dicat, nihil à seipso facere posse, sed ludæorũ superbiam arguit, Mosaicam ab eis contemni legẽ ostendens. Nam quum, nõ possum ego quicquam à me ipso facere, dixerit: sicut audio, iudico, statim intulit. Quo aperte ostendit non imbecillitate se non posse, sed quia non aliter agere vult quã pater velit. Nam si propter imbecillitatem non posset, non subiũxisset, sicut audio, iudico: sed vires agendi à patre se accipere affirmasset. Nunc autem non posse quicquam se facere à seipso ideo dicit, quia sicut audit, iudicat. Quare manifestum est, non propter imbecillitatem ita dictum esse, sed quia non est possibile, vt aliud pater, aliud ipse velit: vnus em̄ deitatis vna eademq; voluntas est. Nec dissentire vnquam filium à patre pius quisq; crediderit, sed voluntatem patris, filij quoq; atq; spiritus voluntatem esse prædicabit. Necessariò igitur filius ad consentientem (vt ita dixerim) patrem omnia referens, nihil se posse ait, quod præter voluntatem patris sit. Id enim significatur quum à seipso, dicitur. Et quemadmodũ nemo imbecillitatis crimine ipsum accusaret, si non posse peccare affirmaret, sed miraretur magis tantam deitatis perfectionem (per hoc enim significatur, immutabilem ipsum esse) sic quando nihil à seipso posse facere fatetur, mirari magis debemus, naturæ immutabilem fructum videntes, quã imbecillitatis vllam excogitare rationem. Hæc superioribus similiter dicta sufficiant. Nunc alio quoq; modo exponere non grauabimur, si parum humiliore de vnigenito vtentes ratione, & hũc sensum ad dispensationem incarnationis transferentes, coniuncta cognataq; superioribus hæc ostendamus. Quoniam ergo omnes, qui sunt in monumentis, vocẽ suam audituros, ac ad subeundũ iudiciũ processuros dixit, facta semel iudicij mentione, non in illo se tempore solum, in quo mortui resurgent, verum etiam in hac vita rectẽ iudicare ostendit. Quæ autẽ iudicatio erat, & de quibus fiebat, audi mo dũ, atq; attende. Natus est propter nos ex muliere. Non enim angelos apprehendit, vt Paulus ait, sed semen Abraham. Vnde in omnibus debebat fratribus similis fieri: factus autem homo, & in forma serui cognitus, etiam sub lege, legum & conditor, & Deus, & dominus factus est. Quare nonnunq; vt ille loquitur, qui sub legẽ est, nonnunq; vt ille, qui super omnem legem est, potestq; vtrunq; sine aliqua reprehensione facere. Nunc autem vt homo legẽ custodiens, vt ille qui mandata patris transgredi nequeat, vt ille qui nihil à voluntate sua faciat, quod legi diuinæ non congruat, ad ludæos loquitur, idcirco ait: Non possum ego facere à me quicquã: sicut audio, iudico: nihil facere se posse ostendens, quod lex prohibeat, sed id iudicium sequi, quod legi videatur: ita frenum legis excussisse ipsos occultius denotat, cum dicat se non posse quicquam facere à seipso. Vos enim (inquit) data vobis mandata transgredimini, vos à vobis ipsis omnia facere audetis: vos ita de rebus omnibus iudicatis, vt iudicijs vestris diuina legis mandata negligere studeatis: vos doctrinã & præcepta hominum sequimini, & legem ex voluntate vestra fecistis. Ita iustẽ se ipsum iudicare, illos autem iniustẽ affirmat. Et quomodo iterum dicamus: Curauit hominem in sabbato, misertus est eius, qui longis vexabatur temporibus, rectẽ de ipso iudicans. Non enim debebat propter sabbatum misericordiam suam retinere. Nam & pater etiam in sabbato creaturas omnes gubernat, nec per alium id facit, quã per ipsum filium. Quare ipse quoq; filius hominẽ curauit in sabbato. Non enim ignorabat dominũ esse filium hominis, etiam sabbatis & non propter sabbatũ homines, sed sabbatum propter homines esse factum. Quare saluatoris iudicium rectum fuit: fons enim bonitatis natura deitatis est, nec minus in sabbato, quã in alijs diebus bona inde permanãt. Ludæorũ autem iudiciũ, qui commoti hac re temerẽ in cãdẽ ruẽbant, diuinæ legi aduersabatur. Scribitur enim: Innoẽtem

tem & iustum non occides. Ex credulitate igitur sua, non ex voluntate legis mouebat. Acriter igitur ad vituperantes suum iudicium, ad homines, qui quod sibi videbat, id legem faciebant, respondet dicens: Non possum ego quicquam à me ipso facere, id est, legem Mosi non aspernor, sed sequor, & sicut audio, iudico. Quid em̄ lex vult: Non accipies personam in iudiciũ, quoniã iudiciũ Dei est. Cur ergo (inquit) mihi sic irascimini, quia hominem in sabbato curauit, quum Mosen non reprehendatis, qui circũcidi pueros in sabbato iussit: Nolite iudicare secundũ faciem, sed iustum iudicium iudicate. Cur enim si circũciditur homo in sabbato, ne lex Moseos cõtemnatur, totum hominem in sabbato curari pati nõ vultis: Quare ipse quidem iustẽ iudicauit. Nihil enim possum à me ipso facere, sed sicut audio, iudico, & iudicium meum iustum est: nõ enim voluntatem meam, vt vos, facio, sed voluntatẽ patris qui misit me: vos autem à vobis ipsis omnia facitis, ac ideo iniquẽ iudicatis. Quõ autem missio in diuinis intelligitur, in superioribus dictum est. Illud summoperẽ obseruandum iudico, quod voluntatem Dei patris, legem appellauit.

Caput CXLVII.

I ego perhibeo testimonium de me ipso, testimonium meum nõ est verum: alius est qui testimonium perhibet de me, & scio, quia verum est testimonium eius, quod perhibet de me. Quum omnia sapientissimus ille Salomon colligeret, quibus meliores quisq; suos mores facere posset, atq; omnibus ea proponeret, inter alia: iustus, inquit, sui ipsius in sermone accusator est. Et rursus: Laudette proximus tuus, & non os tuum: alienus, & non labia tua. Molestum enim certẽ auditoribus est, propria, nõ aliena voce, suarum rerum maximarum velle testimonium perhibere. Nati enim ita natura sumus, vt minus eis credamus, qui præcipuum sibi decus attribuunt. Quoniam igitur dominus noster Iesus Christus nihil posse à se facere, ac iustum se iudicem esse affirmabat, voluntatem Dei quasi regulam in omnibus sequens: quamuis hoc verissimẽ diceret, tamen quod ignorantes Pharisei natura Deum esse, poterãt dicere, id ipsum anteuertit. Scio (inquit) dicturos vos, tu de te ipso testimonium perhibes, ac ideo testimonium tuum verum non est. Nec molestẽ fero hæc verba, quæ per ignorantiam funditis, neq; volo propter testimonium meum vos mihi credere, alius est, qui de me testimonium perhibet. Significat autem Deum patrem, qui iam multis modis substantiæ identitatem vnigenito filio suo testificatus est: Cuius testimonium scire dicit verum esse atq; integrum. Ita rursus testimonium suũ addidit, ne quis ex impietate falsò quicquam ipsum de se ipso dixisse arbitretur, & sic multarum hæresum prauis hominibus ansa præbeatur. Sicut igitur aliquid consuetudini hominum concessit, qua minus ea probantur, quæ de se ipso à quopiã dicuntur: sic vt Deus ad conuenientem ei dignitatem recurrit, & patris testimonium scire ipse testatur verissimum esse. Scio igitur, inquit, me ipsum, scio quia nihil falsi pater de me dicit. Ea est natura mea, vt mentiri non possim. Primũ igitur cõsuetudini aliquid dedit, deinde magna cũ dignitate scientiam sibi attribuit. Hinc etiã illud discimus, alium esse personaliter patrem, alium filium. Alius enim, inquit, est, qui de me testimonium perhibet.

Caput CXLVIII.

Os misistis ad Ioãnem, & testimonium perhibuit veritati. Vt turpe est suas aliquem virtutes laudibus efferre, etiam si vera de se ipso prædicet: sic vltro ac nõ vocatum ad testificandum accedere, improbari solet. Qui em̄ sponte ad perhibendum testimonium ruunt, videri plerunq; solent, non veritatem rerum, sed voluntatem animi sui persequi. Rectẽ igitur saluator noster, ne id Pharisei obijcerent, præuenit. Vos misistis, inquit, ad Ioãnẽ, non

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

utroque ille ad vos accessit; interrogatum misistis, & ille liberè atque integrè testimonium veritati perhibuit. Interrogatus enim à nuncijs vestris, si ipse esset Christus, confessus est, quia ipse Christus non esset, sed missus ante Christum. Testificatus est igitur veritati; veritas autem ipse Christus est.

Caput CXLIX.

Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hoc dico, ut salui sitis. Non quasi deiectam Ioannis vocem negligit, nec testimonium illius tanquam inutile repellit (turpe enim esset, si eum ipse repelleret, quem ad clamandum misit; Præparate viam domini) sed quia Iudæorum inobedientiæ se opponit, ad maiora necessariò dignioraque scandit. Ita ostendit nullius hominis testimonio sibi opus necessariò esse, quum à splendore signorum ac gloria, natura Deus demonstratur. Testimonium namque hominis, etiam sancti, reprehendere quisquam aliquo modo possit. Quod multi aduersus prophetas fecerunt, dicentes: Aliena nobis loquimini, & errorem nobis alium nunciatis. Azariam quoque Osee filium, & Ioanannem filium Carie legimus in Aegyptum fugisse, aduersus Hieremiam multa tractantes, atque dicentes: Mentiris, non misit te dominus ut diceres, nolite Aegyptum ingredi. Demonstratio autem, quæ per miracula fit, quum Dei patris testimonio roboratur, quomodo refutari, aut quid aduersus eam cogitari poterit? Nam etiam Nicodemus, qui & magister & princeps apud eos erat, miraculorum testimonium firmissimum putauit, dicens: Rabbi, scimus quia magister à Deo venisti. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi ex Deo sit. Testimonium igitur (inquit) interrogatus Ioannes de me perhibuit. Verum, quia de omnibus vos suspicari soletis, gratia vestri, Ioannis quoque testimonium transeo, habeo testimonium patris desuper. Hæc autem dico, inquit, & vndique veritatem affirmo, ut saluari vos possitis.

Secundi Libri FINIS.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

Commentariorum in Euangelium diui Ioannis Theologi Lib. III.

PROLOGVS.



Vix nuper in secundi voluminis absolute in portum delati, aliud non minus nauigandum nobis pelagus conspicimus. Verum, quoniam res ipsa digna est, & probi laboris (ut dicitur) gloriosa sunt præmia, libenter uela uentis committimus, misericordiæ Dei rem totam tribuentes. Mentis ergo nostræ latitudinem, ut uelorum sinus explicantes, gratia spiritus aura precibus suscepta, profunditatem quaestionum non horrescimus; Christus enim est, qui uiam in mari ostendit, & rectas semitas præparat in aquis.

Quare

IN EVANG. B. IOAN. LIBER III. 149.

Quare non modo lucerna, sed etiam ardens, Baptista dicitur.

Caput I.



LLE erat lucerna ardens & lucens, vos autem uoluitis exultare ad horam in luce eius. Lucerna beatissimus appellatur Baptista, quoniam prout mensura hominis capax est, ante manifestationem Christi, non suo lumine, sed alieno præfulsit. Non enim propriam, neque rationalem lucerna lucem, sed adiectam atque forinsecus aduenientem possidet, quemadmodum in omnibus sanctis à Christo in spiritu sancto illuminatio procedit, quod ut gratissimi homines prædicant, dicentes: Ex plenitudine ipsius omnes accepimus. Lux enim naturaliter unigenitus est, qui ex luce, id est, ex substantia patris effulsit. Creatura uero rationalis, quicquid sapere atque intelligere uidetur, luce uera participans sapit atque intelligit, inde tota intelligendi uia deriuata. Hoc igitur modo lucerna fuit Baptista, & his uerbis ad scripturam memoriã, tarditate Pharisæorum re-

riò adiecta sunt ad superiora. Nam quoniam ut omnem incredulitatis causam excuteret, & vndique ad fidem impelleret, hominis se testimonium non accipere dixit, ne parui à se fieri Baptista putaretur, nihil modò ipse de illo dicere uideretur, sed uoce patris lucernam appellari monet. Sic enim contradicentes, aut formidine Dei patris placari, aut impudentius illum quoque continere uideri poterant. Ille, inquit, erat lucerna, vos autem uoluitis exultare ad horam in luce eius. Ita non solum à pietate ac fide alienos, uerum etiam si quid boni saltem uerbis gustauerint, citò propter inconstantiam fastidio affici solere Pharisæos ostendit: hoc enim significat, ut arbitror, quod ad horam in luce Ioannis exultare uoluerint. Mirati namque ab initio illum, ut uirtutis & pietatis exemplum, quum audissent dicentem: Parate uiam domini, rectas facite semitas Dei nostri, repente fastidierunt. Sed trita huius textus expositio hæc est. Verum, quoniam ad altiora nos erigit saluator, non lucernam simpliciter, sed ardentem & lucentem Baptistam appellans, ad sublimiora nobis acies mentis acuenda est. Ille, inquit, erat lucerna: sufficiebat hoc, si prophetiæ solummodo de Baptista admonere uoluisset. Canebat enim Psalmista de illo, dicens: Parauit lucernam Christo meo. Verum, quoniam adiecit, ardens & lucens, non in prophetiam solum auditores remisit, sed etiam in legalem quandam figuram, quæ Ioannis lucem in umbra denotauit, ita in Moisaica illos lege nutritos, uideri magis scripturæ peritos, quam esse ostendit. Et hic quidem huius orationis sensus est: sed oportet, loco scripturæ qui ad rem pertinet huc translato, ardentem atque lucentem lucernam Baptistam fuisse latius ostendere. Sacro igitur diuinitus tabernaculo constituto, ac domini ferijs statutis, dixit ad Moysen: Præcipe filiis Israel, ut adferant tibi oleum purissimum ac lucidum, ad concinnandam lucernam iugiter extra uelum testimonij in tabernaculo foederis, ponentque eam Aaron & filiis eius à uespere usque ad mane coram domino, cultu, rituque perpetuo in generationibus uestris. Oleum ab omni fece remotum atque mundissimum, spiritus sancti naturam significare mihi uidetur. Que ineffabiliter quasi oleum in animas ingressa nobis concessam. Sic igitur beati quoque Baptistæ lucem exarsisse credimus. Non enim aliunde vim illuminandi habuit, quam ab intellectu hoc oleo, quod diuinæ huius illuminationis ignis in nobis accenditur. Quem alibi ænigmaticè saluator significabat, dicens: Ignem ueni mittere in terram: quid uolo, si accensus est? Lucerna igitur ardens ac lucens semper in tabernaculo testimonij beatus Baptista fuit. Quod enim in tabernaculo testimonij luceret, non eijci ab Ecclesia illuminationem eius, sed suscipi, ac gratam esse significat: quod uero extra uelum ardebat lucerna, non aliud denotabat (ut puto) quam simplicior em atque introductoriam eius fore illuminationem.

CC ij Pœni-

Matth. 3 Poenitentiam agite, dicentis, quoniam caelorum regnum appropinquavit: nihil enim interius atque occultum mysterium saluatoris demonstravit. Non enim in participationem sancti spiritus baptizavit, nec intra velum lumen illius aliquem introduxit. Et ponet eam Aaron, inquit, & filij eius a vesperis usque ad mane coram domino. Aaron & filij eius, Ecclesiarum pastores & doctores significant, qui lucernam intellectualem, id est, Ioannem semper ardentem conservare iubentur. Hoc enim est: & ponet eam a vesperis usque ad mane. Totum enim tempus, quo lucernae lumine indigemus, nocturna spatia sunt, quibus seculum praesens significatur: futurum namque seculum lucem esse intelligimus. Servatur igitur ardens in hoc seculo lucerna, quae gratia credentibus lucem praebet. Praedicatur enim a pastoribus Ecclesiae, verum de Christo testimonium perhibuisse. Quod autem saluatoris praecursor per lucernam illam figurabatur, quodque sic intelligenda sunt, quae diximus, inde maxime probatur, quod statim sacerdotum delectum subiecit. Sed rursus totum huius loci sublimiorem sensum ruminantes, ad conscribentem (ut arbitror) spiritalem sensum perueniemus. In fine tabernaculi lucernae locatio ponitur, postquam sacerdotum accessus & usus describitur: quoniam in fine legis & prophetarum vox clamantis in tuba sonuit in deserto: Parate viam domini, dicens, rectas facite semitas Dei nostri, postquam apostolorum ordinatio & praedicatio splenduit. Sed verba saluatoris iterum repetamus: Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluistis exultare ad horam in luce eius. Pertinaciam & imperitiam Pharisaeorum rursus arguit, qui quae scire profitebantur, minime intelligebant: sed longe a vero sensu scripturae aberrantes, inani se ostentabant doctrina. Cum enim lucernam ardentem atque lucentem Ioannem appellauerit, nondum illos intellexisse ostendit umbras & enigmata legis. Cum autem adiecerit: Vos vero voluistis exultare ad horam in luce eius, voluntatem ab eis divinam negligi subaperit. Quum enim legis conditor iusserit semper ardere, lucereque oportere lucernam: Vos (inquit) voluistis, ne semper, sed ad horam atque brevissimum temporis spacium luceret. Mirati enim Ioannem in principio, lucem eius hoc modo accendistis. Sed postea nec ipsi ab eo baptizati, & baptizari ceteros prohibentes, ad hoc usque insaniam delapsi estis, ut Dei nuntium increparetis. Misistis enim ad eum qui dicerent: Quid igitur baptizasti? id est, quum in poenitentia & cognitionem Christi, lumine tuo populum ducis: Ita ignorantiae atque iniquitatis crimine breviter a salvatore accusari videntur. Quorum ignorantiam Lucas etiam ostendit, dicens: Et totus populus audiens verba, videlicet saluatoris, iustificaverunt Deum a Ioanne baptizati: Pharisei vero & legis doctores, Dei voluntatem in scriptis spreverunt, non baptizati ab eo.

Caput II.

Igo autem habeo testimonium maius Ioanne: opera enim, quae dedit pater, ut perficiam ea, ipsa opera quae facio, testimonium perhibent de me, quia pater me misit. Quamquam lucerna fuit Baptista, quamquam figuris denotatus legis, quamquam prophetarum voce veteris praedicabat ad parandam viam domini & semitas Dei nostri: tamen quoniam, inquit, non dignus fide vobis videtur, nec tanti viri propter arrogantiam vestram testimonium a vobis suscipitur: maiorem coactus testem vobis offero, cuius splendor mentis vestrae oculos ita perstringet, ut nihil omnino dicere possitis. Non enim verbis, neque autoritate hominum rem meam approbo, sed miraculorum splendore ac gloria ex Deo me natum & natura Deum ostendo: nec cuiquam ullam iniuriam infero, si leges, quas ipse tulit, sic moderor, ut a literalis ruditate, quae dicta sunt aenigmaticae, ad spirituale intelligentiam transferam. Apertè igitur his verbis docet, nemini posse congruentem Deo virtutem atque operationem inesse, nisi natura Deus sit. Certum enim atque necessarium testimonium opera sunt. Si enim Dei patris opera efficit, & quae nullus propter Deum facere potest, ea suo iussu peragitur: quod non erit palam, quod

quod eandem naturam cum Deo patre possideat, & deitatis perfectionibus resplendet: Accepisse autem a patre opera haec affirmat, aut humiliter propter dispensationem carnis de se loquens, aut consensum patris in faciendis miraculis, dationis nomine appellas: hoc enim modo etiam missus esse dicitur, quia humiliavit seipsum propter nos. Humiliasse vero seipsum, non aliter quam propter assumptionem hominis intelligitur, quia factum est, ut plerumque ut homo loquatur. Unde Psalmista quoque humiliter de ipso, ut de homine sic cecinit: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, praedicans praecipuum eius. Nam qui cum Deo patre semper regnat, regem se constitutum fatetur. Homo enim factus, cui regnare naturaliter non est, regnum accipere dicitur, quod naturaliter ut Deus semper habet.

Caput III.

Neque vocem eius unquam audistis, neque speciem eius vidistis, & verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem ille misit, huic vos non creditis. Haec verba rursus non simpliciter continent sensum, sed variis sublimibusque intellectus in eis caelantur. Obijciat enim fortassis quispiam: quamobrem, quum patris se testimonium habere dixerit, ad haec quae nihil ad superiora pertinere videntur, illico delapsus est? Quid enim ad testimonium patris attinet, si Dei patris vocem nunquam Pharisei audierunt, nec unquam speciem eius viderunt? Haec iure quis obijcere potest. Nos autem gratia spiritus opitulante, dicimus consuetudinem fuisse Christo, maxime quando ad imperitos Phariseos loquebatur, corda illorum aspicere, cogitationisque motus ut Deus examinare, ac ad ea, quae illi mente versabant, orationem nonnunquam accommodare. Ac ideo non ferre a superioribus quandoque sibi sermo procedit, quum ad ea, quae illi secum verterent, acutissime oratio componatur, quare maxime natura se Deum esse ostendebat. Nullus enim praeter Deum, cordium occulta scrutatur. Haec res ab Evangelistis aperte probatur. Scribitur enim (Phariseis, doctoribusque legis audientibus atque videtibus) a grotum membrum omnibus dissolutum, a duobus viris portatum fuisse. Quumque propter multitudinem per ostium intrare ad Iesum non possent, a recto (remotis tegulis) eum demisisse, Iesum autem ad illum dixisse: Dimittuntur tibi peccata tua. Et tunc Phariseos ac Scribas turbatos haec secum vertisse: Quis est iste, qui blasphematur? Iesum autem cogitationes eorum scientem respondisse: Cur cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, vel: Surge, ac ambula? Vides, quomodo non expectavit verba eorum, sed cogitationibus ut Deus respondit. Simile quod apud Lucam inuenies. Alio quodam, inquit, sabbato in Synagoga docebat. Et erat ibi homo, cuius manus dextera erat arida. Observabant igitur ipsum Scribae atque Pharisei, si curabat in sabbato, ut occasionem de ipso inueniret. Ipse vero cum sciret cogitationes eorum, dixit homini, qui manum aridam habebat: Surge, & sta in medio. Et surrexit, & stetit. Et Iesus tunc dixit ad illos: Interrogabo vos, si licet in sabbato benefacere aut malefacere? Perspicis rursus aperte, ad cogitationes eorum verba Christi accommodari. Tale quid in hoc loco factum fuisse intelligimus, quod facile videbitur, si altius cuncta repetemus. Longior ad illos oratio Christi de homine curato in sabbato facta est, ac multis variisque argumentis comprobavit licere misereri hominis in sabbato, omnibus quoque benefacere licere: sequi missum a Deo patre confirmabat, testimoniumque patris habere: unde consensu patris omnia fieri approbat. Aduersus haec Pharisei doctoresque legis, ut & natura rei verisimile sit, & his quae sequuntur, probari potest, illud maxime secum voluerunt: quis est hic sermo? Quomodo autem consentiet isti Deus pater legem soluenti? Quando autem testimonium perhibuit de ipso, aut quando vocem eius de isto audivimus? Deum quidem descendisse in montem Sinai, per Mosaicam scripturam cognovimus.

Ad describentem. I. le gislatorē, q̄ velaminibus quibusdam sensum spiritalem circumscrībūt.

Ioannis 1

Lucæ 7

Esaiæ 40

Psalm. 2

2. Paral. 6

Marci 2

Lucæ 6

Exodi 20

uimus, & tunc species eius patribus nostris visa fuit. Vox eius audita, totique synagogæ loquutus, diem sabbati colere iussit, recordare dicens sabbati, & sanctifica diem illum. Sex dies operaberis, & facies opera tua: septima verò dies sabbati erit sancta domino Deo tuo, nullum opus in ipsa facies. Nec ab alio hæc audierunt, sed vocem ipsius Dei perceperunt. Præterea in nobis est verbum Dei, hic autem quis est? Talia cogitantes acerbius arguit, dicens: Nec vocem eius audistis, nec ipsum quidem vidistis, & verbum eius non habetis manens in vobis, quia quæ ille misit, huic vos non creditis. Quæ nanque per id temporis figuratè facta fuerunt, & quare in montem Sinai descendisse Deum scribitur, ignorantes: non intellectualium rerum imagines prisca illa fuisse credebant, sed ipsam naturam Dei corporalibus oculis perspectam fuisse Pharisei putabant, & vocem ipsius Dei propriè auditam arbitrabantur. Quod autem verax saluator noster est, nec vocem Dei patris vnquam (ita ut putabant) audierunt, nec oculis speciem eius viderunt, nec verbum eius perceperunt: ut ad quærenda spiritalia incitentur, operæ precium duco ab ipsa scriptura demonstrare. Quumque eduxisset eos Moses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis: totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Deus super eum in igne. Et ascendebat fumus ex eo quasi de fornace, & territus fuit totus populus valde, & sonitus tubæ paulatim crescebat in maius, & prolixius tendebatur. Moses loquebatur, & dominus respondebat ei voce. Hæc quidem verba scripturæ sunt. Verum, quoniam etiam nunc hæc ridiculosa opinio Iudæos detinet, ipsam Dei speciem oculis visam, & ab ipso Deo prolatam vocem auribus auditam putantes, gratia saluatoris freti exponamus, & legis rudes figuras in spiritalem atque sublimem sensum traducamus. Sic enim verum esse demonstrabitur, nec vocem Dei vnquam audisse, nec speciem eius Hebræos vidisse. Educitur igitur per Moysen populus obuiam Deo, aperteque satis (ut in ænigmatè licet) significatur hominem non posse absque cognitione, & introductione (ut ita dicam) pædagogica, peruenire ad Deum: sed lege ad cognitionem introductum, quod desiderat, consequi. Moses nanque pro lege accipi solet: habet, inquit, Moysen & prophetas. Assistentia verò sub mōte populi, quum iam Deus descendisset & esset in eo, paratum mentis atque animi vocatorum studium ad seruiendum Deo suo ostendit. Difficiliora enim tolerare solent, quam natura ferre possit, quum Deus adsit. Tales sunt omnes saluatoris discipuli, atque ideo magno animi robore clamant: Quis poterit nos à charitate Christi separare? tribulatio, angustia, persecutio, fames, nuditas, periculum, gladius: Omnia enim fideles propter charitatem Christi perferunt, etiam si quasi monstruosa latio erigatur, nec vnquam mouentur, nec à charitate desistunt. Descendisse autem non in valles, sed in cacumina montis Deus dicitur, ut tu intelligas, quavis ad imbecillitatem mentis nostræ deitatis natura conscendat, & seipsam nobis intelligendam quodam modo præbeat, altiorè tamè esse, quam nos possumus intelligere. Sublimitas igitur dogmatum, per montem intelligitur, qui totus ater fumo efficiebatur. Acute nanque sunt nimium rationes, quæ de Deo à nobis habentur, & oculos mentis more fumiperturbant. Propterea etiam Paulus in speculo & ænigmatè videre nos ait, & tenebras in occultatione eius positas esse. Psalmista cecinit, tenebrarum nomine incomprehensibilitatem eius significans, quam per fumum hic intelligimus. In figuraverò ignis per id temporis congruè nimium Deus descendit. Oporrebat enim Deum, qui per legem ad cognitionem & seruitutem suam Iudaicum populum inuitabat, ut illuminatorem videri ac punitorem, quæ ambo in igne sunt. Tubæ autem sonitus paulatim crescebat in maius, ut intelligas prolatam quidem legem diuinitus esse voce ab initio submissa, & propter hominum imbecillitatem tenui, nec totum tubicinis flatum capiente, ideo tardus lingua Moyses fuit. Progreudentibus autem seculis, literalium umbra (in spirituali cultum hominibus à Christo reductis) multo vehementior diuinæ tubæ sonitus effectus, Evangelicam prædicationem per totum orbem expandit. Non

A Non enim ut lex tenuitate vocis in Iudæa solummodo exauditus est, nec tantummodo à Dan vsque ad Bersabee, sed in omnem terram exiuit sonus eorum, ut scribitur. His additur, quia Moyses loquebatur, & Deus ei voce respondebat. Attende diligentius: voce nanque (inquit) Deus respondebat, sed non addidit, propria, sed simpliciter voce dixit, quæ verborum sono, humano more miraculose in audientium auribus insonabat. Quid enim efficere Deus non potest? Sed hæc quidem figuræ sunt, modò veritatem perspiciamus. Legimus igitur in sacratissimis Evangelijs dixisse dominum: Pater, clarifica filium tuum. & patrem respondisse: Clarificaui, & iterum clarificabo. Non fuisse autem Dei patris verè vocem saluator ostendit, dicens ad eos, qui aderant: Non propter me vox ista facta est, sed propter vos. Vides quod factam esse vocem ait. Non est enim congruum, ut voce hac sonora, quæ ictu aeris fit, diuinam uti naturam putemus, etiam si ad utilitatem nostram, & per dispensationem humano more loquutus esse dicatur. Hæc dicta nobis sunt, ut verborum saluatoris veritas appareat: quia nec vocem patris vnquam audierunt, nec speciem eius homines viderunt, nec verbum eius manens in ipsis Pharisei habebant: quia quæ ille misit, huic non credebant. Quod autem per arrogantiam diuinum habere verbum prædicabant, & propterea sapientes se per imperitiam opinabantur, ipse Christi spiritus per Hieremiam testatur dicens: Quomodo dicitis, sapientes nos sumus, & verbum domini nobiscum est: verè mendacium operatus est stilus mendax Scribarum, confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt, & sapientia nulla est in eis: verbum enim domini proiecerunt. Quomodo enim viuum, subsistensque Dei verbum repulisse non videbuntur, qui credere in ipsum noluerunt: qui patris charactèrem (quantum in eis situm erat) dedecore affecerunt, & verissimam speciem patris, per potestatem & virtutem Deo soli conuenientem aspiceri noluerunt: Non enim aliter, quam per ea, quæ operatur, ineffabilis natura deitatis comprehendere à nobis potest. Quapropter à magnitudine ac pulchritudine creaturarum, ad creatoris cognitionem Paulus nos inducit: quod saluator quoque ipse facit, cum dicat: Si patris mei opera non facio, nolite credere mihi: si vero facio, quis mihi non credatis, operibus tamen credite. Et Philippum reprehendisse videtur, quia posse se ad cognitionem Dei patris aliter peruenire putauit, quam à potestate operum. Vnde poterat æternam eius imaginem cognoscere, quæ in seipsa genitorè ostendit, propterea dicebat: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me: Philippe, qui videt me, ille patrem etiam videt.

Caput III.

Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Communis & trita huius textus expositio: cum imperio quodam excitari à saluatore ad inuestigandas scripturas Phariseos affirmat, ut testimonia inde possint de Christo colligere. Verum quoniam illud copulauit, & non vultis venire ad me: & causam inuestigationis adiecit, quia vos in ipsis putatis vitam æternam habere: nullo pacto hæc oratio cum imperio, sed cum iudicio proferenda est. Nam si cum imperio legitur, cum similiter propter copulam totus sermo ita proferendus esset, scrutamini dixisset, & venite ad me. Nunc autem non ita, sed non vultis, inquit, venire ad me, huiusmodi ergo sensus est. Nam quoniam videbat à Mosi libris multa eos diligenter quidem, sed imperitè aduersus eum colligere, idcirco inutilem eis ostendit hanc diligentiam esse. Quæ nanque, inquit, utilitas est, si scripturas quidem scrutamini, putantes ad vitam æternam per ipsas peruenire? Cum autem eas testimonium mihi perhibentes inueniatis, in quibus ego vita sum appellatus, non vultis ad me venire, ut vitam habeatis. Quare sequitur, inde maxima vos animarum vestrarum detrimeta colligere, unde salutem consequi putatis. Ad contradicendum enim solum scripturam legitis.

quæ verò ad vitam æternam conducunt, ne in mentem quidem veniunt vestram. Quòd autem & in lege, & in prophetis de vnigenito, qui naturaliter vita est, magna fit mentio, neminem, qui sacros libros attentè perlegerit, ignorare puto.

Caput V.



Laritatem ab hominibus non accipio: sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. Sensit, imò verò vidit vt Deus commotos vehementer Phariseos fuisse: non quia non rectè illos scrutari scripturas dixit, sed quia subiecit, non vultis venire ad me. Quæ enim ægritudine animi laborabant, eadem saluatorem quoq; laborare credebant. Quoniam ergo non vultis venire ad me, dixit, inanis cupiditate gloriæ commotum ad se vocare omnes, ex imperitiâ crediderunt. Ita dirumpebantur, cum viderent ab hærede fructum vineæ repeti, ac vt in parabolis Euangelij dicitur: Venite, secum dicebant, interficiamus ipsum, & possidebimus hæreditatem suam. Has suspensiones eorum refutans, & inuidiam ac liuorem, euertens, claritatem & gloriam, ait, ab homine nõ accipio. Non enim voco vos ad me, vt à vobis vel ab alijs gloriam acquirã, quæ gloriæ à me ipso plenus sum: sed dixi nolle vos ad me venire, vt clarè cognoscatis dilectionem Dei vos nõ habere: quæ priuati, quò poteritis ad vnigenitum filium Dei accedere?

Caput VI.



Go veni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Ne Pharisei putarent iniuria sibi à domino dictum esse, quòd dilectionem Dei non haberent in ipsis, idcirco breuiter & verè hoc confirmatur. Ego enim, ait, in nomine patris mei veni (cuncta enim ad gloriam Dei patris facere vos hortor) vos autem me repellitis: accipietis autem (scio enim vt Deus futura) eum, qui non Deo patri gloriam referet, sed ad se transferre conabitur, & nomini suo cuncta tribuet. Hinc arbitror beatum quoque Paulum illud de Iudæis & de iniquitatis filio dixisse: Quoniam dilectionem veritatis ad salutem suam non receperunt, idcirco mittet eis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Hæc ratio à saluatore dicta prophetice, tempore suo re ipsa veritatem habebit.

Caput VII.



Vomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis? Gloriæ hominum ac principatus cupidos esse arguit, occultiusq; monet improbè illos facere, cum affectus & ægritudines animi sui, ei, qui super omnia est, attribuunt. Et hac inanis gloriæ cupiditate, optimæ rei, fidei videlicet in eum, iacturam illos facere ostendit. Hoc & Paulus apertissime dicit: Si enim hominibus placerem, inquit, Christi seruus non essem. Quasi enim natura, necessarioq; accidit omnibus, qui gloriam hominum venantur, vt gloriam Dei amittant, & à solo Deo decidant. Solum autem Deum dixit, non quia se aut spiritum ab huiusmodi solius Dei honore separet, sed quia dei gentium ad hoc non ascendunt. Sanctæ namque consubstantialisq; Trinitatis plenitudo, vnam gloriam, vnam naturam (vt sæpius dictum est) possidet.

Caput VIII.



Nolite putare, quia ego accusaturus sum vos apud patrem: est qui accusat vos Moses, in quo vos speratis. Ad gloriam magis, quam ad pietatem viuere Phariseos dixit, propterea ne putarent accusatorem se illorum futurum, est (ait) Moses, in quo vos iactatis: quippe qui quum cæcus dixisset, an & vos vultis discipuli eius fieri? magna voce clamauerunt

Arunt: Tu illius discipulus sis, nos autem Mosi sumus discipuli. Accusabit ergo, ait, vos Moses etiam ille, in quo maximè speratis, contemptus speretisq; à vobis propter arrogantiam vestram. Nec quia dixit: Nolite putare, quòd ego accusabo vos apud patrem, nullam delationem Iudæorum nominis à Christo futuram arbitrari oportet: ipsum enim audiuius dicentem: Quicumq; confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego ipsum coram patre meo: & quicumq; negabit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo. Patet igitur accusatum iri omnes apud patrem per Christum, qui eum non susceperunt. Nõ erunt igitur Iudæi, qui pertinacia sua Christum negarunt aut negant, ab hac accusatione liberis: sed commodissime ad vtilitatem eorum & acutissime oratio texitur. Nam quoniam doctrinam eius parui pendebant, et Mosæ se disciplinam seruare contendebant, clamantes: Nos scimus, quia Mosi loquutus est Deus, hunc autem nescimus, vnde est, necessariò nunc Mosen quoq; ipsum, in quo iactabant, sperni ab eis affirmat, nec opus esse alio accusatore: sed etiam cæteris omnibus silentibus, solam Mosi legem ad condemnationem non credentium in se Iudæorum sufficere adserit.

Caput IX.



lenim crederetis Mosi, crederetis vtiq; mihi: de me enim ille scripsit. Apertissime superioribus hæc addidit. Si enim, ait, meis verbis nõ creditis, feram & patiar hac iniuria à vobis affectus. Sed quæ Mosem vestrum non suscipitis? quæ quem summopere admiramini, ei non creditis? Date vestri animi aures illi, & cognoscetis, quem nescientes vituperatis. Considerate figuras, quæ veritatem parturiunt. Ego in libris eius obumbratus sum, sed si scriptis illius non creditis, ille quoque vos merito accusabit. Deberemus forsitan Euangelij sensum exponentes ad vltiora progredi, alijs figurarum scripturæ interpretatione commendata. Pleni enim sunt libri Mosæici figurarum huiusmodi,

quæ ita latent, vt sine magno labore ac studio, addam etiam gratia saluatoris, interpretari rectè non possint. Verùm ne laborem fugere videamur, vnum aliquid ad vtilitatem legentium, & vt veritas illorum verborum appareat: Si crederetis Mosi, crederetis vtiq; mihi: de me enim ille scripsit. Vnum, inquam, illud exponamus, domino freti, qui dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Prophetam de gente tua, de fratribus tuis, sicut me suscitabit dominus Deus tuus. Ipsum audies vt petisti à domino Deo tuo in Choreb, quando concio congregata est, atq; dixisti: Non audiam vltra vocem Dei mei, & ignem hunc maximū nõ videbo ne moriar. Et ait mihi dominus: Benè omnia sunt loquuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, non audierit, ego vltor existam. Ecce rursus absque magno velamine incarnationis mysterium scribitur, à similitudine Mosi subtilissime ac artificiosissime figuratum. Prophetam enim, inquit, suscitabit tibi dominus Deus tuus de fratribus tuis, sicut me. Quam rem latius exponens, statim intulit: Vt petisti à domino Deo tuo in monte Sinai, ac in die concionis, dicens: Non audiam vltra vocem domini Dei mei, nec hunc ignem videbo ne moriar. Nam quoniam prudenter maiora illa videre ac audire populus recusabat, quæ magnitudine visionis intolerabilia illi fuerunt, meditatio Mosæ, cuius ministerio diuina præcepta populo deferrebantur, tunc intercessit. Quæ res figurabat mediatorem Dei atq; hominum Christum, qui natus ex muliere propter nos, Dei patris voluntatem notam ei vt filio, & vt sapientiæ Dei, voce humana vt verè homo nobis patefecit. Nam cum corporis oculis deitatis gloriã cernere nequeamus (nemo enim videbit faciẽ meam, inquit, & viuet) necessariò vnigenitus Dei filius imbecillitatẽ nostram assumpsit, humana carne indutus, & sic voluntatẽ patris nobis annunciauit. Omnia, inquit, que

audiui à patre, nunciaui vobis. Et rursus: Ego à me ipso loquutus non sum, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar. Mediatione igitur Mosi inter Deum & Iudæorum populum, mediationis Christi figura erat: sed illa quidem ministri modo adhibita, seruilis fuit, libera verò hæc Christi & mystica; mediator enim hominum atq; Dei factus, verè vtramq; naturam attingit. Nam qui Deus natura est, vt vnigenitus Dei filius non separatus à substantia patris, sed ex ipsa & in ipsa: is homo etiam factus est, vt longè à Deo separata natura hominum, per ipsum Deo coniungatur. Quòd igitur dicit Moses: Prophetam vobis suscitabit dominus sicut me; non aliter, quàm vt diximus, intelligendum est. Sic enim etiam ipse Deus affirmavit, dicens: Rectè loquuti sunt. Prophetam suscitabo eis similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Omnia enim fert verbo virtutis suæ filius, vt Paulus ait. Et patris vocè nobis intonat, vt ab ipso mediator constitutus, sicut de persona ipsius Christi Psalmista cecinit: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Poterit autem quispiam propter illud, similem tui, quoniam legis minister Moses fuit, illud in medium adferre: Audistis quoniam dictum est antiquis: Non mœchaberis, ego autem dico vobis: Non concupisces; poterit etiam doctorem Christum intelligere, quo in cælum & ad vitam æternam ascendimus, vt & Moses priscis ductor fuit ad promissionis terram, vnde sapius dicit: Et introducet te dominus Deus tuus in terram, quam iurauit patribus tuis: & serua præcepta hæc, vt longo tempore viuas. Verùm quoniam scribitur: Qui autem verba eius audire noluerit, ego vltor existam. Audiant, oro, Iudæi & intelligant, quomodo per imperitiam & arrogantiam suam, æternam in se ipsos vltionem conuocarunt: quomodo torquentur æternis supplicijs, omni spe bonorum priuati, quia non crediderunt Mosi: cui si credidissent, & Christo certè, de quo ille scripsit, credidissent.

Caput X.

I autem illius literis nō creditis, quomodo verbis meis credetis? Magnas hic sermo tenebras offundere videtur. Poterit enim hinc certè quispiam eò falsitatis deuenire, vt scripta Mosi maioris, quàm saluatoris verba putet dignitatis: habitus enim ipse orationis atq; figura verborum saluatoris multo digniora scripta Mosi videtur ostendere; sed ipsa natura rerum, longè falsum, ac omnis plenum insaniam hūc sensum esse persuadet. Quomodo enim maiora, dignioraq; illa erūt, quæ nihil aliud, quàm figuræ atq; vmbra fuerunt? Quomodo, inquam, maiora erunt quàm veritas, quæ ab illis figurabatur? Non erat difficile propter copiam rerum longam hac de re orationem conscribere. Verùm, quoniam ita patet, vt à se ipsa luceat, superuacaneus esset labor. Quare iter nostrum agamus, huiusmodi ergo huius loci sensus est: Si legem, inquit, Mosi scriptam tenentes, ac quotidie studiosè legentes, tamen parui facitis ac transgredimini, quasi eorum obliti, quæ quotidie legitis, quomodo verbis meis rectè affecti eritis: aut quomodo verbis meis credetis, quæ vix semel & negligētè audistis, quum Mosi non credatis, quem magistrum professi quotidie legitis? Aut igitur hoc pacto intelligemus, aut (vt illis enim est pia in his varietas) Mosaicam dicemus scripturam figuris & vmbra (vt pædagogus solet) ad Christi mysteria conducere, & quæ ibi scribuntur, quasi elementa esse quædam Euagelicæ scripturæ adferemus. Disciplina namq; legalis Christus est finis, vt scribitur: Impletio legis & prophetarum Christus. Qui ergo, ait, elementa doctrinæ meæ non suscipitis, & legem, quæ ad me ducit, spernitis: quomodo altiora hæc poteritis cognoscere: aut quomodo maiora ferre valetis, qui parua ferre indignum putatis?

Caput XI.

Post

A Ost hæc abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis. **Caput Ioannis VI. annis VI.** Primū illud dictu perutile puto, quòd ab Hierosolymis non absq; cogēte causa dominus semper abire videtur: vbiq; autem tanq̄ in tabulis varia nobis secundum rerum conditionem mysteria depingit. Sed quænam sit huius recessus causa, & quid inde significetur, tempore suo dicemus: nunc quod primū occurrit, primū quoq; declarandum est. Post hæc, inquit, abiit Iesus. Quærendum diligenter est, quænam ista sunt, de quibus dixit: post hæc mirabilis igitur medicus dominus in Hierosolymis visus est, qui triginta & octo annorum ægrotum, nulla medicina, nullo remedio, sed solo verbo, vt Deus, potestate, nutu atq; imperio suo curauit. Surge namq; dixit, & tolle lectulum tuum, & vade in domum tuam. Verùm quoniam sabbatum erat, molestè tulerunt Iudæi, qui ruditati nimium literali hærebant, qui magis peccati, quàm ægrotus ille morbi vinculis stringebant, qui semper sabbatum, id est, bonorum priuationem habent, qui mentem & animum dissoluti sunt, ad quos rectè dici potest: Cōfortate manus dissolutas, genua debilia roborate. Molestè autem ferunt, quoniam debitus honor sabbato, etiam à legis conditore non redditur. Condemnant Christum vt transgressorem, scriptum illud contemnentes ipsius, qui dicit regi: Legem transgredieris. Ad hæc, multa dicta sunt à saluatore, & sermo longior habitus est, quo demonstrabatur sabbatissimum, ociumq; illius dici priscis figuratè per legem datum fuisse, & quod dominus est etiam sabbati filius hominis. Sed qui nihil boni poterant intelligere, qui ad omne malum parati erant, insurgent in doctorem: eadem eius meditantur, qui ad sapientiam eos reuocabat, mala ei pro bonis (vt scribitur) retribuentes. Post hæc cōia igitur gesta simul ac dicta, necessariò ab Hierosolymis abiit. Et quoniam festus dies Iudæorum propè erat, vt paulò post legitur, in quo lex Mosaiica omnes vndiq; vt tabernaculorum solennitatem peragerent, ad Hierosolymam Iudæos proficisci iubebat: festum diem dominus declinans, paludem Tyberiadis, mare propter magnitudinem à Iudæis vocatam, nauigauit. Per hunc festum scenopegiæ diem, sanctorum ad Christum congregationē spiritualiter intelligimus: quando ab vniuerso terrarum orbe, post resurrectionem mortuorum ad cœlestem Hierusalem veræ scenopegiæ solennitatem perpetuò acturi congregabuntur, gratias agentes domino de resurrectione corporum suorum, & interitu mortis. Historicè autem infinitam penè multitudinem ad diem illum festum solitos fuisse in Hierusalem ascendere dicitur. Quo quidem in tempore multum necessariò Pharisei poterant. Nam quum propugnare legi videbantur, facile in tanta tamq; imperita multitudine aduersus transgressores, aut quos illi transgressores putabant, clamantes, turbas incitabant: quæ solent fluctus more, aut etiam ignis, ingentem materiã nacti, quasi ventis, principum verbis huc atq; illuc vehementius exagitari. Hæc nō ignorās dominus, clam inde cum discipulis abiit, & vltra mare Tyberiadis cum discipulis se traiecit. Quòd autem eadem suam cupientes Iudæos declinat, ipse nobis Euangelista declarat, dicens: Post hæc ambulabat Iesus in Galilæa. Nō enim volebat ambulare in Iudæa, quia Iudæi quærebant eum interficere. Sed hæc ita esse non inficior, diceret quispiam: quòd autem diem festum etiam declinaret, id discere cupio. Eos igitur, qui fratres eius putabantur, audias, qui Christo in Galilæa dicebant: Ascende hinc in Iudæam, vt discipuli tui videant signa, quæ facis. Ad quos dominus: Ascendite vos, ego non ascendo in solennitatem hanc, quoniam tempus meū nondum adest. Perspicuū ergo est, ab Hierosolymis illū abiisse, scelere Iudæorum & persequentium crudelitate coactū, ac inuidiæ tela artificiosè sola sui depellens absentiam: non quia pati aliquid poterat nolens, sed vt exemplum nobis, non timiditatis, sed charitatis proximorum seipsum poneret. Hinc enim discimus, persequentes inimicos, etiã si nihil officere possunt, declinandos tamen esse, vt hoc modo ira & impetus eorum deferuescat, & sic multo magis illis, quàm nobis conferamus. Non enim

enim nostra tantum, verum etiam aliorum querere debemus. Opus quippe charitatis est, non insurgere in maleuolos, nec viribus nostris uti, ne impotentia illorum redarguta, maiore concitetur odio. Charitas enim (vt Paulus ait) non querit ea, quae sua sunt. Verum si iterum atque iterum Evangelica verba consideres, mirabilem dispensationem in saluatoris ab Hierosolymorum vrbe recessibus facile inuenies. Nam quum crudelitate Iudaeorum saepius ad alienigenas abierit, quoniam apud hos & tutari se ipsum videbatur, & honorifice tractabatur: gentium Ecclesie iure datam palmam re ipsa ostendebat, & impietatem Iudaeorum pietate alienigenarum praeculis ponebat, ac crudelitatem illorum horum mansuetudine in medium trahebat. Ita vndique merito a repromissione patrum expulsi sunt. Propterea recedens ab Hierosolymis, non ad finitima castella diuertit, sed trans mare Tyberiadis abiit: vtriusque ipsa Iudaeis intimaretur tam longe se propter impietatem eorum ab eis migraturum, vt inaccessibilis ad eum via futura sit: non enim est possibile pedibus hominum maria transiri. Quod & verbis minatus est paulo post, dicens: Quae retis me, & non inuenietis; & quod ego vado, vos non potestis venire. Facilis enim & plana via iustitiae omnibus est, qui per fidem ad eum proficiscuntur: aspera vero atque ardua, imo autem omnino inaccessibilis Iesus, qui sua incredulitate dominum irritat, iuxta propheticum illud: Rectae sunt viae domini, & iusti ambulabunt in ipsis, impij vero infirmabuntur in ipsis. Interiectum igitur maris spacium, difficile, imo vero impossibile Iudaeis viam propter crudelitatem eorum atque impietatem, futuram significat. Sic impiae animae viam vallo ac fossa prohibeturum se Deus apud quendam Prophetam minatur: Ideo (inquit) ego sepio viam eius vallo, & non inueniet semitam eius. Quod igitur ibi vallum facit, id ipsum hic mare peragit, sanctum a sceleratis disseparans. Ita Hebraeorum populus, qui ab Aegyptia seruitute liberatus, repromissionis loca petebat, quem Aegyptiorum rex in seruitutem iterum redacturus persequeretur, qui per medium mare tutus transiit, & hostem vidit eodem mari submersum eum, a quo saluatus fuit, maria modo transire coegit. Surgat igitur Moses, atque ista non aequo animo ferens, repetat quae praedixit: Generatio praua & adultera, haec domino retribuitis: non erubescitis trans maria illum pelere, quae per medios fluctus a seruitute vos reduxit: Merito igitur submergimini: quae enim persequuntur, non qui fugiunt, iure illud patiuntur. Propter eam David etiam canebat, dicens: Non me demergat tempestas aquae. Naufragium enim hoc Iudaeorum significans, deprecabatur, ne cum illis in profundo impietatis submergeretur. Sed Aegyptij quidem corpore periclitati sunt, Iudaei vero animarum iacturam fecerunt: ita iure de vtriusque vltio facta est. Tyberia vero paludem, aut quia magna est, mare (vt diximus, quod vulgo factitatum est) appellauit: aut scripturam sequutus est, apud quam congregationes aquarum, maria nuncupantur.

Caput XII.

T sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae super Iesu, qui infirmabantur, faciebat. Subiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Quum ab Hierosolymis abierit dominus, vt apud prophetas dictum est: Dereliqui haereditatem meam: quum ab infrenato Iudaeorum populo ad alienigenas peruenit, tunc magna sequitur eum turba. Ipse vero in montem ascendit, vt re ostendat, quod dixit: Si exaltatus fuero, omnia ad me ipsum contraham. Exaltatus enim fuit de terra, quando in cruce pro nobis ascendit. Exaltatus vero aliter est, quum in altum quasi montem, in honore & gloriam deitatis ascenderit. Non enim vt Hebraicus populus, quasi hominem nos nudum contemnimus, sed vt Deum & saluatorem & dominum adoramus. Illi enim quasi abiectum quendam etiam Samaritanum appellare non erubescabant, & qui modestius de ipso loquebantur, fabri filium vocitabant. Apud fideles autem, vt vere De-

A re Deus (quod signis apparuit) glorificatur. Audis etiam eos, qui sequuti fuisse modo scribuntur, signis commotos, quae super Iesu faciebat, qui infirmabantur, magno studio id fecisse, a miraculis ad cognitionem eius progredientes, & a potestate, qua vt Deus utebatur, diuinos ei honores conferendos esse intelligentes. Haccertè via saluator ad vitam omnes inducit. Ipsa enim opera, inquit, quae facio, testimonium de me perhibent, & rursus: Si non facio patris mei opera, nolite mihi credere: sin vero facio, & si mihi non creditis, operibus meis credite. Nam quemadmodum a magnitudine, pulchritudineque creaturarum creator Deus cognoscitur: sic a signis deitatis potestas percipitur, & sequentium fides iure laudatur. Ego autem arbitror acutorem etiam sensum in his verbis latere. Non enim propter signa simpliciter Christum mirabantur, sed additur: propter signa, quae in infirmis aegrotisque faciebat. Contrarius igitur animus istorum, Iudaeorum (vt puto) animo demonstratur. Illi propter curationem aegroti vehementius turbabantur: isti non solum talia signa mirantur, verum etiam propter haec quasi Deum sequuntur. Fugiamus igitur, oro, qui Christum Deum atque dominum profiteamur, turpem Iudaeorum imperitiã: adhaereamus Christo per patientiam: imitemur patientissimos illos discipulos, qui nunquam ab illo recedebant, qui re ipsa, quod postea Paulus verbis explicuit, coclamabant: Quis nos a charitate Christi separabit? Sequamur etiam ipsum fugientem, vt & in montem ascendamus, & ibi cum eo sedeamus, id est, ad sublimem gloriam veniamus, & cum eo simul regnemus. Ipse enim iam nobis pollicitus est, quod vos, qui me sequuti estis in tentationibus meis, quando in regeneratione in sede maiestatis suae filius hominis sedebit, etiam vos in duodecim thronis sedebitis, iudicantes duodecim tribus Israel. Haec enim puto hinc significari, quod ad montem cum saluatore discipuli conscenderent, ac ibi cum eo sederent.

Caput XIII.

Quam subleuasset ergo Iesus oculos, & vidisset quia multitudo magna venit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes vt manducent hi? Hoc autem dicebat, tentans eum. Ipse enim sciebat, quid esset factururus. Optimam disciplinam, & sacris consentaneam viris, suis modo discipulis Christus proposuit. Nam etiam in montibus & deserto paratos esse docuit oportere ad hospitalitatis virtutem: qua quidem re quid homini, qui Dei charitatem assequi velit, maius excogitari potest? Cum enim quasi aquarum fluentia innumerum homines ad eum confluere, ad sustentandos illos cibo discipulis iussit. Cuius rei, cum propter multitudinem hominum, tum propter locorum solitudinem, magnitudine atque difficultate quis diues non fuisset perterritus: sed omnem huiusmodi formidinem spe gratiae suae abijciendam monet. Sed historicè quidem facilis sic verborum est sensus. Spiritualiter vero dicimus, quasi ex alto monte praescientiae suae a Deo omnes, qui feruenti fide illum exquirunt, prauideri, sic apud Paulum dicitur: Quos praesciuit, hos & praedestinavit conformes imaginis filij eius, hos etiam vocauit. Subleuatis igitur oculis, Christus eos videt, qui visitari ab eo (quonia ipsum querant ac diligant) digni sunt: veluti etiam benedictionis modo ad Israel dictum est: Conuertat dominus faciem suam ad te, & det tibi pacem. Verum non in visitatione sola, gratia terminatur, sed alimenta & dapes quoque praeparantur, vt verum illud, quod in parabolis dicitur, esse cognoscas: Non occidet dominus fame animam iustam. Seipsum enim, vt panem de caelo, apponet, & fidelium animas enutriet, omnia vitae necessaria ipsis praeparans, vt in Psalmis dicitur: Parasti escam eorum, & quia sic paratio tua. Et ipse Christus in Evangelio ait: Amen amen dico vobis, qui ad me venit, nunquam famescet. Dabit enim (vt diximus) caelestem escam, & variam spiritus copiosamque gratiam, praeparabitque antequam quicquam ab eo petatur. Nescimus enim orare ac petere, vt decet.

Quare ipse nobis porrigit, quæ ad salutem æternam conducunt. Dixit enim ad Philippum: Vnde ememus panes? Non est alienum considerare, quare ad Philippum. Libenter Philippus discebat, quarebatq; sapius, sed non erat adeo acutus, ut altiora posset intelligere. Quod inde patet, quia magno tempore saluatorem sequutus, & varia deitatis eius signa indies aspiciens, & tam rebus, quam verbis ad cognitionem attractus, quasi nihil adhuc didicerit in ultimo ferè dispensationis tempore dicit ad Iesum: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Et quoniam absq; malitia interrogabat, probè docebatur. Tanto enim tempore, ait, vobiscum sum, & non cognouisti me Philippe? Ut ergo rudiorum ad sublimiora ingenio consequenda, & ad fidem vocans & roborans, rogat. Hoc significauit Euangelista, cum tentatum à domino illum fuisse dixerit. Ipse enim, inquit, sciebat, quid esset facturus. Vnde autem ememus panes, dixit, ut paupertatem discipulorum ostenderet, qui iam pridem colligendi æris abiecto studio, vnde emerent, non habebant. Illud etiam artificiosissimè facit. Vnde namq; istud, non frustra dictum est: sed quia omnem viam colligendæ pecuniæ illis conciusit, ad illud erumpere interrogando cogit: si voluerit multitudinem alere, quum nihil esse discipulis sciat, oportebit ipsum ineffabili virtute ac potestate ut dominum alimenta producere. Hoc enim solum reliquum erat, & ad hoc illos prouocabat, ut gentium poetæ dicunt: ferro uel ceri opus est.

Caput XIII.

Dventorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum accipiat. Subiectè Philippus valde atque humiliter respondet. Nam quum vnde illud audiuisset, non virtutis, omnipotentiaque Christi sibi venit in mentem, sed trepidus ad solam pecuniarum viam refugit, nullo alio modo hanc rem peragi posse existimans, nisi communi, tritoq; pecuniarum medio. Quare quatum ad paupertatem discipulorum attingebat, quantum etiam ad Philippi sententiam, nondum perfectè de saluatore sentientis, ad impossibile iam liberalitas nutriendæ multitudinis deducta erat. Sed quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deum: & naturæ ipsius terminis, deitatis natura superior est, omnia facillè peragens, etiã quæ mentem nostram excedunt.

Caput XV.

Dicit ei vnus ex discipulis suis, Andreas frater Simonis Petri: Est puer hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Similiter Philippo imbecillam de Christo fidem Andreas quoq; habere arguitur. Non enim ipse etiã ab alijs signis, quæ viderat, omnia Iesum posse intelligere potuit: propterea significauit quidem nonnulla inueniri apud quendam adolescentulum: sed hæc, ait, quid faciunt in tam multos? Oportuisset certè, si firmior apud eos fides fuisset, non magnum sibi videri cibaria tunc illi multitudini preparari posse ab eo, qui cuncta produxit ex nihilo: inerat tamen in verbis eorum quædam vtilitas. Nam quum clarè dixerint: alter, quia ducentorum denariorum panes eis non sufficiunt: alter, sed quid hæc sunt in tam multos? extollunt quodammodo his verbis miraculum, ac faciunt, ut maiores Christi vires videantur, cuius virtute mox tanta multitudo ad saturitatem erat peruentura: ita incredulitatis illa vis in certius conuersa testimonium fuit. Nam qui vltro fatebantur grandem ad suscipiendos illos pecuniam non sufficere, illi ipsi ineffabilem Christi virtutem hac sua incredulitate esse demonstrant. Huiusmodi fidem apud Mosén quoq; fuisse in deserto comperimus. Fiebant enim Hebræi Aegypti memores copiarum, & diuinorum obliti bonorum, in Mosén ductorem suum insultabant. Deus verò non ignorabat cupiditate carnum illos exagitari, & daturum se illis

A se illis carnes ad saturitatem promisit. Quæ res quum impossibilis factu in deserto videretur, accessit clamans Mosés: Sexcenta milia hominum hic sunt, & tu dixisti: Dabo eis mense vno carnes ad saturitatem. Quid igitur ad hæc Deus? An, ait, manus domini non sufficiet? Quid enim non poterit Deus? Hæc ad Philippum atq; Andream dicere possumus: Nonne manus domini non sufficiet? His nos exemplis commoniti, extremum omnium malorum incredulitatem putemus. Et cum Deus fecisset aliquid, aut facturum esse dicitur, simplici fide, omni temeraria cura longè remota, facile illud Deo esse credamus, nec imbecillitate nostra diuinas vires metiamur. Modesti enim, prudentisq; viri est credere, quemadmodum oculis non tantum cernimus, quantum volumus, sed quantum videndi acies ferre potest (nam quæ valde remota sunt, discernere non possumus) sic & humanam mentem, etiam si munda sit, ad certos vsq; terminos protendi. Nihil enim supernaturalium comprehendere certius possumus, sed credimus, nulla tenentes principia, vnde illa colligere queamus. Credendo igitur, non quærendo ista comprehenduntur: & ut laudatur, qui credit, ita culpa non caret, qui dubitat, quod saluator ipse testatur, dicens: Qui credit in filium, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est. Quod ad vtilitatem legentium etiam sacris literis ita comprobemus, ut vel in hac vita sequutam animaduersionem ostendamus. Iubebatur olim, magna populo siti laborante, Mosés, ut vnà cum fratre Aaron, lapide virga percusso, fontes aquarum educeret. Sed quum non omnino dicenti Deo credidisset, fluctuanti animo ut homo: Audite me, inquit, increduli, an ex hoc lapide aquam vobis educemus? & percusso lapide effluxit aqua multa, & dixit dominus ad Mosén & Aaron: Quoniam non credidistis sanctificare me coram filiis Israel, propterea non introducetis vos hanc synagogam in terram, quam dedi eis. Hinc videre quisq; facile potest, pessimos esse fructus incredulitatis. Nam si Mosi non parcitur illi, de quo dictum est: Nouite præter omnes, & gratiam inuenisti apud me: quis indignationem eius effugere poterit, qui personarum condiciones nullo suscipit modo?

Caput XVI.

Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque milia. Innata sibi mansuetudine non increpat, nec villo modo reprehendit discipulos tanta pusillanimitate affectos, sed rebus ipsis ad fidem inducit. Quod enim dicit: Facite homines discumbere, illud quasi significare videtur: O tardi ad intelligendas vires meas, & percipiendum quis vobiscum loquitur, facite homines discumbere, ut videatis, quo illos miraculo saturabo, quibus ducenti denarij non sufficiunt: ut videatis cuncta viribus meis ex nihilo esse producta. Nonne poterit, qui viduæ vasculum vacuari oleo non permisit, & hydriam effecit non carere farina, hos etiam quinque panes multiplicare, aut ex nihilo, quasi à fonte magnam ciborum copiam producere? Hæc aliaq; huiusmodi ex illa significatione verborum sic emphaticè dicta: Facite homines discumbere, intelligere decet. Fœnum autem ea de causa dicitur fuisse, ut locus ad discumbendum aptus cognoscatur. Animaduertendum autem diligenter, non mulieres, neq; pueros, qui viris permixti erant, enumeratos fuisse. Sequutus est (ut puto) Euangelista scripturæ consuetudinem, in qua, quum à Deo ad Mosén dictum sit, ut synagogam filiorum Israel secundum cognationes ex nomine numeraret, ut vnusquisq; ultra vigesimum annum præcepta faceret, nec fœmina, nec puer aliquis numeraretur: ita veritas atq; constantia, quæ nullam habet puerilem ac muliebrem in bonis leuitatem, in libro Dei conscribitur: ita & scripturæ consuetudinem seruat, & spirituale quiddam nos docuit. Nonne iure dicemus, ad vniuersam huius miraculi spiritualitatem respicientes, arrogantem contumeliatoremq; Iudæorum populum iure à Christo depelli: lautè autem recipi, &

Psalms. 103 cœlestibus alimentis nutriri, pane cœlesti (qui cor hominis confirmat) concessio, omnes, qui ad Christum conueniunt: Suscipiuntur autem hilarè, & cum quadã voluptate licenti. Id enim nobis fœnum, in quo discubuerunt, ostendit, vt merito qui tali gratia sunt dignati, illud Psalmistæ dicere possint: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Magna certè voluptate ac copia donorum spiritualium sanctorum mens connutritur, vt in Canticis dicitur: Comedite, & bibite, & inebriamini, qui propè estis. Mulieribus autem & pueris confuse discumbentibus, de viris solum mentionem fecit; ænigmaticè monens omnibus, qui viriliter probitatem ac fidem amplectuntur, non imbecilibus aut mollibus cœlesti à saluatore cibum præberi. Nam qui muliebri animo aut puerili sunt, nihil magni cognoscere possunt.

Caput XVII.

Acepit ergo Iesus panes: & quum gratias egisset, distribuit discipulis, discipuli autem discumbentibus: similiter & ex piscibus, quantum volebant. Gratias agit, partim vt exemplo senobis præbeat, partim vt naturæ deitatis virtutem miraculi sicut homo attribuat. Et

fuit iste modus sibi vsitatissimus, ratione dispensationis ante passionis tempora dignitatem suæ deitatis occultanti, & simul seculi huius principem omnia ista cœlant. Quapropter etiam in alijs, quum vt homo loquutus sit, celeriter ad confirmandam mentem auditorũ aliquid remedij attulit: Gratias, inquit, ago tibi pater, quoniam audisti me. Hoc vt homo loquutus, quod simpliciores turbare poterat, confestim illud subiecit: Ego autem sciebam, quia semper me audis. Cuius igitur rei gratia patris auxilium inuocare videtur: Propter circumfusam, inquit, turbam, vt credam nostram seipsum manifestans, humilius nõnunquam, & vt verè homo loquitur: Non debemus autè ignorare, quia Matthæus non egisse gratias Iesum, sed bene dixisse scripsit. Sed nulla propter varietatē verborũ, rerum varietas inuenitur: nõ enim verbis denotari vtriusq; Paulus ostendit, dicens bonum esse omnem cibum, & nihil reiiciendum: sanctificatur enim verbo & appellatione Dei. Non autè ignoramus benedici omne, quod sanctificatur, ea oratione, quam in mensa facere solemus. Verum, quoniam nobis omnia conquirèda sunt, quæ conferunt, age de quinque etiam panibus & duobus piscibus, qui apud adolescentem illum erant, aliquid dicamus: Parturiunt enim mysticam hæc quandam rationem. Quæ enim, studio quispiam dicet, alius quidam numerus vtriusq; rei non fuit: Aut cur non simpliciter à paucissimis minimisq; tãtam fuisse saturatam multitudinem scripsit, sed numerum quoq; addidit: Quare diligens omnium rerum, & ipsius numeri desertio aliquid parturire videtur, quod quærendũ est. Quinq; namq; panes fuisse ait, & illos ordeaceos, duos verò pisces, quibus diligentes se Christus saturauit. Puto igitur ipse (quis meliora studiosos quærere hortor) quinq; Mosaicos libros quinq; ordeaceis panibus significari. Tota enim lex, quæ in illis cõtinetur, literalem ac historicum cibum, atq; ideo duriorè, & quasi ordeaceum adfert. Duobus autè piscibus, piscatorum libros, quibus delicatiora hominibus alimenta deferuntur, significari arbitror. Duo autem pisces sunt, quia & prædicatio Christi, quæ per apostolos effulsit, Euangelica & apostolica scriptura resplendet. Ita saluator & disciplina legis spiritalis, & noui testamenti, mirabili doctrina fidelium animas ad vitam alit æternam. Quòd autem discipuli domini piscatores fuerunt, perspicuum omnibus est. Si enim forsitan non omnes huiusmodi (ne contendamus) sed quoniam principales eorum piscatores fuerunt, non erit aliena nostra hæc à veritate oratio.

Caput XVIII.

AT autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ supra uerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum. Videbitur forsitan alicui Christus quadam parsimonia iussisse discipulis, vt fragmenta colligerent: sed ad hoc opus pusillanimitatis, non dico Christus, sed nemo aliorum paulo liberior descendisset. Magna igitur factum est dispensatione, & miraculi nouitas maiorem auditoribus intert stuporè. Tanta enim potestas Christi ex hac re apparuit, vt ex quinque ordeaceis panibus & duobus piscibus, non solum ingens multitudo saturata sit, sed etiam duodecim corbium fragmenta superfuerint: quàmuis suspicionem quoq; illã, fragmentorũ copia depulerit: non enim falsò, neq; per phãtasmata quinque panibus impleti ita multi videntur, quum tot superfuisse, & qui comederunt, videbant, & qui ministrabant, colligendo & portando senserunt. Sed maximum atq; vtilissimum illud est. Liberalitas enim nobis hoc miraculo commendatur, & quasi magna voce dicitur: quanto plura dabis liberaliter atq; misericorditer, tanto tibi plura largius confluent. Fac igitur libenter quod scribitur: Frange esurienti panem tuum. Nam & discipulos videmus tardiores in hac re à principio fuisse: quibus sic affectis copiosissimam fragmentorum multitudinem saluator largitus est. Ita docemur, propter minima, quæ ad gloriam Dei consumimus, ditissima nobis à Christo esse præparata. Non simus ergo tardi ad suscipiendos fratres ex charitate, sed prompti ac liberales, omni propter spem ac fidem abiecta formidine. Nam si firmiter credimus multiplicata hæc fuisse diuinitus, facillè, vt iubemur, viscera misericordiæ indigentibus aperiemus. Quando enim misericors eris, si tenax in hac vita fueris? Quando præceptum hoc complecteris, occasionem faciendi quotidie prætermittens: recordare Psalmi: Quia non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi: Quis enim erit fructus post mortem: aut quomodo Dei quispiam recordabitur: vel quomodo præcepta faciet, qui descendit ad inferos: Conclulit enim Deus * in eo, vt scribitur. Idcirco & Paulus docet, dicens: Donec tempus habemus, operemur bonum, Hanc nobis historia ipsa parit vtilitatem. Verum quoniam spiritaliter (oportet enim hoc in scriptura facere) per quinque quidem ordeaceos panes, Mosaicos libros: per duos verò pisces, apostolorum Evangelistarumq; scripta significari dicebamus. Age de collectione quoq; fragmentorum, consentaneum quiddam superioribus spiritale feramus. Discubuerunt ergo domini iussu turbæ, quibus benedicti panes & pisces, discipulorum ministerio appositi sunt: omnibusq; iam saturis, duodecim cophini ex fragmentis implentur, vnus vniciq; discipulorum. Quid igitur hic intelligimus: conuiuij princeps fidelium Christus est, & cœlestibus atq; diuinis disciplinis, præceptisq; tam legalibus & prophetis, quàm Euangelicis & apostolicis conuiuas accipit suos: idq; non per se ipsum, sed ministerio apostolorum gratiam eius nobis ministrantium facit. Non enim ipsi loquuntur, vt scribitur, sed spiritus patris est, qui in ipsis loquitur. Nec sine mercede laborem hunc apostoli sufferunt: sed quum saluatoris dapes ministerio suo nobis apposuerint, plenissima eis gratia retribuetur diuinitus. Hoc enim et non aliud, mea quidem sententia, inde significatur, quòd post laborem & ministratorem conuiuij, iussu Christi cophinum vnusquisq; fragmentorum plenũ reportauerit: hoc ipsum ad præsules sanctarũ Ecclesiarum successiõne transire nõ dubita.

Caput XIX.

Illi homines ergo quum vidissent, quod fecerat signum, dicebãt: quia hic est vere ille propheta, qui vêturus est in mundũ. Mirantur nouitatem signi, qui hæc congruentia Deo putabant, quicquid ratione potius humana, q̃ pecudum temeritate, vt impij Hierosolymitani moue Ioannis 8 DD iij ban-

bantur. Illi quum recto de miraculis iudicio iuuari poterant, lapidare potius Iesum cogitabant: quoniam multa miraculose ac ultra naturæ vires quotidie peragebatur isti non paulo meliores, aded excellentia huius inauditi signi affecti sunt, ut firmiter & credant, & prædicent hunc illum esse, qui loco prophetæ in mundum venturus scribitur. Sed maior adhuc inter Iudæos & alienigenas hinc differentia videtur. Iudæi enim, quàmuis multa viderint admiratione dignissima, non solum durè agrestesque sunt, verùm etiam saluatorem suum occidere meditantur. Hiverò, qui longè ab Hierusalem habitabant, atque ideo alienigenas eos appellamus, vno signo sic afficiuntur, vnde iure seipsum Israel condemnauit, & gentes similiter susceptæ diuinitus sunt.

Caput XX.

Iesus ergo quum cognouisset, quia venturi essent ut raperent eum, & facerent regem, fugit iterum in montem ipse solus. Laudabilis sanè sententiâ fuit illorū, qui quid apud homines summi honoris est, in Christo dignè conferri posse arbitrati fuerunt. Nihil enim aliud hæc regni oblatio, quàm hanc animi sui de Christo sententiam significat: sed contemptus gloriæ, regnum fugiens Christus, nobis exemplum est. Docet enim nos re ipsa parua esse, quæ maxima in hac vita putantur. Nam honor atque gloria mundi fugienda ijs est, qui volunt gloriam Dei consequi: stultum enim omnino est, si æterna regna delideras, regna huius mundi appetere. Caducam igitur gloriam, quæ superbiam ac flatui coniuncta est, quasi acerbum hostem fugiamus, & humilitatis decorem amplectamur, alter alteri cedentes, ut beatus Paulus monet, dicens: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo: sed seipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus ut homo: humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Per spicis quò voluntaria hæc humilitas fulgentissimum adfert finem. Vides quomodo radix multorum existit bonorum, sensus nequaquam elatus: vni genitus enim patris filius humiliavit seipsum propter nos, & ab hac humilitate carnis cum ipsa carne in dignitatem & gloriam Dei rediit. Hoc modo in nobis quoque intelligendum est. Cum enim in hac vita humiles propter Christum fuerimus, supernam gloriam consequuti, dii per gratiam futuri sumus, filij Dei adoptione nuncupati. Ipsum igitur etiam supremum regni honorè, si offertur, recusemus, si cœlestia potius quàm terrena sapiamus. Sed repetamus breuiter, quæ facta sunt, ut spiritalia facilius videamus, quæ quomodo modo Euangelista subaperiens, ac quærenda necessariò proponens: Solus, inquit, Iesus in montem iterum decessit. Crudelitatem igitur Iudæorum aspernatus, ab Hierosolymis abiit. Reliquit domum suam, dimisit hæreditatem suam, ut scribitur, & trans mare Tyberiadis longè ab illis factus, cum discipulis in montem ascendit: quod significare diximus inaccessibilem morositate sua factam esse Iudæis viam in Christum usque ad conuenientia tempora: & ad hæc, quia Christus cum discipulis suis à Iudæis ad gentes versus, gratia sua in eas translata conspicuus erit atque illustris. A monte autem quum subleuasset oculos, multitudinemque vidisset, ad nutriendam ipsam se cinxit: quod dicebamus ænigmaticè visitationem Dei sanctis debitam subostendere, iuxta illud: Oculi domini super iustos. Ad hæc, miraculose multitudo illa quinque panibus & duobus piscibus ad saturitatem fuit accepta: quare vetera & noua scripturæ mandata, fidelibus per apostolos apposita intelligebamus, cuius ministerij plenam & apostoli & eorū in Ecclesijs successores gratiam possidebunt. Postremò mirati signū spectatores, rapere ad regnū saluatorē cogitabant quod ille non ignorās, solus decessit in montem. Cū enim à gentibus, ut miraculorū esse-

A effector, ut Deus admiratione habitus sit, quum in regem ac dominum suum omnes ipsum acceperint: tum solus (nemine omnino sequente) in cœlum ascendit. Hæc est ille mōs, de quo Psalmista dicit: Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto eius: Innocēs manibus & mundo corde. Huiusmodi enim homo tempore suo Christū sequetur, & intellectualē montem ascendet ad eum peruerturus, qui cum sit primitiæ mortuorū, solus in montem magnum & verum ascendit. Decessit autem in montem, id est, ascendit in cœlum, non quia regnare in fidelibus nolit, sed regnandi expressiora signa ad futurum seculum differens. Nam quando in maiestate patris descendet, non signorum, ut antea, ratiocinatione, sed gloria congrua Deo, ab omni dubitatione procul rex omnium verè ac natura Deus cognoscetur. Quando igitur à Iudæis iniquitate illorum abiit, Deus à gentibus cognitus, tum omnes ipsum regem accipiunt: solus autem in cœlum ascendit, opportuno tempore multis expressius regnandi demonstrationem conseruans.

Caput XXI.

T autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare: & quum ascendissent nauim, veniebant trans mare in Capernaum. Ita miraculose vno signo confecto, decessio in montem saluatoris, initium per dispensationem signi alterius inuenitur, & procedit (ut scriptum est) à virtute in virtutem dominus noster Iesus Christus: in omnibus enim modis volebat mentem apostolorum in fide roborare. Nam quoniam doctores orbis futuri erant, & quasi luminaria mundi (ut Paulus ait) necessariò illos vndique confirmat, quorum doctrina ad veritatem ceteri confirmandi erant. Sed ambiget forsitan aliquis, quamobrem post multiplicationem panum & piscium, maris quoque se dominum ostendit: huius rei causa verisimillima illa est. Nam quoniam non posse ipsum tantam multitudinem enutrire Philippus & Andreas suspicati sunt: alter vix grandem pecuniam suffectura respondens, alter nihil esse quinque panes & duos pisces in tot homines affirmans. Quibus verbis nihil ultra naturam posse ipsum putare necessariò videbantur. Ut ab hac opinione illos liberaret, & labantem mentem eorum confirmaret, si se omnia posse nulla rerum natura prohibente ostenderet, sub pedibus humidam aquarum naturam subiecit, quæ humanis corporibus subesse natura non potest. Sero igitur facto, & quærentium diligentia, temporis obscuritate retusa, in mare discipuli descenderunt, & nauigio inde, magistro & domino parentes, abire studebant.

Caput XXII.

T tenebræ iam factæ erant, & non venerat ad eos Iesus: mare autem magno facto vento exurgebat. Quàm vtilissima dispensatione ad idem omnia concurrunt, quibus compelluntur discipuli ardentius saluatorem inuocare. Conturbat tenebrarum multitudo, qua fiebat, ne in tanta nauiculæ iactatione, ubi essent, aut quò tenderet, possent cognoscere. Et conturbat nimia vis ventorum & impetus, quo funditus euerit mare, & fluctus in montes erigi videbantur, & quod plus timoris inferebat, Christus non aderat. Necessè est enim procellis exagitari omnes, qui diuinorum præceptorum contemptu atque delictis à Christo decisi sunt. Quare si graue durumque est intellectualibus tenebris detineri, & in profundo voluptatum submergi, recipiamus ex toto animo Iesum: is enim solū à periculis, & à peccato mortali nos liberabit: & quæ tunc facta in discipulis fuerunt, in nobis quoque spiritaliter aduentu domini efficiuntur.

Caput XXIII.

DD iij Quum



Quum remigassent ergo stadia quasi viginti quinque aut triginta, vident Iesum ambulans super mare, & proximum nauis fieri, & timuerunt. Ille autem dixit: Ego sum, nolite timere. Quando longius iam à littore aberant, & certior mors mari vndiq; circumdatis imminerebat, tunc desideratus apparet Christus, tantoq; gratiorem eis salutem donauit, quanto magis vitam desperarant. Stupescunt autem per maria, & super aquas ambulans dominum videntes, & stupor formidini non parum adijcit, sed cōfestim saluator eos liberat, dicens: Ego sum, nolite timere. Cedit enim omnis turbatio, cunctaq; pericula desinunt, cum Christus adsit. Hinc discimus prudenter patienterq; serendas esse tentationes spe, quam habemus in Christo, etiam si vndiq; periculorū fluctus inundarent, saluari non dubitantes. Operæ nanq; precium est obseruare, non statim, neq; in principio periculorum, sed quando iam longè à terra remigauerant, Christū discipulis apparuisse. Non enim incipientibus aduersis gratia Christi cōfestim nos saluat; sed postea quàm terror increuerit, & certum videatur imminere periculum, tunc è medijs fluctibus eripit, timorē abijcit, & ab omni periculo liberans ineffabili virtute in summam tranquillitatem periculorū fluctus transponit.

Caput XXXIII.



Voluerunt ergo eum accipere in nauis: & statim nauis fuit in terra, ad quam ibant. Non à periculis nauigantes solummodo, verum etiā ab omni labore & sudore liberauit, ineffabili sua virtute, ad quem ibant locum, nauis temporis momento deducta: tot multa miracula eodem penè tempore cōfecit. Nō dubitemus igitur, absq; labore multo maiora quàm sperauimus, præstantioraq; Christi præsentia nos bona cōsequuturos, & qui absente ipso laboramus, præsentia eo sine opera nostra quiescemus: sic enim omnium periculorum Christus solutio est, vt omnium virtutum, bonorumq; omnium, quæ vires nostras excedunt, basis ac fundamentum. Sed idoneum præcedentibus spiritali sensum modò cōnectamus. Quando igitur in cœlum Iesus post resurrectionem, vt in altum quendam montem solus ascendit, tunc relictis ad prædicandum apostoli, quasi maris procellis, huius vitæ periculis exagitantur, multis varijsq; tentationibus aduersus eos insurgentibus. Nam vndique veritatis Evangelicæ aduersarij illos aggrediabantur: sed tam ipsi, quàm successores eorum à periculis, & ab omni labore liberabuntur, quando rursus eis in maiestate deitatis (vniuerso sub pedibus orbe subacto) Christus apparebit. Id enim arbitror significare ambulationem illam marinam. Capitur enim plerunq; apud scripturam mare pro mundo. Hoc mare magnum (vt ait Psalmista) & spatiosum. Quum igitur in gloria patris venerit Christus, tunc apostolorum nauicula, & qui nauigant per eam, Ecclesia scilicet, & qui fide ac charitate Dei super res mundanas atque fluxas feruntur, absque labore aliquo, quò tendebant, peruenient. Erat autem eis summus ardor, atque cupiditas acrior in tutissimum regni cœlorum portum applicare. Hunc sensum ipse saluator cōfirmat, ad discipulos modò dicens: Modicum, & nō videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Descendit autem noctu à monte, & vigilantibus apparuit discipulis, neque id absque ingenti metu illorum, vt hinc intelligas, velut in nocte, dormiente quasi vniuerso terrarum orbe, & somno peccatorum sopito, de cœlo descensurum, vnde hortatur nos dicens: Vigilate, quia nescitis horam, qua dominus vester venturus est. Quod non minus ex decem virginum etiam parabola discimus. Omnes enim tardate, inquit, spōso obdormierunt, & media nocte clamor factus est: Ecce spōsus, exite in occursum eius. Perspicis intēpēsta nocte spōsum dici venturum. Clamorem autem illum, & occursum modum Paulus declarat, modò

Psal. 103

Ioannis 16

Marci 13
Math. 25

modò dicens: Quia ipse dominus in iussione, & voce archangeli, & in buccina Dei descendet de cœlo. modò: Quia nos viui, qui residui sumus, simul rapiemur in nubibus obuiam domino in aerem, & sic semper cum domino erimus. Timore autem (quamuis dominum venire videant) non paruo discipuli afficiuntur: quia terribilis aduentus ille domini omnibus fore hinc significatur. Ad terram autem ilicò nauis deducitur, quia non vt ad virtutem impellat, sed, vt laborum præmia reddat, apparebit.

Caput XXV.



Altera die turba, quæ stabat trans mare, vidit quia nauicula non erat nisi vna, & quia non introisset cum discipulis suis in nauem, sed soli discipuli eius abijissent: aliæ vero superuenerunt naues à Tyberia, iuxta locum vbi manducauerant panem, gratias agentes domino. Quum ergo vidisset turba, quia Iesus non esset ibi, neq; discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & venerunt Capernaum quæretes Iesum. Quamquam in nocte, & in tenebris, & clam omnibus super mare Iesus ambulauerit, nullo tamen pacto id latere potuit. Turba enim, quæ diligenter ipsum sequebatur, quum vigilantissimè obseruasset, nec cum discipulis suis eum nauigasse, nec alio transire potuisse nauigio (sola enim apostolorum nauicula ibi erat) rem omnem miraculo factam intellexit. Nihil ergo rectè actum latere potest, & verum esse discimus quod fertur, nihil esse occultum quod non fiat apertum. Quare oportet, si vestigia Christi (vt homini possibile est) sequi volumus, illum nobis exemplar proponere, nec ad ostentationem virtutis properare, etiam si mirabilem quandam atque singularem viuendi disciplinam quispiam elegerit: à solo enim Deo conspici satis est, qui quod occultè gestum est, in medium opportuno tempore protrahet. Sequuti autem turba illa miraculorum æditorem diligentius sunt, non quia multum inde ad fidem iuuarentur, sed quia retributionem quædam hoc modo laudis referri aliquando sibi ab illo arbitrabantur. Non parua verò mentis & animi ægritudo est, non spiritalibus bonis, sed caducis atq; inanibus inhiare, nec cœlestia lucra, sed terrenum quæstum diligentius quærere: quod illos tunc fecisse, paulò post liquidò patebit.

Caput XXVI.



Quum inuenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti? Et si affectum amoris oratio hæc significet, tamē stultè penitus ac pueriliter habetur. Non enim oportebat vanū quicquam aut inutile ab illo petere, cuius diuinas virtutes videbant. Quod enim ab hac interrogatione poterant assequi emolumentum? Sapienter igitur sapientes interrogandi sunt, & imperito sermone taciturnitas præstantior est: vnde sale sermonem condire nostrum à discipulo Christi iubemur. Et quidem Sapiens dicit: Si sermo cum intelligentia tibi ò fili est, responde: sin verò non est, manus tua sit in ore tuo. Sed linguæ loquacitatem damnari, inde quoq; cognoscimus: Si quis enim, inquit, fidelis in vobis videtur, qui non frenat linguam suam, sed decipit cor suum, huius fides inanis est.

Coloss. 4
Eccli 5

Iacobi 1

Caput XXVII.



Respondit eis Iesus, & dixit: Amen amen dico vobis, quæretis me, non quia vidistis signum, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Commune illud & tritum modò dicere alienum non est. Sicut quasi natura duce acerbis in eos magni doctores inuehi, qui magna quædam

quædam & inutilia quærunt, nec id arrogantia faciunt, sed interrogantium imperitiam retrudere conantur, quod de nudis hominibus aptè atq; commodè dictum esse arbitror. Sed saluator noster ardentius illos imperitè loquentes arguit. Non enim quò probi viri fierent, quærabant, sed corporali ac tenuissima mercede persuasi, Christum sequebantur. Quid enim abiectius, quàm tenue atq; quotidianum alimentum? Religionem ergo Christi atq; charitatem amplectamur, non ut aliquid corporalium rerù assequamur, sed ut æternam inueniamus salutem: nec bonis verbis erga dominum utamur, sicut illi, rabbi appellantes, ut caducarum rerù aliquid nobis concedatur. Nam qui hac re sic abutitur, eius occultam malitiam acerbè dominus arguet. Mirabilis autem etiam in acrimonia huius sermonis dispensatio inest: nam quoniam graui (ut diximus) ægritudine animi laborabāt, quasi optimus medicus duplex illis remedium, signi ac reprehensionis imponit. Non enim paruum signum est, quod nequaquam cogitationes illorum ignorare ostenderit. Reprehensionis autem viribus reprimuntur, quum non religione, sed ventris vitio sequi arguantur. Dupliciter igitur illis prodesse videtur: tum quia monet non paruum esse infamiam, si quis suauitate verborum, prauitatem animi cælans, diuinum se putet oculum effugisse: & hoc pacto à tanto eos delicto remouet, magna enim certè impietas est, hanc habere de Deo opinionem: tum quia opportuna reprehensio cursum peccandi facilè detinet, quàm magno impetu fertur: quum nihil prohibeat, nihil sanè prohibere videtur, quum latere putamus. Nam suspecti statim retrahimur. Ita etiam his verbis dominus, quibus obducta exulcerare videtur, magnam adfert utilitatem. Hinc Ecclesiæ præsidēs discant, non decipi suauitate verborum & assentatiunculis, quibus plerumque utuntur omnes, qui non rectè de fide Christi sentiunt. Non enim oportet silentiū de ignorantia sua, tanquam in mercedē laudis, qua ab illis afficimur, sibi retribuere. Arguendū enim sunt, ut & ipsi se ad melius transferant, & alij exemplo eorum firmentur, ut est apud Paulum: Peccantes, inquit, in conspectu omnium argue, ut etiā reliqui timeant. Sed de historia satis, modò spiritualia consequenter contemplerur. Descensus à monte domini, secundum (ut diximus) aduentum eius de cælo denotat, quum vigilatibus adhuc laborantibusque suis sic apparebit, ut & ab omni formidine liberet, & in salutis portum deducat. Sed obserua modò, post descensum eius à monte, tardè quosdā ad eum peruenisse. Venerunt enim altera die, non enim frustra id ab Euangelista positum est. Quumque venissent, blandis verbis utuntur, sed increpat Christus, acerbèque arguit, ut recordemur inutile virtutis studium fore hominibus post descensum illum de cælo domini: non enim datur tempus ulterius, in quo Christum per fidem sequentes, salutem possimus adipisci, sed si qui blandis verbis confisi, quicquam voluerint miti Christo insinuare, acerbè repellentur. Audias oro ipsum dicentem: Multi mihi dicēt in illa die, iudicij scilicet, domine, dñe, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus? Tum, inquit, cōfitebor eis: Amē dico vobis, nunquā vos cognouit. Non enim, inquit, probè me quæstistis, nec sanctimonia splendere voluistis, sed mercaturæ modo religionem ostēstistis, propterea vos non cognouit. Quod igitur in illis verbis vult, domine, domine, id ipsum in hoc verbo Rabbi significat. Si cui ergo suppliciorum fuga curæ est, is nulla se corrumpat ignauia, misericordiam Dei considerans, sed præparet (ut scriptum est) opus suum in exitum suum: præparet se, donec in agro, id est, quousque in hoc mundo est, sic enim agrum dominus ipse interpretatus est: præparet autem se, ut cum sanctitate atq; iustitia pro tribunali iudicis possit consistere. Non est enim tunc misericordiæ opportunitas, nec erit tunc misericors, qui ad salutem modò conuocans omnes, immensa vititur misericordia. Quæramus igitur eam, si volumus obliuioni delicta nostra tradere sempiternæ.

Caput XXVIII.

Opera



Peramini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitā æternā.

Tale quid sanè, quamuis generalius, Paulus nos etiā monet: Qui seminat in carnem, inquit, corruptionem metet ex carne; qui verò seminat in spiritum, vitam æternam ex spiritu metet. In carnem enim seminant, qui voluptatibus corporis dediti, nihil inter vtile atq; inutile discernunt, nec præcepta viuendi considerant, sed præcipites iucundo sensuum motu feruntur. In spiritum autem seminant, qui à spiritus sancti præceptis toto animo pendunt: tantoque studio hunc mentis suæ cultum aggrediuntur, ut nisi natura cogeret, necessaria etiam vitæ alimenta negligenter. Nulla igitur carnis cura nobis habenda est, sed necessarijs ac æternis inuigilandum. Non enim differt à bestijs, qui corporis voluptates cōsectatur, sed qui virtutibus in hæret, & spiritali vitam peragit lege, illisque qui omnino deditus est, quæ nobis diuinitus concessa iter ad superos præparant, is mihi videtur seipsum cognouisse, nec ignorasse se rationale animal ad imaginem creatoris esse productum. Non simus ergo solliciti (ut saluator ait) quid māducemus, aut quid bibamus, aut quid induamur: sed considerantes præstantior em esse animam quam alimentum, & corpus quam indumentum, præstantioribus magis studeamus. Nulla enim ex delitijs corporis ad miseram animam utilitas, imò contrā detrimentum intolerabile transit. Siquidem in ignem æternum, qui benè non vixerunt, peruenturi sunt. Qui autem recta ratione appetitum domarunt, & spiritus sancti præceptis subiacuerunt, ita tam corpus, quam animam in salutem ducent. Stultissimum igitur est, carnem & carni iucunda sic amplecti, ut nullam, aut vix equalē de anima, quàm multo corpori præstat, curam habere videamur. Cui tanto studere quisque magis iubetur, quanto ceteris præstantior est: sic enim sapiēter & iudicabimus, & operabimur. Operemur igitur (ut saluator ait) non eum cibum, qui lapsus in ventrem, & breui nos voluptate afficiēs, per aluum tandem emissus perit: sed cibum spiritalē, qui corda confirmat, & in vitam æternam perducit, quem largiturum se pollicetur dicens, hunc cibum vobis filius hominis dabit. Ita coniunxit humana diuinis, & totum incarnationis mysteriū tetigit. Occultius enim spiritalē cibum ostēdit, quo animam simul & corpus sanctificati in Christo viuimus. Sed apertius hoc mox dicturus est: quare nos quoque conuenientem huic loco expositionem ibi latius conscribemus.

Quod character hypostaseos Dei patris unigenitus est, nec præter eum alius, aut est, aut intelligitur character esse. Caput XXIX.



Vem filius hominis dabit vobis, hunc enim pater signauit Deus.

Non ignorauit, sed præuidit ut Deus, quæ crimina Iudæi ex imperitia essent allaturi, qui hominem esse considerantes, nec verbum Dei in eo homine esse intelligentes, dicturi erant: Quis est iste, qui diuinam sibi potestatem assumit? Quis enim permanētem ad vitam æternam cibum præbere potest? Nemo profectò mortalis, sed solus Deus, qui omnia & creauit & gubernat. Antequam ergo saluator, & huiusmodi loquacitatem compescuit, à filio dicens hominis hunc cibum, qui ad vitam nutrit æternam, datum iri: & statim subiecit, à Deo patre seipsum esse signatum. Signari autem, aut pro vngi posuit (signabatur enim, qui vngebatur) aut naturaliter ad formam patris (ut ita dicam) se esse formatum, signationis nomine denotauit, ut dicere videretur: Non est mihi difficile permanentem cibum vobis largiri, quo ad æternæ vitæ inauditas delicias deducemini. Nā etsi homo sum, ut vnus vestrum, vnctus tamen à Deo patre signatusque sum ad incōmutabilem eius identitatē. Nam & ego in patre & pater in me naturaliter cernimur. Quare quamuis propter vos per ineffabilem dispensationis rationē homo ex muliere factus sim, eam tamen virtutē habeo, qua possim omnia ut Deus efficere, nec villo modo minor virtus mea, quàm patris est. Vnde si spiritalē cibum ac ad vitam æternam

1. Timot. 5

Matth. 7

Prouer. 24

Matth. 13

Galat. 6

Roman. 13

Matth. 6

Marci 15

Ioannis 14

æternam conducentem pater vobis præstare potest, potest etiam similiter & filius, qui quamuis carnem assumpserit, imago tamen incommutabilis eius est: quæ summa identitas, non lineamentis corporis, nec vlla corporali figura, sed substantia, gloria, potestateq; regia deitatis aspicitur. Illud apprimè rursus obseruandū, quia cum filium hominis diuinum hunc cibum daturum, & ad imaginem Dei patris signatum dixerit, nullam separationem patitur, quæ possit templum assumptum ex virgine à verò filio Dei seiungere: sed vnum se intelligi vult, sicuti est, vnus enim verè Christus est, totum hominem, ex anima videlicet atq; corpore compositum, sicut regia stragula indutus. Vnus ergo ex duabus naturis Christus. Sed clamabit magnus Christi aduersarius, cauillationibusq; quòd volumus, falsò huius loci explicationem trahi contendet. Clarè nanq; dicet per hæc verba non esse à substantia patris filium ostendi, sed similitudinem quandam substantiæ illius. Nam quæadmodum sigillum, inquit, quo signamus, ceræ aut alijs materiæ, quæ signari apta sit, impressum, solam similitudinem imprimit sui, nec quicquam aliud agere aut pati conspicitur: sic filius à patre signatus, similitudinem quidem illius exquisitâ suscepit, substantia verò patris ei communicata non est, sicut nec sigilli substantia in rem signatam transfertur. Audiat quæso, atq; attendat, quicumq; studiosus Christi est, quomodo etiam nunc iniquitas, vt venenosus coluber in altum se erigens nobis insultat. Sed qui capita fregit draconum, franget, certè scio, etiam huius: dabitq; nobis vires, quibus perniciosissimum effugiemus venenum. Dicat enim nobis, vt rum sigillum omne atque signaculum ex ferro, aut auro, vel quauis alia materia factum, caractere quodam signat, propter quem sigillum atque signaculum esse intelligitur: an etiam absq; caractere sigillum dicitur? Neminem esse arbitror, qui rebus ipsis compulsus, non concedat caractere sigillum signare, & absq; caractere signare non posse. Quoniam igitur diuina scriptura testatur caractere hypostaseos Dei patris filium esse, quia in ipsa, & ex ipsa est naturaliter: quo alio caractere pater filium suū signauit: aut ipse pater quo caractere signatus est, vt filiū signare possit? Nullus enim dicet patrem non esse in forma deitatis, filius autem forma genitoris est: quem si quis intellectualiter viderit, ipsum patrē omnino viderit. Quapropter etiam in ipso se esse naturaliter ait, quamuis ex eo etiam sit, quoniam subsistit: sicuti forsan splendor in re, & ex re, quæ splendet. Alius enim esse ratione intelligitur, & alia res ipsa, quæ splendet: sed nō aliud, si ad naturā vtriusq; aspexeris, quoniam ex re splendente splendor est, & in ipsa rursus inest: nec quoniam idē natura sunt, à seipso etiā esse quicquam credetur. Prodeunt em̄, quæ sic ex alio sunt, ita vt intelligentur propriè subsistere, quāuis nō separata, neq; decisa. Signatur ergo à patre, qui ex substantia eius est filius, non ad similitudinē nudā, nec absq; carne, sed potius in carne, vt per eū, qui ad similitudinē Dei per gratiā conscendūt, signent. Hoc em̄ modo illud etiā intelligimus: Signatū est super nos lumen vultus tui domine. Vultū em̄ Dei patris, filiū appellat, id est, patris caractere: lumen verò illius, gratiā spiritus, quæ ad omnes penetrat creaturas, per quā ad Deū fide conformamur, tanquā sigillo quodā ad filiū conformati, qui patris imago est. Et sic rectè in nobis seruat, id scilicet ad similitudinē & imaginē esse creatos: quoniam igitur vultus Dei patris filius est, ipse quoq; caractere erit, in quo Deus signat. Sint hæc, aduersarius Christi dicet: credimus em̄ per spiritū sanctos à Deo signari, sed nihil hoc omnino ad propositā quæstionē. Nam veluti sigillū, vt diximus, ferrēū, aut aureū, similitudinē suā in alia materia imprimit, nec vllū patitur detrimentū, sed sola impressione similitudinem in apta reliquit materia, sic à patre signatus filius, nihil habet de substantia eius, sed cum aliud quicq; Deus pater sit, exquisitâ solūmodo illius (vt imago primitiui) similitudinē possidet. O furorē immensum, o præcipitantē se ad pericula mentē, quæ cito oblita est omnium, quæ modò dicebantur: caractere em̄ patris filiū esse adseruimus, & in eo non seipsum (nihil em̄ sui ipsius caractere est) sed aliter

sed aliud signari intelleximus. Tu autē hac ratione non rectè retrusa, solam impressionis similitudinem dicere nō erubescis. In solis enim impressionis figuris filius, secundum vos, Deus est, natura verò minimè, sed sola forma quadam atq; figura, qua genitori similis est, qui forsan nec omnino genuit. Hac enim opinione vestra supernam quoq; illam generationē omnino negare videmini: sed quòd natus sit ex patre filius, multa iam diximus, & alias forsan plura dicemus. Nunc inani resistentes loquacitati, libèter interrogabimus: vtrum quod datur, quodq; forinsecus aduenit, auferrī remoueriq; posse conceditis: an etiam si natura insitum non sit, remoueri tamen posse negatis? Sed patet etiam vobis tacentibus, quod auferrī possent, quæ natura non insunt: poterit ergo hac similitudine filius priuari. Siquidē vt vos sentitis, nō naturaliter, sed impressione quasi signaculi patris similis est, cum alius quidem natura præter genitorē sit, & longè à substantia eius seiunctus. Clarè nanque tutoq; dixistis, nihil præter similitudinē à patre filio datum esse, ne scilicet detrimentum aliquod aut passio substantiā patris perturbasse videatur. Sed ignoratis sic Deum patrem longè ab omni passione filium generare, quemadmodum etiam absq; passione omnia producit: igne nanq; multo melior est, quem videmus (cogimur enim etiam exēplis rudioribus vt) quem inquam videmus non passione, nec decisione aliqua vel separatione, quæ in corporibus inuenitur, calorem à se ipso generare. Attēdite igitur omnes, oro, qui virtutē potius quàm vitium putatis, ita incautè de diuinis rebus disputare, attendite inquam: Quia si sola huiusmodi similitudine patri filius coniungitur, nullum sibi bonū immobile futurū est, poteritq; videri Deus natura non esse: præterea mutationis in peiora susceptibilis erit. Legimus enim ad Tyriorū principē dictum esse diuinitus, quod necessaria quadam ratione diabolo accommodare persuademur, tu es impressio similitudinis: inuenitur autem ab hac similitudine, quicumq; tandē ille fuit, decidisse, à quibus videre licet filiū quoq; posse similitudinē illam abijcere. Non enim sufficit ad immobilē æternitatē honorū probè ad creatoris naturam signatū esse: decidunt enim etiā intellectuales substantiæ, turpis alicuius rei electione. Quare si identitate naturæ patri filius similis non est, sed aduentitia tantummodo quadam similitudine, quam probæ voluntatis laude conseruat, mutari quoq; poterit: & si nō mutabitur voluntate, id nō naturaliter, vt Deus, immutabilitate possidebit, non erit ergo verus Deus. Et cur adoramus eū: cur etiam cū patre cōglorificatur: aut cur à superioribus virtutibus colitur? An Seraphin quoq; illa beata longè aberrare opinamini, quum non natura Deum glorificent, & Sabaoth dominum appellent: non enim negabitis supernas omnes illas Virtutes, Potestates, Dominationes, quātum sibi possibile est, ad Dei conformitatem comparandam studere. Nam si homo, paruum quoddam animal, si illis comparatur, tali dignitate creatoris gratia honoratur, quis negabit non esse præstantiora illis diuinitus dona collata? Quomodo ergo dominum Sabaoth nuncupantes, quasi satellitum, vt regi rerum omnium, ministerium reddunt: curius autem rei gratia ad dexteram ipsius Dei patris scribitur sedere? Seruus enim cum domino, & creatura sedet cum creatore: Patet igitur vndiq; non creaturam, sed substantialiter ac naturaliter Deum immutabilē natura, atq; impassibilem filium esse. Quomodo igitur qui hæc dicunt, ferendi sunt: aut quomodo iure dicere ipsis non potest: Væ, qui estis ebrj absque vino: Verum, non erubescunt adhuc, sed signatum esse à patre filium in exquisitam à Deo similitudinē adserunt: vt quamuis ex patre non sit natura, tamen immutabilis sit. Quomodo, dic quæso, qui ex Deo secundum naturam non est, proprietatem deitatis natura possidebit? Quis negabit, non posse creaturam increatæ naturæ proprietate potiri? Quis nō fatebitur, nunquam posse, quæ naturaliter deitati insunt, eodem modo in alio præter Deū posse inueniri? Immutabilitas inest Deo naturaliter, sic creaturis inesse nō potest, sed quædam studio, vigilātia, cura, per gratiā Dei, quæ facit, ne ad turpia rationales

tionales creaturæ labantur, ad immutabilitatē diuinam, quantum suscipere possunt, conformantur. Quod si villo modo deitatis quædā proprietas, siue perfectio, alij præter ipsum similiter (vt ipsi dicunt) inerit, quid prohibet omnia illi naturæ insita, cæteris quoque omnibus inesse? Si enim vna immutabilitas sic transire ad aliud cognoscitur, & cætera sic transire, fateri necesse est, & ita nobis omnia confusa erunt, & Deus nihil omnino à creaturis differet, & creaturæ ad naturam deitatis conscendent. Nam quoniam omnia bona Deus creaturis absque vlla inuidia proposuit, quæ suscipere possunt, non erit dubium, quin multi nobis euadent in deos secundum naturam, terram, cœlum, aliâque huiusmodi ex nihilo creare potentes. Considerate igitur, quæso, quanta vis blasphemiarum ex hac positione vestra scaturiat: Deus ergo suam naturam conseruat, & creatura ad immutabilitatem illius minimè secundum naturam ascendit, sed coniunctione quadam spiritali participes immutabilitatis efficitur: filius autem, qui natura immutabilis est, natura quoque Deus est, necessariò igitur ex patre nulla enim dignitas, nulla perfectio, nulla proprietates deitatis est, quæ filio naturaliter insit. Verum, quoniam illam, quasi firmam nobis incutiunt rationem, alium esse filium dicentes, alium patrem, quoniam aliud imago, aliud primitiuum; & hinc diuersitatem substantiæ patris & filij demonstrari arbitrantur, friuola se atque inania nugari dicent, si omni contentione deposita, probè ista considerare voluerint. Quid enim frustra contendunt: aut quare à proprietatibus subsistendi, ac personalibus diuersitatem substantiæ arguunt? Non enim, quia in propria subsistentia & persona filius est, idcirco à natura patris seiungitur. Ex patre enim verè est, quia ex substantia patris, & in patre est, quia in ipso secundum naturam. Ego, inquit, ex Deo processi & veni. Et rursus: Ego in patre, & pater in me. Non enim separatus à patre est, quum totius Trinitatis vna deitas sit, quumque in patre sit ratio ac habitudine consubstantialitatis, ex eo etiam per emanatiõem effulgentem vt splendor prodire ineffabiliter creditur, lux enim est ex luce. Quare & in patre & ex patre indiuisibiliter, simul atque seorsum: sicut enim character indiuisibiliter inest, sic vera imago ad primitiuum relata, propriam subsistentiam habet. Cuius rei exemplum non alienum est ad confusionem hæreticorum, à legis sumere autoritate: Ad redemptionem sui capitis vnusquisque secundum legem debebat didrachmi medietatem conferre. Didrachmi autem quantitas in vno erat statere. His vmbra culis legis Christus, qui se ad redemptionem omnium Deo patri obrulit, depingebatur, in vna enim drachma intelligebatur, quæ ab altera separata non erat. Erat enim in vno (vt diximus) minimo drachmæ duæ. Sic pater ad filium, & filius ad patrem se habent in vna quidem natura, sed tum diuisim, quoniam vterque subsistiturum coniunctim, quia alter sine altero non est. Et quemadmodum duæ drachmæ in vno erant minimo, nulla quantitatis mensura differentes, sic pater & filius in vna substantia sunt, nulla naturæ ratione differentes. Hanc veritatem si sequeris, integrè cuncta, quæ de filio scribuntur, intelliges.

Caput XXX.

Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, vt operemur opus Dei? Respondit Iesus & dixit eis. Non ex bono animo, nec ex discendi cupiditate, sed ex arrogantia potius hæc interrogatio prodijt: quasi enim omnia scirent, ac nihil sibi discendum restaret, ita rogarunt. Satis nobis, inquit, præcepta Mosi sunt, non minus scimus, quæ oporteat illos scire, quod Dei opus facere volunt: quid igitur nouum ipse, aut inauditum docere nos potest, quod in scriptura dictum non sit? Tale quid etiam apud Matthæum habes: Adolescens enim quisquam magno diuitiarum cumulo circumfusum, quærebat, quomodo vitam æternam posset adipisci. Ad quem dominus: Benè, inquit, nosti mandata, non occides, non in cœchaberis, non peierabis, & quæ istis coniuncta sunt. Sed hæc ille inferiora cogniti-

Alia cauillatio

Ioannis 8
Ioannis 10

Exodi 30

Matth. 19

Agnitione sua putans, hæc omnia, dixit, à iuuentute custodiui, quid adhuc mihi deest? Quod igitur ille ex imperitia superbiatque intulit, quid adhuc mihi deest? id etiam isti ex arrogantia faciunt, dicentes: Quid faciemus, vt operemur opus Dei? Proba igitur res humilitas est, & animi nobilis signum doctoribus credere, ac illis veluti doctoribus cedere, quando præcipiendo nos ad meliora traducere student: quomodo enim doctoris dignitatem habebunt, nisi melius quæ conferant, perspicere possit? Non est discipulus, inquit, super magistrum suum.

Matth. 10

Caput XXXI.

Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. Quamuis aliquantulum occultè, magna tamen cum increpatione arrogantia se illorum opponit. Putabit autem quispiam nihil aliud hic Iesum præcipere, quam vt in seipsum auditores crederent, sed si quis diligentius considerat, latiore amplioreque sensum in his verbis latere videbit. Nam quum illi doctrinam saluatoris impie spernentes, satisque sibi ad sciendum opus Dei legem Mosæ esse putantes, dicerent: quid faciemus, vt operemur opus Dei? commodè longè à vero cultu Dei esse ipsos subaperit, nihilque scire ipsos docet: quia literæ inherentes, figurarum atque vmbra, non veritatis plenissimi sint, ita significanter fidei fructum à legali cultu disseparans, dicit: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. Hoc est, inquit, opus Dei, non illud quod vos putatis, vmbra solummodo legis atque figuras respicientes: discite quamuis nolentes, nunquam autem legis bouum aut ouium eadem expetisse. Quid autem thus est, etiam si suauis odore circumfusum aërem repleat: Hircus porro quid iuuare poterit, aut cinamomi oblatio: num carnes taurorum Deus manducabit? num hircorum sanguinem bibet? nouit omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri cum eo est: odit ac repulit solennitates vestras, nec aliquid solennitatum vestrarum olfaciet, vt ipse dicit, nec ad patres vestros de holocaustis & hostiarum eadem loquutus est. Non est igitur hoc opus Dei, sed illud, vt credatis in eum, quem misit ille. Fides enim salutem adfert, & gratia iustificat, mandata verò legis condemnant magis. Opus igitur Dei, fides in Christum est, quare doctrinæ suæ, non vmbra culis legis inhærendum est. Illud mirari omnino decet. Nam quum solitus esset Christus, nullam de his facere curam, qui per tentationem interrogabant, in præsentiarum tamen, quamuis nullam consecuturos utilitatem illos videret, in condemnationem eorum respondet, quod ipse alibi dixit: Si non venissem, & loquutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.

Psal. 49
Esaiæ 1
Hierem. 7

Ioannis 15

Caput XXXII.

Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, vt videamus & credamus tibi? quid operaris? patres nostri manna manducauerunt in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducare. Reuelatur paulatim animus Iudæorum. Nam etiam ex arrogantia dixerunt, quid faciemus, vt operemur opus Dei? putantes (vt diximus) sufficere legem Mosæ ad omnem præstandam scientiam, qua opus Dei possent cognoscere, latebat tamen hæc sua sententia: nunc verò denudata, in medium prodit. Quod enim aiunt, quod signum tu facis? honoratur, inquit, meritò beatus Moses ille. Fuit enim susceptus à Deo mediator inter Deum & homines, dedit huius rei signum præcipuum, comederunt in deserto manna, quicumque cum eo erant. Tu verò quum maiora petere videaris, quàm Moses, quum præcepta illius mutare studeas, quibus id signis corroboras, aut quo miraculo ad nouam nos doctrinam reducere niteris? Hinc verè dixisse saluator ostenditur. Arguuntur enim, non vt miracula videant, Christum sequi, sed quoniam manducarunt, saturatique sunt: signum enim non quodcumque

Psal. 77

EE ij petunt,

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

Exodi 16

petunt, sed quod putabant Moſen feciſſe, quum non anni ſpatio, ſed quadraginta integris annis Hæbræorū populū mannae cibo in deſerto Deus aluiſſet. Itanihil videntur penitus intelligere, quippe qui non diuinæ poteſtati, ſed Moſi, ſignum illud mannae ſtultiſſimè accōmodant. Tale igitur etiam à Chriſto flagitant ſignum, parumq; putantes, quod in vno die miraculoſè nutriti ſunt, longi temporis ocioſa petunt alimenta. Sic em̄ aſſenſuros ſe doctrinæ illius polliceri videntur. Apertū igitur iā factum eſt quod latebat: quia nō tantum de ſignis curant, quantū mirari laudareq; Chriſtum ſimulant propter impuram ventris & ocioſam voraginem.

Caput XXXIII.

Dixit ergo eis Ieſus: Amen amen dico vobis, non Moſes dedit vobis panem de cœlo. Acriter etiam nunc, nec legem quidē Moſi noſe illos arguit: non oportuit em̄ ipſos ignorare miniſtrum Dei ad populū, ac ruruſ populū ad Deum, nullius autem miraculi Moſen autorem fuiſſe. Reprehendit ergo eos, quia quæ Dei ſolius ſunt, ſtultum ſimul atque impium eſt hominibus attribueret. Maniſtatum igitur eſt, quum miraculorum poteſtatem à Moſe abſtulerit, ſibi eam ac patri cōcedere: quamuis propter auditorū ineptias, apertè id non dixerit, ne inſtabiles vanosq; homines cōmoueret, qui nec dignitatem loquentis cognoſcebant, nec de veritate multum curabant, ſed ſolū Moſe autem inflati, nonnunquam maiorem, q̄ oporteret, honorem ei conferebant, diuina opera illi accōmodantes. Hinc ergo diſcimus, quo animo ſancti patres colendi ſunt. Reddere nanq; debemus (vt ſcribitur) timorē cui timor, honorem cui honor debetur. Tunc enim iure omnia faciemus, cum vnīcuiq; ſuum recta proportione reddemus. Nam & prophetarum ſpiritus prophetis ſubiſciuntur: ſed cum de ſaluatore noſtro ſermo habetur, tunc clamare neceſſe eſt: Quis in nubibus æquabitur domino? aut quis ſimilis erit domino in filijs Dei?

Roman. 13

1. Cori. 14
Pſalm. 88

De manna, quod figura erat Chriſti & ſpirit alium eius gratiarum.

Caput XXXIII.

* Alias, ve ſtrum.

Sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim verus eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. Non ſolum à falſa opinione, qua nō miniſtrum, ſed autorem miraculorum Moſen fuiſſe putabant, illos remouet, verum etiam miraculū illud Moſaicum paruum, ac verè nullū comparatiōe fuiſſe affirmat, voceq; ita quaſi clamat magna in paruis illis ac tenuiſſimis, & vos maiora latere non cogitantes, liberalitatē, largitatēq; domini parua nimium menſura definiſtis. Panem enim cœleſtem, manna ex imperitiā nuncupatis: quo (quamuis innumera penè gentes in orbe ſint) ſolum tamen Iudæorum genus & breui tempore fuit enutritum: ſic cōtractam miſericordiam Dei ac exilem eſſe putatis, vt vni ſolummodo Iudæorum populo cœleſtem panem largitus ſit. Manna verò figura quædam erat vniuerſalis Dei liberalitatis, loco arræ hominibus conceſſa. Nunc verò quum figurarum exactum ſit tempus, & veritas in ianuīs adſit, pater meus cœleſtem vobis panem largitur, qui per manna priſcis temporibus obumbrabatur. Neminem enim *virum errare volo: non erat panis ille cœleſtis, ſed hic eſt, qui vniuerſum terrarum orbem poteſt nutrire, & toti mundo vitam dono præbere. Accuſat ergo valde Iudæos, quia veritatem ſpernentes, figuris affixi ſunt. Non enim illud verum manna, & verus cœleſtis panis fuit, ſed ipſe vnigenitus filius, verus panis eſt, qui quum ſit ex ſubſtantia patris, naturali ter vita eſt cuncta viuificans. Vt enim panis hic terreſtris facit, imbecillitatem carnis noſtræ ſuſtinens atq; conſeruans ita & ipſe per ſpiritum ſanctum, ſpiritum noſtrum viuificat, & corpus ipſum à corruptione liberat. Verum, quoniam mentionem de manna fecimus, non erit abſre, ſi locū de ipſo ſcripturæ hic trāſcribamus, ac pauca

A ac pauca & breuiter ad perfectā huius loci expoſitionem altius explicemus. Sic enim planè videbitur, quod verum manna Chriſtus eſt, qui per figuram mannae priſcis illis à Deo patre dabatur. Quinto decimo, inquit, die mēſis ſecundī, poſtquam egreſſi ſunt de terra Aegypti, murmurauit omnis congregatio filiorum Iſrael contra Moſen & Aaron in ſolitudine, dixeruntq; ad eos filij Iſrael: Vtinam mortui eſſemus per manum domini in terra Aegypti, quando ſedebamus ſuper ollas carniū & comedebamus panem in ſaturitate. Quur eduxiſtis nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem fame? Hæc hiſtoricè ita patent, vt nulla explicatio ne indigeant, quare ſpiritalem ſenſum rimemur. Quū adhuc in Aegypto Hæbræi habitarent, iuſſu Dei ſolennitatē Chriſti celebrarunt. Cibo enim agni, durā tyrannidem, intolerabileq; ſeruitutis illius iugum excuſſerant. Rubrū deinde mare miraculoſè tranſierunt, fameq; in deſerto oppreſſi querebantur de Moſe, & Dei munus obliti, carnes Aegyptias, alioſq; cibos miro modo cupiebant. Aegyptus igitur, tenebroſa quædam regio interpretatur, & pro conditione præſentis ſeculi, atq; ſtatu (in quo magna profectō premimur ſeruitute) ſpiritualiter capitur. Non enim Deo dediti ſumus, ſed immani tyranno, principi huius ſeculi ſeruimus, & quaſi ſcētulentum lutum voluptates carnis peruoluimus. Vnde nulla merces labori, ſed ſupplicia & labores retribuuntur. Sed ſi quando Dei præceptorū nobis in mentē recordatio venerit, & huius ſeruitutis amaritudinem intellexerimus, tunc exitus cupiditate capti, ad Chriſtū libertatis inſitiū atq; ianuā venimus. Huius ſanguine, atq; gratia tuti, turbationes huius ſeculi quaſi fluctus maris effugimus, & integrā viuendū amplexi diſciplinā, in deſerto inaniū cogitationū ſumma trāquillitate quieſcimus: quam tamen nonnunq; tētationes perturbant, & memoria voluptatis exagitat, & ſic cupiditate victi, non iure conquerimur, nec parta libertate cōtenti ſumus. Nam quum in fame quadam primarū deliciarū & voluptatū verſemur, & labores contentiæ horreſcamus, priorē vitā ruruſ concupiſcimus. Magnas em̄ profectō vires huius carnis voluptas poſſidet, quibus facilè ab omni probitate mentes hominum deſicit. Dixit autem dominus ad Moſen: Ecce ego pluam vobis panē de cœlo. Hoc eſt etiā quod in Pſalmiſta canitur: Panē de cœlo dedit eis, panē angelorum manducauit homo. Sed perſpicuum eſſe arbitror, nō alium panē, neq; aliud alimentū, præter filium Dei, rationalibus intellectualiſq; ſubſtantijs propoſitum eſſe. Ipſe igitur eſt manna verū, ipſe in quā eſt panis de cœlo, qui omni rationali creaturæ à Deo patre præbetur. Ita gratia & miſericordia Dei, vel à cupiditate caducarū rerum, varijs multiſq; modis humanam ſolet reuocare naturam. Nam quum vt magni ponderis lapis ad hæc inſtabilia carnis premat appetitus, & tyrannicè ad imperium ſuū redigat, quaſi freno ad deſiderium rerum meliorū Chriſtus nos circunducit, & ſanitate mentis donatos in habitu virtutis confirmat. Vides enim etiā illos nunc corporali cibo & ocioſa captos vita, ad deſiderium cœleſtis panis, ad ſpiritale manna, ad ſpiritus ſancti cōſolationem, Chriſti doctrina reuocari. Propterea omni nos patientiā muniamur, nec imbecillitate animi, quæ nō licent, appetamus, vt intellectu ale manna Chriſtus dominus noſter in ſua nos pietate confirmet. Verum, quoniam non abſre aliquantulum à propoſito exiſſe videmur, totum hunc locum (perutilis enim eſt) non grauabimur latius tractare. Quæret igitur quiſpiam: Cuius rei gratia miſericors Deus non prius quam peterent, illis prouidit, ſed quum fameſcētēs videret, tardus ad patrociniū fuit: aut quare ſic conqueſtos non puniuit, quos tamen poſtea, quando ſimiliter ægrotantes, panes, carnes, alioſq; cibos deſiderabant, Aegyptios ſupplicio perſequutus eſt? Vnde, vt in Numeris ſcribitur: Monumentum cupiditatis, locus ille fuit appellatus, vbi hac cupiditate ſuperatos ſepelierunt. Ad primū igitur dicimus, conuenienter petitionē, clamoremq; illorum expectatum fuiſſe. Tunc enim gratiſſimum ſolet videri beneficiū, quando magno ardore petitur, & imminēte periculo neceſſariō expectat: aliter animus hominis beneficiū

Exodi 16

Exodi 12

Exodi 16
Pſalm. 77

Numer. 11

EE iij magni-

magnitudinem non cognoscit. Sed non petitionem illam, clamorem potius, murmuracionēq; ac iurgia fuisse contendes. Verum modesta per orationē petitio perfectorum est, cui exæquatur imbecilliū ac infirmorū obiurgatio & murmuratio. Nec molestē villo modo saluator tulit. Nam quæadmodum ploratu necessaria sibi alimenta infantes flagrant, & hoc modo mater ad fouendos filios suos prouocatur, sic conquestuosus obiurgationisq; plenus clamor ad Deum, petitionis (si ab infirmis adhuc, & infantibus in habitu virtutis sit) locum retinet. Quod autem, quis terrenis viderit cupiditatibus superatos, non puniuit tamen statim in initio, hæc (vt mihi quidē videtur) causa est. Nam quoniā nuper ab Aegypto effugerint, panēq; cœlestem, qui cor hominis corroborat, adhuc nō receperint, facilius poterant in cupiditates carnis incidere, propterea & venia digni visi sunt. Postea verò quàm domino fruebantur, vt scribitur, tunc iure, quoniā corporalia spiritualibus prapofuerunt, acerba dederunt supplicia, & ad supplicia insignem calamitatis memoriam reliquerunt. Egrediat̄ur populus & colligat, quæ sufficiunt per singulos dies. Sensibile illud manna, intelligibile hoc figurabat. Est autem intelligibile manna ipse Christus; sensibile verò rudior legis disciplina. Ad dies autem singulos colligebant, & in crastinum reseruare vetabatur, quia saluatoris aduentu figuræ legis cesarunt, & colligere inde alimenta non possumus, ipsa veritate nobis, & panē cœlesti ad fruitionem proposito. Die autem sexto parent, quod inferant, & sit duplum quàm colligere solebant per singulos dies. Considera diligenter, quia septima die sensibile manna colligi noluit, sed pridie collecto vt iussit. Septima enim dies, saluatoris tempora significat, in quibus sanctificati sabbatissimum peccatorum agere debemus, alimenta fidei ab antè collecta quoq; legis cognitione accipientes; non tamen necessario modo colligimus, qui verum cibum habemus, & panem de cœlo retinemus; duplici autem mensura ante septimam manna colligitur, quia tempore legis exacto & septima, id est, Christi aduentu incipiente, duplici quadam gratia, legali scilicet & Evangelica, in fide homines roborantur: quod per parabolam dominus docuit. Omnis scriba, inquit, regni cœlorum discipulus effectus, diuiti homini similis est, qui ex thesauro suo noua & vetera producit. Vetera enim legalia sunt, noua verò Christi. Dixeruntq; Moses & Aaron ad omnes filios Israel: Vespere scietis, quod dominus eduxit vos de terra Aegypti, & mane videbitis gloriam domini: dabit enim dominus vobis vespere carnes edere, & mane panes in saturitate. Attende, distinguēque diligentius singula. Nam coturnix legem quodam modo denotabat. Nunquam enim effertur volatu, sed prope terram semper hæc avis volat. Nam & disciplina legis, terrestris quodam modo est, animalium oblationes & purificationes Iudaicas continens, quibus illi non multum è terra leuabantur. Vespere autem traditur, vel quia magna obscuritate figuræ legis inuoluuntur, vel quia mundus tenebrarum effusione tenebatur, luce vera carens, quæ est Christus. Ego, inquit, lux in hunc mundum veni. Cognituros autem ait, quod dominus eduxit eos ab Aegypto: quia vniuersalis quædam, atque confusior in Mosaicis libris salutis cognitio solummodo est. Nondum enim aderat gratia, quod ipse significauit, dicens: Mane videbitis gloriam domini, dum de vobis panes in saturitate. Solutis enim nocturnis legis iam tenebris, & sole nobis intelligibili orto, præsentis domini gloriam intuentes, copiosissimè panem cœlestē ipsum rursus Christum assequimur. Factū est ergo vespere, et ascendens coturnix operuit castra: mane quoq; ros iacuit per circuitū castrorum: cumq; operuisset super faciem terræ, apparuit in solitudine albū ac minutum quasi coriandrum. Considera rursus spiritualiū ordinem sensuū. Nam de coturnice quidem dicitur, quod castra operuerit: de manna verò, quia cessante rore mane de cœlo descēdit per circuitū castrorum in facie deserti. Legalis enim disciplina, quā per coturnicē intelleximus, figuris atq; vmbri Iudæorū populū cōtegīt. Latet em̄ (vt Paulus ait) velū in corde ipsorum,

ipsorum, & cæcitas ex parte: sed postea quàm mane factum est, oriente iam sole vero, Evangelica doctrina fulgente, quum etiam ros, id est, rudis & pruinosa mandatorum legis obseruatio iaceat atq; desinat (finis enim legis & prophetarum, Christus) tunc verum de cœlo descendit manna, tunc Evangelica doctrina rutilauit, nō in Hebræorum congregatione atq; synagoga, sed per circuitum castrorum in facie deserti ac solitudinis, in omnibus videlicet gentibus, in Ecclesia gentiū, de qua dictum est: Quia multo plures sunt filij desertæ, quàm eius, quæ habet virum. In omnem enim terram intellectualis manna gratia fusa est, quæ coriandro comparatur: & minuta dicitur, quia tenuis profectò est, & frigidior diuini sermonis virtus, passionum ardores frigiditate sua extinguens: frigidissima enim dicitur esse vis coriandri. Quod quum vidissent filij Israel, dixerunt adinuicem: Quid est hoc? cum huius rei nullum haberent periculum, nouitate rei percussi, alter ab altero quid illud esset, petebat, & hinc nomen rei factum est. Manna enim Syrorum lingua, quod est hoc, significat. Vnde, iudicio meo, denotabatur, vt re ipsa modò videmus, non cognituros Christum Iudæos. Dixitq; Moses ad eos: Nullus relinquat ex eo in mane. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsq; mane, & scatere cœpit vermibus, & cōputruit, & iratus est contra eos Moses. Mane rursus in his splendidissima saluatoris aduentus tempora significat, quando vmbra legis depulsa, & tenebris gentium illuminatis, vni genita lux spirituale nobis diluculum eluxit. Iussit autem Moses manna illud nullo modo ad mane vsq; relinquere: quia orto sole vmbacula legis euanescent, & veritatis præsentia, figuræ omnino desinunt. Quare Paulus quoq; iustitiam legis rutilante Christo inutilem ostendit, dicens de seipso: Per quem omnium iacturam feci: omnium inquit, quibus lex plurimum iactabat. Duce enim, ait, omnia esse stercorea, dum modo Christum lucrer, & inueniar in eo non habens iustitiam legis, sed eam, quæ est per fidem Iesu Christi. Nihil igitur Paulus vt sapiens, ad mane vsq; conseruauit: qui autem tūc sensibile illud manna conseruauerunt, hi Iudæorum incredulitatem figurabant, quibus non opportuna legis conseruatio putredinem sanè ac vermes pariet: vnde mœrore quoq; affectum, & ira concitatum Mosen legimus. Dixitq; Moses ad Aaron: Sume aureum vas vnum, mitte ibi manna, quantum potest capere gomor, & reponne corā domino ad seruandum illud. Ex admiratione iam exclamauerim: O profunditatem diuitiarum sapientiæ ac cognitionis Dei. Incomprehensibilis nempe in scripturis sapientia latet, & magna profunditatis altitudo in ipsis inuenitur. Considera, oro, diligentius, quid in hac vltima particula reconditum est. Nam quoniā verū manna illo sensibili figuratus est Christus, necessariò nunc docet, qua gloria & virtute plenus est, qui Christum in seipso recondit, qui Iesum in corde per veritatem ac fidem rectam fixum firmiter gerit. Audis enim, quomodo vas aureum per Aaron impletur manna, & coram Deo ad perpetuam conseruationem reponitur: pia em̄ sanctaq; anima, quæ Christi fidem concepit, quæ totum in se ipsa cœlestem thesaurum condidit, preciosum atq; aureum vas est, & à pontifice omnium Deo patri offeretur, seruabiturq; in conspectu eius in æternum. Meritò igitur inflatos Mosi doctrina Iudæos, putantesq; ab eo manna datum præcis fuisse, nec aliquid vltra figuram intelligentes, Christus redarguit, dicens: Amen dico vobis, non Moses dedit vobis māna. Oportebat enim omnino illos ministrum solummodo fuisse Mosen non ignorare: res enim ipsa nō potuit hominis opus esse. Dei ergo fuerat munus, quo cœlestis panis non vnius gentis, sed totius mundi vita significabatur.

Caput XXXV.

Dixerunt ergo ad eum: Domine, da nobis semper panem hunc. Denudatur iam penitus (quāuis latere studuisset) animus Iudæorum: patet etiam non posse Christum mentiri: non enim quia signa viderūt, se-

Hierem. 5
 Philipp. 3
 Ioannis 4
 Esaiæ 32
 quantur, sed quia vsq; ad saturitatem comederunt, de quorum ignorantia oportune dixerim: Ecce populus fatuus atq; vecors, oculi sunt ipsis, et non vident, aures sunt ipsis, & non audiunt. Nam etsi multis verbis à carnali eos sensu saluator remoueret, etiam ad spiritalem mirabili sua doctrina contemplationem illos reuocaret, nihil tamen proficiunt, neq; à carnalibus villo modo recedunt: quippe panem audientes, quo vita mundo datur, terrestrem intelligebant. Venti ergo quasi Deo seruientes, merito audient: Quorum gloria in confusione ipsorum. Similes enim sunt Samaritanæ illi mulieri, quæ quum longam de intelligibili aqua Christi orationem audisset, aperte dicentis: Qui bibit ex hac aqua, iterum sitiet: quicumq; autem bibet ex hac aqua, quam ego dabo, fiet in ipso fons salientis in vitam æternam, nihil tamen intelligens, ad sensibilem memoriam aquarum labebatur dicens: Da mihi domine hanc aquam, ne sitiam, et ne veniam huc haurire. Sed illa & Samaritana, et mulier, quare non mirum si tardior fuit: isti verò & Iudæi & viri, nihil virilis prudentiæ habent, sed ventris effoemiantur cupiditate, verè de se dictum esse ostendentes: Stultus stultè loquetur, & cor eius vana intelliget.

Caput XXXVI.

Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis vitæ. Quamquam solitus fuerit Christus ænigmaticè quodammodo, nec aperte nimium mysteria exponere, ne res diuinæ scelestis etiam hominibus in derisionem paterent: non nunquam tamen propter audientium imperitiam, quum nihil eos intelligere videat, omni ambiguitate sermonis remota, dilucidè ac breuiter totam mysterij vim explicat, vt nulla excusatio non credentibus relinquatur. Quod autem obumbrato quodam ac subobscuro plerumq; sermone vteretur, ipse docet in Psalmis, dicens: Aperiam in parabolis os meum. Esaias quoq; hoc ipsum demonstrat, clamans: Ecce rex tuus iustus regnabit, & principes cum iudicio principabuntur, & erit homo occultans sermones suos. Illum enim regnaturum prænunciabat, qui dicit: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion matrem sanctum eius, prædicans præceptum domini. Iudicio autem, id est, rectitudine, principes, id est, sancti discipuli omnia gubernaturi fuisse scribuntur, quia ad saluatorem sermones suos calantem accedebant sepius, atq; dicebant: Expone nobis parabolam hæc. Ipse quoq; causam adiecit inuenitur, vt videntes non videant, & audientes non audiant, neq; intelligant. Non enim erant digni, ac ideo iuxta Dei sententia eiectionis sunt. Multis igitur verbis vltra citroq; habitis, postquam illos nihil intelligere videbat, apertissimè iam, ego, inquit, sum panis vitæ. O sola imperitia excellentes homines, cum de cælo daturum se Deus panem vobis dixerit, & tantam hanc rem pollicitus sit, non erubescitis de sensibili manna ita hoc intelligere, vt vterius progredi nolitis? Non sentitis, quia breue illud & paruum tam vobis erat, qui accepistis, quam Deo, qui largitus est? Nolite igitur credere illum fuisse panem de cælo; ego enim sum panis vitæ, qui olim vobis figura solummodo datus, nunc ad sum omnem adimplem figuram. Sum autem panis vitæ, non corporalis, qui fami solum corporeæ remedium præstat: sed qui totum animal ad vitam æternam reformem, & morte superius efficiam. His autem verbis subostendit sanctissimi sui corporis vitam & gratiam, qua in nobis vnigeniti proprietatis, id est, vitæ, & ingreditur, & permanet. Illud etiam scire oportet, quod quadraginta integris annis (Mose adhuc viuente) manna illud sensibile Iudæis largiebatur à Deo. Sed postquam Moses diem suum obiit, & ductor populi Iosue factus est, Iordanemq; traiecit, lapideis circuncili gladijs, pane nutriti sunt, non amplius manna plente Deo. Hinc significatur, quia quum Moses natura cesserit, id est, quando legalis cultus figuræ ad exitum venerint, Christus verus Iesus atq; saluator nobis apparuit, qui saluum fecit populum suum de peccatis eorum. Et tunc nos Iordanem transgressi, spiritalem circuncisionem doctrina duodecim

A lapidum, id est, discipulorum Christi accepimus. De quibus scriptum est, quod lapides sancti voluuntur in terra. Omnem enim orbem terrarum peragrarunt illi, qui nos circuncisione, non manu facta, sed spiritali per spiritum sanctum circunciderunt. Quando igitur ad regnum cælorum per Christum vocati sumus (non enim aliud significat Iudæorum in repromissionis terram ingressus) tunc & manna sensibile desijt. Non enim literali amplius legis sensu, sed cælesti pane, id est, Christo, ad vitam æternam nutrimur: & morte destructa, Dei participes, gratia sancti spiritus, & communicatione corporis dominici efficiamur.

Caput XXXVII.

Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnq;. Non nihil his verbis latere mihi videtur, quod enodare necesse est. Solebat Christus sanctorum virorum gloriam non modò non deprimere, sed etiam confirmare. Verum quum nonnullorum incitiam excellentiam Christi non cognosceret, ac ideo plus illis attribueret, commodissimè ac subocultè ab ipsarum rerum collatione in infinitum se illis præstare modestissimè ostendit. Loquebatur olim ad Samaritanam, & ei se viuètem aquam dare pollicebatur: quod illa minimè intelligens, an tu maior es, dicebat, patre nostro Iacob, qui dedit nobis hunc puteum? Ab hac ergo volens eam saluator opinione remouere, ac se absq; comparatione maiorem ostendere, ad aquarum differentiam venit. Quicumque enim, ait, ex hac aqua bibit, sitiet rursus: quicumq; autem biberit ex aqua, quam ego dabo, fiet in ipso fons aquæ salientis ad vitam æternam. Quid igitur hinc sequitur: Illud profectò, superiorem esse multo eum, qui multo maiora tradere potest. Tale quid etiam nunc facit: nam quoniam superbire Iudæi videbantur, Mosen semper anteposcentes, & Mosaicam, vt consueuerant, sequi doctrinam magis, q̄ Christi volentes, mannae copiam & aquarum è lapide fluxum animo voluebant, & sic illum Christo maiorem putabant: necessariò ad consuetum sibi modum delatus, aperte quidem maiorem se Mose non dicit, ne in iram infrenis illorum audacia incidere, sed rem, quam admirabantur, ita ponit, vt ex comparatione minimam ostendat. Non enim esuriet, inquit, qui venit ad me: & qui credit in me, nunq; sitiet. Dedit ergo, inquit (vt hoc vobis concedatur) Moses manna, sed qui comederunt, rursus esurierunt. Produxerit copiosa ex lapide flumina, sed qui bibebant, rursus sitiebant. Qui verò ad me venit, nunq; esuriet: & qui in me credit, nunq; sitiet. Quid igitur Christus pollicetur: quod credentibus adfert? Corruptibile certè nullum, sed benedictionem, quam cōmunicatione corporis atq; sanguinis Christi assequimur: unde ad eam incorruptionem integrè reducemur, vt cibo & potu corporali non indigeamus: viuificat enim corpus Christi, & ad incorruptionem sua participatione reducit. Non enim alterius cuiusdam, sed ipsius vitæ corpus est, virtutem incarnati verbi retinens, & plenum potestate illius, quo vniuersa & viuunt, & sunt. Quæ cum ita se habeant, sciant baptizati homines, & diuinæ gratiæ participes facti, si rarius in Ecclesiam proficiscantur, & longo temporum spatio propter simulatam religionem mysticè communicare Christo recusent, ac æterna se vita procul depelleret: quippe recusatio huiusmodi, quamuis ex religione proficisci videatur, & scandalum facit, & laqueos instruit: quare oportet omnibus viribus à peccato mundari, & rectè viuendi iactis fundamentis, magna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere. Sed variæ sunt diaboli, multiplicesq; ad decipiendum insidiæ. Nam primò ad viuendum turpiter inducit, deinde quum malis onerati fuerint, tunc abhorreere à Christi gloria persuadet, qua possent à turpitudine voluptatis, quasi ab ebrietate reuocari. Quare demus operam, oro, vt vinculis eius abruptis, & iugo seruitutis peccatorum excusso, in timore domino seruiamus. Et vt carnis voluptate per continentiam superata, ad cælestem gratiam accedamus, corporisq; Christi participes efficiamur.

mur. Si enim sic, inquam, diabolum fugabimus, & diuinæ naturæ participes, ad vitam & incorruptibilitatem ascendemus.

Caput XXXVIII.



Ed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis. Multis eos inducit rationibus, & omni modo ad fidem & salutem impellit. Et (vt Deus) non ignorat, quanta incredulitate teneantur: vt ergo sciant nō ignorare ipsum quales sunt, futuriq; sunt, intelligantq; ira diuina perditū omnes, qui tales sunt, idcirco intulit: Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis. Sed vbi, dicit quispiam, tale quid Christus dixit? Esaiam quæso audi: Vade, & dic huic populo, audite audientes & nolite intelligere, & videte visionem & nolite cognoscere: excæcatum est enim cor populi huius. An non vera hæc oratione- bus ipsis demonstratur: Viderunt tunc Deum esse naturaliter dominum, quando quinq; ordeaceis panibus & duobus piscibus multitudinem eorum saturauit: viderunt, & tamen non crediderunt, quia peccatorum vinculis coarctati, nec liberato- rem quidem suum cognoscere volunt: ideo ira Dei dignè ipsos excæcauit, & rudi- us factum est cor eorum. Quod autem signi miraculo Deum esse aut viderunt, aut vidisse potuerunt, inde maximè conspicies, qd ex admiratione nimia rapere ipsum volebant, & regem facere. Nullus igitur eis excusationis locus relinquitur, qui ad- mirantes signa, & ab eis ad cognoscendas vires eius inducti, abhorrent tamen à fi- de, & à bonis moribus in profundum perditionis defiliunt.

Esaiæ 6

Caput XXXIX.



Mne quod dat mihi pater, ad me veniet. Non simpliciter dicit Chri- stus: Quia & vidistis me, & non creditis: sed causam quoq; cæcitate ne- cessariò subiicit, vt discant in diuinā se iram occurrisse. Quare optimus medicus causam eis subaperuit, non vt in morbo semper moreretur, sed vt citius atq; facilius ab eo resiliant, omni modo Deum placātes, quem peccatis suis ir- ritauerunt. Venire autem saluator etiam ait ad se, quod pater sibi dederit: non quia ipse nō possit quoscunq; velit adducere (quō enim: cui omnia subiecta sunt, vt Pau- lus scribit) sed quia nemini hoc, nisi soli diuinæ naturæ cōceditur, vt ignorantia te- nebris inuolutos illuminet, sicut homo patri hāc rem attribuit, quod esse solitū fa- cere multoties diximus. Cum autē ad se venturum omne, quod pater dederit, dicat, iam iam venturas gentes significat. Ita cōmodissimè minari videtur iacturam gra- tiæ, quā facturi erant, allatis à Deo patre ad viuificantē, & natura filiū vniuersis mi- sericorditer gētibus, vt benedictionis eius ac diuinæ naturæ participes, ad vitam & incorruptibilitatē reducantur, in priscū naturæ habitū reformata. Quēadmodum igitur quispiā egrotum medico adfert, vt ei medeatur: sic à Deo patre illos, qd digni salute sunt, filio adduci dicimus: perniciofa em̄ res omnino est, cordis durities. Ideo prophético fermōe ludæis imperatur, vt duritiā cordis circuncidātur: qd illi quidē recusatū, nos autē, quos pater filio dedit, suscepimus, & spiritu sancto circuncisi, oc- cultius ac mystica circūcisione ludæi sumus. Par igitur est duritiē illorum abhor- rere, & facilitate animi ad pietatem ac fidem, imminētē illis perniciem effugere.

1. Corin. 1

Hierem. 4

Caput XL.



Teum, qui venit ad me, non eijciam foras. Non erit, ait, inutilis eis, qui ad me veniunt, fidei pietas. Et certè oportebat gloriosam atq; vtilis- simā eis, qui adferuntur, patris adductionem ostendere. Aderunt ergo, inquit, omnia bona ihs, qui superiore gratia vocati ad me veniunt: non enim eijcio foras venientem, nec quasi vas futile repellam, vt à quodā Propheta di- citur: Vituperatus est Hieconias, sicut vas, cuius nullus est vsus, & proiectus in ter- ram, quam ignorauit. Terra, terra, audi sermonē domini, scribe virum istū homi- nem

Hierem. 22

Non ergo abdicabitur, inquit, nec vt inglorius eijciatur, qui ve- nit ad me, nec erit expers meæ benignitatis: sed recondetur in horreum, & in cœ- lestes mansiones diuertet, ingredieturque, quod mens hominum nequaquam co- gitauit. Oculus enim non vidit, & auris non audiuit, nec in cor hominis ascende- runt ea, quæ Deus diligentibus se præparauit. Quūque autem dicitur: Non e- iijciam foras venientem: illud profectò dicitur, non tradam iudicio fidelem, qui di- uina gratia munitus est. Foras enim hoc, tale quid significare comperies, vt in il- la apud Matthæum parabola: Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in ma- re, & ex omni genere piscium congreganti: quam (quum impleta esset) educētes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Nam quod collecta sint bona, & in vasis deposita, id probos atq; pios in cœlestibus atrijs semper victuros significat: quod autem inutilia foras eiecta dicuntur, id om- nium bonorum iacturam facturos, & in iudicium casuros impios denotat. Cum igitur dicit Christus: Quia eum, qui venit ad me, non eijciam foras: euasurum ab æternis supplicijs integra venientem fide populum demonstrat. Ita remotis à pie- tate minari mihi videtur, nisi verè syncerèq; credant, procul à se omnes proyicien- dos, nolentesq; ab eo recessuros. Qua enim ratione non eiecturum se foras venien- tes pollicetur, eadem sanè non venientes eiecturum minatur.

1. Corin. 2

Matth. 13

Tertij Libri FINIS.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI
Commentariorum in Euangelium diui
Ioannis Theologi Lib. III.

Quod quum a Deo patre naturaliter filius sit, nulla in re minor ipso est, etiam si dicatur a quibusdam illi subiectus esse. Caput I.



Via descendi de cœlo, non vt faciam voluntatē meam, sed volūtatē eius, qui me misit, patris: vt omne, quod dedit mihi pater, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Videbitur certè, si quis superficiem (vt ita dicam) solam verborum consideret, difficilis nimium hic sermo, adeò vt multa hinc aduersus rectam fidē veritatis inimici habituri argumenta videantur. Sed nihil hic arduum est. Fa- cilia enim omnia sunt intelligentibus, & recta his, qui cognitionem inueniunt, id est, illis, qui piè scripturarum mysteria intelligere consueuerunt. Rationem ergo quodammodo vt certiores simus, Christus sic adfert, quare nō eijciatur foras, qui cunq; ad se venit. Hac enim, inquit, de causa descendi de cœlo, id est, voluntate patris homo factus, quasi etiam inuoluntarias res non recusauit, modò æternam vi- tam, resurrectionemq; à mortuis (morte destructa) credentibus præbeam. Quid autem erat, quod voluntarium & non volūtarium Christo fuisse dicimus: ludæo- rum in illum iniuriæ, flagella, sputa, calumniæ, mors ipsa: hæc em̄ propter nos pas- sus est Christus. Nam si potuissimus nos saluari (quod illi studio erat) absq; passio- ne omnino sua, noluisset certè opprobria illa pati. Verum, quoniā libera volunta- tis potestate vsi ludæi, omnino censuerunt tot tantaq; ipsi facere, admittit passionē propter nos, & facit voluntariū sibi, quod per se erat inuoluntariū, propter huma- ni generis vtilitatē patre adsentiente ac comprobante. Hinc enim maximè immē- sam diuinæ naturæ bonitatem inspicimus, quod etiā id propter salutē nostrā non recusauerit, qd per se erat abijciendū. Quod autē non voluntarium quodammodo Chri-

Prouer. 8

Matth. 26

Ibidem.

Hæretica
de baccha
tio.

Defensio.

Christo erat crucis patibulum, voluntarium autem propter voluntatem patris, & propter salutem nostram, inde facile discis. Quum enim ad passionem accessurus esset, patrem in orationis habitu alloquebatur, dicens: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non ut ego volo, sed ut tu. Ea enim ratione, qua verbum Dei Deus est, & ipsa naturaliter vita, nemo ambiget, quod nullo modo mortem formidauit: caro autem factus, permittit carni, ut sua patiatur: & ideo ut verè homo præsentem iam in ianuis mortem timeat, ac dicit: Si possibile pater est, transeat à me calix iste: verum quoniam aliter fieri non potest, fiat non ut ego volo, sed ut tu. Vides quemadmodum natura humana etiam in ipso Christo sua patitur & formidat: sed à coniuncto sibi verbo ad convenientem Deo fortitudinem & robur reducitur, doceturque ne quod sibi videtur, sed diuinam voluntatem sequatur & illud semper tendat, quo voluntas Dei perducit. Hæc ipsa veritas ita se habere confirmat: Spiritus enim (inquit) promptus, caro autem infirma. Non enim ignorauit Christus non parum à dignitate abesse diuina, quod mors timenda videatur propterea imbecillum quidem naturaliter carnem esse dixit, promptum autem spiritum, qui sciebat nihil esse mali calumnijs iniuriantium vexari. Perspicis non fuisse propter carnem voluntariam Christo mortem: fuit tamen voluntaria, quoniam propter eam secundum voluntatem patris salus & vita hominibus donata est. Id ipsum etiam hic significare videtur, quum dicat eam esse voluntatem patris, ut nullum eorum, qui sibi adferuntur, perdat, sed exuscitet eum in nouissimo die. Nam (ut iam diximus) Christo sicuti vitæ ac saluatori, fidei salutisque indigentes, misericordia patris adducit. Sentio me inconcinna, veritatis inimico dicere. Non enim consentiet, sed magna voce clamabit: Quod nos his tuis excogitationibus seducis: quod à veritate orationem diuertis: Erubescis videlicet vel nolentem subijci patri filium confiteri. An hinc tibi conspicuum non sit, non esse principem filium huius dispensationis, sed voluntati patris subiectum? Non enim ignorat ita se patri subijci, ut modo quodam cogatur etiam, quod nolit, facere, & sic facere, ut nolens facere videatur. Non enim quæ ipse vult, sed quæ pater velit, facere se ait. Nec mihi dicas (inquit) ut soles, ut hominem eum subijci. Cum enim adhuc verbum homine nudum esset, descendit de celo: ita vel antequam serui formam assumeret, patri ut maiori atque præstantiori subijciebatur. Acerrimis (ut putas) de genere se tu verbis in nos excurris, non tam rectè, sed extra regiam tritamque semitam curris. Recta enim via ommissa, ad præcipitia & rupes acutas te ipsum immittis. Nos autem non dissidentem inter se, neque dissentientem Trinitatem esse firmiter credimus: nec aliud unquam patrem, aliud filium, aliud spiritum sanctum, sed vnum & idem semper velle, ac vnâ & eandem esse voluntatem, sicut vnâ & eandem naturam Trinitatis fatemur. Cesset igitur omnis longa oratio, absit omnis contentio, absint verba frustra vobis excogitata. Verum quoniam impiè tam sentire quam loqui didicistis, & quoniam quum voluntatem patris filius sequatur, necessariò subiectum esse patri putatis, pauca vobis hac de re dicenda videntur. Nam si ex simplicitate subijci patri filium diceretis, nec nos fortassis diligentius in controversia hæc verba oporteret discutere: cum verò malitiosè insidiamini, necessariò virtute ac gratia sancti spiritus freti, magno animo insurgemus, non absolute neque in omnibus, sed de re quadam determinata propter vestras (ut mihi videtur) friuolas rationes. Prouidebat enim nobis ut Deus: non suus, sed patris voluntatem sequi filius adseruit: ita in voluntarium ad voluntarium reddidit, passionem dico crucis, de qua, vna voluntate tota Trinitas consensit, ut diximus: quod licet à verbis ipsius aperte percipere. Hæc enim est (inquit) voluntas patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Quamuis autem voluntariam & non voluntariam quodammodo passionem crucis fuisse paulò antè diximus, latius tamen ad utilitatem legentium repetere placuit, si prius de subiectione, quam nobis incutitis, non nihil differuerim.

A ruerimus. Est autem nobis præsuppositum semper, quod ab Ecclesia sine vlla dubitatione suscipitur, vnus & eiusdem Trinitatem esse voluntatis atque sententiæ. Respondeant igitur nobis quæso, vtrum ipsum esse filij aliud quam subiectione sit, ita ut natura eius subiectione sit, ut humanitas hominis: an est ipse quidem per prius existens, deinde quasi conditione quadam propria patri subijcitur, ut de angelis & de homine rationali dicimus? Creatura enim per prius existens, subiectionis modum per posterius habet. Nam si primùm verè dici putatis, non filius profectò, sed subiectione Dei verbum erit. Et quò non erunt hæc furoris plena? Subiectione enim ipsa, ut subiectione, quomodo subsistere intelligitur? Talia enim omnia necessariò subiecta requirunt, quibus accidere solent, & substantijs potius accidunt, quam per seipsa subsistere videantur. Et quemadmodum cupiditas, qua quæ cupiunt, ad expetibiles feruntur, nunquam per seipsam subsistit, sed susceptibili solet ineffere: eodem certe pacto subiectione, cum voluntatis inclinationem ad parendum alicui ostendat, non separata quadam natura subsistit, sed sicut passio aut voluntas, aut cupiditas alicui eorum inest, quæ sunt. Præterea tam res subiectionis, quam nomen ipsum, si solum profertur, vix certè intelligitur: nec vtrum bonum an malum sit, cognoscitur, nisi cuius rei subiectione sit, addatur. Nam tum Deo, diabolo subijci quispiam dicitur: & quemadmodum calliditatis nomen medium est (callidi enim multi sunt ad malefaciendum, & callidi rursus ad effugienda incommoda, commodaque quærenda) sic subiectione medium quoddam est, & incertum quousque scias, cuius subiectione est. Quare si filius natura, quod subiectione sit, dicere non possumus. Ipsa enim subiectione secundum vos filius est, incerta igitur quædam & dubia natura filij erit. Sed nullo modo subiectionem per se subsistere intelligemus, si ad creaturas reuerli hoc ipsum considerabimus. Nam si hominem nil aliud esse, quam subiectionem fingemus, non erit homo, de quo dici possit, quod subiectione non sit. Quò ergo si homo natura in subiectione reperitur, dicitur à Psalmista: Subijciar is domino, & supplices eius. Psalm. 36

B Hoc enim ad eum dicitur, qui non modò natura subiectione non sit, verum etiam cui subiectione non accesserit. Vides igitur quæ inane, quæ falsum sit, addam etiam iniquum, si quis subiectionem subsistere per se credat. Erit ergo necesse in sua natura per prius subsistere filium, deinde subijci patri confiteri. Quid igitur nos coget eum, qui natura genitus est à patre, qui sigillum est, à substantia patris remouere? Sed nos quidem rectè & sentientes & prædicantes, consubstantialem genitori filium, & æqualem in omnibus credimus. Tu verò videas, quomodo ab equalitate patris, propter hanc, quam dicis, subiectionem filium deturbas, qui eisdem omnibus propter idem tatem substantiæ naturaliter bonis pollet. Sed hoc ipsum, inquiunt, sententiam Calumnia roborat nostram, quod non voluntatem suam, sed patris facere filius fateatur. Nam impiorum, quum obtemperare se illi omnino dicat, ut præstantiori scilicet atque maiori obtemperat. Hoc ipsum, ego etiam inquam, nullum veritatis fructum in verbis tuis esse ostendit. Etenim si quisnam præstantior & maior in gloria sit, in quaestione versaretur, videretur fortassis quadam (quæ etiam tunc infirmam) subiectionis nomen rationem habere. Cum verò vtrum consubstantiales sint pater & filius, quaeratur, ac consubstantiales esse non inficiemur: quomodo non est insanum, maiorem filio patrem putare: maius enim & minus, & huiusmodi cætera non sunt per se subsistentia, ut de subiectione quoque modò dicebamus, sed de foris sunt, & de substantijs dicuntur. Quod enim existit per se, id collatione alterius maius aut minus appellari solet. Cum verò nullum subiectum sit, cum nihil existat, de quo talia dici possint: quò erunt ista per se, quæ ut accidentia & intelliguntur & definiuntur? Cum igitur maius & minus in Trinitate dicitis, nec vnigeniti nec patris substantiam tangitis: sed solum exteriori quadam excellentia vel offensione, alterum honorabitis, alterum deprimetis. Nec pudebit vos facere, clamantem ipsum audientes? Qui non honorat filium, is ne patrem quidem honorat, & rursus: Vt omnes honorent filium,

Ioannis 5

FF um,

um, sicuti honorant patrem. Eadem enim gloria, quæ sunt eiusdem substantiæ, glorificari oportere, Christus his verbis docet: nec ab hominibus de se id testimonium habuit, sed ut rebus omnibus fidelior testis, ipse de se testimonium perhibuit, verèq; perhibuit, qui secundum naturam veritas est: quod rebus ipsis cognoscere possumus. Homo enim homine, ut homo est, nunquam maior aut minor erit: eadè enim in omnibus naturæ ratio est, ideo de omni natura eodem modo verè dici potest. Quare omnibus æqualiter ratione naturæ insunt, quæ naturaliter insunt: maius vero ac minus & huiusmodi non insunt, sed accidunt. Quomodo igitur tam pater, quam filius natura Deus est, si maior aut minor alter altero inuenietur: id enim, quoniam ex patre filius natus est, cogit etiam nolentes vos consubstantialitatem confiteri. Hoc igitur nobis præsupposito quæramus, si videtur, utrum æqualem filio gloriam sicuti patri reddemus, an contra minore glorificantes filium honore, vituperabimus: Id enim verius, ut ego arbitror, dicitur. Gloria enim patris est, si talis à seipso filius emanauit, qualis ipse natura sit. Totum verò contrarium accidit (sed propitius nobis sit Deus) si non eandem naturam filius cõseruauerit, si minor erit aut gloria, aut quapiam realia earum, quibus perfectè ac verè Deus esse intelligitur. Quum igitur hæc natura filij sit, quid rides? homo, quid caput quassas, si patrem honorat: quum admirari deberes potius, glorificari eum, quia genitorem suum & diligit & honorat. Omnis enim virtutis numerus ab illa radice pullulat, & ab illa substantia, quæ suprema omnium est, quasi à fonte manat. Omnia enim bona inde ad nos (qui ad imaginem Dei facti sumus) profectò defluunt: propterea lex patrem & matrem colere iussit, & præmia facientibus magna videmus proposita esse, longi temporis vita huiusmodi filios donatos audimus. Sicuti igitur nos subiecti parentibus, non mutamus naturam, quia illis paremus: sed quum non minus homines simus, quam parentes nostri sint, ac eandem naturæ rationem conseruamus, eis propter virtutem eximiam obtemperamus. Simili modo de patre atque filio intelligendum est. Filius enim est, qui ex Deo Deus, perfectus ex perfecto, incommutabilis character substantiæ genitoris. Quare nihil aliud ipse cogitabit, quam ille, cuius & consilium & verbum est: volet autem eadem quæ pater, eiusdem enim substantiæ (ut ita dicam) legibus ad eandem voluntatem compellitur. Non conturbetur igitur homo, quum dicentem audias: Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem patris mei, qui misit me. Nam ut incipientes diximus, determinata quadam de re Christus ita loquutus est. Quum enim docere vellet voluntariam sibi esse mortem Deitatis voluntate, non autem voluntariam, quia crucis tormèta, & mortem ipsa natura perhorrescat humana, his verbis usus est. Quod autem inuoluntaria passio Christi ut homini fuit, etiam ab ipsa natura rerum consequenter perspiciemus. Dicimus ergo Iudaici furoris opus fuisse, ut omnino Christus crucifigeretur: & hoc omnino facturi erant, exercitati ad eadem sanguine prophetarum, ad omnemque audaciam nutriti. Verum, quoniam non poterat aliter humanum genus ex morte, in quam cecidit, ad vitam resurgere, nisi filius Dei homo factus esset: imminēbat autem propter crudelitatem Iudæorum mors acerbissima: idcirco quod per se non voluntarium homini fuit, voluntarium fecit: id enim natura diuina ex misericordia sua volebat. Nam opifex omnium sapientia, id est, filius Dei, quod diaboli malitia præparauerat (crudelē dico eius in carne mortē) id salutis viam, id vitæ ianuam effecit. Ita in contrarium spes diaboli versa est, ut vix post hæc cognouerit durum sibi fuisse aduersus Deum pugnare. Quod mihi videtur Psalmista subaperuisse, cum de Christo & de diabolo dicit: In laqueo suo humiliabit eum. Nam mortem quasi laqueum, Christo diabolus præparauerat, sed in ipso laqueo suo humiliatus est. Mors enim in morte Christi destructa est, & tyrannus cecidit, qui se id passurum non formidabat. Plura de his dicere difficile non est, sed ad propositum rursus redeamus. Si non propriè atque verè voluntatis ac immanitatis Iudaicæ

Exodi 20

Omnium opifex sapientia, filius.

Psalmo 9

A daicæ fructum fuisse mortem Christi dicamus, sed iudicio (ut nonnulli putant) diuino ad tantam crudelitatem depulso putabimus, vix poterimus effugere, ne concedamus, quæ homines faciunt, ea diuino impulsu coactos facere. Deinde quomodo, dic quæso, qui diuinæ obtemperarunt voluntati, puniuntur? Quomodo autem in melioribus esset ille miser, per quem Christus traditus est, si natus vnquam non esset homo ille? Ex his igitur, cæterisque quàm plurimis patet de cælo descendisse filium Dei, passumque fuisse pro humano genere volentem simul atque nolentem, ut nouissimo die omnes suscitaret, & hoc ita patri etiam propter nos visum fuisse. Diuersæ verò naturæ filium esse, aut vlla in re patre minorem, his verbis ne suspicari quidem possumus. Quare suberubescere aduersarios Christi credo, qui talia dicere ausi sunt. Si verò contentionis adhuc potius, quàm veritatis cupidi non erubescant, illud addam: Si descendit de cælo filius, non ut suam faceret voluntatem, sed patris, ut ipse ait. Si quæ tibi diximus, super hoc minimè placent: nonne fateberis necessariò non vnā, sed duas & diuersas patris ac filij esse voluntates? Nam si nihil inter patris & filij voluntatem interest, vna eademque in ipsis voluntas est: si verò alia est filij, qua tamen prætermissa, patris sequitur voluntatem, quomodo diuersa non erit ab illa? Sed videamus, quid pater velit, ut etiam voluntatem filij cognoscamus. Patris igitur voluntas est, ut saluator ait, ut omne, quod dedit ei, non perdat ex eo, sed suscitaret illud in nouissimo die. Bona hæc, & misericordiæ plena voluntas est, non repugno. Si ergo diuersa filij voluntas ab ista est atque contraria, nec misericors erit, nec omnino bonus, qui patri contraria velit, nec saluare, nec à morte suscitare studeat: quomodo ergo bonus est pastor? quomodo magnæ suæ charitatis erga nos signum dabat, quod animam suam pro nobis traderet? Nam si de cælo descendit, ut id vltro faceret, quomodo, quum quæ adducuntur à patre, non perdit, sed in nouissimo die suscitaret, sua id, inquires, voluntate non facit? Sin verò non sponte id facit, sed ut voluntati patris ministraret, saluat perditos, & suscitaret mortuos: quomodo non verè nec bonus, nec misericors appellabitur? Quiescant igitur obsecro Christi aduersarij, nec vltius in nos latrent, quum vndique ad impietatem hæc sibi concludatur oratio.

Math. 26

Ioannis 16

Caput II.



Aec enim est voluntas patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æterna, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Etsi bonam patris voluntatem iam definierit, latius tamè modò dilucidat, aperte adductionis modum, & eius profectum explicans. Filio ergo, qui viuificare potest, quæcunq; vita indigent, pater tradit. Traditio autem hæc est, ut filium cognoscant, syncerèq; intelligant, atque credant verum esse Deum, qui ex Deo vero est. Qui enim sic affectus est, & istis contemplationibus præditus, is ad sublimia illa fidei præmia, id est, ad vitam æternam conscendet. Ita pater quidem per cognitionem & fidem ad filium eos adducit, quos hac gratia dignos iudicauerit: filius autem accipiens quasi ignis scintillas, viuificatis spiritus virtutem, ac suæ naturæ bonum sic in eis immittit, ut ad immortalitatem totum hominem transformet. Tu verò, quum hic rursus audias adductionem quidem à patre fieri, vitam autem adductis à filio præberi: caue ne cogites aliam patris, aliam filij potestatem ac operationem esse, quasi alius ad alia faciunda naturaliter aptus esse videatur. Sed crede omnia à patre per filium in spiritu fieri, & totius (ut ita dixerim) Trinitatis nostram salutem opus esse, id est, naturæ nostræ ad vitam reditum. Nec dubita patris, & filij, & spiritus sancti vnā eandemque in omnibus rebus virtutem esse ac potestatem. Illud etiam animaduerte, præcipuam in fide filij rem inueniri. Vita enim æterna huius rei præmiū est: quod si in filio Deus ipse natura cognoscatur, quis feret eos, qui non consubstantialē patri dicere audēt: eò etiam, FF ij quod

quod à morte liberare mortales, & in vitā æternam reducere potest, eiusdē se esse naturæ cū genitore ostendit: viuificare enim proprium vitæ est. Quare cū pater naturaliter vita sit, & qui ab eo secundū naturam natus est filius, vita similiter sit (ego enim, inquit, resuscitabo) identitas substantiæ, nisi quis deliret, negari nō potest.

Caput III.



Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset: ego sum panis, qui de cœlo descendi, & dicebant. Molestè ferunt rursus nihil intelligentes. Solet enim quodammodo animus imperitorum in istis certius cognosci. Quum enim rem non intelligat, qua possit ad melius conuerti, ex impotentia in molestiam deducitur: quod illis accidisse videmus. Quia enim alia ratione ad murmuraciones depulsi sunt: Oportebat certè magis, si quicquam intellexissent, ab ipsis rebus, & à signis ab eo patris rimari, vtrum mentiretur Christus, quum se panem appellet, qui de cœlo descendit, an verè id diceret: sic enim recto iudicio ad inuentionem veritatis deduci potuissent. Nunc verò nihil querentes, frustra solummodo murmurant: præsertim quum panem se vitæ, & quidē verum Christus modò demonstrauerit. Qui enim venit ad me, inquit, non esuriēt vnquam. Nam qui fide ad illum veniunt, non similiter vt illi, qui sensibile manna comederunt, breuem, corporalemq; habebunt refectionem, sed perpetuos vitæ fructus adipiscuntur. Falluntur ergo valde Iudæi, terrena tantummodo respicientes: & hoc erat, quod de ipsis & canebatur & canitur: Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua, vt propter arrogantiam ac inobedientiam suam nullo modo ad cognitionem mysteriorum Dei animum erigentes, mali malè perdantur. Ego verò, quæ apud Moysen scripta sunt, mente sæpe reuoluens, quasi paternam hæreditatem, murmuracionem de rebus bonis ad Iudæos descendisse comperio, quam semper in perniciosum exitum deuenisse re ipsa cognoscere licet. Murmurabant illi aduersus Deum ex ingratitude in deserto: murmurat & isti de Christo, & saluatorem suum inobedientia sua vituperant: sed draco venenosus eos mordebit: semper enim in perniciem inobedientia solet exire.

Caput III.



Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? quomodo ergo dicit, quia de cœlo descendit? O animū temulētia imperitiæq; depressum, rudius effectum est (vt scribitur) cor populi huius. Nihil enim videt eorum, quæ oculis cernit, sed risu digna & sentit & loquitur: quem oportebat tum à scriptura Mosaica, tum à prædicatione prophetarum intelligere, non absq; carne ad nos Christum fuisse venturum, qui pater qui prædicabatur in habitu & forma hominis ad nos fuisse venturus. Concepturam enim virginem, & filium à dicituram propheticus sermo exclamat. Et iurasse dominus Dauid scribitur veritatem, quam nullo modo neglecturum pollicitus est. Et virga ex radice Iesse germinatura nunciabatur. Illi autem in tantā temeritatem delapsi sunt, vt quia prænunciati Christi matrem cognouerunt, propterea de cœlo ipsum descendisse credendum esse non ducunt. Nam etsi corpore id factū non est, erat tamen in corpore vt in templo verbum Dei, quod ex patre propter salutem omnium in terram descendit, & semen Abrahæ apprehendit: vt in omnibus fratribus similis factus, & Deus verè simul ac homo inuentus, ad filiorū Dei adoptionē humanum genus adueheret. Quam dispensationem saluatoris ignorātes Iudæi, quoniam matrem eius cognouerant & patrem, qui tamen pater nō erat, non erubescunt negare, imò etiam indignantur, quia de cœlo se descendisse dixerit. Hinc nobis perutilis disciplina proficiscitur: discimus enim non esse paruum detrimentum, à corporis prauitate, diuina & sancta considerare, cū debeamus oculis ani-

Anis animi virtutem sanctorum inspicere, et reconditam in eis gloriam contemplari. Sic enim de sanctis apud prophetas scribitur: Benedictus vir, qui confidit in domino, & erit dominus fiducia eius, & erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit, quum venerit æstus, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Cū igitur nos à Deo cognitum hominem, & virtutibus rutilantem, in solam carnē respicientes, ex arrogantia plerumq; parui faciamus, quomodo regi omnium cōtrarij non erimus: quomodo acerbis pœnas non dabimus, sublimia quārum est in nobis, deprimentes, & lucem tenebras, & dulce amarum nominantes: Consideranda igitur est in sanctis gloria sua. Considerandi enim sunt, non carne, sed intrinseca gloria. Verū plurimi nostrū humilem in hoc mundo virum, etiam si virtutibus excellat, in solam tamen caducam diuitiarum gloriam iniquis oculis respicientes, non rectè iudicant: quos Christi discipulus non iniuria reprehendit, dicens: Si introierit in conuentu vestro vir aureum anulū habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu: & intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: tu sede hic benè, pauperi autem dicatis: tu sta illic, aut sede sub scabello pedum nostrorum: nōne malam discretionē habuistis apud vosmet ipsos? Sed à rebus etiam ipsis cognoscere possumus, quæ amentes atq; insani sint, quæ exteriori habitu, non vt intrinsecis bonis hominem admirantur. Diuitiarum em̄ omnis splendor aduentitiam atq; caducam hominibus gloriam adfert. Virtutis autē & interioris hominis fulgor proprias atq; naturales adducit diuitias, quæ non simul cum ista carne cadere solent, sed animo insunt, & illæ cum ipso euolant, quod creator omnium constituit. Multæ namq; sunt mansiones apud patrem. Non ergo diuitijs claros, nec terrestri gloria quasi flosculos rutilantes, sed eos, quos splendore operum ad inextinguibilem gloriā currere cognoscimus, in quibus interior pulchritudo omni virtutis numero lucet, honorare debemus.

Caput V.



Respondit ergo Iesus, & dixit eis: Nolite murmurare inuicem. Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum, & ego eum resuscitabo in nouissimo die. Parui faciūt Iudæi Iesum, cœlestem eius patrem ignorantes, & terrestrem matrem solummodo, & Ioseph, qui pater videbatur, cognoscentes. Propterea illis acius respondit, & statim ad rem, quæ solius Dei est, insiliit. Nam quum inter se illi de ipso murmurarent, patefecit Iesus animum suum, vt ipsi se intelligant procul à veritate excedere. Nam qui corda hominum nouit, & animorum consilia non ignorat, quomodo tantum hominibus non præstabit, quantum terrestribus natura Deus excellit: Hac de causa mentem eorum aperiens, primò ait: Nolite murmurare inuicem. Deinde gratia Dei cognitionem sui haberi ostendit, quum dicat neminem ad se venire posse, qui patris monitionibus non trahatur. Ita eis persuadet, pœnitentiæ & lachrymis veniam de ijs, quæ fecerunt & dixerunt, à Deo patre postulare, vt per fidem in seipsum, consilio patris atq; auxilio, meliore itinere facto, quod ipsi peccando exasperauerant, ad salutem reuocentur. Susciturum autem à mortuis se credentes affirmat, deitatē suam hinc iterum ostendens. Deus enim solummodo potest, quod morte corruptum est, ad vitam reducere. Nam qui naturaliter vita est, non qui ab alio viuendi gratiam consequitur, efficere illud potest.

Caput VI.



Scriptum est in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Arrogantiam Iudæorum non ignorans vt Deus, testimonio prophetarum firmavit, quod dixerat, ita & ignorantiam eorum denudat, & ora obstruit: non enim

Psal. 68

Exodi 16

Esaia 6

Esaia 7

Psal. 131

Esaia 11

Hebræ. 2

Hierm. 17

Esaia 5

Iacobi 2

Ioannis 4

enim poterant etiam vocibus prophetarum se opponere, qui prædixerunt à Deo patre dignis hominibus ineffabili doctrina filium reuelatum iri. Non enim quum dicat neminem posse ad se venire, nisi pater traxerit eum, vi quadam cogi, trahiq; credentes putandum est, sed monitione, doctrina, reuelatione ineffabiliter facta, vt ille solus nouit, qui dignos cognouit. Vnde intulit:

Caput VII.



Mnis qui audiuit a patre, & didicit, venit ad me. Vbi enim auditus, disciplina doctrinaq; adest, ibi fides non vi, sed persuasione oritur: patrocino igitur Dei patris, quod ex charitate dignis præstat, non vi, Christum fideles agnoscunt. Non enim possumus secundum Ecclesie verita-

Homo habet liberum arbitrium.

tisq; dogmata, liberam potestatem hominis (quod liberum arbitrium appellamus) villo modo negare. Ita iusti quidem præmijs propter iustitiam afficiuntur: qui vero malè vixerunt, non iniuria puniuntur. Scire autem oportet, quãdo Christi mysterium pater dignis reuelare affirmatur, non absq; filio, sed per filium, vt per sapientiam eius id ab eo fieri. Absurdum enim est, absq; sapientia cognitionem aliquã factam esse putare: patris autem sapientia, filius est. Quare per filium huiusmodi reuelationem dignis in hominibus pater efficit: & vt simpliciter & verè dicam, omnia quæ Deus pater velle aut facere dicitur, filius quoq; ac spūs sanctus similiter patri & velle & facere profectò dicetur. Idcirco cum Deus pater reuelare fidelibus su-

Matth. 16

um filium scribatur, ipse quoq; filius & spiritus sanctus id facere scribuntur. Petro enim constantissimè cõfidenti: Quia tu es Christus filius Dei: Beatus, inquit, es tu, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis. Paulus autem

Galat. 1

Non ab homine hoc ego accepi ministerium, inquit, sed per reuelationem Iesu Christi. Sed spiritus quoq; sanctus non minus id facit. Ioannes enim in epistola scribit:

1. Ioann. 2

Et vos vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis: & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus. Ipse quoq; saluator de spiritu dicit: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.

Ioannis 16

Quum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Nõ enim loquetur à semetipso, sed quæcunq; audiet, loquetur: & quæ vêtura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Cũ enim spiritus veritatis sit, non poterit non deducere ad veritatem omnes, ad quos peruenit. Hæc dicimus, non scindentes aut diuidentes patrem à filio, aut spiritum à filio atq; patre: sed definiens, quia vna deitas est, ideo omne consilium & operationem, quàmuis vni personæ accommodetur, æqualiter tamen toti (vt sic dicam) Trinitati necessariò attribui. Non enim diuisim operatur natura diuina, quàmuis propriè vnaquæq; Trinitatis persona subsistere verè credatur. Pater enim id ipsum, quod dicitur, pater est, & filius similiter ac spiritus sanctus. Ad hæc illud mihi dicendum videtur, quæ quodãmodo ad aliquid se habeant, hæc ita se habent, vt alterũ ab altero cognoscatur. Quare necesse est, vt à patre filius, & à filio pater reueletur. Nã si quis Deum vt patrem natura intelligat, is & filium eius ex Deo natum necessariò intelliget. Et si quis filium confiteatur, is patrem ignorare non potest, propterea saluator ait: Manifestaui nomen tuũ hominibus. Nam quia filius Dei esse cognitus est, patris hinc verè nomen cognitum esse adserit. Cognitionem autem sui filij, nõ solo aut voce pater nobis immittit: sed illuminatione mentis, qua rectè diuinas scripturas percipimus: quæ illustratio animi à filio quoq; fieri dicitur. Scribitur enim, quia tunc adaperuit oculos eorum, vt scripturæ inuolucra possent intelligere.

Spiritus veritatis.

Ioann. 17

Quum vt Deus præuiderit non recepturos illos doctrinam spiritus, nec de superna illustratione quicquam cogituros, credentes ex imperi-

Caput VIII.



Non quia patrem vidit quisq; nisi is, quia Deo est, hic vidit patrem. Quum vt Deus præuiderit non recepturos illos doctrinam spiritus, nec de superna illustratione quicquam cogituros, credentes ex imperi-

peritia non posse à Deo se doceri, nisi Deum oculis cernant, auribusque audiant, vt temporibus Mosis factum fuisse putabant, quasi freno quodam connectit, hortaturq; ne aded rudes sint, vt oculis posse vnquam cerni naturam deitatis arbitrentur. Nullus enim, inquit, patrem vnquam vidit. Videtur autem occultè de Mose dicitur. Nullus enim, inquit, patrem vnquam vidit. Videtur autem occultè de Mose dicitur, quem Iudei putabant, quoniam in montem ascendit, & in tenebras ingressus fuit, ipsam ineffabilem Dei naturam oculis suis vidisse: verum ne turbarentur, non de ipso determinatè, sed de omnibus vniversaliter dixit, non quia patrem vidit quisquam. Nolite, inquit, quæ naturam excedunt, poscere: vel quod omni creaturæ impossibile est, ad illud furiosa cogitatione delabi: nullus enim Deum vidit præter filium, qui vltra omnia est. Quomodo igitur, si quum nullus patrem vidit, & nihil id penitus posse præter filium intelligimus, non erit vltra omnem creaturam filius: Quomodo, si omnia sint ex Deo (vt ait Paulus) nec quicquam præter filium patrem videat, nõ erit ipse quodam alio modo ex Deo, quàm creaturæ, id est, ex substantia ipsius patris: Si enim ita nõ est, quàmnam ob rem, cum omnia sint ex Deo, ipse solus idcirco, quia ex Deo est, patrem videt? Patet igitur, per creationem cætera, filium autem altiore quodam & veriore modo ex Deo esse, quia ex Deo naturaliter. Propterea cæteris non connumeratur, quia creatura non est, sed tanquam patri cõsubstantialis, videbit profectò eum ex quo est. Quomodo autem aut ipse patrem videt, aut pater eum, lingua hominum dici non potest: intelligere tamen id debemus, vt deitatem decet.

Exodi 19

2. Corint. 9

Caput IX.



Men amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.

Audi, audi inquam, atq; attende. Ianua & via in vitam fides est, & recursus quidam atq; reductio à corruptione in immortalitatem. Mirari autem decet dispensationem, qua in his verbis vtitur. Nam quoniam in sen-

Fides.

fatos omnino esse videt, & prophetarum etiam verbis parum ex imperitia credentes, imbecillitatem eorum ad fidem, quasi iureiurando erigit, præmia credentibus præcipua, quibus ad se trahat, proponens. Ita nolentes firma præmij spe ad fidem impellit. Quid enim melius aut suauius mortem & corruptionem timentibus, quàm vita æterna: Quum autem ipse sit vita, & vita æterna, se ipsum credentibus daturũ pollicetur, quod est vt in cordibus nostris per fidem inhabitet.

Caput X.



Go sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis

ex ipso manducauerit, non moriatur. Liquidò in istis videre licet, quod ab Esaia prædictum est: Apparui non quærentibus me, inuentus sum à non inuestigantibus me. Dixi: ecce ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum, expandi manus meas tota die ad populum incredulum & contradicentem. Omnibus enim orationis velaminibus remotis, apertè se ipsum ostendit, dicens: Ego sum panis vitæ, vt discerent, si mortem effugere vellent, necesse esse illo pane participare, qui mortem solus & interitum potest destruere. Id enim opus proprium vitæ est. Verum quoniam manna de cœlo patribus suis pluisse contententes, panem verum, qui de cœlo descendit, id est, filium Dei non suscipiebant, necessariò figurè ad veritatem collationem subiecit, vt hinc discant non illum, sed eum esse panem de cœlo, quem periculo rerum ita iure & esse, & appellari percepimus. Nam vestri maiores, ait, quãuis manna comedissent, naturæ tamẽ concesserunt, breue corporaleq; alimētum inde consequentes, quo nil aliud fiebat, nisi ne fame morerentur, quod certum argumētum est, nequaquam in immortalitè trãformatos fuisse, qui mânia comederunt: contra verò id ipsum vestigiũ est, qd

Esaia 65

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

Psal. 77

Angeli in corporei.

Roman. 6

Philip. 3

Math. 21

Ioannis 11

panis vitæ verè filius est, quia qui eo participant, à vinculis mortis omnino liberantur. Imaginem autem atq; vmbra panis veri manna fuisse, & nobis in superioribus dictū est latius, & Psalmista in spiritu clamat: Panem de cælo dedit eis, panem angelorum manducauit homo. Videtur enim hæc de maioribus suis dixisse: verè autem non de illis, sed de nobis potius dicit: furoris enim penitus plenum est, angelos (qui natura in corpore sunt) rudiore vti alimento putare, patrociniōq; indigere cibi, quemadmodum animata hæc & terrestria corpora. Patet enim, quia spiritus sunt, naturaq; intellectus, spiritali quoq; illos ac intellectuali frui alimento. Quomodo igitur maiores Iudæorum panem hunc angelorum spiritalem comederunt: Conspicuum igitur est, quoniam Christi, qui vniuersa continet atq; nutrit, figura quæ dā erat manna sensibile. Idcirco quod vmbra veritatis erat, veritatis nomine in spiritu appellauit, & eo quod angeli terrestri participare cibo nequeunt, vel nolentes ad veritatem à figura impellit auditores, & ad Christum, qui etiam ipsorum angelorum panis est, ænigmatica oratione reducit. Mortui ergo sunt, inquit, qui manna manducauerunt: quia nullam inde vitæ perpetuæ virtutem acceperunt. Non enim viuificabat, sed famem solummodo corporalem remouebat, & figura erat veritatis: qui verò panem vitæ suscipiunt, immortalitatem consequentur, & omnia interitus mala effugient, cum Christo æternaliter viuentes. Nihil autem verbis nostris officit, nec idcirco mentiri videbimur, quia fideles, qui Christo participant, corpore moriuntur. Nam et si hac communi omnium morte cadere videantur, viuunt tamen Deo, vt Paulus ait.

Caput XI.

Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Eadem ad vos dicere, Paulus ait, & vobis tutum, & mihi non molestum: ab ipsis, vt puto, Christi verbis ita perdoctus. Nam quemadmodū cruditati vulnerum, nō vnum, sed varia vicissim remedia conferuntur, neq; semel, sed frequēter appositis remedijs molliuntur, sic duro animo varia quædam & frequens accommodanda doctrina est, vt si prima parum profecerit, secunda saltem aut tertia vel eisdem verbis allata, permulcere atq; attrahere possit. Quapropter saluator varia oratione, modò ænigmaticè atq; obscurè, modò dilucidè atq; apertè eandem rem Iudæis proposuit, vt excusari nequeant si resilierint, sed mali malè perdentur, tanq̄ manu propria in animam suā gladium immittentes. Iterū igitur planè clamat: Ego sum panis, qui de cælo descendi. Ille figura, imago, vmbraq; solummodo fuit. Audiatis hoc dilucidè dictū: Ego sum panis viuus, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Non obdurescamus igitur, toties à Christo veritatem audientes. Non est enim ambigendū, quin summa supplicia subituri sint, qui sapius hæc à Christo iterata nō capiūt, propterea etiam de Iudæis dicit: Si non venissem, loquutusq; ipsis essem, peccatum nō haberent: nunc autem nō habent excusationem de peccato eorum. Nam qui nihil audierunt, mitiorem forsan inuenient iudicem, nihil se audisse contententes: quāuis quoniam non quæsiuerunt, relaturi rationem sint: qui autem sapius eadem doctrina monentur, qui seiplos sponte obdurant, maiore cruciatu vexabuntur, nihil habentes, quo iudex placari possit.

Quod Christi corpus viuificat. Caput XII.

Et panis, quē ego dabo, caro mea est, quā ego dabo pro mūdi vita. Morior, inquit, pro omnibus, vt per me ipsum omnes viuificē, & caro mea omnium redemptio fiat: morietur em̄ mors morte mea, & simul me cū natura hominū resurget. Factus em̄ homo sum ex femine Abraham vt in omnibus fratribus similis sim. Quod cū rectè intellexerit beatus ille Paulus, ait: Quia

IN EVANG. B. IOAN. LIBER III. 170.

A Quia ergo pueri cōmunicauerunt carni & sanguini, & similiter ille participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum. Non enim poterat mors aliter destrui, & mortis princeps deponi, nisi Christus seipsum in redemptionem pro nobis tradidisset. Propterea in Psalmis, immaculatam quasi hostiam patri se offerens, ait: Sacrificium & oblationem noluiisti, aures autem perfecisti mihi, holocausta & pro peccato tibi non placuerunt, tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatē tuam Deus meus, volui. Nam quoniam taurorum hircorumq; sanguis, & iuuēcarum cinis ad peccatorum abluionem non sufficiebat, nec brutorum vnquam animalium cædes mortem potuit deijcere, ipse Christus, ipse inquam vnus pœnas pro omnibus luit: Liuore namq; ipsius sanati sumus, & delicta nostra ipse corpore suo in lignum tulit: crucifixus autem pro omnibus, vt morte vnus in ipso omnes viuamus: non enim fuit amplius possibile à morte atq; interitu vitam nostram detineri. Quod autem pro vita mundi carnem suam obtulit, verbis suis cognoscemus. Pater, inquit, sancte, conserua eos. Et rursus: Pro eis ego sanctifico me ipsum. Sanctificare autem seipsum dicit, non quia mūdior ipse animo fieret vt nos, nec quia spiritu sancto participaret, quippe in quo spiritus naturaliter est, atq; ideo sanctus semper est: sed quæ se offert quasi hostiam immaculatam in odorem suauitatis, sanctificare seipsum dicit. Sanctificabatur enim, id est, sanctum secundum legem appellabatur, quod ad altare adducebatur. Dedit igitur pro vita omnium corpus suum dominus, & per illud rursus vitam in nobis immittit, & quomodo, dicam breuiter pro viribus meis. Nam quum viuificans Dei filius in carne habitauerit, ad suum bonum eam, id est, ad vitam reformauit, & totus (vt ita dicam) toti, ineffabili modo vnionis cōiunctus, viuificantem ipsam effecit, quia natura viuificans est, propterea participantes hæc caro viuificat: eijcit enim mortem ab eis, & interitum penitus expellit. Sed obijciat fortasse quispiam, ad dormientium exuscitationem mentis oculum dirigens: Nōne qui Christi etiam fidem non susceperunt, ac ipsius corporis participes facti non sunt, resurrectionis tempore reuiuiscunt? Nōne vniuersum humanum genus, quod in mortem cecidit, ad vitam recurret? Omnino ita futurum respondebimus: resurgent enim mortui, Propheta dixit: & ad omnem naturam humanam resurrectionis Christi mysterium peruenire credimus, & in ipso primo totum humanum genus ab interitu liberatum dicimus. Omnes enim resurgent propter eum, qui primus resurrexit, & omnes vt homo in seipso continebat, & sicut in primo homine omnes mortui sumus, sic rursus in eo, qui primogenitus propter nos & mortuus est, omnes reuiuiscunt. Sed qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, vt scribitur: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij: morte autem ipsa ego puto acerbius ad cruciatus æternos resurgere. Vitam igitur propriè illam, quæ in Christo est, intelligere debemus, quæ beatitudine continetur æterna, quam Euangelista rectè cognouit, dicens: Qui credit in filiū, habet vitam æternam, qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super ipsum. Ecce enim, ecce inquam non visuros vitam incredulos affirmat, quamuis per resurrectionem omnes reuiuemus: quare patet præparatam sanctis gloriosissimam vitam, sic à saluatore appellatam fuisse, ad quam per participationem viuificantis carnis certè perueniemus. Verum, quoniam sapius se Christus panem appellauit, consideremus si hoc vocabulo vspiam à scriptura nominetur. Scriptum est ergo in Numeris: Loquutus est dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: quum veneritis in terrā, quam ego dabo vobis, & comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias domino de pinendis panibus vestris, sicut de area primitias separabitis, ita & de pulmentis dabitis primitiua dño. Aenigmaticè atq; obscurè nimitū per figurā ista fiebant, quibus velut de cælo panis, id est, Christus obūbrabatur. Recordari em̄ oportet, q̄ homo propter nos factus, & ad si-

Hebræ. 2

Psal. 39

1. Petri 2

Ioannis 17
Sanctifica
re.

Obiectio

Respōsio,
Esaie 26

Ioannis 9

Vita q̄ in
Christo.
Ioannis 3

Christus se
panem no
minat.
Numer. 15

Coloss. 1
ad si-

A runt: fatuis verò etiam facillima obscura videntur. Probus enim auditor ac sapiens, quæ intellexit, nulla intelligentia remoratus, mentis ea thesauro statim commenda-
 uit: si qua verò ardua videntur, sæpe ac multū inuestigans atq; interrogans, tandem
 assequitur: venatrices apprimè canes imitatus, quæ huc atque illuc percurrunt fe-
 ras quærentes. Sic affectum esse sapientem propheticus quoque sermo deno-
 rat, dicens: Conquirens quære, & apud me habita. Quærendum enim ita sem-
 per est, vt apud eum habitemus, & ad alienas sententias non deferamur. Sed non
 ita facit animus malignus. Nam quæcunq; non intelligit, statim tanquam frivola
 falsaq; per arrogantiam efficit, nulli cædens, nec aliquid supra ipsum esse existimans:
 quales Iudæos fuisse comperimus. Nam quum oporteret eos, qui diuinam virtu-
 tem saluatoris ac potestatem, signorum miraculo perceperunt, sermonem eius li-
 benter suscipere: & si qua difficilia videbantur, eorum solutionem quærere, con-
 trà omnino faciunt. Et quomodo potest hic carnem suam nobis dare: de Deo non
 sine magna impietate conclamant, nec in mentem venit, nihil esse impossibile ap-
 pud Deum. Nam quum animales essent (vt ait Paulus) spiritualia intelligere non
 poterant. Sed fatuitas quædam tam magnum sibi videtur mysterium: sed nos ma-
 gnum quæso à peccatis aliorum profectum faciamus, & firmam fidem mysterijs
 adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus, illud quomodo, aut cogitemus,
 aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum est, & extremi supplicij causa. Ideo
 Nicodemus etiam, quum diceret: Quomodo hæc fieri possunt? meritò audiuit:
 Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Aliorum igitur, vt diximus, culpa perdo-
 cti, quum Deus operetur, non quæramus quomodo, sed operis sui viam atq; sci-
 entiam illi soli concedamus. Nam quemadmodum, quamuis nullus nouit, quid-
 nam secundum naturam Deus sit, iustificatur tamen per fidem, quum credat præ-
 mia illum redditurum quærentibus eū: sic et si operū eius ratiōem ignorat, quum
 tamen fide omnia illum posse non dubitet, non contēnenda probitatis huius præ-
 mia consequetur. Ita profectò nos affici per prophetam Esaiam dominus ipse hor-
 ratur: Non enim sunt consilia mea, inquit, vt consilia vestra, nec sicut viæ vestræ viæ
 meæ sunt, dicit dominus: sed sicut exaltatur cælum à terra, sic exaltatæ sunt viæ
 meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Qui autem sapien-
 tia à virtute & Deo excellit, quomodo non operabitur ita miraculosè, vt operum
 suorum ratio mentem nostram effugiat? Nonne vides, quid sæpenumero mecha-
 nici faciunt? Incredibilia videntur nobis nonnunquam enarrare: sed tamen quia
 similia ipsos fecisse vidimus, posse peragi ab ipsis facillè credimus. Quomodo igitur
 summis cruciatibus digni non erunt, qui rerum omnium opificem Deū ita con-
 temnunt, vt quomodo, in operibus suis dicere audeant: quem totius sapientiæ lar-
 gitorum esse non ignorant, quem omnia posse scriptura nos docuit. Si verò tu o Iu-
 dæe, quomodo, etiam nunc clamas: hanc tuam imperitiā ego quoq; sequutus, li-
 benter quomodo ex Aegypto exiisti, rogabo, quomodo in serpentē Mosaica fu-
 it virga conuersa: quomodo lepra manus affecta, vno momento temporis in pri-
 stinum statū restituta iterum fuit: quomodo in naturā sanguinis aque transferunt:
 quomodo patres tui per mediā mariā vt per aridam effugerunt: quomodo per lignū ama-
 ritudinis aquarum in dulcedinē recidit: quomodo è lapide fontes aquarum fluebāt:
 quomodo stetit Iordanis: quomodo solo clamore inexpugnabilis Hiericho cecidit:
 innumerabilia sunt, in quibus si quomodo quæris, vniuersam euertere tibi scri-
 pturam necesse erit, prophetarum doctrinam & ipsius Mosis scripta contemnen-
 ti. Quare credidisse Christo potius vos oportuit, & si quid arduum videbatur, ab
 eo humiliter petere, quàm veluti temulentos exclamare: Quomodo potest hic no-
 bis suam carnem dare? Nonne videtis, quia quum hæc dicatis, statim cum ista vo-
 ce arrogantia magna significatur?

Esaiæ 21

1. Corint. 2

Ioannis 3

Nota.

Esaiæ 35

Matth. 19

Capitulum

1. Corin. 15 ad similitudinem nostram, quasi primitiæ quædam, ac separatio nostræ massæ (vt
 scribitur) Deo patri oblati sunt, primogenitus ex mortuis factus, & primitiæ resur-
 rectionis hominum ad cælum vsq; ascendentes. Cepit enim à nobis hominem, vt
 scribitur, quia semen Abrahæ apprehendit, oblati sunt: est vnus ex omnibus, vt oēs
 viuificaret: sicut ex area primus manipulus Deo patri offerri solebat. Et quemad-
 modum, cum ipse sit vera lux, hæc rem discipulis quoq; gratia attribuit. Vos enim,
 inquit, estis lux mundi: sic cum ipse sit panis viuus, qui omnia viuificat, continetq; vt
 sint, similitudine atq; vmbra legali per duodecim panes sacrum apostolorū præfi-
 gurauit consortium. Legitur enim in Leuitico: Et locutus est dominus ad Moysen,
 dicens: Præcipe filijs Israel, vt offerant tibi oleum de oliuis purum ac lucidū, ad con-
 cinnendas lucernas iugiter extra velum testimonij in tabernaculo fœderis. Accipi-
 etis etiam similes, & coquetis ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas
 decimas: quorum senos alitrinsecus super mensam purissimā coram Deo statuētis,
 & ponetis super eos thus lucidissimum & salem, vt sint panes in monumentū ob-
 lationis domini. Lucernam igitur, quæ in sancto tabernaculo, & extra velum posi-
 ta locum illuminabat, beatum esse Baptistā, in superioribus diximus. Oleo autem
 purissimo ardere dicitur, illuminatione scilicet spiritus sancti. Extra velum autem
 lucebat, quoniam doctrina eius præparabat, non perficiebat. Præparate, inquit, vi-
 am domini, & rectas facite semitas Dei nostri. Non enim quæ intra velum erant,
 id est, reconditum Christi mysterium, apertè denudauit. Ego, inquit, baptizo vos
 ad pœnitentiā in aqua: qui verò post me venit, fortior quàm ego est, cuius ego cal-
 ciamenta nequeo portare, ipse vos baptizabit in spiritu & igne. Vides quomodo
 simpliciore doctrina lucet, ad pœnitentiā vocans, & interiora velaminis denudanda
 illi relinquens, qui spiritu & igne baptizat: Sed hæc latius tunc diximus,
 quando ille propositus locus erat: ille erat lucerna ardens & lucens. Nunc verò teti-
 gimus, vt ordine à Ioanne ad apostolos descēderemus. Hac enim (vt ego arbitror)
 de causa, quum de lucerna scriptura dixerit, duodecim nobis contemplationes pa-
 num tradidit. Facietis, inquit, panes duodecim, qui singuli habebunt duas decimas.
 Solet scriptura denarium numerum, quasi plenum semper accipere: numerorum
 enim omnium deinceps ordo, anfractum quendam, & reuolutionem denarij nu-
 meri continet. Duabus igitur decimis vnumquodq; panum constare iubet: vt perfe-
 ctionem duabus rebus eorum consideres, in actiua scilicet virtute atq; contempla-
 tiua. Alitrinsecus autem ponere bipartitos iussit, vt stationē ipsam ostenderet: con-
 sueuisse namq; discipulos credendum est in medio sui semper Christum habere,
 & quasi ad doctorem semper circumfundi. Vt autem discamus Christi eos odorē
 factos, ac Deo patri oblatos, vt Paulus ait, thus imponi super panes imperauit, sale
 autem spargi, quia ipsi sunt sal terræ. Die quoq; sabbati hæc offerri lex voluit, quia
 vltimis seculis apparuerunt. Vltimus enim dies hebdomadæ, sabbatum est. Neq;
 id solum, verum etiam quia saluatoris aduentu spiritualiter sabbatizamus, oeciū pec-
 candi agentes, quo tempore sancti ad nos apostoli missi sunt, quorum diuina scri-
 ptura ad vitam & sanctificationem nos alunt: idcirco die sabbati duodecim illos pa-
 nes, in altari, id est, in Ecclesia Christi ponere lex iubebat. Significatur enim sæpe
 parte totum, vt panis igitur in lege saluator figurabatur, panes autem rursus etiam
 discipuli similitudine ipsius dicuntur. Panis enim verus, Christus est: similitudine
 autem ipsius, per gratiam etiam in discipulos, ac in discipulorum successores appel-
 latio ista transit.

Capitulum XIII.



Itigabant ergo Iudæi adinuicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Iesus. Omnia plana & recta illis sunt, qui cognitionem (vt scribitur) inueniunt.

Prouer. 8



Amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Misericors certè ac mitis Christus est, vt à rebus ipsis videre licet. Non enim asperè ad crudelitatem eorum respondit, nec villo modo contendit

sed viuificantem huius mysterij cognitionè iterum atque iterum in mentibus eorum imprimere studet: & quomodo quidem carnem suam dabit ad manducandum, non docet, quia intelligere illi nō potuerunt: quàm magna verò bona, si cum fide manducabunt, adipiscuntur, id iterum atq; iterū aperit, vt æternæ desiderio vitæ ad fidem compellantur, per quam etiam doceri facilius poterint. Sic enim Esaias dixit: Si enim, inquit, non credideritis, nec intelligetis. Oportebat igitur fidei primum radices in animo iacere, deinde illa quærere, quæ homini quærenda sunt. Illi verò, antequam crederent, importunè querebāt. Hac igitur de causa dominus, quomodo id fieri possit, non enodauit, sed fide id quærendum hortatur: sic credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Calicem etiam similiter circumtulit, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est calix sanguinis mei, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Per spicis, quia sine fide quærentibus, mysterij modum nequaquam explanauit, credentibus autè etiam non quærentibus exposuit. Audiant hæc, qui ex arrogantia nondum Christi fidem suscipere volunt. Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Non enim possunt cum sanctificatione beatæ vitæ fieri participes, qui per mysticam benedictionem Iesum non susceperunt. Vita enim secundum naturam ille est, qui ex viuo patre genitus est: sed non minus corpus quoq; suum viuificat. Coniunctum enim ineffabiliter est filio Dei, à quo vniuersa viuificantur. Idcirco corpus suum dicitur, & vnus cum eo est. Nempe post incarnationem vnus est, & vnus manet absq; diuisione vlla, præterquam quòd Dei patris verbum, & tēplum à virgine sumptum, idem natura non sunt. Non enim est eiusdem substantiæ verbo Dei homo assumptus, vnus tamen cum illo est coniunctione ineffabili. Quoniam igitur saluatoris caro verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta, viuifica effecta est, quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ vita effecta est. Hac de causa in exuscitandis mortuis non solummodo verbo atq; imperio vt Deus vtatur, verum etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat, vt re ipsa ostenderet, carnem quoq; suam, quoniam sibi cōiuncta est, viuificam esse, atque fideles doceret suum, non alterius corpus esse. Nam quando Synagogæ principis filiolum suscitabat, manum eius apprehendit, vt scribitur, & erexit, dicens: Puella, surge: ita vt Deus & verbo & carnis suæ tactu eam excitauit, vnam ab vno se Christo, Deo videlicet atq; homine operationem producat. Quando etiam in ciuitatem Nain vocatam ingrediebatur, & efferebatur vnigenitus matris filius iam mortuus, tetigit corpus eius, dicens: Adolescens tibi dico, surge. Nō ergo verbo solum semper (vt diximus) verum etiam tactu mortuos excitabat, vt ostēderet corpus quoq; suum viuificare posse. Quòd si solo tactu suo corrupta redintegrantur, quomodo non viuemus, qui carnem illam & gustamus & manducamus: reformabit enim omnino ad immortalitatem suam participes sui. Nec velis Iudaicè quomodo quærere, sed recordare, quamuis naturaliter aqua frigidior sit, aduētū tamē ignis, frigiditatis suæ oblita æstuat. Hoc sanè modo etiam nos, quamuis propter naturam carnis corruptibiles simus, participatione tamē vitæ ab imbecillitate nostra reuocati, ad proprietatem illius ad vitam reformamur. Oportuit enim certè, vt non solum anima per spiritum sanctum in beatam vitam ascēderet, verum etiam ex rude atq; terrestre hoc corpus cognato sibi gustu, tactu & cibo ad immortalitatem reduceretur.

Nec

A Nec putet ex tarditate mentis suæ Iudeus inaudita nobis excogitata esse mysteria: videbit enim, si attentius quærit, hoc ipsum à Mosi temporibus per figuram semper factitatum fuisse. Quid enim maiores eorum ab ira Aegyptiorum liberauit, quando mors in primogenita Aegypti sauebat: nōne omnibus palam est, quia diuina institutione perdocti, agni carnes manducarūt, & postes ac superliminaria sanguine perunxerunt, propter eam mortem ab eis diuertisse: perniciēs namq; id est, carnis huius mors, aduersus genus humanum propter primi hominis transgressionem furebat. Terra enim es, & in terram reuerteris, propter peccatum audiui-mus. Verum quoniam per carnem suam Christus atrocem hunc euersurus erat tyrannum, propterea id mysterium apud præscos obumbabatur, & ouinis carnibus atq; sanguine sanctificati (Deo ita volente) perniciem effugiebant. Quis igitur o Iudæe turbaris, præfiguratam veritatem iam videns: quorū inquam turbaris, si Christus dicit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, nō habebitis vitam in vobis, quum oportet et Moisaicis te legibus institutum, & præscis vmbriis ad credendum perdoctum, ad intelligenda hæc mysteria paratissimum esse?

Caput XV.



Vi māducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Mirè statim incipiens Euangelista clamabit: Et verbum caro factum est. Non enim in carnem ipsum venisse, sed vt mirabilem vnionem ostenderet, carnem factum esse dicere non dubitauit. Nec tamen quoniam ita dictum est, aut verbum in naturam carnis mutatum, aut hominem in naturam verbi transformatum esse credimus. Manet enim inuiolata vtraq; natura & vnus ex vtriusq; Christus est. Sed ineffabiliter & vltra quàm possit mens humana intelligere, verbum humanitati coniunctum, totam in seipsum ita reduxit, vt indigentia vitæ possit viuificare: sic interitum à natura humana expulit, & mortem quæ peccato plurimum poterat, destruxit. Quare qui carnem Christi manducat, vitam habet æternam. Habet enim hæc caro Dei verbum, quod naturaliter vita est, propterea dicit: Quia ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ego enim dixit (id est, corpus meū, quod comedetur) resuscitabo eum. Non enim alius ipse est quàm caro sua: non id dico, quia natura non sit alius, sed quia post incarnationem in duos se diuidi filios minimè patitur. Ego igitur, inquit, qui homo factus sum, per carnem meam, in nouissimo die comedentes resuscitabo. Nēpe impossibile omnino est, ne interitus & mors ab eo, qui naturaliter vita est superetur: propterea quamuis mors, quæ propter peccatum nostrum in naturam nostram insiliit, corpus humanum ad corruptionem impellat, tamē quia filius Dei homo factus est, oēs profectò resurgemus. Non enim potest natura nostra vitæ coniuncta non viuificari. Et quemadmodum si quis scintillam ignis in foeno aut palea occultauerit, totum inde ignitum necessariò fiet: sic verbum Dei tãquam scintilla in naturam nostram immissum, totam inde inflammauit, atq; ad vitam, interitu penitus destructo, reduxit.

Caput XVI.



Aro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Distinguit rursum inter mysticam benedictionem & manna, & aquarum fluentia ex lapide & calicis sancti communicatiōem. Ita iterum repetit, ne magis mannae miraculum admirarentur: sed ipsum potius accipiant, qui celestis panis est, & æternæ vitæ largitor. Patres enim, inquit, vesteri māducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis, qui de cœlo descēdit: vt aliquis ex ipso comedat & non moriatur. Manna namq; alimentum non æternam

GG

vitam, sed breue famis remedium adferebat. Non ergo erat cibus verus, id est, panis de coelo. Sanctū verò Christi corpus, ad immortalitatē & vitam æternam nutriendum cibus est, ita inquit: Sed aquam illi ex petra biberunt. Quid igitur inde lucrati sunt, quod mortui fuerunt: non erat igitur potus ille verus, sed verus potus est sanguis Christi, quo radicitus mors euertitur atque destruitur. Non enim hominis simpliciter sanguis est, sed eius, qui naturali vitæ cōiunctus, vita effectus est. Propterea corpus & membra Christi sumus, quia per hanc benedictionem mysterij, ipsum filium Dei suscipimus.

Caput XVII.



Vi manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Quoniam res ardua est, & fide magis, quam alio modo recipitur: ideo multis atque varijs modis mirabilem eius utilitatē exponit, fundamentum & basim fidem esse confirmans. Qui manducat, inquit, carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in illo.

Sicut enim, si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum cōmiscat: necesse est, si quis carnem & sanguinem domini recipit, cum ipso ita coniungatur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Simile quoddam modo apud Matthæum comperies: Simile est, inquit, regnum cœlorum fermento, quod acceptum abscondit mulier in farinæ satis tribus. Quid igitur fœmina sit, & quæ fatorum trinitas, aut omnino satum quid sit, loco suo dicitur: nunc autem de fermento solum dicamus. Sicut parum (ut Paulus ait) fermenti totā massam fermentat: sic paruula benedictio totum hominem in seipsum attrahit, & sua gratia replet, & hoc modo in nobis Christus manet & nos in Christo. Verè enim totum fermentū in totā massam pertransit. Sed sensus quidem loci huius hic est. Nos verò, si vitam æternam cōsequi volumus, si largitorē in mortalitatis habere in nobis desideramus, ad recipiendam benedictionem libenter concurramus, caueamusque, ne loco laquei damnosam religionem diabolus noster prætendat. Rectè, inquit, dicitur scriptum tamen esse non ignoramus, iudicium sibi comedere atque bibere illum, qui de pane comedit, & de calice bibit indignè. Ego igitur probo me ipsum, & indignū inuenio: quando igitur, quicumque tu es, qui ista dicitis, dignus eris: quando Christo, te ipsum offeres: Nam si peccando indignus es, & peccare non desinis (Quis enim delicta intelligit: secundum Psalmistam) expers omnino eris viuificæ huius sanctificationis. Quare pias quæso cogitationes suscipias, studiosè sanctæque viuas & benedictione participes, quæ (mihi crede) non mortem solum, verū etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, quum in nobis maneat Christus, sæuentem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus sumus peccatis considerat, sed ægrotos curat, collisos redintegrat, & sicut pastor bonus, qui animam suam pro ouibus posuit, ab omni nos erigit casu.

Quod alienæ vitæ filius particeps non est, sed ipse secundum naturam vita est

Caput XVIII.



Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Latet sensus horum verborum, nec ita facillè querentibus apparet: qui tamen cū fide quærunt, facillè ipsum inuenient. Cū igitur missum se esse filius dicit, tunc incarnatū se esse, & nihil præter hoc aliud denotat. Incarnatum autem verbum Dei quum dicimus, totū se hominē assumpsisse intelligimus, quæadmodum igitur, inquit, homo factus sum voluntate patris, qui è naturali vita emanauit, & homo factus viuo, corpusque meū vita repletū, non aliter qui carnē meā māducatur, propter me viuet. Mortalem enim

Alem enim carnem assumpsit: sed quia naturaliter vita existens, habito in ipsa, totam ad vitam meam reformauit: non enim sum victus interitu carnis, sed ut Deus, oēm interitum & mortem ipse superauit. Vt igitur (non enim grauabor iterum dicere) quamuis me pater misit, id est, homo factus sum, viuo tamen propter patrē, id est, genitoris naturam ad vnguem conseruo: sic qui manducatione carnis meæ me recipiet, viuet profectò totus ad me reformatus, qui viuificare possum, quoniam ex viuo patre sum, à patre autē secarnē factum esse affirmat, cū scriptum sit: Spiritus sanctus supueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ut rursus intelligas, quia vna patris & filij & spiritus sancti natura sit, ideo non esse diuisas operationes, sed quod ab vna persona factum dicitur, id opus Trinitatis totius est. Quum enim cōsubstantialitate vnū sit Trinitas, vna profectò est virtus eius atque potentia: omnia enim ex patre per filiū in spiritu sunt. Sed dicamus rursus, quod sapius diximus (Nam etli aures auditorum eadem dicentes obtundimus, tutius tamē esse non sumus nescij) consuevit Christus, quæ vim humanam excedunt, ea patri attribuere. Humiliauit enim seipsum factus homo, & ideo conuenientem homini mēsuram nō recusat: Pater, inquit, qui in me manet, ipse facit opera. Patri ergo etiam incarnationis operationem, quoniam virtutem excedit humanā, ut solet, accommodat. Sed clamabunt rursus aduersarij Christi ac dicent: Et quomodo aliter naturam suam filius, aut quomodo magis apertè maiorem esse patrem posset ostendere, quā si diceret propter patrē se viuere: Nam si pater filio vitā largitur, quis ad eō mente captus est, ut non videat non esse idem natura vitā, & quod vita participat: Hæc illi. Nos autem stulta dici à stultis dicimus, & cor eorum inania intelligere, & seductionem ac errorem in verbis suis habitare non ambigimus. Quomodo enim hæc vltima seductio non est, qua à viuificante Christo alienare multos nō erubescunt, vitæ participem ipsum prædicantes, sicut & creaturas: an etiam animal dicent esse filium, quoniam omne animal non ipsum vita, sed vitæ particeps est. Aliud enim animal est, aliud vita quæ in ipso est. Nam si idem esset animal & vita, omne animal profectò vita diceretur, quod nemo mentis compos vnquam cogitauit. Vnigenitus ergo animal non est, sed vita secundum naturam, aliter verum illud non esset: Ego sum resurrectio & vita. Vita porrò illud est, quod viuificat, non quod ab alio viuificatur, sicut & sapientia, quod sapientem facit, non quod sapiens fit: vita autē Christus est. Ego, inquit, sum vita, et Psalmista de ipso ad patrē dicit: Quia fons vitæ apud te. Et Ioannes in epistolis: Quod erat ab initio, quod audiui mus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ palparunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus & testimonium perhibemus, & annuncio vobis vitā æternam, quæ apud patrem erat, & manifestata est. Vides latius hic illud Psalmistæ exponi: Quoniam apud te fons vitæ. Erat enim & est fons vitæ filius apud patrē. Sed ipsum Ioannem rursus audiamus. Et scimus, ait, quia filius Dei venit, & dedit nobis mentem ut cognoscamus verum, & simus in vero filio eius Iesu Christo: hic est verus Deus & vita æterna. Quis igitur patietur has nugas: Quis meritò istos impios non appellabit, qui cū scriptura clamet, verū Deū & fontē vitæ, & vitā æternā filiū esse, vitæ Christum participē audeant dicere: Quomodo autē erit verus Deus aut fons vitæ, qui vita indigens ab alio eā consequitur? Sed vitā, inquiunt, dicimus filiū, quia cū patrē, qui vita est, in se habeat, ipse quoque viuificare potest. Maligni animi hæc oratio est: cū eū idcirco vitā appellari filiū dicitis, quoniam cū in se patrē habeat, potest indigentia vitæ viuificare: quō nō immēsam hic sermo parturit malitiā: An ignoratis, quid secundū naturā sit, quid ex eo quod sit secundū naturā, & quasi cōpositū: veluti calidū natura ignē putamus, calida verò etiam alia sunt, ex igne ita facta, ut puta ferrū aut lignū, non tamē quia ignita sunt, propterea ignis erunt: alienā enim nō naturalē caliditatem retinent. Et Grammatica vel Geometria, sciētia quæ dā est: quæ verò scit, non est Grammatica, sed ab ea Grammaticus vel Geometricus denominatur.

Matth. 13

1. Corint. 5

1. Corin. 11

Psalm. 13

Luca 1

Ioann. 14

Cauillus hereticorum.

Refutatio. Efaiz 32

Ioannis. 11

Ioannis 14 Psalm. 35 1. Ioannis 1

1. Ioannis 5

Cauillirectio.

Caput XIX.

Ioannis 10

minatur. Eodē modo & vita secundum naturam aliud profectō est, quā ea quæ ad ipsam transformant. Cū igitur in filio patrē, qui naturaliter vita est, esse adferatis, atq; ideo viuificare filium posse contendatis, non rectē affirmatis, filium esse vitam, quum vitæ magis particeps sit: siquidem in eo vita, vt in materia, secundū vos est, & sic habitudine quadam, non substantialiter ad dignitatē viuificantis patris ascendit, et quemadmodum nullus rectē, quamuis ab ignito ferro caleseat, ab igne se calefcere dicet, nemoq; non insanus, q̄a Geometras docendo quispiā facit, Geometriam eum appellabit. Eodem certē pacto, si filius naturaliter vita non sit, sed propter inhabitantem patrem, nō rectē, quoniam alios viuificat, vita poterit appellari. Propterea quid prohibebit vnum de hominum numero, corruptibilisq; filium naturæ opinari, si propter patrem viuūt, id est, ab eo vita donatur, vt isti sentiunt: Corrūperetur enim, nisi viuentem patrem in ipso haberet. Et si verax ipse est, sicuti certē est, sicut ipse in se patrem habet, qui naturaliter vita est, sic ipse quoq; in patre est, qui substantialiter secundū vos vita nō est. Ego em̄, inq̄t, in patre, & pater in me est: & tacebo impietatem quæ sequitur, imō dicam in redargutionem ipsius impietatis. Erit enim pater vita priuatus, cū in se habeat naturā corruptibilem. Hæc nos & cogitare & scribere peruicacia vestra cogimur: impellimur enim exquisitius ad vtilitatem legentium ista scribere. Nam si vitam secundū naturam, patrem esse cōceditis, probē id quidem: sed vita etiā secundū naturam filius est, id enim ex verbis etiā vestris sequit̄. Quid enim in filio, cū in ipso sit, pater operabit̄? An suam vitam tanquam indigenti, nec à se habenti ei donabit̄? & quomodo non erit absq; vita naturaliter filius: Quod autem à seipso vitam non habet, quomodo corruptibile non erit? sed non largitur vitam filio pater: vitam enim genuit, atq; ideo ipse filius vita per seipsum est. Quomodo igitur ideo vita erit, quia patrē in seipso habet? Nam si absq; patre viuere intelligitur, non viuūt propter patrē, id est, non habet vitam participatione. Quod si propter patrem ita viuūt, vt ipsi intelligunt, non habebit ipse propriam vitā, sed mutuo ab alio accipit, & vt dicebamus, corruptibilis potius est naturæ, & animal magis quā vita. Quomodo igitur seipsum vitam appellat: an tibi quoq; licebit dicere: ego sum vita: Quod si non licebit, sicuti certē creaturæ non licet, filius certē qui hoc de se verē dicit, nouit se vitam naturaliter esse, aliter quomodo erit character hypostaseos genitoris: Quomodo imago, figura & similitudo exquisita: Quomodo non rectē dicebat Philippus: Ostende nobis patrē, & sufficit nobis: Sicuti enim vos dicitis, poterit aliquis vidisse filium, qui patrē non vidit. Si quidem pater secundum vos substantialiter vita est, filius autem vitæ particeps. Nemo enim vnquam in viuificato viuificantē conspiciet, nec per indigentem non indigentem rectē intelligit: ita falsō illud dixerit necesse est: Qui me videt, videt & patrem. Qui ergo immaculata Ecclesiæ dogmata sequitur, fugiat ab istis, & ad simplicem veritatis pulchritudinem vias dirigat suas, & sicuti patrem vitam esse naturaliter credit, sic filium quoq; vitam esse substantialiter non dubitet. Vt enim lumen de lumine est, sic & vita de vita. Et quēadmodum quæ luce indigent, per filium pater illuminat, & sapientes per eum facit, sic quæ vita egent, per filium vt per vitam suam, quæ ex ipso emanat, viuificat. Quādo igitur ipse dicit, viuo propter patrem, noli cogitare ideo ipsum viuere, quoniam à patre vitam recipiat: sed quoniam ex viuo naturaliter patre natus est. Propterea se quoq; viuere, naturaliter videlicet confirmat. Non enim potest non viuere, qui ex viuo verē natus est patre, vt si quidā diceret rationalē se hominem esse, quia ex rationali natus est: sic & vnigenitus Dei filius, viuo, inquit, propter patrem. Nam quoniam vita secundum naturam genitor meus est, & quia ego naturaliter eius filius sum, hanc naturæ suæ proprietatem, id est, vitam naturaliter mecū habeo. Cū igitur vnus ex vno intelligatur (ex patre enim filius est) verē ac propriē perfectionibus patris glorificatur.

Caput

A



Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuēt in æternum. Magna certē sunt, quæ à magnis aguntur, ideo quæ à Deo nobis præbentur, digna profectō diuina magnificentia sunt. Si enim credis de cœlo panem descendisse, quod quidē quā maximum est, cur non credis æternam ab eo vitam credentibus immitti: Hic enim effectus profectō demonstrabit, de cœlo, id est, ex Deo esse hunc panem: decet enim æterna esse, quæ ab æterno donantur. Non enim prudenter, quæ ad breue tempus sufficiunt, hoc nomine appellantur. Nec panis erat ex Deo, quem maiores Iudæorum comederunt, & mortui sunt. Nam si de cœlo & ex Deo fuisset, liberasset à morte participantes. Contrā verō corpus Christi, panis de cœlo est, quia æternam comedentibus vitam largitur. Magnum certē signum, deitatis in hoc corpore naturam habitare: quoniam illa hinc donantur, quæ certam omnem naturam excedunt, atq; ideo à rudioribus minus creduntur, sed ditissima illa natura summas largitur diuitias, quas Paulus q̄q; admiratus clamat: Non vidit oculus, non audiuit auris, non ascenderunt in cor hominis, quæ Deus diligentibus se præparauit. Sed lex ista vt magna in paruis figurabat: vmbra enim atq; imaginem futurorum bonorum, non ipsarum rerum veritatem habebat, ita in alimento mannae benedictio hæc Christi figurabatur, & futura denotabatur.

1. Corint. 2

Hebræ. 10

Caput XX.



Hæc dixit in Synagoga, docens in Capernaum. Ipsius Christi autoritate, à quo hæc prædicta sunt, aduersarios terret. Claritas enim dicentis, paratior ad credendum facit auditorem. Probē autem non obticuit, quia in Synagoga hæc dicta sunt, ne paucos hæc audisse existimes.

B

Ipsæ quoque per Esaiam prædixit: Non sum loquutus in occulto, nec in recondito loco terrarum. Palam autem hæc verba fecit, omnem Iudæis atque incredulis excusationem auferens, & maioris criminis reos faciens. Si enim se nihil audisse dicere possent, non dubito quin mitiorem in eos sententiam iudex proferret: quum verō sapius audierint, & tamen resilierint, quomodo non absq; misericordia punientur: ipsum audi saluatorem: Si enim non venissem, inquit, & loquutus essem eis, peccatum non haberent, nunc autem non habent excusationem de peccato suo. Nunc obaudiamus ergo, quæso, Christi verba, sed fidem ipsi docenti firmam præbeamus. Sic enim cum incredulis nequaquam vexabimur. In Capernaum etiā hæc dicta fuisse adferit, vt quum tibi omnia diligenter exponat, & locum, quia in Synagoga, & urbem, quia in Capernaum nihil prorsus de veritate narrationis possis dubitare.

Esaiæ 45

Ioannis 15

Caput XXI.



Vti ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Fatuis sanè consuetudo hæc est, semper enim sublimiori doctrinæ, quam ipsi non intelligunt, detrudere solent. Quumq; attendere magis deberent, & subtilitate rerum eleuari, contrā deiciuntur, & durum appellant sermonem, quem admirari debebant. Non aliter igitur faciunt, quā edentuli soleant: molliora enim eligunt alimenta, etiam si peiora sint: solidiora verō ac meliora edulia magnopere vituperant, & agrotationem suam cælare studentes. Mentis quoq; acumine priuati scientiam abhorre solent: quæ magno studio, multaq; opera esset conquirenda. Sed spiritualis quidē vir, vt in delitijs in doctrina domini versatus, iugiter canit: Quā dulcia faucibus meis eloqa tua, sup mel ori meo. Animalis verō Iudæus spiritale hoc mysteriū fatuitatis

Psalms. 118

GG iij plenum

plenum arbitratur; quumq; domini verbis ad sublimiorem intelligentiam rerum concitetur, tamen ad insitam sibi dementiam omnino delabitur, & quod prauum est, bonum appellat: proba verò improba ducit, vt scribitur. Ita maiores suos penitus imitatur, qui manna cum benedictione recipientes, diuinum Dei donum aspernati, Aegypti carnes desiderabant: hi verò quum viuificantis spiritus gratiam, & panem verum, qui ex patre ad homines venit, accipere rogètur, voluptatis se potius quam Dei amicos ostendentes, in errorem deferuntur consuetum, & quemadmodum illi ipsum manna etiam aspernabantur, dicentes: Exaruit anima nostra in hoc manna, sic isti verum panem non erubescunt abijcere, dicentes: Durus est hic sermo. Demus igitur operam, qui Dei mysteria discere gliscimus, vt quasi optimi nummularij nummum cognoscamus, aut in fide accipienda ratione doceri velimus, aut quæ ratione probari possunt, temeraria credulitate approbemus: sed alterutris, vt decet, attendentes, ac per iter regium in neutram partem declinantes ambulemus. Regia certè via omnibus facienda est, qui rectitudinem fidei Christi sequi desiderant.

Caput XXII.

Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat. Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius. Ex imperitia multi, qui Christum sequebantur, verba ipsius non capientes, perturbabantur, nam cum audissent: Amen amen dico vobis, nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: ad immanes ferarum mores vocari se à Christo arbitrabantur, incitariq; vt vellēt crudas hominis carnes manducare, & sanguinem bibere, quæ vel auditu horribilia sunt. Nondum enim mysterij huius formam & dispensationem pulcherrimam cognouerant. Illud etiam ad hæc cogitabant, quomodo caro huius hominis æternam nobis vitam largietur: aut quomodo ad immortalitatem adducere poterit? Quæ quum intelligeret is, cuius oculis omnia nuda sunt atq; aperta, alia eos re mirabili ad fidem impellit. Frustra, inquit, & vos propter verba mea conturbamini. Quod si credere non vultis vitam vobis à meo corpore dari, quid facietis, quando in cælum volare me conspicietis? Non enim ascensurum me solummodo in cælum profiteor, ne rursus quomodo id fieri possit, quæritis: sed oculis etiam ita fieri vestris cernetis. Quid igitur hoc videntes dicetis? An non erit hoc magnum dementiæ vestræ argumentum: si enim putatis carnem meam vitam vobis adferre non posse, quomodo tanquam volucris in cælum ascendet: quomodo per aera volabit: hoc enim similiter generi humano impossibile est. Quod si præter naturam caro mea in cælum conscendet, quid prohibet, ne similiter præter naturam viuificet? Nam qui terrestre hoc corpus cœlestis confecit, is etiam viuificum reddidit, quamuis natura sui corruptibile fuerit. Sed animaduerte rursus vnum esse Christum, non duos, vt nonnulli temerè adserunt. Animaduerte inquam, quia vbiq; post incarnationem, indiuisibilem se esse ostendit. Filium enim hominis, inquit, ascendere illud videbitis, vbi prius erat. Et certè corpus Christi in cælo prius non fuit, quod nec fuit quidem ante incarnationem. Verbum autem Dei æternaliter cum patre est. Probè igitur Paulus: Vnus, inquit, dominus Iesus Christus: vnus enim & ante incarnationem & post incarnationem filius est, non est ergo alienum à verbo corpus suum, idcirco filium hominis appellat verbum Dei, quod de cælo descendit, quodq; secundum Euangelistam caro factum est, non in carnem mutatum: immutabilis enim natura est. Sed quia reuera homo factus, in templo, quod à virgine assumpsit, habitare voluit. Dicit autem se ascensurum illud, vbi prius erat, vt audientes intelligant, de cælo quoq; ipsum descendisse, & sic non vt homini, sed vt Deo attendentes, viuificantem carnem suam esse facilius credatur.

Caput

Caput XXIII.



Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Non imperitè, inquit, omnino viuificantem carnem esse negatis. Nam si sola intelligitur, nihil prorsus viuificare potest, quippe quæ viuificante indigeat: cum verò incarnationis mysterium laudabili cura scrutati fueritis, & habitantem in carne cognoueritis: quamuis nihil penitus caro per seipsam possit, viuificantem tamen esse factam credetis, nisi etiam spiritum sanctum non posse viuificare contendatis. Nam quoniam cum viuificante verbo caro coniuncta est, tota est effecta viuifica. Non enim ad corruptibilem suam naturam iunctum Dei verbum detraxit, sed ipsa ad melioris virtutem eleuata est. Quamuis ergo natura carnis, vt caro est, viuificare nequeat, facit tamen hoc, quia totam verbi operationem suscepit. Corpus enim est, non cuiusuis hominis, cuius caro prodeste quicquam potest (non enim Pauli aut Petri, aut cæterorum) sed ipsius vitæ & saluatoris nostri Iesu Christi corpus, in quo deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc potest. Nam si mel, quum naturaliter dulce sit, ea dulcia facit, quibus immiscetur, nonne stultum erit viuificantem verbi naturam putare non dedisse homini, in quo habitat, viuificandi virtutem? Quas ob res caro quidem cæterorum omnium quicquam verè non prodest: caro autè Christi, quia in ipsa vnigenitus Dei filius habitat, sola viuificare potest. Spiritum verò seipsum appellat, quoniam Deus spiritus est, & vt ait Paulus, dominus spiritus est. Nec ista dicimus, quia spiritum sanctum in propria persona subsistere non putemus, sed quia sicut factus homo filium se hominis appellat, sic se à proprio spiritu spiritum nominat. Non est enim alienus ab eo spiritus suus.

Caput XXIII.



Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Totum corpus suum viuifica spiritus virtute plenum esse ostendit. Spiritum enim hic ipsam carnem nuncupauit: non quia naturam carnis amiserit, & in spiritum mutata sit: sed quia summè cum eo coniuncta, totam viuificandam vim hausit: nec turbari propter hoc decet. Nam qui domino conglutinatur, vnus cum eo spiritus est: quomodo igitur caro sua vnà cum eo non appellabitur? Huiusmodi ergo est, quod dicitur: Putatis, inquit, me dixisse, viuificum natura sui terrestre hoc esse corpus. Ego verò de spiritu, & de vita æterna loquutus sum: non enim natura carnis viuificum reddit spiritum, sed spiritus virtus viuificantem carnem efficit. Verba ergo, quæ vobis loquutus sum, spiritus, id est, spiritualia, & de spiritu & vita, id est, de viuifica & naturali vita sunt. Sed quod modò diximus, id iterum repetere non erit inutile. Natura carnis ipsa per se viuificare non potest: quid enim maius natura deitatis haberet? Nec sola in Christo esse intelligitur, sed habet filium Dei sibi cōiunctum, qui consubstantialiter vita est: quādo igitur viuificā Christus ipsam appellat, non ita illi, vt sibi, siue proprio spiritui vim viuificandi attribuit. Nam propter seipsum spiritus viuificat, ad cuius virtutem per coniunctionem caro conscendit: quomodo autem id fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus, sed silentio atq; firma fide id suscepimus. Spiritum autem filium quoq; à scripturis nominari, manifestum est. Scribit enim Ioannes de Christo: Hic est, qui venit per aquam & spiritum Iesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua & spiritu. Spūs enim est, qui testimoniū perhibet, quia spiritus est veritas. Ecce spiritus veritas nuncupatur, cum Christus apertè dicat: Ego sum veritas. Paulus quoq; inquit: Vos non estis in carne, sed in spiritu Dei: si quidem spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Si verò Christus in nobis, corpus quidem mortuum propter peccatū, spiritus autem vita propter iustitiā. Ecce rursus, cum spiritum Dei habitare in nobis dixerit, ipsum Christum in nobis esse affirmavit. Non enim separatur à filio spiritus eius, cuius substāialis est, quamuis propria hypostasi subsistere

GG iij stere

Esaiā 5

Numer. 11

Hebræ. 4

1. Corint. 8

Detrahit: non deorsum ad inferiorē dignitatē caro Dei verbum traxit.

Coloss. 2

Ioannis 4

2. Corin. 3

1. Corint. 3

1. Ioann. 5

Ioann. 14
Roma. 8

stere verè credatur. Idcirco indifferenter modò spiritum, modò seipsam nominat.

Caput XXV.



Ed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus credentes, & quis traditurus esset eum, & dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a patre meo.

Etiam hic videre aperte licet prophetica iam adimpleta verba: Audite audientes, & nolite intelligere; & videte visionem, & nolite cognoscere; ex cæcatur enim cor populi huiusmodi: aures eius aggravatae, oculi eius clausi, ne forte videant oculis suis, & auribus suis audiant, & corde suo intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Nam quum ipsius saluatoris doctrinam non à quoque sanctorum, sed ab eo ipso audirent, & oculis eum cernerent, dementia sua rudiores facti, & solem iustitiæ aspernati, oculis animi clausis illuminationem Evangelicam non receperunt: improbi enim homines erant, & innumeris penè delictis opprimebantur: propterea & cæcitas ex parte in Israel facta est, ut Paulus ait. Et quoniam divini ingenij est, posse Deum humana in forma latentem cognoscere, neminè aut ad idem perventurum, qui à Deo patre cognitionem non acceperit: nec id iniuria. Si enim omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens ex patre luminum: quomodo cognitio Christi, dextræ patris munus non erit? aut quò veritatis perceptio, summa gratiarum omnium non erit: suprema verò cum sit, deitatis solummodo est: quam non impuris, neque incredulis pater largitur. Nec enim in fordido vasculo preciosissima immittuntur unguenta. Idcirco propheta quoque Esaias mundari primò iubet eos, qui Christo per fidem volunt adherere, clamans: Quærite Deum, dum inveniri potest; inuocate ipsum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & conuertatur ad dominum, & miserebitur eius: quia multus est ad ignoscendum. Vides quò à peccatis, & à prævia iniquitatis via nos remouet, ut delictorum remissionem per fidem Christi consequi possimus. Iustificamur enim non ex operibus legis, sed gratia Christi, quæ de sursum nobis per misericordiam Dei concessa est. Sed dicit quispiam: Quid ergo prohibuit eadem misericordia Iudæorum quoque peccata fuisse dimissa, præsertim cum perfecte hoc pacto bonus videretur? quò etiam verum illud videbitur: Non veni vocare iustos, sed peccatores in penitentiam. Nos autem dicimus, solis & primis dominici gratiam Iudæis seruata fuisse. Missus enim fuit, ut ipse ait, ad solas perditas oves domus Israel. Recurrissent ergo facile, si voluissent, ad vitam æternam. Et certè, qui bonis moribus apud eos vivebant, quique veritatis amatores erant, gratia Dei opitulante, salutem per fidem adepti sunt. Arrogantes autem Pharisei, & duræ cervicis pontifices, seniores quoque populi, quibus Moysi & prophetarum scripturis docti fuissent, credere tamen noluerunt: sed malignis eorum consilijs indigni æterna vita cõperti, Dei patris illuminationem non receperunt. Cuius rei figura in Mosaicis libris legitur. Nam quemadmodum omnibus, qui Deo non crediderunt in deserto, repromissionis terra concessa non fuit: sic incredulis in Christo in regnum cœlorum, quod repromissionis terra figurabat, venire non datur: nec ideo iniustus est Deus iram suam istis referuans, imò ut natura iustus omnia rectè, ac suæ naturæ conuenienter determinat, quamuis dispensationis suæ viam nos ignoremus. Cognouit autem omnes Iesus fideles, simul atque incredulos, & ipsum impietatis ministrum. Nec mirum: omnia enim Deus vel antequam producantur, cognouit.

Caput XXVI.



X hoc multi discipulorum eius abierunt retro, & iam non ambulabant cum eo. Dura videntur insipientibus, quæ sapienter dicuntur: nam quemadmodum ægrotis oculis lux solaris officere solet, tenebro-

Esaiæ 6

Roma. 11

Iacobi 1

Esaiæ 55

Matth. 9

Matth. 15

Num. 14

Eccle. 23

A faverò loca prodesse videntur: sic ægrotantes animo perfectiorem aspernantur disciplinam, & plenam bonis orationem abiciunt: friuola verò ac inutilia, quasi plena iucunditatis amplectuntur. Hac igitur ratione Iudæi, quum magna eis mysteria Christus exponeret, & varia oratione cognitionem suam eis immittere vellet, & velum templi iam ita retraheret, ut interiustabernaculum reuelaret: tantam rem, tamque mirabilem doctrinam abominantur & respuunt, & in dementia suam delapsi, retro abeunt, neque cum ipso ambulant. Hoc enim profectò est retro abire: idcirco Hieremias ad contentiosam Hierusalē, quæ peruicaces homines nutrebat, dicit: Auersa es à me, dicit dominus, & retro abibis. Nam certè qui à bonis auertitur, hunc retro cadere necesse est: Deus autem est ipsum bonum. Abierunt igitur retro, neque cum saluatore miseri ambulant, ad aspera delictorum suorum itinera diuertentes. Huius quoque rei figuram apud Moysen habes. Nam posteaquam duram itinera peregerunt Iudæi, posteaquam vastas solitudines exierunt, posteaquam prope repromissionis terram iam erant, tunc Iosue cum quibusdam alijs explorata repromissionis terra, enarrabant populo. Alij quidem, quod gigantum filios ibi vidissent, cæteraque horrore plena, quibus audientes terrebant. Iosue autem solus summis regionem laudibus efferens, magno animo esse hortabatur, quoniam dominus facile illuc eos deducere posset. Sed qui tunc fuerunt Hebræi, lapidibus obruendum esse Iosue conclamabant: & quasi nihil posset Deus, qui eos dicebat, sedentes plorabant, ut scribitur. Ita incredulitate illorum dominus irritatus, ut indignos repromissionis terra priuauit: Iosue autem, in ira mea, si ingredientur in requiem meam. Retro enim redire iussit, dicens ad Moysen: Cõuertimini ad viam maris rubri. Nec id iniuria, quoniam enim ire quò vocabantur, noluerunt, redire meritò iubebantur. Quod igitur illi perpessi sunt, hoc & istis volentibus accidit. Nam quum æternæ sibi vitæ via proponeretur, qua in regnum cœlorum peruenire possent, incredulitate sua rem totam contempnunt, retro abeunt, & ambulare cum domino sua morositate recusant.

Hierem. 8

Num. 14

Psal. 94

Caput XXVII.



Ixit ergo Iesus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Non hortatur ut abeant, sed non absque detrimento id fore ostendit: & minatur commodè potius, nisi se meliores illis ostendant, retro casuros, nec se cum ambulaturos, sed in perditionem abituros. Non enim quicumque adorant, qui plurimi sunt, Deo accepti sunt: sed qui recta fide id faciunt, qui pauci sunt. Idcirco multos esse vocatos, paucos verò electos scriptura testatur. Non, inquit, etiam vos abire vultis: id est, si oratione nostra estis persuasi, si in fide indubitabili, quæ à me dicuntur, mysteria suscipitis, si nullam accusationem verbis meis adfertis, si more aliorum non dicitis, quomodo hic potest nobis carnem suam dare manducandam: libenter vos video, & vobiscum suauiter viuam, ac ut proprios amplectar amicos: si verò eadem, quæ illi, qui retro abierunt, cogitatis, non modò abire vos volo, verum etiam non iniuria compellam: seuerus enim sum aduersus incredulos, mitis verò erga fideles, si probitatem conferent. Non aliter etià ipsi abscinduntur, ut ait Paulus. Qui enim naturalibus ramis non pepercit, nec infertis parceret. Audiat hæc & attendat, qui ex dementia claudus est in fide. Nam nisi finem huius claudicationis voluerit facere, retro abibit, duce amisso, qui ad æternam vitam deducit, ad inferos hoc amente consilio delabatur, vbi est fletus & stridor dentium. Non, inquit, & vos abire vultis? Ne putentur duodecim discipuli Iudæorum imperitia detineri, aut cum illis murmurare, qui etsi quasi discipuli sequerentur, tamen Christi doctrinam, ut duram accusare non verebantur: vtilissimè interrogauit, an cum illis vellent abire: ut hac interrogatiuncula ad confessionem rectæ fidei prouocaret.

Matth. 20

Roma. 11

Matth. 8

Quòd

Quod tabernaculum & arca, quæ in eo erat, & candelabrum figura Christi erat: similiter etiam mensa & altaria tam incensi, quam holocausti.

Caput XXVIII.

Respondit ergo Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus: verba vitæ æternæ habes. Per unum, qui præerat, omnes respondent, sanctam profectò, sanctisq; congruentem disciplinam optimè conseruantes, & posterioribus prudentiæ atq; modestiæ laudabilia præbentes exempla. Decet enim non omnes confuse, nec profiliantes imprudenter, quasi rapta uti oratione: sed cedere ijs, qui & consilio & ordine præpositi sunt. Propterea Paulus quoq; ait: Prophetæ duo aut tres, & vicissim loquentur. Opus igitur erat diuinitus comprobata prudentiæ, soli responsionem committere illi, qui ordine maior erat. Ad quæ igitur ibimus, inquit, id est, quis nos docere similia poterit: vel, apud quem meliora inueniemus: quum tu non dura, vt illi dicunt, verba, sed æternæ vitæ habeas, id est, quæ conducere credentes possunt ad vitam incorruptibilem. Hinc etiam discimus, vnum solum modo Christum sequendum esse magistrum, illi soli inhærendum, qui ad vitam æternam deducere potest. Sic enim in primogenitorum Ecclesiam ingressi, vitima beatitudine perfruemur. Quod autem solus Christus sequendus sit, quodq; hinc solum modo salus habeatur, quàmuis ipsa rerum natura pateat, non erit tamen abs re, prisca etiam scriptura id confirmare. Quum Aegyptum fugientes, ad repromissionis Hebræi terram festinarent, non quocumque volebant, ne confusione absq; dūce progredientes errarent, ire iubentur. Sic enim in Numeris scribitur: Quæ igitur die erectum est tabernaculum, operuit illud nubes: à vespere autem super tentorium erat quasi species ignis vsque mane: sic fiebat iugiter, per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis. Quumque præcederet nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filij Israel, & in loco vbi stetit nubes, ibi castrametabantur. Ad imperium domini proficiscebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum. Vides quomodo castrametari nube stante, & abeunte sequi eam iubentur: Salutare nanque valde est, ducenti semper obtemperare. Quare tunc populus Israel, nunc autem nos Christo conglutinari iubemur. Ipse enim est & tabernaculum, & nubes, & ignis: quod vt omnibus pateat, totam ad spiritalius historiam traducamus. Quando igitur sapientia dominum sibi (vt Salomon dicit) ædificauit, & verius sibi tabernaculum templum illud constituit, quod à virgine assumpsit, in quod inefabiliter ex sinu patris descendit, factus homo: tunc iam illuminatis, & iuxta Paulum in die ambulantis nubes factus, æstum peccatorum extinguit. Errantibus verò adhuc, & quasi nocturnis in tenebris degentibus illuminans ignis constitutus, in ardorem spiritus eos transformat: feruere namq; spiritu bonos atq; fideles credimus: nec aliud, quàm quod diximus, nubes in die super tabernaculum, ignis verò in nocte visam speciem significasse putamus. Stare autem & sequi ad nubes motum & statum iubebantur, vt illud intelligas, quod à Christo dictum est: Qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, ibi sit & minister meus. Fixum enim esse ac indiuisibiliter hæere Christo fidelem oportet, quod ex ambulandi cum eo voluntate ac opere significatur. Non enim corporis itinere id intelligitur, sed virtute atque animo perficitur: vnde sapientissimi discipuli, quoniã toto animo infixi Christo erant, et retro cum incredulis abire perniciosum arbitrabantur, ad quem, inquit, abire possumus: id est, tecum semper erimus, tua mandata sequemur, sermonem tuum audiemus, nec vt imperiti accusantes, dura verba tua putamus, sed illud potius dicimus: Quæ dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Sed propositi quidem loci huiusmodi sensus est. Quod autem tabernaculum in figura Christi prisca tributum fuerat, optimè cognoscimus, si attentiùs, quæ ad Mosen diuinitus

verba

A verba dicuntur, examinabimus, nec digressio nobis timenda est: non enim oportet exactam in scripturis diligentiam accusantes formidare, sed scripturæ verba primò ponamus. Loquutus est, inquit, dominus ad Mosen, dicens: Mense primo in neomenia mensis vno die eriges tabernaculum. Quamobrem vnuerfi dominus in vno die, nec in pluribus, & in neomenia, non cuiusuis mensis, sed primi, tabernaculum erigere Mose iussit: Omnia enim hæc non absq; causa dicuntur, cum nihil temerè dictum in scriptura inueniatur. Dicimus igitur tabernaculum illud, quod tunc erigebatur, sanctissimum Christi corpus, & (vt ita dicam) totius carnis eius soliditatem, in qua plenitudo deitatis corporaliter habitauit, significasse. Vno verò igitur die, vt per hunc diem tempus intelligas, in quo carnem assumpsit. Neomenia verò nihil aliud denotat, q̄ saluatoris aduentum, quo renouamur, quo transactis iam prisca omnia noua facta videmus. Nouum enim verè tempus in Christo nobis apparuit, antiquitatem cultu iam terminans, & in nouam vitam Evangelica doctrina reformans, & peccatis inueteratos in iuuentam iustitiæ redigens, & corruptionis vires destruens, ac incorruptibilitatis fulgore omnes, qui ad eum concurrunt, mirum in modum exornans: noua enim creatura efficitur, quisquis in Christo est, vt scribitur. Mense autem primo tabernaculum erectum est, quando mitigata hyemis sæuitia, verni temporis pulchritudo resplendet: quãdo solis radij & ciarius fulgent, & temperantius calefaciunt, quando floribus terra decoratur, & vir escētibus herbis prata vestiuntur, quæ omnia spiritaliter intelligenda sunt. Hyemis em̄ tempestas, id est, atrocissima diaboli tyrannis & vires eius, tempore Christi ceciderunt. Sol autem nobis fulgentior Christus ipse apparuit, de quo Deus pater dicit: Et oriatur vobis sol iustitiæ. Delictorum frigiditate corruptos, spiritus ardore ad iustitiam reficiens. Flores autem & virentes herbas, meritò sanctos dicemus, feruenti erga Deum pietate varios virtutis fructus ædentes. Et qui olim regnante peccato, vt in hyeme nullum producentes fructum versabamur, fidei fructum, spirituū largitori quasi bono agricolæ adferimus. Hoc ipsum quasi ex persona Christi prophetarum quidam nos docuit: ipse, qui loquor, adsum, inquit, vt ver super montes. Quid enim in montibus ver efficiat, & nos tetigimus, & omnes intelligunt. In vno igitur die tabernaculum (quod Christi figura erat) erigere Moses iussus fuit, vt intelligas semel Christum præsentem hoc tempore mortuum fuisse, nec amplius moriturum. Nam semel homo factus, semelq; mortuus, semel etiam surrexit. Sequitur enim post mortem resurrectio, quæ corporis rursum cū anima coniunctio est. Neomenia verò, quia nouum in Christo seculum est, quia noua creatura in eo. Primus autem mensis, à morte ad vitam, ab interitu ad corruptionem, à sterilitate ad virtutis fertilem usum, humanæ naturæ reditum atq; transgressionem denotabat. Alio deinde modo Christum nobis figurauit, dicens: Et pones in eo arcam testamenti, & teges eam velo. In superioribus totus nobis Christus integritate tabernaculi notabatur. Aedes enim Dei est sanctissimum Christi corpus, in quo propter nos habitare voluit. In his verò per arcam, quæ in tabernaculo erat, idem rursus nobis quasi per partes ostenditur. Constituta enim fuit ex lignis, quæ putredinē non patiuntur, vt incorruptibile corpus Christi esse perdiscas. Auro etiam puro intra & extra fuit deaurata: quia preciosa, regaliq; omnia in ipso sunt, non solū quæ deitati, verum etiam quæ humanitati eius attribuuntur. In omnibus enim primus est (vt ait Paulus) & aurū honoris atq; præstantiæ loco super omnes accipitur. Hoc modo constituta deaurataq; arca diuinam legem in ea repositam continebat. Quæ quoniam verbum Dei est non subsistens, sed mandatum, Dei verbum subsistenti carni coniunctum significabat: velo autem tabernaculū tegitur, quia in carne Deus latebat, & quasi velamine corporis tectus ignorabatur. Vnde multi deitatis potestatem, quæ in ipso miraculis fulgebat, percipere propter carnem nolētem: modo criminabantur, quia Deum se faceret, quum esset homo: modò sine rubore clamabant Non-

Ioannis 6 Nonne hic est filius Ioseph, cuius noscimus patrem & matrem; quomodo nunc dicit, quia de caelo descendit? Eo igitur velo, quo tabernaculum tegebatur, non cognitum iri à pluribus Iudæorum Iesus denotabatur. Præcedebat autem populum suum in deserto, quia ipsius Dei locum tenebat, qui populū suum (vt Psalmista quoque testatur) solus ducebat; Deus cum egredieris in conspectu populi tui, quum pertransires in deserto, terra mota est; etenim cæli distillauerunt. Vides Christi figurā fuisse arcam. Quum enim arca præcederet, Deus præcessisse aperte dicitur, quod indeliquidius demonstratur. Nam quum per Moysen Deus in montem Seir, ad expugnandum Amorrhæum Iudæos ascendere iuberet; tūc illi timore percussi, nec Dei virtutem, sed vires suas considerantes, sedebant in radicibus montis plorantes, vt scribitur. Moyses autem irritatus, non deducturum se illos in repromissionis terram minitabatur. Ita commoti aptis armis absque iussu ductoris ascendebāt, Deus verò per Moysen futurum euentum cecinit: Non ascendatis, ne cadatis in conspectu hostium nostrorum, non sum enim vobiscum. At illi ex inobedientia non attendentes, ascendebant, arca verò non ascendit cum eis, sed stetit fixa in castris. Audisti dicentem, non sum vobiscum, vides non conscendisse cum illis arcam; nonne igitur clarè hic intelligis dicentis Dei locum eam tenuisse? Per Hiericho etiam sacerdotum manu circumducta, non machinis, nec arietibus, aut vineis, sed tubarū clangore alta deiecit moenia. Ipse namque Christus per sanctos viros modò vbiq; circumductos, non armis aut machinis, sed buccinarum clangore, sed Evangelica apostolicaque doctrina vnuerfas diaboli vires euertit, cum omnium penè gentiū consensus fide dominum suum suscipiat. Quod & in glorificationibus in Ecclesia publice fieri videmus, pontificali buccina responsionem populi præcedente. Pontificis enim vocem quasi buccinā quandam intelligimus, & hoc pacto aduersarios fundimus atque fugamus. Non enim corporea sunt arma nostra (vt ait Paulus) sed spiritalia, & diuinæ virtutis plena. Quod aut per sanctos viros circumuehatur Christus, tū Habacuc propheta docet, dicens: Qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio. Tum maximè ipse saluator de Paulo ad Ananiam dicens: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram omnibus gentibus. Ad hæc, Exodi 40 allata, inquit, mensa pones super eam, quæ ritè præcepta sunt; candelabrū stabit cum lucernis suis. Quibus ambobus Christus significatur. Christus enim mensa est, in qua panes depositi sunt, quibus oēs participatione corporis sui ad vitam æternā aluntur. Ego enim, ait, sum panis, qui descendi de caelo, & vitam æternā do mundo. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternū. Et panis, quē ego dabo, caro mea est, quā ego dabo pro mundi vita. Mensæ igitur propositio, id est panes, sanctissimum Christi corpus (quo ad vitam æternam oēs aluntur) prorsus significat. Verū quoniam Dauid cum suis, cum esurirent, propositionis panes comedisse scribuntur, videamus quid hac ex re mysticum notabatur. Non licebat de panibus propositionis, nisi sacerdoti comedere: quod tamen Dauid & sui, quāuis ex tribu sacerdotali non essent, esurientes fecerunt. Figurabatur igitur hinc gentium fides, & Hebræorum ex parte. Iudæis enim & viris sacris propter maiores suos & legē Christi debebatur: sed multitudo gentium, quāuis prophana idolorum cultu fuisset, cucurrit tamē ad panem vitæ: Dauid etiam rege præsentē, ac locum eorum per figuram tenente, qui ex Israel ad salutem venerunt, quos Esaias appellat reliquias. Multi enim etiam ex Iudæis Christo crediderunt. Candelabrum etiā vnuersum terrarum orbem illuminans, Christus est. Ego, inquit, sum lux mundi. Septem verò lucernæ in candelabro sunt, quia multis ac varijs modis per gratias sancti spiritus credentium animas Christus illuminat: quæ omnia ex auro fiunt purissimo, quā nihil (vt diximus) preciosius Christo. Solidum verò hastile fit, quoniam nihil cōcauum, nihil leue in Christo est. Lilia etiam fiunt propter sanctificationis odorem. Ego, inquit, sum flos prati, & lilium vallis. Duos autem ramos in candelabro videt Zacha-

A Zacharias propheta dicit: vt duorum intelligas populorum Deum misertum fuisse, quos & filios appellauit. Vnde clarè patet Christum candelabro figuratum fuisse, qui obedientia & fide Iudæorum, gentiumque populos assistere sibi fecit. Multifariam deinceps Christum scriptura significauit, dicens: Et pones altare aureum, in quo adoleatur incensum coram arca testimonij. Tentorium in introitu tabernaculi pones, & ante illud altare holocausti: & circumpones tabernaculum, & sanctificabis omnia. Considera quā diligenter vtrisque altaribus Christus nobis describitur. Coram enim arca aureum altare, in quo incensum adolebatur, positum erat: et in introitu tabernaculi tentorium extēdebat, ne quid de interioribus vulgo cerneretur: holocausti verò altare iuxta portas tabernaculi extratentorium constitutum erat. Ita per altare quidem incensi, vt suauitatis odor ascendisse ad Deum patrem intelligitur: per holocausti verò altare, vt hostia pro nobis ad cædem acta. Candelabrum verò primū, quia occulta atque recondita est gloria Christi. Alterum autem vulgo patebat, quia mors eius omnibus patet. Sed coram etiam arca altare aureū erat constitutum, vt in conspectu Dei patris miram ad modum atque preciosam filij gloriam esse ænigmaticè subostenderet, iuxta illud: Nullus cognoscit filium, nisi pater. In introitu verò tabernaculi altare holocausti stabat, quod mortem Christi, quam pro omnibus tulit, significabat, vt diximus: vt intelligamus nullo nos posse modo ad Deum patrem accedere, nisi per sacrificiū Christi. Ego, inquit, sum porta, & nemo ad patrem accedit, nisi per me. Tendebatur autem tabernaculum, omniaque continebat, vt vnū omnia, non multa esse viderentur. Vnus enim, quāuis multifariam in nobis intelligatur, Christus est, tabernaculum quidem, propter carnis tegmentum. Arca verò legem habens reconditam, vt Dei patris verbum. Mensa, vt cibus & vita. Candelabrum, vt lux spiritalis. Altare incensi, vt odor suauitatis in sanctificatione. Altare holocausti, vt hostia pro totius mundi vita ad crucē acta. Omnia verò hæc sanctificantur: quia quocumque modo Christū intelligas, totus sanctus est. Tabernaculo igitur præcedente Hebræi sequebantur, stante castrametabantur: vt nos discamus nullum aliū datum nobis esse ducem ad salutem, quā verbum Dei hominē factum. Et hoc modo conemur sua seruantes præcepta, vitam æternam consequi: quod illi nō fecerunt, qui doctrinā Christi spernentes, retro abierunt, & non ambulabant cum eo. Petrus autē, & omnes duodecim rectè vt sancti videbant, non posse aliunde se vitam acquirere, quā à Christo, ideo illi firmiter inhærebāt.

Caput XXIX.



T nos credimus, et cognoscimus, quia tu es Christus filius Dei. Mirabilis fuit apostolorum fides, feruentissimus iste confessionis modus, eximia & singularis prudentia: non enim vt rudes retrò abierunt, nec vt leues absque re aliqua inducti sunt ad credendum: sed multis signis facti certiores, quod verborum vitæ plenus esset Christus, quia cœlestem prædicaret doctrinam, verè crediderunt. Sanè quando non ita firmata est fides, quoniam radicem non habet, citò ex animo solet euolare, semini illi similis, quod in lapidē cecidit, & quia radices iacere non potuit, facilè fuit exiccatum. Lapidem enim hic ænigmaticè, duram mentem, quam Dei doctrina vsque ad interiora non penetrat, appellauit: qualem & habuerunt & habent Iudæi, ac ideo per Prophetam eis dicitur: Dirumpite corda vestra, & non vestimenta vestra. Nam quemadmodum aratro profcindendos esse agros prius agriculturæ legibus docemur, quā semina eis credantur: sic arbitror anteq̄ fides nobis credatur, corda nostra desiderio eius comminuenda sunt. Cognouisse igitur firmiter discipuli dicunt, quia ipse sit Christus filius Dei. Sapienter verò nimium & credere & cognoscere ad viuum hæc duo verba conducenter dixerunt. Non enim quia credimus, rationem omnino contēnimus: sed conamur potius aliquā, vt in speculo & ænigmaticè cognitionē habere. Opti-

Esaiæ 7

Esaiæ 28

Ioannis 1

mè autem fidem cognitioni præposuerunt. Præcedit namq; fides, cognitio sequitur, iuxta illud: Si non credideritis, non intelligetis. Nisi enim absq; vlla dubitatione fidei ieceris fundamenta, nõ poteris paulatim cognitionem, quæ in Christo est, superædificare, ac ita in virum spiritalem euadere. Ecce, inquit, ego immittam in fundamentis Sion lapidem erectum, angularē ac preciosum. Initium enim & fundamentum in sanctificationem atq; iustitiam Christus est, per fidem scilicet, & non aliter: hoc enim modo in nobis habitat. Illud etiã diligenter considera, quòd vbiq; præcipuè cum præpositione articuli: Tu es ipse Christus, dicunt, ipse Dei viui filius, ab alijs filijs Dei, qui vocati per gratiam adoptati sunt, verè ac naturaliter filium separantes, cui nos coniuncti per similitudinem filij dicimur. Christum aut̃ ipsum dicunt, quia vnus & idem est Christus, & filius Dei. Christum verò non idcirco vocatur, quia substãtialiter idem sit Christus & filius Dei: sed vnus quidem Christus præcipuo quodam est modo. Nemo enim est Christus vt ipse, Christus autem similitudine nostra nuncupatur. Nam quum propriè ac singulariter tam nomine, q̃ re verè Dei filius sit, commune sibi nobiscum Christi nomē est. Vnctus enim est, in quantum homo est, & idcirco Christus est, quoniam ergo vngi humano generi attribuitur, similitudine (vt diximus) nostra, non vt filius Dei Christus esse intelligitur, vnus tamen est singulariter atq; præcipuè, & ante carnē, & post carnē Christus: non duo, vt nonnulli adserunt, mysterij profunditatem ignorantes. Non enim vt in hominem quendam (sicut in prophetas gratia spiritus) verbum Dei descendit: sed verè caro, id est, homo factum est, vt scribitur. Non ergo in duas post incarnationem personas scinditur, quàmuis aliud secūdam naturam esse verbum Dei, & aliud humanitatem eius omnino credendum est. Hanc enim fidem ipsi nos apostoli docent, qui cognouisse aiunt ipsum esse Christum filium Dei. Quare quialiter dicere audent, suscipiendi non sunt.

Caput XXX.

Respondit eis Iesus: Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Dicebat autem de Iuda Simonis Iscariota. Hic enim traditurus erat eum, quum esset vnus ex duodecim.

Actioribus eos confirmat verbis, diligentioresq; facit, periculo ante oculos posito. Sic enim dicere videtur: Magna vobis ò discipuli vigilantia, magnoq; studio ad salutem opus est. Lubrica enim admodum perditionis est via: non imbecillam solummodo distrahens mentem, verum etiam firmos nonnunquam animos voluptate decipiens: quòd autem ita sit, non eorum, qui retro abierunt, sed vestri exemplo confirmatur. Ego enim vos, vt bonos, elegi, non ignorabam, sed cognoscebam vt Deus corda vestra sed rapuit vnus vestrum avaritia deceptum diabolus. Liberum enim homo animal est, & potest, siue dextrum, siue sinistrum velit, iter (virtutē dico aut vitium) eligere. Vigilantiores ergo facit oēs, quia qui straditurus sit, clarè non dicit: sed vni generaliter tantæ impietatis onus imminere affirmans, sollicitos omnes reddit, & horrore ad maiorem vigilantiam erigit. Illud etiam ad hoc facit: nam cū illi credere atq; cognoscere filium Dei esse illum adseruerint, hanc confessionem suam prædictione futurorum veram esse demonstrat. Vnus enim solummodo Deus futura nouit. Diabolum verò diaboli ministrum appellauit. Nam sicut qui domino coniungitur, vnus cum eo spiritus est: sic contra quoq; fieri non est negandum.

Caput XXXI.

Caput Ioannis VII.

Ost hęc ambulabat Iesus in Galilæam. Non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudei interficere. Post hęc, inquit, quæ facta dictaq; sunt (vt in superioribus patuit) ambulabat. i. cõuersabatur in Galilæa; quod nõ vltro nec libenter, sed necessariò factū, adie-

A adiecta causa ostendit. Idcirco enim, inquit, in Galilæa cum alienigenis longo tempore fuit, quia Iudæi quærebant ipsum, vt interficerent. Magna profectò hęc recursus Iudæorum accusatio est, quorum crudelitate fiebat, vt apud alienigenas degeret. Quod futurum Hieremias prædixit: Dereliqui enim, inquit, domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi animam meam dilectam in manus inimicorum eius. Gentes enim, quoniam creatore neglecto creaturas colebant, inimici Dei erant. Qui enim, inquit, mecum non est, contra me est. Ante verò Christi tempora Deum verum gentes ignorasse, nemo vnquam dubitabit. Erant ergo contra Deum, & in inimicorum loco constitutæ. Magna igitur illorum fuit crudelitas, qua fiebat vt conuersarum inimicis, q̃ cum suis viuere mallet, qui saltem, quoniã carne coniunctus secum erat, diligere ipsum debebant. Iure igitur ad gentes se postea transtulit, quod se facturum iam re ipsa minabatur, magna quasi voce clamans, nisi persequendi finem faciant, omnino se ad gentes abiturum. Quod aut̃ modò re ipsa minari videtur, id priscis tēporibus figura quadã subostēdebat, occultè per ænigmata relicturū se Hierusalem significans. Nam quando de sacrificijs leges ferebat, vt in Leuitico scribitur, vitulum dño munus in figura Christi ad holocaustū primò iussit offerri. Deinde, si verò de pecoribus oblatio est, inquit, de agnis & hœdis ad holocaustum masculum, & absq; macula offeret, ponetq; manus super caput hostiæ, & immolabit ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem coram dño. His verbis ad gentes mysterium Christi translatum iri significabatur: quod facillè patebit, si templi situm prius atq; altaris dispositionem declarabimus. Sic enim apertū fiet, quid sibi voluerit, quòd non rectè, sed ad latus atq; aquilonem oblatum pecus respiceret. Iudæorum igitur regio in australibus sita partibus est; templum autem, quod Hierosolymis fuit, orientem ita respiciebat, vt orientis solis radios statim admitteret. Altare quoq; ipsum rectè ingredienti faciem offerebat; vnde alterum latus ad aquilonem, alterum ad austrum respiciebat. Hęc non alio modo se habuisse, spiritali Ezechielis visione comprobantur. Et videbam, inquit, & ecce vnigeniti quinq; viri, quorum terga ad domini templum, & isti adorabant orientem solem. Nempe qui orientem solem adorant, faciem adorant: faciem ad ortum vertit, cuius terga si facies templi respicit, necesse est faciem & portas templi ad orientem solem respicere. Hoc positionis modo altare quoq; constitutum erat: quare tã templi, q̃ altaris facies ad ortum, latera verò alterum ad austrum, alterum ad aquilonem, posterior pars ad occasum respiciebat. Hęc cum ita se habuerint, Galilæa, id est, gentium regio (ita enim de ipsa scribitur) ab aquilone Iudææ coniungitur. Quoniam igitur post passionem saluator noster à Iudæa in Galilæam, id est, ad Ecclesiam gentium transiturus erat, idcirco in latere altaris, quod aquilonem & Galilæam respiciebat, immolabatur. Quod etiam Psalmista cecinit: Oculi enim eius, inquit, ad gentes respiciunt. Declinabat igitur Iudæam dominus, non quasi formidolosus, sed quoniam congruum crucis tempus non aderat.

Caput XXXII.

Ratautem in proximo dies festus Iudæorum scenophegia. Disserunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ tu facis. Nemo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipse palam esse. Si hęc facis, manifesta te mundo: neq; enim fratres eius credebant in eum. Nondum verbum Dei, qui saluatoris fratres putabantur, inhabitare in eo cognoscentes, communi opinione ferebantur, putantes à Ioseph ipsum natum fuisse. Miracula verò videntes occultitus ab eo in Galilæa fieri, ad inanem gloriam hortantur: quasi ad hoc ille signa faceret, vt laudem ab hominibus consequeretur. Ascendere autem in Iudæam ei cõsultant,

HH ij lunt,

lunt, ac ibi signa facere: non ut credant in eum discipuli eius, sed ut miraculosa opera videant: nam si vis cognosci, dicunt, noli hæc clam facere, sed in Iudæa ut plures in regione frequenti discipulos facias. Addidit autem necessarium, nondum etiam illos in Iesum credidisse, ne tam friuola deiectione verba credentes dicere viderentur: postquam tamen crediderunt, ad pietatis conscenderunt, ut intra apostolos numerati sint. Hoc ipsum Hieremias sermone ad Christum verso, sic prædixit: Fratres, inquit, etiam tui, & domus patris tui spreuerunt te, & ipsi clamauerunt post te: Noli credere, quia loquentur ad te bona. Qui enim, antequam firmiter crederent, ita leuiter sequebantur, quasi aduersus eum clamantes, congregati postea per fidem ad ipsum, benè de ipso loquuti sunt, salutare cæteris Euangelium prædicantes. Diuinitus autem, quum fratres Propheta dixerit, statim subicit: Et domus patris tui ne filij virginis fratres eius putarentur.

Caput XXXIII.

Hiere. 12

Hic videtur velle filios fuisse Ioseph.

Ecclesi 30

Dixit eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Latet ut plurimum sensus sermonis eius, scriptum est enim, quod erit homo occultans sermones eius, quod ad utilitatem audientium factum fuisse nemo non insanus negabit. Nondum igitur, inquit, palam faciendi omnia tempus adest. Quum Iudæorum animus sine ira doctrinam meam ferre aut pati nequeat: nec etiam tempus adest, ut gentibus hæc omnino tradantur, quum nondum penitus à gratia Iudæi resilierint. Mea igitur, inquit, manifestationis tempus nondum adest, vestrum autem adest, paratumque est: nihil enim prohibet, ne ad meliora possitis accedere. Præterea, quæcunque maiori dispensationi res subiacent, non omni tempore commodè aguntur, quales Christi res erant: res autem eorum, qui maiora negligunt, & humiliora sequuntur, quouis tempore suscipi possunt. Quas ob res, meum quidem nondum, vestrum autem tempus semper paratum est.

Caput XXXIII.

Amos 5

Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt. Commodè his verbis & illo terrestribus rebus non nihil adhuc inhiantes arguit, & alteram artificiosissimè adfert responsionem: quia ostendit adhuc eos ignorare, quis ipse sit, ac ideo longè ab eo disiectos esse, ut qui huius mundi magis, quàm virtutis vitam admirantur. Fuit autem saluatori nostro consuetudo, parua causa data, multa utiliter audientibus dicere. Semper igitur, inquit, simile sibi quisque amare solet, & morum similitudo mirificè ad amorem conglutinat. Videtis quia mundus non odit vos, sentitis enim ut ipse me autem odit, quia perperam operantem accuso: quare vos absque periculo in solennitatem istam proficisci potestis, ego autem minime. Loquar enim omnino, si venero, quæ illi conducunt. Sed veritas odium parit, & iram voluptuosi animi incendit, quum nolit delitiosam vitam contemnere. Hinc discimus, non inconsideratè arguendum esse, neque coram hominibus increpandum. Non argue, inquit, malos, ne te odio habeant. Non enim absque detrimento esse odium potest: quare dicendum potius est ad audiendum aures: pronus enim ad peccandum mundus est, peccata verò redargutione relinquuntur, quorum vel nominatio sola, redargutio quædam est. Nam qui prauitatem ipsam vituperat, illos reprehendere videtur, qui prauitatem ipsam vituperat, illos rector vocatur, quum aliter curatio haberi posse non videatur, tunc quia molestè fert, qui redarguitur, multa ex odio mala nascuntur. Propterea Christus ait odio se haberi à mundo: quia mundus monitionem, quæ increpationis aliquid semper habet, ferre non potest. Animus enim voluptati deditus, grauiter fert, si à voluptate reuo-

Aretocatur. Hæc dixit saluator, non quia nullo se modo in solennitatem ascensurum ostendere velit, nec quia ab utili redargutione animum remouerit, sed quia opportuno tempore cuncta erat factururus. Simile quid etiam discipulis dicit. Cum enim eos consolaretur propter futuras aduersus eos in prædicatione veritatis tentationes: Si è mundo, inquit, fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: quoniam verò de mundo non estis, propterea mundus vos odit. Mundum verò in his omnibus non visibiles creaturas appellat, sed eos, qui res caducas atque instabiles toto animo amplectuntur, qui virtutis amicos quasi hostes oderunt. Diligunt autem omnes, qui cum simili turpitudine teneantur, virtutis inimici sunt.

Ioannis 15

Caput XXXV.



Vos ascendite ad diem festum: ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia tempus meum nondum impletum est. Apertissimè modò nolle se vnà cum Iudæis festum agere diem, & umbras cum illis sequi dominus affirmat. Nam quod ad paucos & fratres dictum est, ad totum genus Hebræorum pertransit. Non enim societatem fratrum spreuit, quippe qui cum eis in Galilæa versabatur: nec dubito, quin propter opinionem cognationis etiam coniuueret. Sed per fratres, totum Iudæorum genus intelligit: quibus quum solennem, festumque diem per umbras negat se celebraturum, ut prophetica quoque voce prædixit: Odi ac repuli festiuitates vestras: & si obtuleritis mihi holocausta & sacrificia, non accipiam. Remoue à me sonum cantuum tuorum, & psalmos organorum tuorum non audiam: spiritus enim Deus est, & adorantes eum, in spiritu & veritate adorare oportet. Spiritus ergo Deus quum sit, spiritali honore gaudet. Legales etiam bouum atque pecudum cædes, thuris, similia, vini, oleique oblationes, varios spiritalis virtutis numeros figuratè significabant. Vos igitur, inquit, qui umbris adhuc inhæretis, qui Iudæicè affecti estis, ascendite in hunc festum diem per umbras celebraturi. Ego verò, cui umbræ iam cordi non sunt, non ascendo: quia per figuras celebrare iucundum non est. Expecto autem veræ solennitatis tempus, quod nondum impletum est. Tunc enim in splendore sanctorum cum eis conuiuiam in gloria patris, quæ super omnia fulget. Suum verò tempus appellat: sua enim solennitas est, ipse magister eius est, ipsi prophetica voce attribuitur. Dicit enim ad impios & malè viuentes diuinus ille Oseas: Quid facietis in die solennitatis domini, & in die festo eius: id est, quomodo qui labores virtutis aspernati estis, & Dei charitatem neglexistis, ad cœlestem solennitatem ingredi poteritis: aut quomodo cœnæ illius dominus atque magister non eiiciet vos, dicens: Quomodo intrastis huc absque veste nuptiali: Cognata his Zacharias quoque propheta scripsit: Omnes, inquit, qui de vniuersis gentibus reliqui fuerint, quæ venerunt contra Hierusalem, ascendent de anno in annum, ut adorent regem dominum exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum. Ascensuros enim residuos ait, & ad adorationem magni regis, & ad diem festum scenophegiæ. Nam quamuis multi per gratiam vocati sunt, pauci tamen ad modum in supernam Hierusalem ascendent: pauci enim electi sunt, ut ait saluator. Adorabunt autem non angeli, sed spiritali adoratione, verè scenophegiæ diem festum agentes, & illud summa cum iucunditate canentes: Benedictus dominus, qui exaudiuit vocem deprecationis meæ: in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum, & refluuit caro mea. Refloreat enim rursus atque reuiuet, neque id absque Christo: ipse enim nobis resurrectionis initium, & verè scenophegiæ ianua factus est, quod certè prophetica voce sic dicitur: Et erigam tabernaculum Dauid, quod cecidit. Tabernaculum enim, caroque Christi à sanguine Dauid sumpta, prima ad immortalitatem virtute Dei patris excitata est, ut etiam per quendam apostolorum dicitur: Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis, quem Deus suscitauit, solutis doloribus infer-

Esaiæ 1

Ioannis 4

Osee 9

Matth. 22
Zacha. 14

Matth. 20

Psalms. 27

Amos 9

Actor. 2

ni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. & rursus: Hunc Iesum suscitavit Deus, cuius omnes nos testes sumus. Quod autem scriptura soleat humanitatem Christi, quæ à semine David sumpta fuit, David appellare, omnibus patere arbitror.

Caput XXXVI.

Hæc quum dixisset ipse, mansit in Galilæa: ut autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto. Diu manet in Galilæa, longius à regione Iudæorum remotus: ut quàmuis propter errorem idolorum imperitissima gentilitas esset, nobilior tamen Iudæis cōversatione Christi efficiatur. Licet hinc (ut diximus) etiam ostendatur, meritò se gentes diligere, & Hebræos odisse. Quomodo enim, qui omnia novit, antequàm producantur, Ecclesiam gentium, quæ sic facillè fidem amplexura erat, non amasset, & ingratos Iudæos aspernatus non esset: præsertim quum illius pulchritudinem vel ante adventus tempora concupisse scribatur, hæc verò, Iudæorum dico synagogam, fornicatricem, & adulteram, & duræ cervicis appellet. Audi fornicatrix, Ezechiel inquit, domini verbum. Hieremias autem ut adulteram accusat, clamans: Sicut spernit mulier cohabitantem suam, sic me spernit domus Israel, dicit dominus. Hæc igitur veluti Deus præsciens, & pulchritudinem gentilis Ecclesiæ iam prospiciens, & Iudæorū peruersos nō ignorans mores, illam sicuti sponsam amplectitur, & hanc quasi adulteram odit, utrumque tamē temporī opportuno reseruat. Nam nec omnino synagogam ante crucem eiecit: nec Galilææ, id est, gentibus omnino se dedit, antequàm illam eiecerit. Quamquā igitur dixerit non ascensurum se in illum diem festum, quoniam tempus suum nondum impletum erat, fratribusque permiserit, ut si vellent, ascenderent: ascendit tamē post eos, nec aliter dixit, nec aliter fecit. Quomodo enim, cuius in ore mendacium inuentum non est: sed non ascendit festum diem acturus, sed admoniturus potius, & ad vitam æternam doctrina illos sua reuocaturus. Nam quod iste suorum sensus verborum sit, inde apertissimè patet: quia non ascendit simul cum fratribus, sed latentius, illis omnino dissimilis, qui ad festum diem hilari animo pergebant. Quando autē ad salutare ibat passionem, tunc non occultè, sed pullo inuectus a sinæ, in figura populi noui, magna adolescentulorum multitudine præcedente, per quos venturi populi multitudo significabatur, ascendebat. Clamabant autem, qui præcedebant: Benedictus qui venit in nomine domini. Hos anna in excelsis. Quoniam ergo latenter ascendit, non ad diem festum, sed ad docendum se Hierosolymam petiisse ostendit: nondum enim (ut diximus) Hebræos omnino reliquit. Dixisse verò ipsum, quod non ascendet, & tamen ascendisse, in libro Exodi priscis temporibus figura significatum inuenies. Nam quum Moses in cacumine montis diutius moraretur, legem à Deo expectans, quumque vitulum (Dei pietate neglecta) Hebræi colerent, nequitia hominum irritatus, perdere genus eorum minatus fuit. Et tandem dixit ad Moysen: Vade, & ascende hinc tu & populus tuus, quem eduxisti de terra Aegypti, ad terram, quam iuravi Abraham, dicens: Semini tuo dabo ipsam, et mittam ante faciem tuam angelum meum. Respondit Moyses: nisi tu nobiscum venias, non educes me hinc. Et quomodo cognosci poterit inuenisse me ac populum tuum apud te gratiam, nisi nobiscum veneris? Tunc dicit dominus ad Moysen: Et hoc verbum, quod dixisti, faciam: inuenisti enim gratiam apud me. Vides prius dictum esse à Deo, propter populi peccatum non ascensurum se cum illis, sed angelum quendam missurum: postea verò propter Moysen & patrum memoriam venia data, cum illis seipsum præsentem fore promittit. Similiter igitur etiam hic, quum propter incredulitatem Iudæorum iterum se negauerit, tamen propter sanctos paucos & sollicitationes suas ascendit non

Eccle. 23
Ezech. 16
Hierem. 3

Esaiæ 53

Matth. 21

Exodi 23

Exodi 33

non ut ad festum diem, sed ut ad salutare illis doctrinam proponeret: nec angelo ad hoc ministerium vitur, sed ipse salutaris doctrinæ minister sit.

Caput XXXVII.

Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille? Quærent Iudæi Iesum, non ut credant in eum, obtulisset enim hoc modo se illis, ut scribitur: Apparui non quærentibus me, inuentus sum à non inuestigantibus me, sed ex multa vanitate animi in gentium mores delapsi, diuinæ gratiæ splendore non illuminabantur. Sapientes enim gentium, longos reuolutes sermones, & araneorum telas texentes, quod verè bonum aut iustum secundū naturam est, diligenter quærere simulant, quum vmbra solummodo sequantur, & virtute vera vacui, ac superiore sapientia omnino carentes, ad nullam plerumque utilitatem multa conscribunt. Iudæi quoque illos imitati, & ignorantiam illorum admirati, Iesum quærent: non ut credant, quod re ipsa patuit, sed ut dicacitatem suam in eum exerceant, & hoc modo inextinguibile super capita sua flammam incendiant. Præterea, inde quoque patet, non bono animo illos Iesum quæruisse, quia cur non adest, solummodo quærent: adfuisse namque oportere opinabatur festum diem illis agentibus tantorum autorem miraculorum. Ita iucunditatem potius ex admiratione signorum, quàm utilitatem venari videbantur, & peritiam habere legis iactantes, & prophetarum dicta non ignorare, non recordantur scriptum esse: Querite Deum, dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad dominum, & miseretur eius. Animaduertis, quod non sufficit ad salutem, si solum quæris, sed oportet quum inuenieris, obedientia & fide ad illum reuerti. Sed quoniam nec in mentem quidem hæc sibi veniebant, meritò audiant, quomodo dicetis: Sapientes nos sumus, & verbum domini nobiscum est: verè mendacium operatus est filius mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt, & sapientia nulla est in eis. Verbum enim domini proiecerunt: quomodo enim non reprobarunt, quem non susceperunt: aut quomodo non contemnebant, sic imperitè de ipso dicentes: Vbi est ille? Arrogantium enim hoc dictum est: nam quamuis propter miracula magnam de ipso debuissent opinionem habere, nondum tamē magnum quid de ipso dicere videntur.

Caput XXXVIII.

T murmur multus erat de eo in turba. Quidam enim dicebant, quia bonus est, alij non, sed seducit turbas. Difficile semper inuentu bonum est, & veritatis pulchritudo plurimos latet: nō enim possunt indoctiores, qui quodcumque sibi visum fuerit, absque diligenti examinatione sequuntur, veritatē rerum rectè intelligere, nec dicentem Paulum audiunt: Sitis probi nūmularij, omnia enim probanda noueris, ut certius veritatē consequi possis. Audiant quæso atque attendant, quicumque Iesum ex arrogantia non admirantur: Gustate & videte, quia suavis est dominus. Nam quemadmodum, qui gustu præcipuam mellis qualitatem probant, ex minima quam gustauerunt particula, totum cognouerunt: sic qui vel parum saluatoris verba intellexerunt, bonum esse ipsum cognoscent, & cognoscentes admirabuntur. Prudentiores igitur Iudæorū Christo adsunt, & penè rectam de illo sententiā efferunt, nō posse putates opera Dei quemquam facere, nisi aut Deus ipse natura sit, aut Dei particeps & gratiæ plenus, & idcirco bonus. Longè autē à veritate oberrant, qui non erubescunt seductorem appellare, quod meritò audient: Væ qui dicitis malū bonū, & bonū malū, qui putatis tenebras lucem, & lucem tenebras. In eodem enim loco constitutus est, qui prohibatē accusat, & qui adest improbitati: qui turpia quasi plena pulchritudinis admiratur, & pulchris sordes imponere conatur. Sed hæc opprobria Iudæorum prædicta iam à

Esaiæ 63

Esaiæ 55

Hierem. 8

1. Theff. 5

Psal. 33

Ioannis 3

Esaiæ 5

Osee 7

prophetis erant. Væ, inquit, eis, qui resiliunt à me, redemi eos, ipsi autem aduersus me falsa loquuti sunt.

Caput XXXIX.



Emo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum. Quum ipsi Iudæi murmurent, Iudæorum tamen, inquit, timore nemo de illo palam loquebatur, sed præcipuè hic Iudæos, Iudæorū principes appellauit. Indignum enim (vt mihi videtur) iudicauit homines aded à pietate remotos, sacerdotes aut seniores populi appellare, quos per Prophetam vt spiritualis vineæ corruptores Deus accusat, dicens: Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt partem meam, dederunt portionem meam de siderabilem in desertum solitudinis, posuerunt eam in dissipationem. Quomodo enim dominicam vineam ipsi iniquitate sua non deuastarunt, qui non modò nihil ad cultum ipsius conducunt: verum etiam studio & opera faciunt, vt populus timore repressus non pareat rectè docenti: Argumētum autem est, nimium illis plebem subiectam fuisse, quia nec laudare quidem, quod laudandum putant, palam audebant. Quemadmodum igitur gubernator, sic quum ipse gubernandi rationem habeat, cæteri quæ omnes qui in eadem sunt nauis, sibi apprimè obtemperent, ipse solus culpam habebit, si nauem in cautes & scopulos illiserit: aut auriga si agens in inuicurrus fregerit: ita certè Iudæorum principes, quia subiectam parentem quæ plebem habeant, non iniuria perditionis omnium rationes relaturi sunt. Quod autem ipsi perditionis populi causa fuerint, Hieremias etiam testatur, dicens: Stultè pastores egerunt, & dominum non quæsierunt, propterea non intellexerunt omnis grex, & dispersi sunt.

Hierc. 11

Hierc. 10

Caput XL.



Am autem solennitate mediante, ascendit Iesus in templum & docebat. Sacerdotio digna saluatoris doctrina, quare ibi etiam præcipuè adhibetur, vbi Deus habitare credebatur. Nam etsi omnia Deus repleat, quia circumscripibilis loco non est, nec secundum naturam suam in loco esse intelligatur, decentius tamen in sacris eum locis habitare dicimus. Nā quod figuris significauerat, id modò in veritatem traducit. Dicit enim ad Mosē: Et impones propitiatorium super arcā, & loquar ad te de super ab altari inter duo Cherubin, quæ sunt in arca testimonij. Dominus igitur noster Iesus Christus mediantē iam solennitate in dedicata Deo loca ingressus, ibi turbas alloquitur. Ascendit autem occultius, quemadmodum in tabernaculum propitiatorij ita clam ascendebat, vt tunc solum ibi esse videretur, quando loquebatur, & vt ad Mosē illis temporibus solum Deus verba faciebat, sic modò Christus vnum adhuc Iudæorum genus instituire studet, nondum effusa ad omnes gentes liberius gratia. Non autem ingressum ait fuisse in templum, sed ascendisse. Ardua sanè res est atque sublimis, loca ingredi sancta, & docendi munus rectè suscipere. Rei autem umbra Christum significabat. Mosēs enim, qui figura Christi erat, quum sanctificari potius homo à locis sanctis soleat, contrà ipse tabernaculum vngens oleo sanctificabat, quia non figuræ, sed veritatis gratia hæc fiebant, quod & in prophetis aspicere licet. Alius enim fornicanti mulieri vel nolens cohabitare iubebatur. Alius nudus ambulare, alius super dexterum latus non paruo dierum numero iacere, quæ omnia non propter seipsa, sed propter ea quæque significabantur, fiebant. Ita igitur etiam Mosēs, quamuis à tabernaculo ipse sanctificandus erat, sanctificare tamen il lud videbatur, vt Christum intelligas, à quo templum suum sanctificatum est. Conuersatur autem carne cum Iudæis, & in carne illos alloquitur, vt olim in propitiatorio Deus.

Exodi 26

Exodi 40

Osee 1

Esaie 20

Ezechie. 4

Caput

Caput XLI.



Irabantur igitur Iudæi, dicentes: Quomodo hic scit literas, quum non didicerit? Non iniuria mirabantur, orationis & prudentiæ inauditi tam in eo vim videntes, qui literas non didicerit. Capax enim sapientiæ mēs est humana, & quamuis nihil adhuc cōsequuta sit, naturali tamen ad prudentiam & scientiam aptitudine pollet. Quæ vt quasi manna est in non exercitatis, ita in ijs, qui plurimum in discendo laborarunt, multa commodissimè parare accedere solet. Stupent ergo Iudæi, hominem nudum Christum esse putantes, quia & sapientia & literis in exercitatus exercitatis longè præstabat. Stultè igitur etiā modò loquuntur, non videntes ex tam multis signis opificem omnium sapientiam, vt hominem eos alloquentem. Quomodo autem in superioribus, quasi non aliundè quàm à signis Christum cognoscentes, nec quis aut vnde esset, scientes, vbi est ille, clamabant: nunc verò ita exactè cognouisse videntur, vt magna voce audeant dicere, quum literas non didicerit: sed alterum ab ijs, qui eum sola nouerant fama, quasi per cōtemptum dicebatur: alterum ab ijs, qui eum cognouerant, qui & maiora (vt mihi videtur) luunt supplicia. Nam vt ignoratibus parata est deprecatio, sic cognoscentibus acerbior impendet punitio: propterea vulgo fertur, meliorem esse ignorantiam. In sciendo enim cruciatus maior, quando voluptatis illecebris seducti, veritatem negligimus. Iesus igitur, vt Iudæi dicebant, literas nō didicit. Mosēs autem vniuersa Aegyptiorum sapientia fuit perdoctus, & tamen quasi nihil penitus sciēs, ad meliorem diuinitus cognitionem erudiebatur. Ita humana omnis sapientia, imbecilla & fragilis est, ad diuinam comparata, perquam Christi mysteria discimus. Christus igitur est perfectum bonum in omnibus, qui sapientiam cognitionemque rerum, non per doctrinam, sed per naturam habent insitam atque innatam. Quocirca Esaías etiam dicit de ipso: Antequam cognoscat puer bonum aut malum, eliget bonum. Nec sic erimus amentes, vt rationis atque prudentiæ opere bonum ab illo electum esse putemus. Sed quæ ad modum si quis de igne diceret, non suscipi ab eo frigidum, sed calidum semper retineri, non voluntatis, sed stabilem naturæ inclinationem intelligeremus, sic & in Christo. Natura enim insunt in Deo omnia bona, quare non forinsecus etiam sapientia in eo est, imò verò ipse est fons sapientiæ, ipse propriè atque singulariter sapientia est, cuius participatione quæuis rationalis creatura sapiens dicitur.

B

Caput XLII.



Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me. Verè illud dictum esse à sapientibus inuenimus: Spiritus domini repleuit orbem, & auris auditionis audit cuncta. Ad eos etiam qui stultè simul atque impiè putant posse quicquam dici, quod Deum lateat, Psalmista clamat, dicens: Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquid quando sapite: qui plantauit aurem, non audiet: Quomodo enim fieri potest, vt qui omnia fecit, qui sensum audiendi auribus dedit, non audiat vniuersa? Ex hoc igitur intellige natura illum esse Deum, qui quod turbæ clam murmurent, non ignorauit. Omnia enim videt, auditque: vt Deus, etiam si propter metum Iudæorum nihil palam de ipso loquantur. Verum quoniam stupentes multi cogitabant, aut etiam inuicem clam loquebantur: Quomodo hic literas scit, quum non didicerit? Deo patri, quem omnes nihil didicisse credunt, in quo naturaliter cognitionis thesauros reconditos putant, æqualem se esse ostendit. Et poterat quidem hoc etiā ab operibus suis demonstrare. Quæ enim pater facit, hæc & filius similiter facit. Sed oportune modò cum illi scire literas ipsum secū admirerentur, quas nō didicerit, ita hoc inesse sibi demonstrat quæ ad modum patri. Quis igitur huius demonstratiōis modus?

Sapient. 1

Psalm. 93

Ioannis 1

EX EO

ex eo videlicet, quia eandem cum patre docendi sapientiam habeat: ipse namque sapientia ex Deo patre est, cui similis in omnibus, non alia quam ille potest docere. Nam aut quia eadem est patris & filii doctrina, aut quia ipse sapientia patris est, per quam loquitur vniuersa & sanxit pater, suam esse patris doctrinam adserit. Ad hæc, illud etiam ad audientium salutem commodè dixit. Nam quoniam hominem videntes, doctrinam eius mirabilem quidem, sed propter humanam carnem, diuinam non putabant: Deo patri eam attribuit, simul & rem ut se habet exponens, & formidine auditores ad suscipienda verba sua impellens, ne Deo patri repugnare videantur. Missum autem se dicens à patre, non minore se patrem ostendit. Non enim feruiliis hæc missio est, quamuis merito id dici possit, quia formam serui accepit: sed mittitur etiam ut verbum ex mente, ut splendor solis ex sole, ac generaliter fulgor ex re fulgente. Hæc enim omnia, & ea in quibus sunt, quoniam foras progredi videtur, modo quodam ostendunt, & insunt naturaliter atque indiuisibiliter in illis. Non quia verbum ex mente, aut quia ex sole splendor emanauit, idcirco mentem verbo, aut solem splendore suo carere vllus vnquam putabit. Sed hæc in illis, & illa in istis inesse videmus. Nunquam enim mens sine verbo est, nec verbum absque concipiente, formanteque mente intelligi potest, quod de alijs quoque proportionaliter dici potest.

Caput XLIII.

Siquis voluerit voluntatem eius facere, cognoscat de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego a meipso loquor. Quanquam simpliciter propter miracula, veritatis verba suscipere debebant, non posse aliter se se habere credentes, quam secundum doctrinam eius, tamen propter incredulitatem eorum firma quadam utitur ratione; quæ autem ratio sit, iterum dicemus, quoniam propter curatum hominem in sabbato, interimere ipsum quererent. Propterea occultius nunc arguit, quod voluntatem eorum potius, quam diuinam legem eius sequantur. Tunc enim cognoscetis (inquit) ex Deo patre doctrinam esse meam, quando volueritis voluntatem illius potius quam vestram amplecti. Est autem voluntas Dei, qui legem sanxit, non interimere hominem. Tunc, inquit, nullo præoccupati odio, facile cognoscere poteritis, vtrum ex Deo doctrina mea sit, an ego à meipso loquar. Ita vtiliter arguit & iure accusat, quia immerito doctrinam eius reprehendant, quam pater comprobauit, vel quod verius est, quam vnà cum filio exponit atque interpretatur. A meipso autem, id est, separatim atque diuisim: patris enim sunt, quæ filius loquitur. Nam pater ut per verbum & sapientiam suam, ita per filium loquitur, nec imaginari possimus aliter ipsum loqui quam velit.

Caput XLIII.

Quia seipso loquitur, gloriam propriam querit. Argumentum hoc adfert, quod sibi gloriam docendo non querit, quia non contraria, neque aliena à lege doctrina utitur: hoc enim est à seipso loqui. Sequi enim scripturam (sola inutili umbra remota) spiritualiter eis persuadet. Hoc & apud Matthæum dicit: Non veni soluere legem, sed adimplere, hoc etiam hic occultius tetigit. Solam enim transformationem literæ in contemplationem spiritalem Euangelica continet doctrina. Nam si Mosaicas figuras ad decentius transformabis, facile spiritualis cultus cognitionem habebis. Non ergo à seipso loquitur Christus, id est, non alienum atque contrarium quicquam adfert. Non enim doctrinam legis improbat, sed obumbrata in lege, fulgenti colore perficit. Optime autem Iudeorum etiam benevolentiam, Deo patri gloriam referens, captat: à quo solummodo verbum eius ignorantes datam fuisse legem putabant: qua conseruata, honorari: neglecta verò, contemni patrem arbitrabantur. Quamuis ergo eadem sit patris & filii

Exodi 20

Matth. 5

& filii gloria, quamuis ad Moysen per filium Deus pater loquutus sit, dispensando tamen (nihil enim nocebat veritati, sed opinioni illorum) patris se gloriam querere docendo dicit, nihil à seipso loquens, sed legislatoris Dei doctrinam exponens. Ad hæc illud etiam dicendum. Occultè adhuc illos reprehendit, & suam potius, quam Dei gloriam querere solitos, in ea incidere crimina subaperit, quibus alios accusent. Legis enim mandata contemnentes, ad voluntatem suam deferebantur: præcepta hominum docentes, ut scribitur. Vnde commodè arguuntur aduersus ipsum legislatorem delinquere, non præcepta illius auditoribus, sed sua proponentes. Quum igitur absolutè atque in genere dicatur, qui à seipso loquitur, gloriam propriam querit: Phariseorum arrogantiae morbus manifestatur, qui sua ideo potius, quam diuina præcepta plebi proponebant, ut debitam Deo gloriam in se traucerent.

Esaiæ 29

Caput XLV.

Quia autem querit gloriam eius, qui misit illum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. Nam qui Dei gloriam non querit, sed suam, is & mendax simul & iniustissimus est. Mendax quidem, quia simulatione legis seruandæ suam voluntatè auditori proponit. Iniustissimus verò, quia legislatoris dignitate neglecta, dominicis præceptis sua præferre audet. Iustus ergo & verax Christus, in quo nihil horum criminum inuenitur.

Caput XLVI.

Nonne & Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem: quid me queritis interficere? Multis ac varijs saluatoris oratio inuentis, ad vnã intentionem concluditur. Nam quum occultius Phariseos reprehenderit, quia non diuina mandata, sed sua prædicarent: nec Dei gloriam, sed suam quererent: omnibus modò in uolucris orationis procul remotis, apertissime illos arguit. Iniquè igitur quod sabbatum non obseruaret accusatus, non vnum aut alterum, sed totum Iudeorum genus Mosaicam legem parui facere ostendit. Dicite namque ait, qui misericorditer agentem in sabbato accusatis, qui crudeliter in benefactores proferre sententiam non dubitatis, qui atrocitatem impudenter laudatis: nonne per Moysen, quem admiramini, data vobis diuinitus lex est, ne hominem occidatis: non audistis dicentem: Innocentem & iustum non interimis: Quis igitur etiam Moysen vestrum tam facile parui penditis: non enim dicere potestis, nolle vos id facere, quum me iniuste interficere queratis. Acerrimè igitur temerario impetu, quia hominem in sabbato curauerit, in eadem atrocissimam peccatorum omnium lapsos ostendit. Magna igitur voce clamare videtur: Ego in die sabbati ab incurabili morbo misericorditer hominem liberaui, & his meis meritis vos incitati turpiter me persequimini, & vita priuare vultis: quæ igitur supplicia scelere vestro condigna inueniantur. Ecce vos etiam legem transgredimini: nec præuaricatio ista vestra illi conferenda est, quæ iniuria mihi attribuitis. Non enim benè alicui (ut ego) vos facitis, sed sola prauitate animi in sanguinem hominis ruitis. Vbi ergo vobis est Moyses, quem à me parui pendi non verè dicitis: nonne ipse vobis legem de cæde dedit: Quis legem eius, quam plurimi facere falsò dicitis, transgredimini: hæc Christus iure dicere videtur. Quumque ipse legem tulerit, soli hoc patri modò id attribuit, ut saltem hoc pacto Iudeos reprimeret. Moysen etiam nominauit, quem Christo maiorem putabant, incarnationis mysterium non cognoscentes.

Exodi 23

Caput XLVII.

Respon.

Matth. 23

Eccli 5

Respondit turba, & dixit: Demonium habes, quis te querit interficere? Respondit Iesus, & dixit eis. Senferunt illata manifeste crimina, quumq; ad negationem refugiunt, summopere student, ne mandata legis præterire videantur. Videri enim solummodo Pharisei volebant, quæ artificiosè forinsecus splendent, quum intus sordibus foetulentis abundant. Ego verò propterea etiam puo ita dictum à Phariseis fuisse, quo timore illius (vt putabant) sedato, facilius insidiarentur, ac fiducia in maiorem loquendi libertatem illum trahentes, ne formidine pressus occultius degeret. Non enim putabant difficile sibi esse, quandocunq; velent, eum opprimere, dum id eos cogitare nesciret. Malignitatis, ergo hæc negatio fuit, & alius quidam modus impietatis. Nam cum quasi mendacem appellent, iniquitatem iniquitati, vt scribitur, adiungunt.

Caput XLVIII.

VNum opus feci, & omnes miramini. Interrogationis spiritu hic locus proferendus est, cuius sensum diligentius, oro, consideretis. Mirabilem enim ludæis rem, quam in sabbato fecerat, narrans non dixit, curavi hominem, ne temeraria multitudinis ira inflammaretur. Sed submissius quid protulit, dicens: vnum opus feci. Fertur enim impetu multitudine, & absq; iudicio cōspiratione subito facta, initio dato ad scelus ruit. Humili ergo nimium, mitiq; sermone vtitur, dicens: vnum opus feci, & omnes miramini. Vna, inquit, hæc re ad salutem hominis facta, sabbati solummodo respicientes honorẽ, miraculi magnitudine non commoti, benefactorem damnatis. Cumq; laudare potius tantam rem deberetis, miramini, quia salus homini in die sabbati restituta est. Ruditas em ludæorum hinc apparet; quia motum animi magnarum rerum stupore solitum fieri, ad rem friuolam transtulerunt. Occulte autem, ac quasi per figuram tale quid subostendit. Vno enim, inquit, crimine (vt vos putatis) à me commissio, miramini de animo meo, quia Mosaicam nolim legem seruare; quantum igitur æstimatis aduersus vos Deum esse irritatum, cuius legem non semel, neq; in minimis, sed in omnibus, & semper transgredimini?

Caput XLIX.

Ioannis 5

Genesis 17

Propterea Moses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Mose est, sed quia ex patribus, & in sabbato circumciditis hominem. Latet altior in hoc loco sensus, & difficilis tam intellectu, quam dictu est, sed gratia saluatoris illuminante, in medium protrahetur. Cum igitur ab importuna ludæos ira propter sabbatum commotos multis rationibus reuocauerit, quia nihil adhuc propter eorum peruicaciam actum est, ad aliud transit, ac ipsum Mosen legis ministrum propter circumcisionem, quam ex consuetudine patrum traditam accepit, legem de sabbato dissoluisse ostendit: vt hac ratione ipse quoq; iure videatur paternam consuetudinem sabbato antepone. Et quoniam in sabbato Deus operatur, idcirco se quoq; qui idem semper cum patre velit, in die sabbati iure operari adserit, propterea dicebat: Pater meus vsq; modò operatur & ego operor. Ne igitur, inquit, mirum vobis videretur, quòd die sabbati operarer, præuenit Moses, ac circumcisionis lege firmata, legem de sabbato dissoluit. Qua porro de causa id fecit? non putauit consuetudinem patrum, inquit, propter honorẽ sabbati contempnendam, idcirco etiam in sabbato circumciditur homo. Quòd si consuetudinem patrum, sabbati honori Moses anteposuit, quor frustra de me turbamini, & quasi contemptorem legis persequimini, quia patrem in omnibus sequor: vt quoniam ipse operetur in sabbato, ego quiescere non possim; datam verò à Mose ait circumcisionem, quæ tamen à patribus tradita est, quibus vt circumcideretur, manda-

A mandatum fuit diuinitus, quia exquisitius quæcunque ad ipsam pertinent, scriptis Moses explanauit. Circuncisus enim & Abraham fuit, sed non octo dierum, nec columbarum aut turturum par secundum posteriorem Mosi præceptionem obtulit.

Caput L.

Icircuncisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Mosi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato. Quoniam distinctione quadam indiget textus, idcirco vt facilius intelligatur, membra transponemus. Si circuncisionem, inquit, accipit homo in sabbato, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato, vt non soluatur lex Mosi. Non enim idcirco circumciditur homo in sabbato, vt non soluatur lex Mosi: soluitur enim omnino propter circuncisionem, quæ in eo die peragitur. Circuncisio enim non à Mose, sed à patribus est, propter quam lex Mosi de sabbato soluitur. Membrum igitur illud, vt non soluatur lex Mosi, non antecedentibus, sed consequentibus coniungendum est. Nunc totius loci, quamuis altè latentem, sensum consideremus. Superat, inquit, circuncisio & curatio huiuscemodi vulneris, Mosi constitutionem de sabbato. Neesse enim est, vt medicinalis cura eodem die de circunciso habeatur. Quomodo igitur prohibere vos vultis, ne totum quis corpus hominis die sabbati curet, quum ipse Moses in parua quadam particula id concesserit? Circunciditur enim, curaturque circuncisus absque vlla culpa in sabbato. Frustra ergo indignati, præuaricatore me putatis, qui totum hominem sanum feci in sabbato. Ita huius rei quasi figura videtur fuisse, quòd Moses statuit: cui vos, vt putatis, inhærentes vel atrocem suscipere cadem, leges illius contempnentes, conamini.

Quid octium sabbati significabat, & de circuncisione.

Caput LI.

B

Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Lex, inquit, quam defendere videmini, aperte clamat, non esse considerandam personam in iudicio, quia iudicium Dei est. Vos ergo, qui me propter sabbatum incusatis, & hac de re mihi irascimini, nolite negligere legem, nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. & cum Mosen, qui propter circuncisionem à patribus traditam, legem de sabbato dissoluit, præuaricatore (rectè facientes) non putatis: filium quoq; vnigenitum (qui quæ pater facere solet, eadem natura facit) ab omni absolute crimine. Si verò solum filium condemnatis, Mosen, quamuis simile omnino fecerit, absoluentes: nonne secundum faciem lege sprete iniquè iudicatis, mandatis meliorem diuinis Mosen facientes? Ita de sabbato legem soluere solam falsò accusatus, multas illos transgredi leges ipsa re arguit, illud quasi Evangelicum clamans: Festucam in oculo fratris tui vides, & trabem quæ in tuo est, sentire non potes? Pessima profectò res est, iudicium efferre de alijs. Nam in quo alium quis iudicat, in eo semetipsum condemnat, vt scribitur. Propterea etiam à saluatore dicebatur: Nolite iudicare, & non iudicabimini, non condemnate alios, si condemnatum iri non vultis. Verum saluator noster non modò propter ea, quæ diximus, transgressor minimè fuit, verum etiam & quia tempus constitutum iam venerat, in quo quas priscis dederat umbras, ad veritatem & spiritalem sensum transponeret. Sed quoniam de sabbato & circuncisione mentio facta est, non erit inutile studiosis, si diligenter considerabimus, quid sabbatimus, & quid circuncisio in octaua die data significabat, & quam nam ob rem etiam in ipso sabbato circuncisio fiebat. Ordine igitur procedentes, legem de sabbato primò positam inspiciamus. Cum igitur ab Aegyptiorum seruitute

Deutero. 1

Lucæ 6

Roman. 1
Lucæ 6

Sabbatimus.

Exodi 12 uitute per Moſen in priſcam libertatem Hebræorum genus Deus vendicaret, per
 media traductum maria in terrâ repromiſſionis proficiſci iuſſit, & ad continētiam
 probitatemq; animi illos exercens, in montem Sinai concione vocata in ignis ſpe-
 cie deſcendit, et ſalutaria dabat mandata, dicens: Ego ſum dominus Deus tuus, qui
 Exodi 20 eduxi te de terra Aegypti, à domo ſeruitutis. Nō habebis deos alienos coram me,
 non facieſ tibi ſculptile in omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ
 in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra, non adorabis ea, neq; co-
 les; ego enim ſum dominus Deus tuus fortis & zelotes. Oportebat profectō hinc
 incipere, ac cognitionem Dei hominibus ijs imprimere, qui ſeiſpos in obſequium
 Dei dedicarunt. Omnium enim virtutum Dei cognitio fundamentum, radixq; eſt;
 fides porrō rectæ pietatis firmiſſima baſis eſt, falſis ergo deis abiectis, ſpretisq; ſcul-
 ptilibus, punitionem tranſgreſſoribus imponit clamans: Non aſſumes nomen do-
 mini Dei tui in vanum, id eſt, non adijcies horribile nomen Dei ſculptilibus; nec
 Ibidem. enim in ſontem habebit dominus eum, qui aſſumpſerit nomen eius in vanum.
 Ibidem. His itaque pro conditione atque ſtatu hominum, qui quum molliores adhuc eſ-
 ſent, maiora non ſuſcipiebant, imperatis, alteram intulit legem. Memento, inquit,
 ut diem ſabbati ſanctifices, ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; ſepti-
 ma autē die ſabbatū domini Dei tui eſt, non facies in ea omne opus. Subiecit dein-
 de de imitatione Dei hoc eſſe facturos. Sex enim, inquit, diebus fecit Deus cœ-
 lum & terram & mare & omnia quæ in eis ſunt, & requieuit die ſeptimo, idcirco
 Genetiſ 1 benedixit dominus diei ſeptimo & ſanctificauit eum. Quid igitur hoc ſignificat,
 quiſpiam dicet: aut cur ſtatim poſtquam tranſgreſſoribus primæ legis minatus eſt,
 ſecundo loco hanc collocauit? Dicimus ergo non ſolum terrore ac minis ad colen-
 dum verum Deum Hebræos impelli, verum etiam præmijs inſtāmari. Quæ qui-
 dem præmia in figura illis tradidit: vmbra enim futurorum bonorum lex conti-
 net, ut ſcribitur, exercitationes autē quædam veritatis quæuis tenuiter propter vm-
 bras in ea inueniuntur: ceſſare nanq; ob omni ope, ſeptimo, id eſt, vltimo die iubet,
 Hebræ. 10 futuram ſanctorum requiē hinc ſignificans, quando laboribus huius vitæ liberati,
 ſudore corporum deterſo, beatā cum Chriſto (ut à quodam Propheta dicitur) &
 Eſaiæ 65 iucundiſſimam vitam agēt: Obluſcentur, inquit, tribulationis primæ, nec aſcēdet
 in cor eorum, ſed æterna lætitiā ſuper caput ſuū, laus & gaudium apprehēdet eos,
 effugiet inde dolor, triſtitiā, gemitus. Ita q creatoris imitatione in ſeptimo die quie-
 uit, à ſudoribus vitæ huius ereptus, ad beatitudinē aſcēdet, quæ in fine ſeculorum
 à Chriſto dabitur. Animaduertēdum autē eſt diligētē, negatiuē dictum eſſe, non
 adorabis deos alienos. At de ſabbato non ſic: ſed memēto ut diem ſabbati ſanctifi-
 ces. Quam obrem: quoniam iam nō adorandi Dei alieni tēpus aderat, idcirco ad a-
 ctum ſtatim ipſos impellit. Memēto autem dicit de ſabbato, quia quæ vmbriſ de-
 pingebantur, ut futura ſpeculari debebant. Ad hæc mirabili certē ordine, poſtea
 ad veri Dei cultum induxit, futuræ ſtatim repromiſſionis memoriā collocauit. Ali-
 Exodi 20 as deinde leges ſanxit: Honora patrē & matrem, nō occidas, &c. Ita ne iuſtificari o-
 pere putemus, ne gratiā Dei meritis noſtris, ſed fide affuturam nobis ſperemus:
 idcirco priuſquam leges & diſciplinam viuēdi poneret, ſtatim cum fide futurorum
 bonorum gratiā poſuit. Laudabile igitur ſabbati ocium, ſanctorum vitam in re-
 quie atq; ſanctificatione tunc futuram oſtēdit, quando omni huius vitæ cura depo-
 Hebræ. 4 ſita, bonis æternis fruuntur. Beatus quoq; Paulus ſabbatiſmi modum inquirēs, ait:
 Quibus autē iurauit non introire in requiem ſuam, niſi increduliſ: videmus enim
 eos ingredi non potuiſſe: requietis enim terra illa etiam reputata eſt, ad quā ab A-
 gypto proficiſci Hebræi iubebantur, in figura illius acceptam, quam viuētium ter-
 ram Dauid appellauit: quamq; viri ſancti Iſue .i. domini noſtri ſortitione adipiſcē-
 tur. Quod autē figura hæc ſignificabat, ut diximus, apertē Paulus demonſtrat, di-
 cēs: Quoniam priſci propter incredulitatē ingreſſi non ſunt: idcirco poſt multa tem-
 pora.

A pora per Pſalmiſtam diem certum determinat. Ait enim: Hodie ſi vocem eius au- Pſalm. 64
 dieritis, nolite obdurare corda veſtra. Si enim Iſue illos in requiem reduxiſſet,
 non de alio die multo poſtea loquutus eſſet. Vides quā cito latentem obiectio-
 nem diſſoluit, nam ne diceres deductum in repromiſſionis terram populum fuiſ-
 ſe, requieuiſſeq; in ea, aliud Pſalmiſta requietis tempus poſt multa tempora deter-
 minat. Vnde ſapienter totam illam rem geſtam, imaginem futurorum oſtendēs
 Paulus, occultam vſq; ad tempora ſua hominibus ſabbatiſmi ratioem ſubaperuit,
 concludēs. Relinquitur ergo ſabbatiſmus populo Dei, qui enim requietem ſuam
 ingreſſus eſt, ab omnibus vitæ huius operibus profectō requieuit. Illā igitur vitam
 ſabbatiſmus ſignificat, in qua omnibus bonis cum Chriſto viuentes fruemur, pec-
 cato radicitus extirpato, ſecundum illud: Non erit ibi Iſo, nec praua beſtia illuc aſ-
 Eſaiæ 35 cēdet, ſed erit ibi via pura, & via ſancta vocabitur. Omnia enim bona in viſione Dei
 mens ſanctorū adipiſcitur, ideo qui ligna in ſabbato colligebat, lapidibus obrueba-
 tur, quoniam veritatē in figura violauit. Qui enim ad illam quietem perueniet, nū
 quam inde amplius exhibit. Hac de cauſa iubebat Iudæus à ſuo tabernaculo die ſab-
 Exodi 16 bati non recedere. Nam nutricem & matrem ignis, peccatum dico, ibi nemo collig-
 get, ut nec Iudæus ligna, non intelligens ex amentia, quod obumbrata illa tēdeban-
 atq; ideo inanimis lapidibus tāquam inſenſatis obruebatur, ut in ſupplicio ſuo mo-
 rum qualiſ qualitatem oſtenderet. Peccatum igitur ibi nullum erit, ſed nec bonum
 aliquod ſudore acquiratur: quod etiam ænigmaticē in ſcriptis Moſaicis perſpicere
 licet. Roris enim modo manna Iudæis Deus præbebat, & lege de eo ſanxit, di-
 cēs: Sex diebus colligētis, ſeptima verō die ſabbati nō colligētis. Vnde ſignificabat
 ita nobis hac in vita, quæ ad æternam illam conducunt, eſſe colligenda, quemadmo-
 dum illi tunc per vaſtas ſolitudines tranſcurrentes, vndiq; manna congregabant. In
 ſeptimo autem, atq; vltimo die, id eſt, in fine ſeculorum, nulla cōferentium erit col-
 lectio, ſed acquiſitis fruemur, ut ſcribitur: Labores fructuum tuorū comedes. De-
 Pſalm. 127
 B us igitur, non quia vmbriſ gaudebat, ſed quia per eas ad veritatem omnes inducere
 voluit, quieſcere in ſabbato iuſſit, vnde per Moſen increpando dicebat: Quouſ-
 Exodi 16 que non vultis audire mandata mea, & legem meam cognoſcere? Ideo dominus
 dedit vobis in ſexta die duorum dierum panem, ut domi veſtræ ſedeatis, nullus ve-
 ſtrum exeat de domo ſua die ſeptima. Intelligis ab omni labore liberā vitam præſi-
 gurari, nihil agere in ſabbato præcepit, colligere quicquam non permittit, in ſuo
 quēq; loco morari iubet, quibus om̄ibus quid nos doceat dicemus, ſi Hieremiæ cō-
 ſimilem locum repetemus. Hæc dicit dominus: Cuſtodite animas veſtras, & nolite
 Hierem. 17 portare pondera in die ſabbati, nec inferatis per portas Hieruſalem, & nolite er-
 re onera de domibus veſtris in die ſabbati, & om̄e opus nō faciētis. Sanctificate diē
 ſabbati, ſicut præcepit patribus veſtris. Non permittit aliquem onere deprimi, quia
 nemo tunc delictorū pōdere agitabitur, nec egredi ab Hieruſalem iubet, quia ſan-
 ctorum multitudo cœleſtē Hieruſalem ingreſſa, nunquam inde amplius exhibit,
 nec illis bonis vnquam priuabitur. Vocatio enim & gratia Dei firma eſt, ut Paulus
 Roman. 11 ait. Iterum autem eandem repetiſſe rem videtur, dicens: Non exhibitis è loco veſtro,
 Ioann. 14 ſubſtendens multas eſſe apud patrem māſiones. Cuius rei figuram varietate ſua
 tabernaculum obtinebat: dabitur enim vniciq; manſio ſecundum merita ſua, &
 qui tabernacula illa poſſidebunt, nunq horum munerū diuinitus ſibi donatorū ia-
 cturam faciēt. Cui rei etiam Eſaias atteſtatur, dicens: Oculi tui videbunt Hieruſa-
 Eſaiæ 33 lem ciuitatem diuitem, tabernacula quæ non quatiētur, nec mouebuntur in ſecu-
 lum. Immobilē enim atq; ſtabilem illam vitam fore oſtendit. Sancta enim omnino
 ex Chriſto dedicata erit. Hæc etiā alijs ſcripturæ locis ſimili quodā modo dicuntur.
 Scribitur em̄ in Exodo: Sex annos ſeres agros tuos, & colliges fructus eius in ſepti-
 Exodi 23 mo verō incultos dimittes ipſos. & in Leuitico: Cū ingrediemini in terrā, quā ego
 Leuiti. 25 dabo vobis, reſciet terra quā ego dabo vobis, ſabbata dño. Sex annos ſeres agros
 tuos, &

tuos, & sex annos putabis vites tuas, in septimo verò requies erit agrorum, sabbata domino. Nō em̄ in sensatos agros præcipuè quiescere voluit, sed à labore propter futurorum figuram illos remouebat, multis modis solennitatem Christi significas, in qua perfectam libertatem in sanctificatione per gratiam sancti spiritus adipiscemur. Quod mandatis etiam quibusdam Moles significauit, dicens: Si frater tuus, aut soror tua, id est, Hebræus vel Hebræa tibi vendetur, sex annis seruiet tibi, septimo verò anno dimittes. Nam qui peccato seruiuimus, & illecebris voluptatis diabolus nos vendidimus, iustificati per fidem Christi, ad verum & sanctum peruenimus sabbatismū, libertatem gratiæ induti, & bonis diuinitus resplendentes. Verum quoniam satis pro viribus nostris de sabbato dictum est, de circumcissione modo dicamus, omnem laborem pro cognitione harum rerum libenter ferētes. Scrutemur igitur diligēter, gratia illius precibus inuocata, qui tenebras illuminat, quid circumcissionis figura præcis hominibus data spiritaliter significat, nec vos pudebit (quam non ignoremus parua hæc esse, multaq; perfectiora ædī posse ab illis, qui se longe à peccato remouerunt) humilia hæc nostra legenti proponere. Prima igitur de circumcissione à Deo hæc lex Abrahæ illi data fuit: Seruabis, ait, testamentū meum tu, & semen tuum post te in generationes suas: circumcidetur omne masculum & circumcidemini carnem præputij vestri. Infans octo dierū circumcidetur, omne masculū. Hanc figurā mysterij necessariam ostēdens, pœnā transgressoribus infert, dicens: Et erit testamentū meū super carnem vestram in testamentum æternum: & masculus qui non circumcidetur carnē sui præputij in die octauo, disperdetur anima illa è genere suo, quia testamentum meum non seruauit. Diuinus quidem Paulus in signum fidei, quam in præputio habuit Abraham, ei circumcissionē datam asseruit. Voluit em̄, vt mihi videt, & res ipsa clamat, vocationē & iustitiā fidei omni legalī mādato priorē & superiorē ostēdere. Vt facilius persuaderet Hebræis, ne iustitiā fidei p̄uaricationem legis putarēt, sed reditū quendā atq; recursum in priorē hominis statū. Sed aiū etiā quendā modum circumcissionis tradere inuenit. Iudæis em̄ cōsulens, ne in carne se iactent: Non est, inquit, in manifesto Iudæus, neq; q̄ in manifesto in carne circumcisio: sed q̄ in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis in spiritu, nō in litera: cuius laus nō ex hominibus, sed ex Deo. Hinc apertē ostendit nō in signum circumcissionē solummodo datam fuisse, sed maius præterea quiddā ac spiritalē significare. Altius igit̄ cōsideremus, q̄nam sit spiritalis circumcisio, cuius figura erat q̄ in carne fiebat. Scrutemur etiā, quamobrē non quis, sed octauo solummodo die adhibebat. Illud igit̄ perspicuū est, propterea omni nos præparari modo oportere atq; mundari, vt per fidem Christo cōiungi possimus. Quoniam omnis intentio nostra est, per Christi meditationem Deo cōnecti. Cuius rei habes imaginem, quod à Deo ad Moſen dicitur: Vade ad populū, & sanctifica illos hodie & cras, lauentq; vestimenta sua, & sint parati in diem tertium: in die enim tertio descendet dominus coram omni plebe super montem Sinai. Probitatem em̄ morum studio sè acquirēdam significat. Lotione autē indumentorum, corporis puritatem ostendit. Indumentum enim animę quodam modo corpus est. Quoniam ergo præparari præmundariq; omnes oportet, qui Deo coniungi student (sancti, ait, sitis, quia ego sanctus sum) propterea purificationis signum circumcissione carnis præcis hominibus datum fuit. Quod quidem faciliè intelligemus, si conditionem considerabimus nostram. Voluptas quædam ante omne peccatū præcurrit, & feruens cupiditas ad delicta solet illicere, q̄ ante peccandi actum insidet, & mentis consensum arripit, persuadens faciliè hac viā veniendū nobis esse q̄ gliscimus. Quod verum Christi discipulus ostendit, dicens: Nemo qui tentatur, dicat à Deo se tentari. Neminem enim Deus tentat, sed vnusquisq; à sua cupiditate distractus atq; seductus tentatur. Cupiditas deinde postquam conceperit, parit peccatum: porrò consummatio mortem generat. Vides quomodo ex cupiditate improbitas ortum ducit, Vides quomodo

A modo ex voluptatis semine delicta producuntur. Hac de causa iussit Deus illam corporis particulam, in qua, & per quam voluptatis fontes scaturiunt, ferro circumcidi. Vt hoc enigmatē perdiscamus, nullo nos pacto mundos vnquam futuros, nisi diuini verbi actum in corde, quasi acutam spiritus bipennem retinentes, omnē turpem ex animo cupiditatem eiiciamus: nec quæ voluptas expetit carnis, quamuis iucundissima videantur, sed sola, quæ Deo placent, faciamus. Hæc quum vera circumcisio sit, meritò ad eos dicimus, qui carnis circumcissione gloriantur: Circumcidimini Deo, & circumcidimini duritiam cordis vestri omnes, qui habitatis Hierusalem. Nihil em̄ facit qui carne circumciditur, nisi quod in carne circumcisus est. Qui autē in spiritu hoc peragit, in octauo (id est, in resurrectione saluatoris) die viuet in Christo, vt ait Paulus. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cū Christo in Deo: cū autem apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Verè nāq; dicere possumus, mortuos esse omnes mundo, qui voluptates mundi propter Deum contemnunt, qui cum Paulo dicere possunt: Non gloriamur nisi in cruce Christi, per quem nobis mundus crucifixus est, & nos mūdo. Participes enim illius per spiritum facti, qui absq; manu nostram radicatus immunditiam circumcidit, mortui mundo sumus, viuimus autem Deo. In octauo igitur die circumcisio fiebat, neque ante octauum, quoniam resurrectionis erat figura. Non enim est datus ante resurrectionem Christi, sed post illam spiritus, quando in discipulos sufflans, dixit: Accipite spiritum sanctum. Sed Iudæis quidem, qui sub lege adhuc ac serui erant, circumcisio carnis ferro facta conueniebat: accipitur enim à lege ferrum in punitio nem. Nobis autē qui liberi, spiritalesq; sumus, spiritalis circumcisio atq; purificatio cōgruit, quæ omnes animi sordes exterminat, & perfectionem per pietatē fidei adducit. Quod autem spiritali hac circumcissione, quæ per pietatē perficitur, gloria nostra implet, si diligentius considerabimus, quæ de Abraham scripta sunt, faciliè cognoscemus. Nonaginta nouē ergo annorū fuisse Abrahā scribitur, quādo ei Deus circumcissionem tradidit. Qua re apertē ostenditur, quod ianua quædam ad perfectionem circumcisio sit, nec posse quē vllō perfici pacto, nisi obumbratā purificationē circumcissione possideat. Perfectionis em̄ signū denarius in se reuolutus numerus est. Ante perfectionem ergo circumcisio datur, quæ nos ad perfectionem faciliè deducit. Hæc autem spiritalis circumcisio solis per Christum liberis hominibus debetur. Nemo enim liber est, nisi in Christo peccati iugum, & diaboli seruitutē excusserit, & vinculis delictorum diruptis, iustitiæ gloria redimitus sit, eius inquam iustitiæ, quæ in fide Christi habetur. Quod autem liberis, non seruis in octauo circumcidi die cōuenit, ipsa nos scriptura docebit. Ismael enim Abrahæ filius de serua natus, non in octauo die, sed in tertio decimo anno fuit circumcisus. Ita seruientis Hierusalem filium, id est, Iudaicum populū, & ab octauo die & à duodecimo excidisse ostēdit. Nam ab octauo quidem excidit, quia resurrectionem Christi salutarem factam in octauo nequaquam suscepit. Euangelicam enim Christi doctrinam repulit, cui si credidisset, spiritaliter etiam circumcidi potuisset. A duodecimo verò excidit, quia sanctorum apostolorum consortium recusauit, nec vllō pacto voluit prædicationem illorum gustare. Sed non ita liber Abrahæ filius ex libera natus. In octauo enim circumciditur, quia superne Hierusalem filij octauum diem, resurrectionem Christi suscipientes & in libertatē vendicati, spiritali circumcissione locupletati sunt. Nam à peccato & morte, quæ per peccatum & ex peccato est, liberati, in Christi vitam reformati sunt. Quod autem mos soluatur, & interitus per spiritalem hæc circumcissionem euertatur, non difficile ab Exodo cognoscemus, vbi scribitur Moſes ad Aegyptiorum tyrannum diuinitus missus, quum esset in itinere in diuersorio, angelo occurrisset, qui volebat eum occidere: sed cepit ilicò, inquit, Sephora petrā acutissimam & circumcidit præputium filij sui, dicens: Stetit sanguis circumcissionis filij mei. Attende, examinaq; ista diligentius oro, Nam nisi mystica quæ dā ratio no

bis hac de re traderetur, non video qua de causa circuncisione pueri Moses saluaretur. Ridiculum enim videretur, nisi altius quicquam in historia lateret, angelum, qui ut atrox bestia in Mosen insurgebat, circuncisionis sanguine placatum illic recessisse. Non sufficit igitur Mosi circuncisio, quam habebat, non enim depellere potest mortem virtus circuncisionis legalis, cum pravis similiter ac bonis præbeatur. Spiritalis autem circuncisio, quæ per Sephoram, id est, per Ecclesiam optimè celebratur, terret exterminatorem, fugatq; à nouo nuperq; nato populo etiam nolentem. Sed quomodo, dicit aliquis, non solum nouus populus spiritaliter circuncisus, verum etiam omnes, qui spiritalis circuncisionis expertes sunt, à morte resurgent: Sed non dubito, quin in quantum noluerunt Hebræi resurrectionem Christi suscipere, regnatura perpetuò mors fuisset. Verùm quoniam multi crediderunt, per eos in omne genus humanum resurrectionis gratia penetravit. Ita per spiritalem credentium circuncisionem omnibus simpliciter resurrectio donata est, quam uis multum inter resurrectionem & resurrectionem interesse videatur. Alteri enim in iudicium & condemnationem resurgent, quia vitæ largitorem non susceperunt; alteri ad vitam æternam, qui resurrectionem Christi admirati, spiritaliter se circunciderunt. Quamuis ergo credentibus solum resurrectionis gratia debeatur, transfunditur tamen in omnes per eum, qui totam naturam restituere voluit, unde Paulus ait: Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam cõsequuti estis propter illorum incredulitatem, ita & isti nõ crediderunt nunc in vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur. Transmittit enim etiam ad eos Christus resurrectionis suæ bonũ per fidem vestram. Bonitate namq; sua, qd credentibus debet, vniuersæ naturæ largitur, quare Paulus resurrectionis breuiter aperiens mysteriũ, primitias eius Christo attribuit. Primus enim resurrexit, deinde fide Christo coniunctos, ante alios resurrecturos dicit, debitã huic eis resurrectionẽ ostendens. Nam etsi tota natura id habebit, misericordia tamẽ hoc fit eius, qd mortem omnino voluit destruere. Animaduertendũ etiam, non ferro circũcidi à Sephora puerum (in punitionis enim signum accipi ferrum solet, & legi subditis idoneum est) sed acutissimo lapide, quem in figuram Christi adhiberi, à scriptura non ignoramus. Solidum namq; ac firmum, quod nullo pacto frangi potest, natura vnigeniti hoc modo significatur. Quamobrem adamas etiam à Deo patre per prophetas Christus appellat: Ecce, inquit, ego excolabo adamantin in medio populi Israel. Per figurã enim adamantis, nullo modo vincĩ, superariq; posse ab aduersarijs ineffabilem verbi naturam significat: sic post Mosen Iosue Iudæos purificabat, & circuncisione aduersus durissimos hostes armabat, nõ aliter inuictum populum fore videns, nisi circuncisionis bono. Sic enim de ipso scribitur: Et ait eo tempore dominus ad Iosue: Fac tibi cultros lapideos ex lapide acuto, & circuncide filios Israel. Lapis igitur (ut diximus) stabilem atq; infringibilem naturã verbi denotat, acuties verò penetratiuam virtutem atq; actionẽ eius significat. Ideo Paulus etiã ipse diuinus, viuũ, efficax & penetrabilis omni gladio ancipiti verbũ Dei appellat, penetrareq; ipsum ait vsq; ad diuisionem animæ & spũs. Hoc igitur Dei verbũ ita subtile atq; incisiuũ, cum ad corda nostraper spiritũ sanctũ penetrauerit, ab omni peccatorum sorde nos liberat, & circuncisos spiritu suo immaculatos & sanctos efficit. Vide igitur, queso, perspicuam veritatis imaginẽ. Iosue circũcidebat, & nouus populus circuncidebatur: nam qui ab Aegypto recesserunt, propter duritiã suam ira Dei perierunt in deserto, nec viderunt terram, quam iurauit dominus patribus eorum. Qui verò post illos sub Iosue fuerunt, noui populi figuram tenebant, qui per Christũ Iesum spiritaliter circuncisus est. Vetus autem Israel perfidia sua periit. Circũcisi autem fuerant, posteaquam Iordanem traiecerunt, quia spiritalis hæc circũcisio, nisi qd mysticũ Iordanẽ & sanctas tranauerit aquas, in corde suscipi nullo pacto potest. Sed utilitatẽ qd circũcisionis vide, Scribit enim, statim postq;

circuncisi fuerunt: quia hodierno die opprobriũ Aegypti abstuli à vobis, quod porro est hoc opprobrium: seruitus profectò, & rapiendi ex imbecillitate cupiditas, labor præterea in luto & latere, spiritalis etiam circuncisionis virtus, à diaboli potestate liberat homines, & à tyrannide peccati eripit, & luto ac lateribus facit superiores. Non enim patitur in sordida corporis voluptate, aut in terrenis, caducisq; rebus nos volutari, à morte quoq; ac interitu redimit, & demum naturæ nos diuinæ facit participatione saluatoris participes. Scribitur enim consequenter: Et fecerunt filij Israel Pascha quartodecimo die mensis, & comederunt ex frumento terræ panes azymos atq; recentes. Non enim possumus aliter veri agni, qui tollit peccata mundi, fieri participes, nec azymum Euangelij & recens consequi nutrimentum, nisi prius mysticum transgressi Iordanem à iuuante verbo circuncidamur, ac Aegypti opprobrium, inherentes dico delicti maculas, penitus abijciamus. Quod enim incircuncisos, quasi sordibus plenos Deus non propter carnem, quam ipse creauit, sed propter voluptatem aspernatur, faciliè cognoscemus, si ad Mosen atq; Aaron diuinitus dici audiamus: Hæc est lex Paschæ: Omnis alienigena non comedat ex eo: & omnem seruum, & emptum argento circuncides prius, & tunc comedet ex eo. Primò enim hominem alienigenam, id est, alienum propter incredulitatẽ à Christo, à comedendo prohibet: deinde peccati seruos, & mercede voluptatis à diabolo emptos, circuncisos purificatosq; prius, ad edendũ postea opportunè admittit. Puri enim ac mundi puro & sancto Christo participabimus, ut in Ecclesijs clamari audimus, sancta sanctis: æquum enim verè ac iustum est, cum nõ legali, sed proprij sanguinis asperione nos Christus saluauerit, ut nos quoq; propriam vitã iure iam debitam illi attribuamus: ac illi viuamus, sanctificationem nostrarum animarum ei penitus dedicãtes. Quod autem sanguis & mors Christi ab omni nos malo liberauerit, & spiritalẽ attulerit circuncisionem, qua Deo coniungimur, inde rursum videmus. Scribitur enim in libro Iosue: Et post hæc mortuus est Iosue filius Nun, seruus domini centum & decem annorum: sepelieruntq; eum in finibus possessionis suæ, & in sepulchro eius posuerunt cultros lapideos, quibus circuncidit filios Israel. Non enim absq; causa cultri eodem cũ illo in loco positi sunt: verũt nos discamus circuncisionis spiritalis gratiã (quæ bonorum cœlestium nobis est pronuba) saluatoris morti esse affixã. Nihil ergo Iudaicum per circuncisionem in die octauo, sed spiritalẽ purificationem in fide resurrectionis Christi intelligamus: hæc circuncisio, omnis peccati deiectio est, mortis atq; interitus destructio, sanctificationis initium. Hæc nos Christo coniungit, ianuam aperit, & viam ad Deum præparat. His ita de sabbato & circuncisione dictis, reliquum est, ut breuiter dicamus, quamobrem spiritalis circuncisio, sabbati honorem non respicit. Suscipitur enim etiã in sabbato, sabbatismi legẽ non perhorrescens. Cũ igitur sabbatismus requirẽ significet, ut diximus, & delicti omnis abiectioem, cumq; spiritalis circuncisio nihil aliud, qd hoc, quamuis alio modo denotet: non soluit, etiam si videatur, legem, quæ de sabbato est, imò roborat, & ad eandem intentionem currit. Ita idem est circuncidi spiritu, & in sabbato quiescere. Non enim rudiori historicaq; figuræ inhærebimus, sed spiritaliter verba spiritus intelligemus. Non ergo erat culpa etiam in sabbato circuncidi: nec enim (ut saluator ait) iure accusari poterant sacerdotes sacra peragentes in sabbato, ac in templo, quæ quotidie consueuerunt, facientes. Nullo enim tempore à boni operatione cessandum est: nec pia studia vnquam relinquenda sunt. Sabbatismus ergo à detestabili peccato solummodo prohibet: rectè autem agere etiam hortatur, quod per circuncisionem quoque discimus. Quum enim sordida voluptas amputatur, tunc peccandi oritur sabbatismus, & spiritalis cultus fundatur. Parua tamen inter hæc latere differentia mihi videtur. Nam quum non in septimo, nec in octauo vtraque, sed alterum in septimo, alterum in octauo celebrare iuberentur, paruum propter propinquitatem dierum inesse

differentiam significare mihi videtur. Non est enim omnino idem, cessatio ab aliqua re, vt peccato, atq; abiectio. In cessatione namq; à peccato, turbationes animi, quàmuis ratione quasi freno sedantur, vi quadam ad quietem reductæ, & exercitatione atq; labore virtutis superatæ, nō tamen penitus ab animo extirpantur. Abiectio verò turbationum maius quiddam est, ad quam peruenire nō possumus, nisi prius ab actione peccandi cessauerimus, & inde gradum facientes, ad hoc maius facilius conscendamus. Sed cessatio quidem à delinquendo in nobis quoq; esse videtur: desinemus enim à malo, si toto animo probitatem cōplectemur. Abiectio verò turbationis omnis atq; cessatio nullo pacto in nobis est: sed Christi, qui nobis passus est, vt omnes ad nouam vitam reformaret, opus est proprium. Propterea iure octauum circuncisio diem retinet, diem resurrectionis, qua renouamur, nobis adducēs. Cessatio verò proximam illi septimam diem obtinet. Inferior enim (vt tetigimus) cessatio à peccando gradus est, vnde ad abiectioem turbationum perpetuam per gratiam Christi ascendimus.

Quarti Libri F I N I S.

IVDOCI CLICHTO-
VEI NEOPORTVENSIS AD REVEREN-

dissimum in Christo patrem Iacobum Ambasianum, E-

piscopum Claromontanum dignissimum, in qua-

tuor libros intermedios, Commentarijs Cy-

rilli super Ioannem adiectos,

PRAEFATIO.



APELLES egregius ille pictor inchoatam imaginem moriens imperfectam reliquit, vt tradunt autores, præstatissime præful: sed qui eam, vt incepta fuerat, perficeret, inuentus est nemo. Non enim potuerunt alij, quantumlibet ea arte clari, ad vnguē lineamenta cōformare, prioribus omnino respondentia, neq; eam exprimere speciem & formam ad amissim, quam ille in sua effigiatione inceperat protrahere. Proinde maluerunt manum non admouere operi, quàm tale quippiam attentare, in quo fortassè non responderent vltima primis. Simile quiddam de Panetio insigni autoritate refert in Officijs Cicero: Publium scilicet Rutilium Rufum dicere solitum, qui Panetiū inchoatam reliquisset, absolueret (oris enim pulchritudo, reliqui corporis imitanda spem auferbat) sic ea, quæ Panetius prætermisisset, & non perfecisset, propter eorum, quæ fecisset, præstantiam neminem esse persequutum: & hinc contigisse, opus de Officijs à Panetio inceptum, ad finem perductum nō esse, sed tertiam illi partem deesse. Haud aliter, cum B. pater Cyrillus patriarcha Alexandrinus, duodecim Commentariorum libros in Euangelium Ioannis adiderit: quorum quatuor intermedijs iniuria temporū & negligētia deperditi sunt, neq; extare dignoscuntur difficile admodū factu reor quē inueniri adeo industriū artificē, qui quatuor illos interuersos omissosq; libros instar priorum excudat, reddatq; sublata interdissione opus vni forme & continuum, cuius media pars ab extremis nulla dissimilitudine aut difformitate dissideat. Quis enim sensorum Evangelicorum profunditatem, vt ille, rimari & perscrutari sufficiat: Quis dilucidā seruauerit in explanandis sententijs, quam ille præfert, interpretationem: Quis deniq; tantam sermonis maie-

A maiestatem & gratiam, quis eam sacrarū literarum vbertatem & copiam, quæ in ipso more torrentis exundat, imitari satis, aut æquare valeat: Quod sanè perspicientes viri eruditissimi, & in scripturarum studio exercitatissimi, nactenus nontentauerunt fragmentum illud quatuor, qui desiderantur, librorū supplere, & sua opera ex integro contexere: subueriti (vt autumo) se non ad sequuturos omnimodam reliquarum partium conformitatem & assimilationem in eo, quod adijcere molirētur, in medio opere. Idcirco satius duxerūt imperfectum relinquere opus, q̄ humano capiti & pedibus dissimile peccus annectētes, monstruosum quippiā & horridum aspectu effingere: quod primo obtutu sese prodeat, non ex vnus opificis officina prodijisse, sed diuersorum manibus elaboratum. Quod si præstantissimi & clarissimo ingenio viri, nō sunt pro sua modestia auli hāc lubire aggrediq; prouinciam, vt pote resarciendi, quod deest cōplemento commentariorū Cyrilli, & amissam eorum partē redintegrandi: qua fronte, quo animo ipse me ingerā huic operi factitando, cui vires sunt tam graui sarcinæ longè impares: Si nō audet aquila eximium solis iubar fixa acie contueri, quonā pacto tentabit illud noctua cæcutiens: Verūm quod detrectat onus imbecillitas propria, id assumendū nobis suadet autoritas aliena, & illorum quidē, quibus iure negare nihil possumus. Impellunt em̄ quotidiana adhortatione, & cōtendunt nos debere ingenium hac in re periclitari, quæ & fructū legentibus sit allatura, & interrupto operi quantulacūq; cōsummationis speciem exhibitura. Tentauī itaq; insuetum per iter & vadum insolito ferri gressu, & aliorum potius hortatū cedere, q̄ meo innitens animo pertinacius repugnare: illius præsertim fretus auxiliō, qui (vt testatur Sapiēs) aperit os mutōrū, & linguas infantium facit disertas: qui confugientibus ad se dabit intellectū, & instruet eos in via, in qua ambulent, firmabitq; super eos oculos suos. Neq; in hac via peragenda mihi metipsi nimium fidens, duces aspernabor: sed eos mihi pro viribus adiscam, quos hoc calle inoffenso pede nouerim deambulasse, potissimum B. Ioannē Chrysostomum in homilijs super Ioannē, & sanctum patrē Augustinum in expositiōe, quā in Ioannis Euangelium elaborauit: quorum sensa, vtcūq; datum fuerit, aperiam in hac elucidatione potius, q̄ propriam adferam sententiā: euitaboq; pro facultate, ne meo ipsius sensu excogitatā adinuentamq; interpretationē moliar. Cæterū ne quispiā temeritatis me vitio accuset, meminisse debent oēs, plerosq; ante nos id tentasse, vt imperfecta aliorum opera, mortisq; interuentu inexplera, suo labore et studio perficerent. Sic enim B. Bernardi homilijs in Cantica canticorum à Gilberto Cisterciensi consummatas lectitamus, sic cōplurium autorum monumenta literaria, quibus extrema necdum manus erat imposita, ab alijs ad finem vsq; deducta perspicimus. Quorū imitatione, si carie & situ marcidam Cyrilli imaginem, & media sui parte emortuā instaurare annitimur, quā rem ipsam pro dignitate assequi neutiq; poterimus, vt modò professi sumus, nihil præter nostrum officium fecisse videbimur. Cæterum hanc nostram operam insigni tuæ paternitati antistes amplissime merito nuncupamus, quod in tuam adscripti clientelam, atq; præclaris tuis nepotibus instituendis designari, si mus illi plurimum obnoxij, nosq; & nostra omnia ipsi iure debeamus. Cui & id accidit, quod superioribus annis Cyrillus, quantum ad primos & postremos libros, in lucem exijt, patrocinio & nomine reuerendiss. patris Georgij Ambasiani, Cardinalis Rothomagēsis, & Franciæ, dum viueret, legati: qui cum intere à rebus humanis exemptus sit, & ad feliciorē vitam translatus, cuiquæso potius adiecta Cyrillo portio post eum, quo vtcūq; perfectus habeatur, nuncupari debuit, quàm eximia tuæ amplitudini: quæ vt fraterni sanguinis vinculo, ita quoq; eiusdem libri nuncupatione germano suo coniungatur. Sic sanè grauissima tui nominis autoritate fultum hoc opus, fidentius ad cæteros transibit, & sacrarum literarum studiosis vtilitatē (vt speramus) vberius adferet. Vale præsidium, decusq; nostrum, Parisijs, M. D. XIII. Nonis Ianuarijs.

Sapien. 16
Psal. 35

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.
IN EVANGELIUM
 IOANNIS LIBER V. ADIECTVS EX-
 planationi Cyrilli per Iudocum Clichtoueuum Neo-
 portuensem, doctorem Theologum.

Caput I.



Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis: Nonne hic est, quē quærūt interficere? Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid vere cognouerunt principes, quia hic est Christus? Qui ex Hierosolymis erant, melius quā externi, improbos principum & Phariseorum conatus ad mortem Christo inferendam nouerunt: vt quicum eis versabatur, & studia eorum atq; consilia habuerūt plus ceteris explorata. Idcirco videntes Christum tanta constantia propalam eis loquentem, in admirationem ducti sunt, quōd tanta diligentia antē quæsitus fuerit, & nunc quum coram adest, à persequentibus minimè detineatur. Siquidem ignorabāt, qua potentia id effectum fuerit, quōd non teneretur: nesciebant diuinā id opus esse virtutis, & à domino factum esse, qui scuitiam eorum ad præsens compescuit, vt magna cum libertate loquenti nullus ne verbo quidem obfisteret. Et quoniā vera eos facti causa latuit, aliam ipsi subdubitātes suspiciātur, scilicet principes sacerdotum suam de Christo mutasse sententiam: & quem prius Christum esse fuerant inficiati, nūc deum cognouisse eum reuera esse Christum, & eam ob rem à persecutione eius animo in contrarium mutato destitisse. Proinde cum admiratione sciscitatur apud se: Nunquid verè cognouerunt principes, quia hic est Christus?

In quatuor intermedios libros commentariorum diui Cyrilli in Ioannem sparsim adiecta.

Ceterum non desunt etiam sacri Euangeliorum interpretes, qui hanc particulam, ex Hierosolymis, in præsentiloco adiectam consultò ab Euangelistā arbitratur: vt ostenderet, quōd qui multa & magna videbant miracula, ij miserabiliores erant: qui maximum diuinitatis signum acceperāt, perditorum principum iudicium sequebantur. Maximum certè id diuinā in Christo virtutis fuit argumētum, insanientium homicidarum, & insidiantium, & quærentium se interimere, & iam comprehendentium furorem sedare. Non enim humanæ fuit facultatis, id prestare, aut tam faciliè tantam extinguere insaniam: illo tamen conspecto signo, & compluribus alijs diuinam Christi potestatem attestantibus ij, qui ex Hierosolymis erant, & idcirco frequentius ceteris procul distantibus conspiciere illa poterant, & conspiciēbant, nō sunt ad credendum inducti, neq; ad veram fidē conuersi. Quod sanè ad maiorem illis accedit cumulum damnationis, & peccatum ipsorum reddidit multo grauius, cum de ipsis & similibus eorum dixerit Christus discipulis suis: Si non venissem, & loquutus eis non fuisset, peccatum non haberent: nunc autē excusationem non habent de peccato suo. & rursum: Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autē & viderunt, & oderūt & me, & patrem meum. Alio prætereā in loco legitur dominus exprobrasse ciuitatibus, in qbus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia nō egissent pœnitentiā, his verbis: Væ tibi Chorozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiā egissent: veruntamē dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, q̄ vobis. Et tu Caperna-

IN EVANG. B. IOAN. LIBER V. 189.

Apernaum, nunquid vsq; in cœlum exaltaberis? vsq; in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsq; in diem hanc. Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quā in tibi. Sed nōne & nobis, qui Christianorum nomen habemus, vtinam & rem ipsam, venit Christus, & loquutus est per sacra eloquia, Euangelicūque sermonem: vt longè verius in nobis ipsis, quā in Iudæis completū sit illud Psalmi verbum: Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israel: nō fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Nōne & signa in nobis fecit Christus: non quidem per operum præsentiam, sed fidei efficaciam, qua inconcussè credimus ipsum verè fuisse eorum (quæ in Euangelij legimus) signorum autorem. Si igitur dignè secundum nostram vocationem professionemq; nō vixerimus, magnopere formidandum est, ne grauior inde nobis imminet damnatio: ne & id meritò nobis exprobetur, quōd si Turcis, Saracenis, Iudæis nostræ tempestatis, & quibusuis alijs populis à Christo alienis, prædicata esset Christi lex & promulgatum Euangelium, sicut & nobis: exactius illius, quā nos instituta seruarent: rectius in via mandatorum Dei ambularent, maioriq; sollicitudine salutem suam cum tremore, quā nos ipsi operarentur: & exinde mitius cum eis in districto iudicij examine, quā nobiscum ageretur, qui legis agnitæ sumus præuaricatores, & verborum Dei contemptores, fideiq; datæ violatores.

Caput II.



Ed hunc scimus vnde sit: Christus autem quum venerit, nemo scit, vnde sit. Verba hæc Hierosolymitarum planè indicant ipsos haud rectè de Christo sentire, neq; synceræ fidei firma adhuc iecisse fundamenta. Postquam enim admirati sunt ipsum in medio conspectu aduersariorum consistentem à nemine quidem comprehendī, aut verbo laccessi, ratique sunt Phariseos fortasse in hanc inductos esse existimationē, quōd ipse esset Christus, nunc suā erroris tenebris inuolutam, & pestiferæ Phariseorum sectæ consentaneam depromunt sententiam, vt pote suo ipsorum iudicio ipsum nequaquam esse Christum, quam sanè improbam opinionem ratione quoq; fulcire annuntur. Hunc, inquiunt, scimus vnde sit. Nouerant ipsi, ex quibus secundum vulgatam hominum existimationem natus esset parentibus, filium Ioseph, vt putabatur, et Mariæ eum autumantes. Nouerant itidem locum educationis eius, & quōd in Nazareth nutritus fuerat, vt inquit Euangelista, hinc se scire profitentur, vnde ipse ducat originem. De Christo verò neminem sciturum inquiunt, vnde sit, Esaiæ testimonio forsità innixi, de Christo dicentis: Generationem eius quis enarrabit: & ex his colligunt dominum nostrum nequaquam vt Christum esse recipiendum: non satis attendentes in eo duplicem esse substantiam atq; naturam, humanam scilicet, secundum quam utiq; in parte nouerant vnde esset, non tamen omnino, quia & Ioseph eius patrem natura putabāt, & virginis partum ignorabant: & diuinā, quam neq; in eo perspectam habebant, neq; vnde ipsam sortitus erat, agnoscebant. Porro Propheta de diuina & æterna eius à patre generatione proloquutus est: quæ non modò hominum, sed & angelorum linguis est inenarrabilis. Quomodo enim ex vtero ante Luciferum pater filium genuerit, nec lingua satis eloqui, nec mens vlla valet comprehendere. Arbitrati autem sunt hi, qui defecerunt scrutantes scrutinio, Prophetam de temporanea & humana Christi generatione dūtaxat verba fecisse. Et idcirco insipiens factū est cor eorum, & credentes se esse sapiētes (vt Paulus ait) stulti facti sunt. Porro quis id Esaiæ oraculum modò adductum, de æterna Christi à patre generatione secundum diuinitatem rectè accipiatur, nihilominus & de generatione eiusdem secundum carnem etiam veritatem habet, & à Propheta quoq; in eo loco de humana Christi natura, natiuitate, & passiōe loquente, se-

Psal. 147

Lucæ 4

Esaiæ 53

Psal. 109

Psal. 63
Roman. 1

te, secundum hunc etiam sensum ibi adducitur. Quis enim satis eloquetur, quomodo virgo spiritu sancto fecunda, Deum & hominem felici partu, & virginali servata integritate mundo protulerit: Itaque de utraque Christi natiuitate propheticus ille sermo verus est. Et potuerunt quidem ex illo occasionem sumere, qui hanc cauillabantur, adserendi, quod Christus, quum venerit, nemo scit unde sit, aut ex illo verbo Esaiæ: Verè tu es Deus absconditus, saluator Israel, aut alio quouis scripturæ loco. Verum id nihil refert, quoniam id verbum Hierosolymitarum non tam secundum veritatem, quam eorum opinione dictum est. Siquidem euoluenti scripturas attentius, perspectum erit prænunciatum à prophetis esse, & multo antè significatum, unde Christus etiam secundum utramque naturam habiturus esset originem. Secundum diuinam quidem, quod à Deo patre prodierit, attestatur Psalmus, quum dicit: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod manifestè de Christo domini in principio Psalmi expresso, intelligendū de signatur. Quod itidem à Deo patre in mundum esset mittendus, insinuauit Esaias, quum ait: Et nunc dominus misit me, & spiritus eius. Secundum humanam vero naturam, quod ex semine Dauid sumpturus erat originem, prædixerat Esaias, dicens: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus domini. Quod etiam ex matre virgine nasci deberet, præsignauerat illud Esaiæ oraculum: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Denique locum natiuitatis eius, quod scilicet in Bethlehem ædendus esset in lucem, designauerat hæc Micheæ prophetia: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiit dux, qui regat populum meum Israel. Vides igitur, quo pacto ex diligenti scripturarum indagine potuisset id exploratū haberi, unde Christus esset. Qua ergo fronte, qua fiducia, qua denique ratione audebunt inimici id proloqui & adserere, quod Christus quum venerit, nemo scit unde sit: Verum quia scripturas non sunt scrutati, quæ testimonium perhibent de Christo: quæ ipsi ex sua ignauia ignorabant, putauerunt, & ab alijs sciri non posse, & à nemine cognosci debere.

Caput III.

Lamabat ergo Iesus in templo docens, & dicens: Et me scitis, & unde sim, scitis, & a me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. Insuffurrabant illi ex Hierosolymis alter alterius auribus, quæ modò dicta sunt de Christo sensisse, & demissa voce hæc apud se missi tabant. Christus autem, cui omnis etiam cogitatus loquitur, & cor omne patet, eorum verbis tacite prolatis libera & alta voce respondit, hoc vno signo Deum se esse contestans, qui solus nouit abscondita cordis. Non itaque immurmurabat aliorum auribus submissiore voce Christus, quod eis responderet, sed clamabat in templo, quo sua vox ad plures deferretur. Rectè dicitis, inquit, quod me ipsum, & unde sum, cognoscatis: nam secundum humanæ conditionem naturæ, & meum genus, & locum natalem, vultusque effigiem probè dignoscitis. Veruntamen aliquid in me reliquum est, quod vos nescitis, diuinæ scilicet naturæ veritas, quam à me ipso non habeo, sed à patre, à quo mihi tradita sunt omnia. Quum igitur hanc mihi inesse ignoratis, profectò & me nescitis, & unde sim, nescitis. Et quo magis apertum sit vobis altioris huius naturæ mysterium, non mea solius autoritate aut sententia veni in hunc mundum, per assumptionem carnis, & vnionē eius ad deitatem: sed pater ipse cœlestis me misit in mundum, vt saluem eum. Pater, inquam, verus: quia quod longis antè temporibus promiserat per prophetas, se videlicet missurum saluatorem & redemptorem, id ipsum nunc exhibuit, & promissionem suam opere compleuit. Quod si verus est pater, qui misit, consequens est et verum esse filium, qui missus est, quinimò & veritatem ipsam, vt de se dicit: Ego sum veritas.

Atas. Et in Psalmo orauit Dauid patrem: Emitte lucem tuam & veritatem tuam. Et Ioannes in epistola: Christus est veritas. Non igitur obsurdescere debent homines, aut incredula mente resistere verbis filij, qui verus est perinde atque pater: nam impietas in filium, & contumelia etiam in patrem ascendit. Ecce quomodo his verbis eos ad fidem impellit, ostendens eos, qui sibi repugnant, & patri quoque mittenti dura ceruice obluçtari. Verum tantæ ignorantia, quam de Christo Iudæi habent, causam subnectit, dicens eam præcipuam esse, quod nesciant patrem. Non enim compertum habebant, patrem ex sua diuina substantia filium Dei genuisse neque eum, qui ipsos alloquebatur, credebant ex patre ante secula genitum esse, aut ab ipso ad huius mundi salutem esse missum in carnem: quare consequens erat eos, & patrem itidem ignorare. Omnis enim (vt ait Ioannes in epistola) qui negat filium, nec patrem habet: & qui confitetur filium, et patrem habet. Porro hoc verbo, sed est verus, qui misit me: subinsinuat Christus se non ab homine, sed à Deo missum esse: quandoquidem nullus absolute & simpliciter verus dicitur, nisi solus Deus: vt neque bonus, & inter Dei nomenclaturas, propriasque denominationes, verus siue verax, sicut & bonus reponitur. Dicit enim beatus Paulus: Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax. Et Christus coram discipulis patrem orans, ait: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant solum te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Sed & pluribus alijs Euangelij locis se à Deo missum esse aperte Iudæis contestatur, præsertim in eo, qui paulo post apud hunc Euangelistam sequitur. Si Deus, inquit Christus Iudæis, pater vester esset, diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi & veni. Neque enim à me ipso veni, sed ille me misit. Et id ipsum dominus non solum Iudæis, sed & gentibus inculcat auribus Iudæorum, vt ob eam, quam Deo debent, reuerentiam & venerationem eum recipiant, quem Deus illis misit salutis nuncium & auctorem: ne ipsum, qui à Deo missus est, contemnent, conuincantur & Deum aspernari, redundetque & torqueatur huiusmodi ipsorum contemptus in Deum mittentem: quum dixisset perhibeatur dominus discipulis suis: Qui me spernit, spernit eum, qui misit me. Itaque grauis admodum cognoscitur esse Iudæorum culpa, obstinato animo Christum à Deo quidem missum indignè reicientium: quod hæc contemptio & reiectio, non solum illi, sed et Deo, à quo missus erat, irrogata dignoscatur. Qui enim legatum regis inhonorat & afficit contumelia, regiam quoque maiestatem ea lege dit iniuria, & grauius offendit. Quemadmodum Anon rex filiorum Ammon, pestifera suorum principum delatione inductus: quoniam nuncios Dauid ad se officij & benevolentia gratia missos ludibrio habuit, & ipsum Dauid regem ad indignationem commouit, concitauitque ad arma inuentionem tanti facinoris, à quo tandem post multas clades, & regno exutus est, & vita priuatus. Haud aliter & Iudæi in vindictam tanti sceleris, quo Christum, & in Christo Deum patrem spreuerunt, à Romanis demum exterminati, & miserabili excidio deleti sunt.

Caput III.

Ego scio eum: & si dixerò, quia nescio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit. Quanto discrimine & intervallo ab ipsis Iudæis separatur dominus noster, dilucidè hic ostendit. Quia quum eos patrem nescire adseruisset, ilicò subiunxit se patrem scire, quod & alias quoque testatus est, vt apud Matthæum: Nemo nouit filium, nisi pater, & nemo nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Et alio loco: Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. & rursum: Non quia patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit patrem. Quod si filius diceret sese patrem nescire (quod tamen nequaquam fieri potest) similis esset Iudæis, & mendacij iniquitate conformis atque mendax, sicut & ipsi erant mendaces. Sed quemadmodum effici neutiquam potest summam veritatem

1. Corin. 6 mendacij labe inquinari, aut supremam bonitatem peccatoribus vitiorum contagio adsimilari (quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras?) ita quoque neque filium patrem nescire. Quocirca non sunt audiendi hoc loco Ariani, Iudæis impietate per similes, aut etiam deteriores: qui oblatrant filium ipsius patris notitiam non habere, neque videre patrem, sed eum nescire, quod sit pater prorsus incognoscibilis cuiquam. Quam quidem vefaniam corroborare contendunt per illum Euangelij locum: Deum nemo vidit unquam, ex quo id consequio trahere annuntur, quod neq; patrem unquam nouerit filius: non animaduertentes, ibi de creaturis, quinimò de hominibus solum haberi sermonem. Filius autem Dei in creaturarum vniuersitate non comprehenditur, neq; omnium continetur ambitu: sed super omnia eminenter collocatur, & ab omnibus est excellenter exceptus. Omnia enim per ipsum facta sunt. Verum ipse in eorum, quæ facta sunt, numero non continetur, quia supra omnia & extra omnia est. Contestatur siquidem filius in Euangelio: Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem. Ex quo protinus absurdum esse id dignoscitur, quod filius ignoret & nesciat patrem. Quomodo enim fieri possit, ut eum nesciat, cuius uia est & vera imago, splendor gloriæ & figura substantiæ eius? Quomodo nescit et ipsum, ex cuius substantia prodijt, eandem naturæ conditionem proprietatemq; habens: qui virtus est & sapientia patris. Rectè igitur se patre scire Christus cõtestatur: tã quia ab ipso est ante secula ex eius substantia genitus, tum quia à patre missus est in mundum, dicente Paulo: Quum uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, natum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Sed percontabere forsitan, quur dominus hoc loco Iudæos mendaces appellat? Meritò quidem id facit, quoniam iactabant se scire, unde esset dominus, & tamen id ipsum ignorabant, quem admodum sequenti loco profitentur: Hunc autem nescimus unde sit. Nonne hæc sunt mendacium, & minimè cū ueritate constantiũ uerba? Hunc scimus unde sit, & hunc nescimus unde sit, omnino iater se pugnantia: Et dominus ipse paulo post cõtestaturus est ipsis, quod ipsum nescirent: ut apertè cognoscamus eos hic falsò dixisse: Hunc autem scimus unde sit. Dicit enim ipsis inferius: Neque me scitis, neq; patrem meum scitis. Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis. Quinimò & hoc loco ostendit ipsos ignorare suam originem, quum dicit: Sed est uerus, qui misit me, quem uos nescitis. Nempe si patrem nesciunt, à quo ipsi filio naturalis est origo, & filium, qui à patre sumit originem, nesciant necesse est. Verum obijcies Christum paulo antè approbasse Iudæorum uerba, quibus dixerant: Hunc autem scimus unde sit, quum ad illa subiungeret: Et me scitis, & unde sim, scitis. Quò igitur illa, quæ à domino probata sunt uerba, mendacia sunt? Quoniam etiam pacto hæc domini uerba: Et me scitis, & unde sim, scitis, coherant in ueritate cū istis haud multo post dictis: Neq; me scitis, neq; patrem meum scitis: aut quæ ratione non est in istis domini uerbis contradictio: Me scitis & neq; me scitis? Non desunt utiq; qui putant hæc uerba Christi hic prolata: Et me scitis, & unde sim, scitis: non adfertoriè esse dicta, sed reprehensoriè cum quadam interrogatione aspera, quæ faciat, ut oppositũ insinuent sensum. Ac si diceret repetens eorũ dicta cum significatione negationis: Et me scitis, & unde sim, scitis: Velitq; ex proferendi modo innuere, quod neq; ipsum scirent, neq; unde sit, cognoscerent. Sed esto, hæc domini uerba: Et me scitis, et unde sim, scitis, affirmatiuè hic prolata sint, ut pleriq; sentiunt: nihilo minus mendaces deprehenduntur adhuc Iudæi, qui suis uerbis omnino & integrè noscere se gloriabantur, exactèque & penitus compertum habere, unde esset dominus noster, cū tamen aliquantulam, & exiguam solum cognitiõis partè de illius origine secundum humanam formam, haberent: quam utiq; dominus suis uerbis responsorijs eis concedit: plura aut & potiora de natiuitate ipsius secundum carnem eos latebãt: de ipsius uerò diuinitate nihil omnino, unde prodijt, nouerunt.

A nouerunt. Siquidem, quod Mariæ filius esset secundum carnem, sciuerunt quidem, & quod ex Nazareth ratione maternæ originis esset oriundus, quod etiam ibidem educatus, & à puero diuersatus fuerat: ignorauerunt tamen sacramentum maternæ uirginitatis, quodq; de spiritu sancto conceptus, & ex matre uirgine natus fuerit. Quandoquidem ipsum putabant esse filium Ioseph & fabri filium: Rursum ignorauerunt Bethleemiticam ciuitatem esse locũ natiuitatis eius, rati ipsum (ut indicant eorum uerba) in Nazareth fuisse natum. Deniq; æternam eius à Deo patre generationem secundum diuinam substantiam prorsus ignorauerunt, existimantes ipsum blasphemum, quod filium Dei seipsum Christus dixerit, seq; de cœlo descendisse attestatus fuerit. Quocirca si ad amissim & ad uinguem singula trutinare, examinareq; uoluerimus, deprehendemus eos parum admodum de Christo unde esset, nouisse, plurima uerò & potissima ignorasse. Rectè igitur mēdaces eos nuncupat, qui sibi perfectam arrogabant originis Christi agnitionem, cuius uix benè minimam partem callebant. Præterea complura Iudæorum alia mendacia in Christum ex Euangelica narratione passim occurrent, atq; ad manũ prompta erunt, ut de ipsis meritò in Psalmis dixerit dominus noster: Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.

Matth. 13
Ioannis 6

Psal. 17

Quod Christi opera, quinimo quorumuis hominum, fato & dispositioni siderum non sunt subiecta. Caput V.



B Værebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum uenerat hora eius. Diligentibus Deũ, inquit Apostolus, omnia cooperantur in bonum: ediuerso autem, Deum odientibus, omnia, quantumlibet bona, conuertuntur per ipsorum prauitatẽ in malum. Attestatur illud Ecclesiasticus, dicens: Initium necessariæ rei uitæ hominum, aqua, ignis, ferrum, sal, lac, & panis similagineus, & mel, & botrus uuæ, & oleum, & uestimētum: hæc omnia sanctis in bona, sic & impijs & peccatoribus in mala conuertentur. Nam quæ præsertim ad uitæ emendationem his adhibentur, in suam detorquent pernitiem: perinde atq; rei uenenatæ quicquid applicueris, protinus exitium contrahit ueneni, & funesta inficitur tabe. Id suo produnt exemplo Iudæi, quibus quum ad sanandos animi languores, salutarium uerborum medicinam Christus admouisset, ipsi medicum simul & medicamenta aspernati, eo agitur furore, ut sceleratas in medicum manus iniicere tentent, freneticis per similes, qui in eos insiliunt uolenter, quos uident ad medendum ipsis accedere. Verum hunc impium eorum conatum inuisibili uirtute suæ diuinitatis refrœnuauit dominus, neq; permisit quempiam nefarias in se manus tunc iniicere: quia nondum uenerat hora, quam suæ destinauerat atque præordinauerat passioni, nondum tempus illud cõpletum erat, quo decreuerat spõte sese patri offerre pro nostra redẽptione. Non itaq; tentus est, quia noluit: qui tunc solum teneri potuit, quum uoluit. Suæ enim uoluntatis fuit, quod nunc detentus non est: sicut & suæ fuerat uoluntatis, quod postea à Iudæis captus est. Oblatus est, inquit Esaias, quia ipse uoluit. Cæterum genethliaci, & qui nostram uoluntatem Dei dono liberam, fato sideribusque subiiciunt, contendunt ex hoc loco etiam Christum dispositionibus astrorum subiacuissè: & ideo nunc non esse detentum ab æmulis, quia nondum uenerat hora illa fatalis, quam astra designauerant suæ morti. Sed non ferenda est hæc impietas, qua linguas suas in Deum quoq; exacuunt, & os suum in cœlum ponunt. Quis enim æquo animo feret, ipsius cœli & stellarum conditorem, suæ facturę legibus, quasi uinculis alligari, & ipsum, cui data est potestas in cœlo & in terra, operis sui præscriptionibus sic adstringi, ut non quum uelit, sed quum iubeat astra, mortem perferat: quum ipse tamen libera uoce proclamet: Potestatem habeo potendi ani

Roman. 2

Ecclesi. 39

Esaiæ 53

Psal. 72

Matth. 23

Ioannis 10

mam meam, & iterum sumēdi eam. Nemo tollet eam à me: sed ego pono eam, iterum sumam eam. Quòd si astra certam illi determinauerint horam, qua mortē tolleret vel inuitus, non igitur ipsi agenda sunt gratiæ, quæ nos morte sua à potestate te nebrarū eripuerit: sed astris potius, quæ ipsum ad id adegerint. Debemus autē, & agimus illi optimo iure quæ maximas gratias, quòd suo nos precioso sanguine redemerit, & traduxerit in admirabile lumen suum. Non igitur id astris est adscribendum aut fato. Atqui obijciunt aduersarij, in natiuitate eius stellam Magis apparuisse, quæ sui exortus præstaret indicium, & hanc ei fatalem, natalitiamque luisse constringunt, quæ certis collocata sedibus, ortui eius iam pridem esset destinata. Verum cum cœlestia dimetiri contēdunt, & cuius operi Christi sua assignare astra ea, quæ longè inferiora sunt & terrena, non satis prospiciunt: neque attendunt stellam illam non in dominum Christi effuluisse, sed in obsequium recens productam esse, ut Magos ad Christi incunabula perduceret, illoque expleto officio, prorsus euanuisse atque disparuisse. Nō enim fuit ea stella de numero earum, quas cœlo infixas cernimus: sed per aeris tractum serabatur, diuerso à cœlestibus astris motu. Nēpe hæc ab occidente proprio motu in orientē tendunt, illa ab oriente occidentem versus delata est. Hæc item interdū vix vnquam, aut rarēter admodum spectantur, illustriori solis iubarē, ne conspiciantur, occultata: illa verò medic etiā die sese spectabilem præbuit & conspicuam. Hæc rursum irrequieto motu semper aguntur: illa verò interdum quiescere visa, ut quum staret supra domum, ubi erat pater. Deum hæc humanis obtutibus non se subtrahunt, nisi minorem eorum splendorem maius solis lumen exterminet: illa verò nunc sese exhibuit videndam Magis, ut cum diuersarentur in orientem: nunc se negauit eorum oculis, cum scilicet Hierosolymam veniret, interrogaturi de rege Iudæorum nato: nunc verò se rursum eis reddidit contuendam, cum Bethleem versus dimissa Hierosolyma tenderet. Vnde facile intelligimus diuino nutu illam ad tempus formatam esse stellam, quæ exortum in tenebris lumē rectis corde ostenderet, & primitias gentium ad nati saluatoris crepundia perducens, ei famulatum præberet. Sed neque his contenti abeunt, aut à sua respiscunt inania, diligentes vanitatem, & querentes mendacium: sed aliud insuper adferunt ex Evangelio, quod suæ credunt impietati ad stipulari, ut pote quòd sacratissimæ matri suæ in nuptijs interpellanti filium, quòd vinum non haberent conuiuæ, respon disse legitur: Quid mihi & tibi est mulier? nōdum venit hora mea. Ex quo verbo contendunt horam à stellarum positione præscriptam fuisse, qua Christus diuinitatis suæ potentiam per miracula manifestare inciperet: quæ quoniam necdum venerat, non potuit petitioni suæ matris tunc acquiescere. Verum hæc superiorē longè exuperat blasphemiam: quia nō creaturam, sed & rerū omnium conditorē in operibus à deitate procedentibus, alligat necessitati syderū, ut non possit Deus (qui facit mirabilia magna solus) quicquid naturæ insolitum operari, nisi id à cœlo sibi permissum fuerit. Sed quid, obsecro, indignius de Deo dici possit, quæ eum, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eius nomina vocat: qui cœlos fecit opera digitorum suorum, lunamque & stellas fundauit: qui emittit lumen, & vadit, & vocauit illud, & obedit illi in tremore: cui stellæ dederunt lumen in custodijs suis, & latatae sunt, vocatae sunt, & dixerunt, adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas: eum, inquā, ita adstringi legibus astrorum & fati, ut ex ipsis pendeat determinatū tempus, quo immensa virtute sua miracula operetur? Ita enim opificem suo subdunt opificio, & artificem suo operi, Deumque negant omnipotētem, ut qui nulla possit operari, nisi consentientibus astris: maioremque vim stellis, quæ Deo adscribunt, quæ illi tempus & horam mira ostendendi diuinitatis opera præscribant atque definiant. Non itaque hic verborum domini, quibus suæ sacratissimæ matri respondit, sensus est, quem ipsi constringunt. Sed quoniam illa accommodum miraculo tempus præuenire atque anticipare visa est, respondit Christus, nondum opportu-

Obiectio-
nes aduer-
siorum
& dilutio-
nes.

Matth. 2

Psal. 111

Psalmo 4

Ioannis 2

Psal. 135

Psal. 146

Psalmo 8

Baruch 3

num aduentasse tēpus, & horam tempestiuam ostendendi miraculū: sed tantisper differendum esse, quod petisset, quoad opportunitas commodior adesset: qua quidem oblata, dulcissimæ suæ matri obsequutus est. Cæterum quid contendimus Christum ab astrorum fatali necessitate liberum vindicare, cum illi minimus quidem hominum subiectus sit, ut eius opera ex libertate voluntatis prodeūtia à cœlo dependeant? Si enim id dederis, nulla laus rectè agentibus debetur, nec præmium, ut qui à cœlo ad bene beatęque viuendum impellantur: quinimo neque exhortationes, aut consilia adhibenda sunt, quibus rectè viuatur. Quandoquidem adigentibus ad bonum astris, nullo pacto reluctari quis possit. Frustrā igitur regni cœlorum repromissio ijs fit, qui mandata Dei seruauerint, & ad vitam ingredi volentibus mandata Dei seruanda proponuntur. Rursum prauè agentibus nulla debetur vituperatio aut pœna, si operationes omnes humanæ ex fato proueniant. Nā cum ad malè agendum homines cœlum impellat, non possunt ipsi id malum deui rare. Nemo autem rectè culpatur ob id, quod in sua non est situm potestate. Frustrā igitur æternæ pœnæ comminationes in scripturis continentur ad deterrendum à malo, & ne quicquam fiunt dissuasiones à prauo opere, in vanum prophetæ & Evangelia nos à vitijs reuocare conantur: quandoquidē id in nobis constitutum non est, ut à malis operibus temperemus. Sed & aliud longè grauius sequitur incommodum, Deum scilicet optimum rerum autorem meritò incusandum, & inculpandum esse, qui cœlum fecerit omnium malorum causam, quæ ab hominibus perpetrantur. Cum enim furta & homicidia meritò damnentur, iure & illud damnandum est, unde tanta mala ad homines emanant, scilicet cœlum. Quare valentiori ratione & Deus accusabitur, qui cœlo indiderit vim illam impulsiuam hominum ad mala. Videte obsecro, quoniam pacto hæc impia absurditas in Dei redit dat iniuriam & contumeliam: eumque qui in suis operibus omnibus laudandus est, ostendit ob sua opera reprehensionem obnoxium. Ad hæc, nō rectè Propheta cœlos ad Dei laudem inuitasset, dicens: Laudate eum cœli cœlorum, cum ob cœlos, à quibus omnis scelerum eluuiēs secundum fatorum positores profluit, non laudandus esset Deus, sed vel maximè reprehendendus. Falsum enim esset, quod proponit Genesis: Quòd vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Nēpe in principio creauit Deus cœlum & terram, & opera manuum suarum sunt cœli. Porro non essent cœli in numero bonorū habendi, ut à quibus mala cuncta defluerēt in homines. Nunquid enim potest suapte natura bonum alios in mala pertrahere: aut si quid alios ad praua perpetranda inducit, nōne protinus illud est malū? Atqui omnia à Deo condita, bona esse perspicuum est: nō igitur cœli autores sunt, ut fiat homo deterior, aut illorū influxu perpellatur ad facinus. Quòd si quis pertinacius afferere contendat, protinus tollit humanæ voluntatis libertatē, qua sola cæteris animantibus præstamus. Quomodo enim liber is fuerit, qui boni quicquid agere non potest, nisi suo influxu eidem astra aspirauerint ad id opus? Quoniam etiā pacto liber ille censendus est, qui refugere imminens malum non potest, quoniam astrorum positio illi tale prauum opus destinauit? Sublata autē libertate hominis, tota illi sustollitur dignitas suæ conditionis: & ipse, qui inter creaturas corporales primatum tenet, anima rationali mirificè dotatus, indigna seruitute cœlo subijcitur, corpori quidem inanimato, & vitæ experti. Sed quis hanc modestè feret naturæ in deteriora mutatam sortem? Exurgant homines, & generoso animo natiuam suam nobilitatē tuteantur: non patiantur, oro, se in tantum indignitatis gradū deprimi. Præterea Ecclesiasticus hominis naturam explicans, inquit: Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta sua. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi. Si autē à cœlo pendeat bonum aut malum hominis, ut fatidici, imò falsidici adstruunt, quō

Nemo fatali necessitati subiectus.

Matth. 19

Psal. 142

Genesis 1
Psal. 108

Ecclesi. 15

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

Osee 13

Psal. 33

1. Ioann. 5

Matth. 11

relictus est homo in manu consilij sui, vt ad quod voluerit, porrigat manum suam: non enim tunc, quod placuerit ei, dabitur illi, sed quod cœlo placuerit. Insuper Osee propheta humani mali causam explanans: Perditio, inquit, tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Quod si cœlum ad perditos & peruersos mores animos humanos inflectit, non ex nobis est perditio nostra, sed ex cœlo, cui ad praua despectenti contraniti non possumus aut resistere. Deniq; inuenietur & Deus iniustus, qui omnibus præcepit per prophetam, declinare à malo, & facere bonum cohibere linguam à malo, & labia ne loquantur dolum. Id autem plerisq; erit impossibile, vt ijs, qui ex astrorum aspectu, & situ cœli à bono redduntur alieni, ad malum adacti, ad dolos, fraudesq; concinnandas impulsu. Atqui nihil impossibile factu præceptum nobis est, quia (vt ait Ioannes) mandata Dei grauius non sunt. Tollite (inquit saluator noster) iugum meum super vos, iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Non igitur ponenda sunt hominum fata.

Caput VI.

Ibidem.

Esaia 66

Esaia 35

DE turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus quum venerit, nunquid plura signa faciet, quam quæ hic facit? Dominus noster in spiritu exultans (vt ait Matthæus) inquit: Confiteor tibi pater cœli & terræ, quoniam abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ecce paruulis spiritu & humilibus reuelata sunt diuinitatis Christi mysteria, quoniam de turba, simpliciq; & vulgari plebe multi crediderunt in eum. Vt igitur per Esaia prædixerat: Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperulum & contritum spiritu, & trementem sermones meos: Nunc ad pauperulos oculo benignitatis respexit, quum eis syncerum veræ fidei lumen infudit. Ne autem imbecillum & infirmam eos fidem in Christum habuisse credas, rationem adferunt, qua ad credendum, quod ipse reuera sit Christus, non inaniter persuasi sunt. Signum, inquit, Christi in lege promissi, & à prophetis prænunciati, id inter cætera constitutum est, quod multa debeat signa facere, & miraculorum splendore clarescere. Dicit enim de illo Esaia: Deus ipse veniet, & saluabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut ceruus, claudus; & aperta erit lingua mutorum. Iste autem mira virtute tantum operatur signa, vt non facile sit creditu quempiam postea futurum, qui tanta potestate, solo verbi imperio, tot & tanta sit miracula operaturus. Cū enim venerit Christus, quem Pharisei prædicant futurum (quia in vulgus certatim diffeminant hunc non esse Christum, sed alium, nescimus quem, expectandum) an putas plura faciet signa, quam hic nostris coram oculis quotidie facit: Non est id reuera satis credibile, aut à quoquam recipiendum. Hic igitur verus est Christus: neq; præter eum alius in posterum expectandus est.

Caput VII.

Vdierunt Pharisei turbam murmurantem de illo hæc, & miserunt principes & Pharisei ministros, vt apprehenderent eum. Nihil magis animum torquet inuidum, quam audita illius laus & præconia, in quem stimularur inuidia. Nam quum in illum maligno afficiatur animo, & ipsum perditum iri summopere affectet, si contra audiat eum laudibus extolli, id venenatum excruciat animum, & acrioribus dolorum stimulis perurget. Hoc morbo graui laborant Pharisei, ægrè ferentes turbam tacitis etiam verbis, & pressis ferè labijs sub silentio id de Christo testificari, quod eorum repugnet sententiæ. Hinc grauius solito sæuientes, ministros miserunt, qui comprehenderent Iesum. Sed in vanum laborauerunt, nescientes Dei virtutem, quæ toties experti fuerant, quoties comprehendere eum fuerant annexi, sed ab improbo suo conatu viqua-

IN EVANG. B. IOAN. LIBER V.

193

A quadam occulta repressi. Debuerant itaque cogitare, quod & à ministris comprehendendi non posset, nisi vellet, qui sapius eos impediuerat, ne manus in eum, quum nollet, mitteret. Miserunt autem ministros Pharisei, vt si aliquis suboriretur in populo tumultus contra volentes comprehendere Iesum, ministri quidem essent illi periculo obnoxij, ipsi autem exempti, & à discrimine tuti. Sic sapietia humana alios obiecit periculo, quod ipsi subire non sunt ausi.

Caput VIII.

Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui me misit, & non inuenietis, & vbi ego sum, vos non potestis venire. Missi quidem sunt ministri ad apprehendendum Iesum, sed ipse salutaria eis verba profundit, quibus ediuerso capiuntur. Missi sunt ad eum ligandum, sed ipse contra felicibus suæ doctrinæ vinculis eos astringit, prædicatq; eis, quod modicum adhuc tempus cum ipsis futurus sit, scilicet vsq; ad horam suæ passionis & consummationem mysterij redemptionis humanæ, quo peracto, se rediturum dicit ad patrem per ascensionem, à quo missus est. Ne autem negligentes sint ad eum quærendum, quum adhuc sese eis exhibet præsentem, sequanturq; Esaia monitum, dicentis: Quærite Deum, dum inueniri potest: inuocate eum, quum prope est. prænunciat eis, quod quum abierit, magno quidem desiderio quærent eum, petentes videre vnum diem filij hominis, sed non inuenient. Sanè post ascensionem quæsiuerunt eum illi pio affectu, qui Petro prædicante compuncti sunt corde, dicentes: Quid faciemus viri fratres? non tamè cor pore præsentem inuenerunt, quamuis secundum diuinitatis præsentiam eis non defuit, secundum quam nobiscum est omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. In miserabili etiam exterminio vrbs Solymæ facta à Romanis paulo post Christi passionem, Iudæi qui tunc superstites erant, & miracula Christi viderant, vbi eis in mentem venit præclaræ suæ virtutis & signorum, optabant quidē Christum habere tū præsentē ad sui liberationē ab imminente excidio, quod satis animo coniectabant si bi immitti ob iniustam mortem Christo illatam: non tamè eum propugnatorem aut auxiliatorem inuenerunt, quia iam derelicta eis fuerat domus sua deserta. Deniq; ne nudum ipsura esse hominem existimarent, humilibus alta suo more permiscens, diuinitatis suæ naturam, qua est immutabilis cum patre, subinsinuat dicens: Et vbi ego sum, vos nos potestis venire. Non, vbi ero, dixit, quia id ad humanam duntaxat conditionem attinisset, qua iturus erat ad patrem, sed vbi sum, secundum deitatis substantiam, qua semper in patre & cum patre est, neque à patris gloria discedit vnquam. Quemadmodum prius apud hunc Euangelistam dixit: Vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit: & filius hominis, qui est in cœlo. Ad hanc ergo gloriam, in qua Christus inseparabiliter est cum patre, non potuerunt Iudæi peruenire. Aut tunc cum eis loqueretur, si qui fortè ex eis erant credituri, & postea illuc peruenturi, quia nondum erat aperta ianua cœli: aut nunquam, propter incredulitatem eorum, qui ad finem vsque in suo peccato erant perseveraturi. Non enim potuerunt hi peruenire ad gloriam cœlestem, quia noluerunt poenitentiam agere de malis suis: quorum grauitate viam sibi cœli præcluserunt, obstaculumq; posuerunt propria sponte, ne ad vitam ingrederentur.

Caput IX.

Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos: Quo hic iturus est, quia non inueniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est & docturus gentes? quis est hic sermo, quem dixit: quæretis me, &

KK iij me, &

me, & non inuenietis, & ubi sum ego, vos non potestis venire? Apostolus C
 1. Corin. 2 ad Corinthios scribens, inquit: Carnalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt. Nam
 quia carnaliter affectus est, secundum carnem quoque omnia iudicat. Ita Iudæi mo
 re suo carnaliter Dei verba intelligentes, neque capientes eum de reditu ad cœle
 stia regna, vnde ad nos descenderat, sermonem agere, ad terrenum labuntur sen
 sum, à vera intelligentia longè abhorrentem. Sciscitantur enim (quia eos latuit
 veritas) an verbis illis significare velit Iesus, se in dispersionem gentium iturum,
 & docturum gentes, cum contumelia quadam & contemptu gentium, tacitaque sui
 gloriatione id proloquuti. Gloriabantur enim apud seipos, se eodem collectos so
 lo certas habitare sedes, & separatos à gentibus certis concludi finibus. Gentes
 verò passim dispersas, & sparsim diuersa incolentes loca, per totum mundi ambi
 tum vagas esse designabat, seque eo ipso illis præferebant. Verùm nunc mutatus
 est rerum ordo, & vtriusque populi conditio in oppositum conuersa. Gentes enim,
 quia oblatam fidei gratiam promptè & audè susceperunt, à dispersione diuersi
 cultus, rituumque & superstitionum, adductæ sunt ad fidei vnitatem, & in vnum
 Christi veri pastoris ouile collectæ. Iudæi verò, quia non cognouerunt tempus
 visitationis suæ, & bonum pastorem (qui se venisse professus est ad oues, quæ pe
 rierunt domus Israel) à se repulerunt, in direptionem, dissipationem & disper
 sionem dati sunt iusto Dei iudicio. Id planè Iudæis futurum prædixit dominus
 noster, quum de euerfione Hierusalem loqueretur. Et captiui, inquit, ducentur in
 omnes gētes, quæ quidem dura eorum captiuitas in hodiernum vsque diem durat
 ut verè in eis cōpletum cernatur, quod dixit Propheta: Quod multos dies sedebat
 filij Israel sine rege, sine sacrificio, & sine altari. Quinimò & rerum futurarum igna
 ri Iudæi hic videntur prænuccialle, quod postea rei exitus comprobauit: ut pote
 dominum nostrum per apostolos suos in dispersionem gentium esse iturum & do
 cturum gentes. Quod quum alij, tum beatus Paulus se Dei præcepto factitare do
 cuit, ad Iudæos dicens: Vobis oportebat primum prædicare regnum Dei, sed quo
 niam repulistis illud, & indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gē
 tes: sic enim nobis præcepit dominus. Verùm id inconueniens censeretur non debet,
 si dixerimus Iudæos ipsos, quum in hæc proruperunt verba de Christo: Nunquid
 in dispersionem gentium iturus est, aut docturus gentes: nesciuisse quidem quid
 dicerent, sed quia Deus voluit, ipsos prophetaffe, diuinoque quodam instinctu præ
 dixisse, quod futurum erat. Quemadmodum & Caiapham pontificem omnino i
 gnarum mysterij passionis dominicæ, & quantus ex illa penderet humanæ salu
 tis fructus, Euangelista prophetaffe scribit, quod Iesus moriturus erat pro gente,
 quum hæc protulit verba: Expedit vobis, ut vnus homo moriatur pro populo, &
 non tota gens pereat. Si quidem iturus erat dominus ad gentes, non præsentia cor
 poris sui, sed discipulorum suorum pedibus, in quibus & ipse iuit & docuit gentes,
 quum dicat Euangelista de discipulis: Illi autem profecti, prædicauerunt vbiq; do
 mino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Ecce cooperatus
 est dominus suorum præconum verbis, quorum gressibus (ut ita dixerim) & ipse
 ad gētes est profectus, & quorum lingua ipse quoque gentes edocuit. Et tunc imple
 tum est, quod longè antea prædixerat in Psalmo propheta: Populus quem non co
 gnoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. At quomodo in auditu auris
 obediuit Christo populus gentium, nisi quoniam præcones eius audiens, ipsum quæ
 in eis loquentem audisse dicat: Idè quoque Propheta in spiritu prænucciauit & alio
 loco id beneficiū visitationis gentium à domino esse præstandū, cum ait in Psalmo
 In Idumæam extendam calciamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt. Nèpe Idumæa
 (quæ terrena siue sanguinea interpretatur) populū gentile significat, terrenis tunc
 actibus deditū, & sanguine hostiarū suis idolis immolatarum aspersum, quinimò
 & mul-

A & multis peccatis, quæ sanguinum nomine appellantur, obnoxium. Calciamentum
 verò domini, Euangelium dicitur, quod ita affectus nostros munit à noxijs huius
 mundi curis & cupiditatibus, quæ spinarū more pungunt: sicut calcei muniunt pe
 des corporis, & protegunt à vepribus & sentibus acuminatis: quemadmodum à
 pedibus nostris carnalibus munimenta calceorum quascunq; molestias atq; lætio
 nes repellunt, ut sine offendiculo vias quascunq; peragremus, haud secus Euangei
 ca institutio vitam nostram & mores rectè dirigit: ut tali præsidio circumfulti, pere
 grinationem huius mundi sine aliqua læsione pertranseamus. Hinc scriptum legi
 mus in Propheta: Quam pulchri pedes euangelizantium pacem, annunciantium bo
 na. Et à Paulo dictum etiam cōperimus: Calciati pedes in præparationem Euange
 lij. Itaque in Idumæam extendit dominus calciamentum suum, quando Euangelij
 sui prædicationem vsq; ad homines terrenos extendens, omnes gentium regiones
 Euangelica annunciatione compleuit, ut apostolorum ministerio dinoscatur com
 pletum, quod longo antè tempore fuerat prænucciatum. Alienigenarum autem
 siue allophylorū nomine, in prædicto Psalmo loco signantur etiam gentiles, ante pro
 mulgationem nouæ legis à Deo penitus alieni. Et hi prædicatione discipulorū admi
 niculante facti sunt Christo subditi, quado ex diuersis gentibus diuina miseratiōe
 collecti populi, Christianam fidem promptè & serueter sunt amplexi, Euangelicisq;
 præceptis sponte colla sua submiserunt. Quod hi huiusce protectionis Christi ad
 gentes & subiectionis earum per doctrinam Euangelicam ad fidem figura expo
 scitur, in secundo Regnorum libro admodum apta occurrit, offerturq; legentibus
 vbi Dauid in regno Israel & Iuda stabilitus, regionem Moab, Palæstinos, & vniuer
 sam Idumæam legitur subegisse sibi, atq; in seruitutem redigisse. Quod planè insi
 nuabat Christum (qui verus est Dauid, & manu fortis, vultuq; desiderabilis) post an
 nunciatum per totam Iudæam Euangelium, acceptumq; spirituale regnum tran
 sisse ad gentes, ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum, & illas itidem
 ministerio apostolorum suo regno adiecisse, quando abiectis idolis Christum cō
 fessæ sunt, & eius fidem receperunt.

Caput X.

IN nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus & clama
 bat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me,
 sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.
 Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Non
 dum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Rectè
 dicit Ecclesiastes: Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cœ
 lo. Tempus enim tacendi, & tempus loquendi. Quam temporis opportunitatem
 commodè hic seruauit dominus. Nempe primus dies solennitatis paucos adhuc
 habuit præsentem exteros & infrequens auditorium. Medijs dies festi, voluptati
 bus & mundi negocijs potius, quam Dei cultui adhibebantur. Nouissimus autem
 dies, & maiorem habuit præsentem auditorum numerum, & delitijs finem impo
 suerat, quum iam de reditu foret cogitandum. Itaque eo die tanquam cæteris commo
 diore, ipse fons vitæ exuberantissimus, omnes veram sitientes doctrinam, & Dei
 cognitionem habere desiderantes, dulciter inuitat, ut ad se veniant, & bibant po
 tum illum salutarē, qui animam reficiat, & oēm æstum cupiditatum huius mudi re
 stinguat. Neque modica, breuiq; mēsurā se illis, quod bibant, præstiturū pollicet: sed in
 tanta affluentia, ut de ventre eius, intimoq; cordis arcano, flumina aquæ viuæ, varia
 scilicet sancti spiritus dona, & gratiarū charismata in alios profluant. Enimvero ar
 gumentū abundantia interioris, est copia in exteriora deriuatio. Nāq; cum fontem
 videmus vicinos agros suis irrigantē fluentis, illū fœcundū & aquis exundantē eo
 signo

signo cognoscimus. Quum itaq; tanta futura sit aquæ viuæ in credentibus in Christi copia, vt instar fluminû emanet & defluat in alios, quanta putandû est largitate, quanta vbertate, aquam illâ spiritualē & mysticam in intimis credentium visceribus scaturire. Nomine autem aquæ viuæ, dominus hoc loco (vt exponit Euangelista) spiritus sancti dona, gratiamq; significat, sicut ipse alio loco ad Samaritanam dicit: Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo, non sitiet iterum, sed fiet in eo fons aquæ salietis in vitam æternam. Et Ecclesiasticus: Cibabit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Salutaris nimirum aqua, quæ noxiam huius mundi sitim, & vitiorum ardorem prorsus extinguit, sordes omnes peccatorum eluit, animæ nostræ terrâ cœlesti imbre irrorat atq; fecundat: & ad solû Deû anhe lo spiritu mentem humanam sitientem reddit. Hac aqua largiter potatus fuit Propheta, quum totus ad Deum suspirans, dixit: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei: & rursum: Sitiuit in te anima mea. Qui hanc aquam parui facit, neq; curat haurire, aridus relinquitur, & omni virtutis fructu priuatus, vt populus Israëliticus, de quo p̄ Hieremiam conqueritur dominus: Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Porrò quod credentes in dominum accepturi erant spiritum, & nondum acceperant, rationem reddit Euangelista, dicens nondum spiritum sanctum in credentes esse effusum, quia Iesus nondum per ascensionem in cœlû, & reditum ad patrē erat glorificatus. Verum percontabitur quispiam, quare tempus glorificationis Christi expectandum erat, vt mitteretur spiritus in mundum: Potuissetne mitti, anteq̄ resurrectione sua, & regressu in cœlum Iesus erat glorificatus: At non æquè cōmodum fuit & tempestiuum, spiritum ante Christi glorificationē dari: tum quod vnus aderat carne præsens cōsolator & illuminator, cuius doctrina & lux tum sufficebat ad hominum illustrationem: tum quod spiritus sanctus potissimum missus est, vt hominû corda ab amore præsentis vitæ ad futuræ vitæ bona traduceret, & cōtempis visibilibus, inuisibilem affectum induceret. Id autem non vsq; aded opportunè factum fuisset, quum homines nullo adhuc fuissent exemplo edocti, quæ speranda sint futuræ vitæ præmia. Quum verò per resurrectionem Christi à mortuis, & in cœlos ascensum, viderint in capite præcessisse futuræ vitæ gloriam & exēplum, facilius persuaderi potuerunt, hæc quoq; in membris esse speranda: & missus est spiritus, qui hanc spem iactis iam à Christo fundamentis corroboraret. Ad hæc, complenda erat prophetia dicens: Quod ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. In qua designatur prius Christus ascendere debere in cœlos, & nostram captiuitatem sua virtute captiuam ducere: deinde verò spiritus sancti dona in filios adoptionis effundere, quod vtiq; eodem ordine seruat, in Christo completum est. Sed obijcies fortasse, quomodo ante Christi glorificationem & exaltationem ad dexteram patris, non est datus spiritus: An in spiritu sancto inspirati, locuti sunt propheta: Nonne in sacratissimam virginem Mariam superuenit spiritus sanctus, quum filium Dei esset conceptura: Nonne Ioannes Baptista spiritu sancto repletus est adhuc ex vtero matris suæ: Parentes item eius etiam spiritus sancti gratia repleti in Euangelio leguntur, & lōgo quidem tempore ante Christi glorificationem. Rursum post resurrectionem insufflauit Iesus in discipulos suos, dicens: Accipite spiritum sanctum, necdum tamen cœlos triumphans conscenderat. Fuit quidem, antequam glorificatus esset Christus, plerisq; datus spiritus sanctus. Sed non ea apparitione atq; datione, qua post glorificationē datus est, de qua peculiari ratione & modo præsens scripturæ locus intelligitur. Nunquàm enim antea in specie linguarum ignearû apparuit spiritus sanctus, neq; eos, in q̄s descēdit, reddidit omniû linguarum peritos, neq; omnē edoctos veritatem, aut per

Ioannis 4
Eccli 15

Psal. 41

Psal. 62

Hierem. 2

1. Petri 1
Lucæ 1

Ioannis 20

A aut per totum mundum Euangelij præcones, & contra improborum persecutiones impavidos & fortes, vt post Christi ascensionem reddidit spiritus sanctus apostolos. Non itaq; nunquàm antea fuit spiritus sancti datio, sed non fuerat vnquam talis, qualis post Christi ascensionem facta. Et propter hanc nouam dandi spiritum rationem dicitur antea non fuisse datus.

Caput XI.

Hilla ergo turba, quum audissent hos sermones eius, dicebant: Hic est vere propheta. Alij dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Nunquid a Galilæa venit Christus? Nōne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethleem castello, vbi erat Dauid, venit Christus? Dissensio itaq; facta est in turba propter eū. Quidam autē ex ipsis volebant apprehēdere eum: sed nemo misit super illū manus. Diuersas hominum de domino nostro sententias paucis hic aperit Euangelista ex ijs verbis obortas, quibus omnes, vt in se crederent, inuitarat, & quàm magna fideles manerent præmia, & consequerentur bona, monstrauerat. Nempe quidam rectè de eo senserunt, hi ipsum verè prophetam, illi verò Christum esse affirmantes. Verè enim propheta erat: non de infimo prophetarum grege aut medio, sed ceteros omnes vt dominus prophetarū excellens, & vnicus ille, de quo Moses prædixerat: Prophetam de medio fratrum vestrorum suscitabit vobis dominus Deus vester, ipsum sicut me audietis. Et ipse seipsum prophetam, & esse, & nuncupari inuuit, quum dixit: Nemo propheta sine honore est, nisi in patria sua. Et rursum: Non capit prophetam perire extra Hierusalem. Christus itidem est dominus noster. Nam vt inquit Petrus, eum vnxit pater spiritu sancto. Quam vnctionem mysticam propheta quoq; non tacuit, quum ait: Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ cōfortibus tuis. Et nobis suę vnctionis participationem benignissimè elargitus est pariter & nominis, vt ab eo Christiani denominemur & simus. At verò alij de turba contrà senserunt eum non esse Christū, rationeq; ad suam comprobendam sententiam sunt vsi, quod secundum scripturarum testimonium non erat ex Galilæa venturus Christus, sed de semine Dauid, & ex Bethleem castello Iudææ. Et hic quidem neq; rectè scripturas scrutati sunt, quæ testimonium de Christo perhibent: neque locum natiuitatis domini satis attentè indagauerunt. Si enim scripturas diligentius inuestigassent, inuenissent vtiq; de eo dictum: quoniam Nazaræus vocabitur (quum apud Esaiam legatur: Egredietur virga de radice Iesse, & Nazaræus de radice eius ascendet) quoniam parentes eius de Nazareth ciuitate Galilææ erat oriundi, & ipse (sicut Lucas testatur) in Nazareth erat enutritus, & etiam conceptus. Insuper de semine Dauid Christum nasciturum prædixerant propheta, vt Hieremias: Ecce dies veniunt, dicit dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam. In Bethleem itidem eundem nasci debere, scripturæ meminerunt, vt Micheas: Et tu Bethleem terra Ephrata, paruula es in milibus Iuda: ex te enim mihi egredietur, qui sit dux in Israel. Quem quidem scripturæ locum Scribæ & Pharisei ab Herode rege interrogati, vbi Christus nasceretur, adduxerunt. Verum hæc omnia in domino nostro completa sunt: nam ex semine Dauid secundum carnem natus est, & in Bethleem castello Iudææ ciuitate Dauid, vt Euangelica apud Lucam narratio satis fidem facit. Itaq; hallucinati sunt isti ratiocinatores, quod crediderint dominum in Galilæa, non in Bethleem natum esse, neq; nutritionis & cōuersationis inter homines locum, à loco natiuitatis Christi discernere studuerunt. Demum alij nō tantum credere recusant, vt priores: sed & psequi eum an nitūtur, & comprehēdere ipsum pro animi sui malignitate volebāt. Sed nemo misit super

Deuter. 18

Matth. 13
Lucæ 13

Act. 10
Psal. 44

Matth. 9

Esaiæ 11

Lucæ 4

Hierem. 23

Mich. 5

Matth. 3

Lucæ 3

Ioannis 1

Ioannis 7

Ibidem,

Mich. 5

Pfalm. 34

Prouer. 26

misit super ipsum manus: quoniam nondum ipse apprehendi voluit. At verò hoc loco percontari quispiam non abs re posset, quur Nathanaelem in superioribus dicentem Philippo: A Nazareth potest aliquid boni esse? commendauit Christus vt verè Israelitam, in quo dolus non est. Istis autem disceptantibus inter se, & dicentibus: Nunquid à Galilæa venit Christus? nihil hoc loco respondet, nihil exponit, quum tamen vnam eandemq; sententiam & ille prius protulerit, & hi nunc proferrant. Prompta est responsio, non eodem animo atq; affectu & hos & illum loquutum esse. Siquidem Nathanael audiens à Philippo Christum de Nazareth esse oriundum atq; prodijisse, interrogauit, an à Nazareth tantum & tam præcipuum bonum posset enasci, desiderio tantum veritatis agnoscendæ, & ex diligenti veterum scripturarum (quas optimè callebat) indagine. Idcirco & à domino laudatus est, & sacramentum diuinitatis Christi plenius edoctus. Isti verò non discendi gratia quærebant, nunquid à Galilæa venit Christus, sed vt Christi gloriã penitus euerteret atq; extingueret, volentes his interrogationibus alios in eam adducere sententiã, quòd non esset ipse Christus, & conceptam ab alijs opinionem de domino nostro quòd esset Christus, omnino mentibus illorum euellere & extirpare per astutas suas & callidas interrogationes. Qui enim sibi ipsi contraria loquebantur, & nunc neminem, vnde Christus veniret, scire: nunc autem eum ex Bethleem esse adserabant, constat etiam, si didicissent, eos esse contradicuros veritati. Ideo non exposuit ipsis dominus rem ipsam quam interrogabant, neq; latius aperuit. Quòd si dinoscendæ veritatis cupiditate tenebantur, quare Christum sincero affectu non in terrogarunt, dicentes: Quum alia quidem omnia in te admiremur, iubes autem tibi secundum scripturas credi: dic nobis, quomodo id fieri debeat. Scripturæ enim dicunt ex Bethleem ipsum venturum, tu autem ex Galilæa venisti. Et tunc digni habiti fuissent, quibus veritas ipsa aperiri, declarariq; debuisset. Verum nullis huiusmodi verbis vsi sunt, sed omnia versute & peruersè loquebantur, denique quòd nihil vellent discere, statim significat Euangelista subiungens, quòd quidam ex ipsis volebant illum comprehendere, sed nemo misit super illum manus: quòd diuina essent virtute ab improbo illo conatu occultè repressi, quod certè eos, etsi nihil aliud, saltem compungere debuisset. Verum nō sunt compuncti, vt inquit Prophetas: Dissipati sunt, & non sunt compuncti. Eiusmodi enim conditionis malitia est, nulli vult cedere, ad vnum tantum respicit, vt eum cui insidiatur, perdat. Sed meminisse debuerūt, quid dicit scriptura: Qui fodit foueam proximo, in eam incidit, quod certè ipsis tunc vsu venit. Ipsi enim volebant Christū interimere, vt eius prædicationem tollerent, sed contrà euenit. Siquidem prædicationis Christi gratia floruit, illorum verò doctrina extincta perijt, patriam, libertatem, dominatum & cultum veterem perdiderunt, & omni priuati sunt felicitate, in seruitutē & miseram captiuitatem abducti.

Capitulum XII.

Venerunt ergo ministri ad pontifices & Phariseos, & dixerunt eis illi: Quare non adduxistis eum? Responderunt ministri: Nūquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur. Responderunt ergo eis Pharisei: Nunquid & vos seducti estis? Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariseis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt. Magna est ministrorum ad credendum facilitas & promptitudo: magna quoque ad perhibendum Christo testimonium coram æmulis constantia. Vnum tantum sermonem Christi audiuerunt, nullis visis signis, & in eum credunt. Pharisei autem toties audito Christo, toties inspectis eius signis, credere renuūt, & indies magis ac magis corde obdurescūt. Deinde capti verbis Christi ministri

A ministri non dubitant ad eos redire, à quibus missi fuerant, neq; trepidant illorum conspectui sese rursus offerre. Reuersi & interrogati nō cauillantur nimiam turbam aut timorem tumultus, ob quem capere eum non possent, neq; sese excusant, quòd ob multitudinem populi non potuerint ipsum apprehendere, sed reiecta omni formidine & tergiuersatione, præcones efficiuntur admirandæ Christi doctrinæ, dicentes: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur. Si verba eius (inquiunt) arrectis audissetis auribus, haud secus ac nos cæseretis ipsum non aliorum hominum more, sed supra hominem loqui, esse eq; in eo diuinum aliquid, quod aliorum hominum naturam excedat. Nēpe verba eius animos vigore suo penetrant, feriuntq; intima cordis, & vel inuitos ad sublimia & alta de eo cogitanda pertrahūt. Sensimus animos nostros, fatemur (nescimus quomodo) præter solitum & in aliud mutatos raptos in sueto more, & sermōibus eius mirum in modum delectatos. Non igitur interrogate, quare eum non adduxerimus: sed graue nefas credite à nobis fuisse perpetratum, si tali doctrina, verboq; cœlesti præditum virum alligare tentassemus. Cæterum Pharisei his ministrorum verbis non mitigantur animo, sed accenduntur in iram, & grauius in eos commouentur: Improperantes cum acerba interrogatione, quòd & ipsi ministri seducti essent, qui tam facile & leuiter Christo credidissent; quod suo ipsorum exemplo comprobant, in medium adducetes, quòd nullus principum aut phariseorum, qui legē Mosi callēt, & scripturarum habēt peritiã, in ipsum crediderunt. Et inde colligunt minimè in Christum esse credendum, sed ipsum vt seductorem populi habendum. Verum id falsò dicunt, nullum principum in Christum credidisse. Nam & Nicodemus vnus ex eorum numero verè credidit. Et vt posterius dicit Euangelista: Multi principes Iudæorum crediderunt in eum; sed non palam confessi sunt suam fidem, ne de Synagoga eijcerentur. Deinceps vbi res ita sese haberet, quòd nullus principum in Christum credidisset, non protinus consequēs est, alios in ipsos nequaquam credere debere. Nempe si primatum tenētes in populo, & rerum moderantes habenas, mandata Dei non seruant, non æquo animo ferunt iniuriam, non reddunt alienum, non tribuunt cuiq; quod suum est: quis sanæ mentis hinc duxerit argumentum ea à subiectis & inferioribus non esse facienda, vtpote non obseruanda Dei mandata, neq; remittendam iniuriã? Nemo apud se (si sapiat) hac vtañ ratiocinatione: Qui nobis præfunt, hæc non faciunt, neq; igitur nobis eadē facienda sunt. Non enim quid non faciant attendendum est, sed quid facere non debeant. Sicut neq; ediuerso, si qui maiore sunt autoritate in populo, ea perpetrant, quæ Dei lege prohibita sunt, si voluptariam agunt vitam, si congerendis inhiant pecunijs, si honores ambiunt, non continuò persuadere debemus eadem & licita esse, & nobis quoq; imitanda, quòd non tam quid agant, quàm quid agere debeamus, sollicitè pēsandum nobis est. De talibus enim mali committendi exemplo scandalum alijs inferentibus dicit dominus: Cæci sunt & duces cæcorum. Cæcus autē si cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt. Si enim nullus se præcipitem agere vellet in fluuium, aut in puteum decidere, quia alium oculis captum videt sese demergentem in flumen: cur maiorum exemplo inducimur ad mala impudenter agenda? cum de ijs, qui præfident, in Euangelio dictum meminimus: Super cathedram Mosi sederunt Scribæ & Pharisei, quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, nolite facere, dicunt enim, & non faciunt. Itaq; nullus ab ijs, qui in altiore sunt dignitatis gradu cōstituti, peccandi sumat patrociniū, quoniam non præstabit illi, quos peperam imitati sunt, suis sectatoribus grauium pœnarum refrigerium aut leuamen. Solus nobis constitutus sit vitæ dux, morumq; magister Iesus Christus, quem vnum sequamur, cuius mandata & animo & opere tenentes, nusquam aberrabimus: sed via incedentes regia, neq; ad dexteram, neq; sinistram declinabimus. Demum Pharisei alto supercilio alios omnes contemptui habentes, & sese cæteris

Ioannis 3
Ioannis 12

Matth. 15

Matth. 23

fuo more præferentes, cum stomacho ministros aspernantur & reijciunt. Nimirum (inquiunt) si leui credulitate à recto veritatis tramite abducti estis, quoniam non nouistis legem. Quicumque autem legem non nouerunt, & stolidi sua simplicitate faciliè in deuios trahuntur errores, maledictioni sunt obnoxij. Vides quàm to verborum tumore, quàm inflata bucca sibi legis notitiam arrogat, & alijs eam deesse asperius exprobrant. Cæterum qui legem nouerunt, neque eam seruare curauerunt, neq; legis autorem recipere, vt de eis meritò dictum putetur illud diuino loqui Pauli: Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, & probas utiliora, instructus per legem, qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum in honoras. Turba autem, quæ legem non nouit, & integrius eam & exactius seruauit, & eum qui non venit soluere legem, sed implere, credendo recepit. Propterea hæc facta est particeps salutis per Christum annunciata, à qua sua incredulitate Pharisei exciderunt, quemadmodum eis prædixerat dominus: Publicani, inquit, & meretrices præcedunt vos in regno Dei. Neque solum hoc in loco, sed & alijs plerisque Euangelicis lectionibus compèriuntur Pharisei & legisperiti Christo infensi atq; aduersi: turba verò in illum propensa & benè affecta. Nempe dicunt Pharisei de Christo: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Turba verò: Quidnam est hoc? quia in potestate imperat spiritibus immundis & obediunt ei. Pharisei rursum blaterant de Christo: Dæmonium habet & insanit, quid cum vultis audire: Turba verò mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius, & stupebant in doctrina ipsius. Insuper Pharisei impingunt Christo, quòd seducit turbas: eumq; seductorem & malefactorem appellant. Turba verò profitentur, quòd hic est verè propheta, qui venturus est in mundum. Deniq; oblatrant Pharisei in dominum, quòd sit homo vorax, potator vini, peccatorum & publicanorum amicus. Turba autem cum admiratione & sincero affectu confitentur, quòd propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visita uit plebem suam. Et hoc pacto, si totam narrationem Euangelicam percurras, faciliè inuenies ex opposito ferè constitutos Phariseos & populum ipsum, & contrario modo in Christum affectos: huncquidè rectè de ipso sentientè, & glorificantè eius opera: illos verò cum æmulatione calumniantes ipsum, & probris afficientes. Verùm summopere formidandum nobis est, qui legis cognitionem diuino munere accepimus, ne Phariseorum sequamur conditionem, & præuaricatores legis inueniamur, longè grauius quàm plebei & vulgares, qui hanc diuinæ legis agnitionem non vsque ad eò exactè tenent, & tamen regnum Dei præripiunt, occupantq; illud bonorum operum fructu ante alios, plura quidem scientes, sed minus rectè operantes. Quàm timendum est nobis, ne incidamus in illud iudiciũ, quod Phariseis interminatur dominus, quòd tulerimus scilicet clauem scientiæ, & neq; introimus in regnum cælorum, neq; alios introire sinimus. Quem non meritò terreant hæc Augustini uerba: Idiotæ & simplices cælum rapiunt, nos autem docti cum scientijs nostris ad inferna demergimur, cum scilicet nos inflant, & non ædificant. Nimirum acerbi or eos manet post mortem damnatio, qui legem nouerunt, & secundum illam non operantur, quàm aliorum, qui ex legis ignorantia delinquant, quum dominus noster apud Lucam perhibeat, quòd seruus ille, qui cognouit voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Et rationem continuò subnectit, quoniam omnis cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. cum em̄ crescunt dona (vt ait Gregorius) crescunt & rationes donorum. Accedit eodem & Iacobus dicens: Scienti bonum facere, & non faciēti, peccatum est illi. Beatus item Petrus inquit de cognoscentibus diuinam legem, non tamen ipsam obseruantibus, quòd melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum

trorsum conuertit ab eo (quod illis traditum est) sancto mandato. Grauius itidem increpat huiusmodi transgressores legis agnitæ dominus, per prophetam in Psalmis dicens: Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Deinde sequitur horrenda comminatio: Existimasti iniquè, quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam. Et demum salutaris admonitio: Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat. Quam quidem tristem iudicij sententiam vt Deo adiutore euadamus, studeamus enixius agnitionem legis ad opus bonum accommodare, eamq; ad nostram & aliorum utilitatem pro viribus conuertere, vt ad iustitiam erudiamus multos, cum verbo, tum opere, & demum fulgeamus quasi stellæ in perpetuas æternitates, adscripti illorũ numero, de quibus dicitur: Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti.

Caput XIII.

Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis: Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Responderunt & dixerunt ei: Nunquid & tu Galilæus es? Scrutare scripturas & vide, quia a Galilæa propheta non surgit. Et reuersi sunt vnusquisq; in domum suam. Ne putetur nullus principum credidisse in Iesum, hic vnus ex eis, non criminis consortio, non prauæ voluntatis consensu, sed ordinis dignitate & numero inducitur, qui verè in Christum crediderit, quicq; cœlesti eius magisterio imbui desiderans, ob discendi auiditatem intempestæ noctis silentio ipsum adierat, & alta sacre fidei mysteria ab ipso (vt antè ostensum est) audierat. Is itaq; infensos Christo videns principes, nititur eos ratione & legis autoritate sedare, & à sæuo mentis furore ad lenitatem reducere. Magni, inquit, facimus legem, & pro ea zelo mouemur: atqui lex nostra iubet neminem iudicari aut condemnari debere, nisi audita prius fuerit eius causa, & diligentius examinata: nisi certò consent eius crimina, testibus approbata: nisi concessa illi se defendendi, & pro se dicendi facultate, conuictus fuerit de ijs, quorum accusatur, & manifestè cognita ipsius opera condemnatione digna. Nihil autem tale in iudicando isto homine hæctenus seruatum est. Non est in vestro confesso auditus aut interrogatus. Audiuerunt eum ministri vestri, & ipsius admiratione capti sunt: audite & vos eum, forsitan probabitur eius verba, quæ nunc tantopere improbatis. Non est quippiam in eo cognitum per examen iudicij, quod damnationem mereatur. Quid ita præcipites in eius necè ruitis? Disquirite prius ipsius opera, & tunc demum ferte iudicium, ne secundum legem sedentes ad iudicandum, contra legem iudicetis. Cæterum non sunt his verbis mitiores redditi Pharisei aut sedatiores, sed protinus in contumeliam erumpunt, Nicodemum vocantes per ignominiam Galilæum, tanquam à Galilæo seductũ, aut Galilæi discipulum. Ita enim dominum nostrum per irrisionem nuncupabant & contemptum, quòd à Galilæa parètes sui traxissent originem. Obijciuntq; deinde Nicodemo, ex scripturarum scrutinio nequaquam compertum haberi, prophetam à Galilæa surgere debere: quod tamè paulo antè falsum esse monstratum est. Itaq; dissidentes ab inuicem, neq; in vnam conuenientes sententiam, reuersi sunt vnusquisq; in domum suam.

Caput XIII.

Caput Ioanis VIII.

Iesus autem perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum & sedens docebat eos. Adducunt autem Scribæ & Pharisei mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei. Post salutarem doctrinam turbæ comunicatam, secessit Iesus in montem Oliueti, ut secretus à tumultu populi orationi vacaret, nobis in hoc relinquens exemplum, quod post proximorum instructionem ad orationem confugere debeamus, sine importuno cogitationum strepitu Deo in abscondito effundendam, & post orationem rursus proximorum salutem vacare & intendere, ut prædicationi oratio, & orationi succedat prædicationis. Itaque locus à consortio turbæ semotus, in quem dominus oraturus se contulit, animam designat orationi intentam, à cogitationibus mundi huius separatam esse debere & abstractam, ut Matthæus nos admonet: Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio orapaterem tuum in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Mons autem quem dominus conscendit, sublimitatem animi insinuat in cœlestia per orationem erigendi, & non infimis terrenisq; negocijs immergendi. Quum enim oratio sit mentis in Deum præeleuatio, quis hunc dixerit orare, qui labia quidem ad verborum prolationem mouet, mentem verò curis mundi depresso, nequaquam ad Deum erigit. Conqueritur sanè de huiusmodi orantibus per Esaïam dominus: Populus hic, inquit, labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Mons verò Oliueti, altitudinem & copiam diuinæ significat misericordiam, per filij Dei in carnem aduentum nobis affluenter ostensam. Nempe olei nomine in scripturis, Dei misericordia sapius exprimitur, quod illius natura huius conditioni congruat. Superfertur enim oleum cæteris liquoribus atque supernaturata misericordia omnibus supereminet Dei operibus, & plus cæteris in homines elucescit. Misericordia enim super exaltat iudicium, & miserationes eius super omnia opera eius. Insuper oleum dolores vulnerum mitigat, & sanat tumores ac vlcera. Dei verò misericordia plagas animarum nostrarum curat, omnemq; depellit languorem peccati, ut canit Propheta: Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui replet in bonis desiderium tuum, qui coronat te in misericordia & miserationibus. Demum qui palæstram subire debebant aut luctam, oleo delibuti prodibant in medium, quo eorum corpora ad id genus certaminis essent accommodatiora. Sic in acie contra aerias potestates certaturis suam Deus misericordiam elargitur; ea nos præuenit, suggeritq; vires, quibus in tam difficili prælio ope sua muniti, tandem victores euadamus. In te (dicit Propheta) eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Et iterum: Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo: Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Demum alio loco: Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus, misericordia eius præueniet me. Porro diluculum, quo Christus venit in templum, exortum nouæ gratiæ designat, per assumptionem carnis mundo exhibitum. Tunc enim depulsa nocte & caligine errorum atq; vitiorum, exortum est in tenebris lumē rectis corde, ambulantisq; in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Solet enim scriptura, diei nomine, Euangelicæ gratiæ tempus designare, ut Paulus ad Romanos: Nox præcessit, dies autem appropinquauit, sic ut in die honestè ambulemus. Quam diuersa verò sint studia populi & Phariseorum, cum ex alijs locis, tum ex hoc maxime licet perpendere. Enimvero populus suauitate doctrinæ Christi prius degustata allectus, certatim confluit ad eum, ut eodem spiritali cibo iterum pascatur ac reficiatur, ut qui semel mel dulce delibauerit, illius dulcedine captus, iterum atque iterum degustare mel ardentius optat, aut nectarum

reum bibere poculum. Neq; hūc populi ardorem pius dominus suo fraudauit desiderio, aut irritū esse passus est, sed sedens docebat eos, & esurientibus pabula vitæ ministravit. Scribæ verò & Pharisei insidias struunt, & moluntur domino laqueos, quibus irretiat; machinantur apud se, qua ratione deprehendant in eo vel aliquam accusationis causam, quam ut nanciscantur, mulierem in adulterio deprehensam adducunt ad eum, quasi sciscitaturi eius sententiam, et parati stare eius iudicio. Itaque eam in medio constituunt, & venenato animo, fictoq; ore hæc illi verba proponunt.

Caput XV.

Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio: in lege autem Moses mandauit nos huiusmodi lapidare: tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant, tentantes eum, ut possent accusare eum. Propheta de simulatis & duplici corde hominibus dixit: Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Et iterum: Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. Demum alio loco: Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Tales profectò erant Pharisei, subdolæ fraudis & malignitatis pleni, quam verbis reuerentiam præferentibus, & venerationem occultabant. Magister, inquiunt, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. Magistrum vocant, cuius discipuli omnino esse recusant. Cæco enim à natiuitate, Christi virtute illuminato, & interroganti eos, nunquid Christi discipuli vellent fieri, maledixerunt & dixerunt: Tu illius discipulus sis, nos Mosi discipuli sumus. Magistrum vocant, cuius cœlestem irrident doctrinam, ut apud Lucam legimus: Audiebant autem omnia hæc Pharisei, qui erant auari, & deridebant eum. Imò totum eorum erat studium, calumniari verba Christi, ea reprehendere, illis ut falsis, manibus pedibusque repugnare. Denique magistrum vocant, quem improbis vocibus populi seductorem esse delatrant. Nanque nonnullis dicentibus de domino, quod bonus esset, Pharisei cum suis sectatoribus dixerunt: Non, sed seducit turbas. Cæterum qui alios enecare veneno student, illud melle circumlitum & temperatum porrigunt, ut lurida veneni lues, mellis permixta dulcedini, lateat magis, facilius ingrediatur ignota, & maiorem inferat perniciem non præuisa. Ita his verborum blanditijs & palpatione adulatoria Pharisei suæ malitiæ virus abscondere satagunt, ut suarum fraudum laqueis dominum facilius implicent & incautum inuoluant. Proponunt quidem in adulterio deprehensam mulierem: Mosi legem adducunt, qua in Leuitico sancitum est à Deo, adulteros & adulteras lapidibus obruendos esse, ut si eam à pœna legis absoluat, impunitamque sinat abire, protinus ut præuaricatorem legis iuste accusare videantur & persequi. Sin verò eam pro legis sententia dicat saxi opprimendam, continuò eum ludibrio habeant, quod misericordiam in proximum exhibendam magnopere verbis prædicet, quã tamen opere non comprobet, seruata legis seueritate, reddantq; exinde eum odiosum & inuisum populo, cui gratissimum ipsum esse cõpertum habebant, quod cum verbis, tum exemplo misericordiam dulcedinem in primis commendabat, accedentes ad se publicanos & peccatores cum incredibile benignitate in suum admittens consortium, cum eis manducans. Itaque hoc callido (ut putabant) consilio se rationem inuenisse arbitrati sunt, & viam qua vtrumuis faceret dominus, in paratos incideret laqueos. Id non subticuit Euangelista, fraudulentam eorū conspirationem nobis aperiens, quum subdit: Hoc autem dicebant, tentantes eum, ut possent accusare eum.

Caput XVI.

Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terram: quum autem perseverarent interrogantes, erexit se & dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.

Prouer. 12
Roman. 8

Et iterum se inclinans, scribebat in terram. Rectè Sapiens in Prouerbis inquit: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum. Sapientia huius mundi (quæ stultitia est apud Deum) putabat vndique se conclusisse dominum suis retribus, vt non esset euadendi locus. Sed Dei sapientia mediam inuenit, iustitia misericordiâq; temperatam viam, qua captiosos eorum nodos dissolueret facile & disrumperet. Antequam autem hanc aperiret sententiam, inclinavit se & digito scribebat in terram: quo nobis ostendat, quod antequam iudicium feramus de proximo, ad veritatis inuestigationem condescendere, & animum inclinare debemus, & discretionis digito singula ad rem propositam attinentia prius discutere; alioqui rectè iudicare non possumus, si prætermissa indagatio veritatis & examine diligenti, præcipiti & inconsiderato animo proximum in publico iudicio aut absoluiamus, aut damnamus. Id faciendum scriptura nobis insinuat, quum describit in Genesi, post diluuium volentes ædificare excelsam turrim ad sui nominis celebrationem, cuius culmen cœlos contingeret, & deinde subdit: Descendit autem dominus, vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam. Nunquid descensu indignus dominus ad videndam turrim, cui omnia, antequam fiant, sunt agnita, & qui cœlum atque terram implet? An non ideo descendisse scribitur, vt nobis significet examinandam prius esse causam criminis, quàm feratur sententia? Et eodem libro, cum nefanda Sodomitarum flagitia vindice ira esset puniturus, dixit ad Abraham: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Cognouit utique Deus Sodomitas & Gomorrhæos tanti criminis esse reos, cuius oculis absconditum est nihil. Descensurum tamen se, & visurum re veritatem dixit: quod nobis ostendat exacta trutinam prius discutiendam esse causam, quàm feratur sententia in aliquem. Idem quoq; Mosaica lege cauere, accuratam scilicet inquisitionem de obiecto crimine præcedere debere iudicium, & damnationem in reum ferendam, innuit paulo superius Nicodemus, vir prudens & maturus, quum in Phariseorum consilio atque consensu dixit: Nunquid lex vestra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Quinimod & apud Romanos iustitiam Dei ignorantes, illum etiam morem seruari, quod in nullum ferri debeat sententia damnationis, nisi prius discussa fuerit exactius causa illius, ostendit Portius Festus, præses iudææ à Romanis constitutus, quum principibus sacerdotum & senioribus iudæorum postulanti bus aduersus beatum Paulum damnationem respondit: Quod non est Romanis consuetudo, donare aliquem hominem (id est, aliorum voluntati permittit ad sumendum de ipso supplicium, inferendamque punitionem) priusquam is, qui accusatur, præsentibus habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obijciuntur. Diuina verò lege idem præcipi manifestius est, quàm vt probatione egeat, quum dicat Propheta in Psalmo: Rectè iudicate filij hominum. Et dominus in Evangelio: Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Quomodo autem rectè iudicauerit quispiam, aut iustum tulerit iudicium, si indicta causa, si nulla obiectorum criminum facta discussione, damnauerit eum, qui accusatur? Nunquid ad vitam reuocari poterit is, qui morte affectus est, si post sumptum de illo vltimū supplicium perspecta fuerit & cognita eius innocentia, quum iam amplius nullū adhiberi queat vitæ eius remediū? Cùm autē importunis instarent interrogationibus Pharisei, quod sentiret dominus in hac perplexa & ancipiti quaestione

Genesis 11

Genesis 18

Ioannis 7

Actor. 25

Psal. 57

Ioannis 7

stione factitandum, pulsatus improbis eorum vocibus erexit se, & dixit: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Iussit, inquit, Moses aulteras lapidari secundum legem; sed ab ijs duntaxat, qui sunt obseruatores legis, non præuaricatores. Non enim fas est, neq; iura linunt, transgressionem legis ab eiuſdē transgressoribus vindicari. Qui itaq; ex vobis sibi conscius est, q̄ legem non violauerit, quod nihil contra legem admiserit vnquam, primum in eam iaciat lapidem. Non prohibeo lapidari moecham, sed nolim id ab eis fieri, qui non minus, quàm ipsa, aut grauius legem conculcauerint. Hac admirabili sententia obstruxit os loquentium iniqua. Nam legem Mosi seruandam quidem dictauit, verum eam apposuit conditionem, quam nullus accusatorum sibi adscribere ausus est, aut adesse conspexit, quisq; sibi malorum conscius, & hac sententia animum percussus. Qua quidē data, iterum inclinans dominus digito scribebat in terram, ex more vultū aliō vertens, vt illi liberio rem haberent exeundi fiduciam, quos præuidebat citius exituros, quàm plura interrogaturos. Quid autem primò se inclinans dominus scripserit in terra, & quid secundò, non explanat Euangelista, neq; promptum est cuiq; id definire. Quàmuis non delint, qui affirmant dominum hac secūda inclinatione notas quasdam terræ inscripsisse, quibus quisq; accusantium sua oculis coram conspicebat peccata, & mēti obiecta cernebat. Vnde rubore suffusi, & pudore affecti, facile cognoscebant se non peccati immunem vitam agere, & ad discendum potius, quàm acrius inquirendum ex hoc incitatos esse. Ceterum docet hac secunda inclinatione sua & inscriptione dñs nos, anteq̄ peccantem fratrem corripiamus, & posteaq̄ corripuerimus, ad intima nostri cordis inclinari debere, & attentius ibidem inuestigare, an simili vitio, quod in alio corripimus, aut fortasse grauiore laboramus, quod si deprehenderimus, id humiliter in nobis primū castigare debemus, & tunc demum cum mansuetudine proximum corripere. Non enim rectè aliena reprehendimus peccata, si eisdem aut maioribus grauaremur, cū de talibus dicat Paulus: In quo alterum iudicas, te ipsum condemnas. Eadem enim agis, quæ iudicas: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non moechandum, moecharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis. Rectam verò correctionis legem Paulus ad Galatas nos edocet. Fratres, inquit, etsi preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum ne & tu tenteris. Cū enim diligenti examine propriam discutimus vitam, nostræ fragilitatis conscij, facilius ignoscimus alienæ: & cū nostram emēdauerimus culpam, pio inducimur affectu, vt alienam quoq; benigniter abstergamus.

Psal. 61

Roman. 2

Galat. 6

Quod post lapsum non est deneganda poenitentia, ut ponunt Nouatiani, quotiescunq; etiam quis relapsus fuerit in culpam. Caput XVII.



Vdientes autem hæc, vnus post vnum exibat, incipientes a senioribus: & remansit Iesus solus, & mulier in medio stans. Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, vbi sunt qui te accusabāt? Nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare. Goliath Philistæus (vt Regum meminuit historia) Dauidica funda, lapidibus percussus, humi prostratus est semianimis, & destitutus viribus obruncatur: Ita Pharisei gladio verbi Dei percussi, animo cōsternati sunt. Nempe hæc domini sententia, vt lapis frontem duram animi eorum percussit, & quemque suæ culpæ consciū reddidit. Idcirco ea audita, non amplius sibi morandum rati, tacito pudore obfusi, vnus post alium exibat, seruato ætatis ordine: vt maiores natu & grãdiores exierint primi, & deinde alij consecuti sint. Crediderim facile seniores grauiorum sibi malorum conscios fuisse & reos, impletumq; in eis illud scripturæ: Quod à senibus egressa

Daniel. 13

est iniquitas, & propterea vehemētiore affectos verecūdia, primūm egressos fu-
isse, quos tanquam duces & primores ceteri minores ætate comitati sunt; relictū
que est eliminatis aduersarijs Iesus solus, & mulier adulterij crimine accusata, in
quam dominus totius bonitatis fons & origo, magna vsus est misericordia. Si qui
dem percontatus est vbi erant, qui modò eam accusauerant; non quòd ignoraue-
rit eos discessisse, sed vt exemplum ostenderet ijs, qui in iudicio quenquam abso-
lutori sunt ab obiecto crimine, ipsos liberum debere concedere accusantibus audi-
endis locum, & quemq; ad legitimam accusationem adducendam admittere; nul-
lo enim accusantium secliso, dilucidius constabit eius, qui in iudicio liberatur, in-
nocentia & integritas. Itaq; vbi respondit mulier se à nemine condemnatam esse,
ilicò neq; se eam condemnaturum promisit, & benignitatis suæ dulcedine absolu-
tam abire iussit; id solum ei iniungens, quòd a modò sibi à peccato caueret, & ne in
priora relaberetur mala, summo studio vigilarēt. Nam incassum sumitur medi-
cina, si post instauratam sanitatem, per vitæ incontinentiam, qui conualuit, in pristi-
num incidit morbum; quinimò relapsus in ægritudinem periculosior esse solet, &
exitio propior, quàm prior ille languor; & quos prima valetudo aduersa non extin-
xit, sæpius iterata post redditam incolumitatem ægrotaatio sustulit à vita. Haud se-
cus frustra pœnitentiæ medicamentum sumitur, si post eam peractam ad præteri-
tæ vitæ sordes reditur. Hæc enim secunda admodum periculosa est animæ fe-
bricitatio. Proinde dominus noster languido, qui octo & triginta annos decubue-
rat infirmus, iam sanato, & iusso tollere grabatum suum atque ambulare, deinde
dixisse legitur: Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi con-
tingat. Quibus sanè verbis significauit, per peccati iterationē hominem in deteri-
ora prolabi mala. Quid prodest, obsecro, studiosè vestes abluere, & lotas rursus
luto inquinare; quid lauare manus, & ablutas iterum contaminare fordibus? Si-
cut suslota (dicit Sapiens) in volutabro luti, ita stultus, qui iterat stultitiam suam;
est enim vt canis, qui reuertitur ad vomitum suum. Audi Ecclesiasticum hæc pec-
catorum iterationem grauius damnantem: Vnus ædificans, & vnus destruens,
quid prodest illis nisi labor? Vnus orans, & vnus maledicens, cuius vocem exau-
diēt Deus? Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit
lauatio illius? Sic homo, qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid
proficit humiliando se? Vxor Loth conuersa retrò ad Sodomam, à qua discesse-
rat, in statuam salis mutata est, & inde sumendum esse nobis exemplum, ne ad de-
ploratas reuertamur peccatorū illecebras, admonuit dominus: Memores, inquit,
estote vxoris Loth. Semei quum primæ offensionis in Dauid impetrasset veni-
am, & iussus esset muros vrbs Hierusalem non excedere, quia secundo deprehen-
sus est deliquisse, & mandatum regis neglexisse, morte mulctatus est. Quid aliud
nobis hic Semei casus innuit, nisi timēdam esse, & grauius formidandā Dei iram,
si iterum atq; iterum eadem perpetrāmus flagitia? Eiectus immundus spiritus
ab homine, non inuenta alibi requie, dixit: Reuertar in domum meam, vnde exi-
ui, & inueniens eam Dei præsidio non munitam, assumpsit alios septē spiritus ne-
quiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora priori-
bus. Filij Israel in deserto suspirantes post ollas carniū Aegypti, & panem in sa-
tietate manducatum, quibus in mentem venerunt pepones, cepe, & allia, pro-
strati sunt ab ira Dei. Qui dixerunt: Constituamus nobis ducem, et reuertamur in
Aegyptum; profligati sunt ab hostibus, illorum gerentes typum, qui virtutis iter in-
gressi, ad præteritæ vitæ tenebras pedem retrò ferre laborant. Nemo enim mittēs
manum ad aratrum, & aspiciens retrò, aptus est regno Dei. Cæterū nonnulli aded
seuerè relapsū in peccata & rigidè dānare sunt annexi, vt post salutarem in fonte
baptismi peccatorum ablutionem incidentibus in vitia pœnitentiā denegēt aut
veniam dandam, si quis item post susceptā pœnitentiā rursus eadem commise-
rit pec-

rit peccata, huic denuo beneficium absolutionis & remissionis peccatorum conce-
dendum recusant. Effet enim, inquiunt, hæc facilis veniæ datio, quotiescunq; quis
deliquerit, promptè oblata, incentiuum quoddam & occasio ad audentius atque li-
centius peccandum. Nempe facilitas veniæ incitat animum suapte natura ad mala
propensum, vt fidentius peccet, quum post admissum scelus parata sit ad veniam
via & aperta, quæ culpam diluat. Verūm hi diuinæ misericordiæ fontem vberri-
ma suæ gratiæ fluenta nobis largissimè communicantem inuidere videntur homi-
nibus, & immensum certis velle concludere limitibus, & finibus constringere, vt
non nisi prima deleat peccata, alijs verò delendis aut non sufficiat, aut non admoue-
atur. Neq; satis perspiciunt, si cōstituta sit corpori humano medicina aded efficax
& salutaris, vt quotiescunq; in morbum quis inciderit, ea sumpta protinus sanetur
si quis sponte morbum incurrit, ductus spe recuperandæ per medicinam sanitatis,
quæ facit, vt minus ille sibi à morbo caueat; huius frequentis in morbum reciden-
tiæ causa non est medicina, vt quæ ordinata sit duntaxat ad morbi expulsionē, sed
negligētia & prauitas hominis, eo quòd bonum est, ad malū abutentis præter rei
illius ordinem & naturam. Quòd si quis contendat medicinam illam secūdo egro-
tanti minimè adhibendam esse, quin potius sustollendam, ne ansam dare videatur
hominibus licentius viuendi; quis hunc sana mēte esse dixerit, aut æquo tulerit a-
nimo; quis item hoc pacto rectè sanitati humanæ consultum iuerit? Nō aliter pœ-
nitentiā ad deletionis criminum præparationem à Deo ordinata est; si quis autem
frequentem eius susceptionem materiam fecerit liberius peccādi, id sua duntaxat
improbate facit, ex bono mali sumens occasionem, & non ex ipsius pœnitentiæ
natura aut ordinatione; instituta enim est ad abolenda peccata commissa, nō ad fu-
tura perpetranda. Porro hi sacræ scripturæ testimonijs hanc suam adsertionē ful-
cire annuntur, & illud Pauli assumunt ad Hebræos scribentis: Impossibile est e-
os, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœlestē, et participes facti
sunt spiritus sancti, gustauerunt nihilo minus bonum Dei verbum, virtutesq; secu-
li venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiā. Ecce, inquiunt, Apo-
stolus dicit eos, qui post acceptam Dei gratiam prolapsi sunt, ad pœnitentiā reno-
uari non posse. Sed non intelligunt Paulum ibidem verba facere duntaxat de pec-
catorum remissione, & pœnitentiā, quæ per baptismum habetur; qui quoniā cuiq;
homini vnicus est, nec iterari debet (Vnus, inquit, dominus, vna fides, vnum bapti-
sma) pœnitentiā quoq; cum baptismo suscepta, vnica est & semel recipienda: at ve-
rò post susceptum fidei lauacrum, quoties in peccatum prolapsi fuerimus, si reuer-
timur ad dñm, pœnitentiā concedenda est, & dispensanda remissionis peccatorū
gratia. Non itaq; his Pauli verbis exclusa est pœnitentiā, sed reuocatio per lauacrum
regenerationis. Est quidē alia pœnitentiā, sed baptisma aliud non est. Obiectant
& illud, quod à Deifero Paulo ad Hebræos alio loco scribitur: Voluntariè peccan-
tibus nobis post acceptam notitiā veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hos-
tia. Si non superest, inquiunt, hostia placationis pro peccatis, in quæ post agnitam
veritatem collapsi sumus, non est pœnitentiā dandus locus pro peccatis, qua pla-
cet Deus. Effet enim illa pœnitentiā, vt hostia propitiationis, quam dicit Paulus
non relinquit. Verūm Paulus inibi non peccatorum secundam aut tertiam au-
fert remissionem (non enim ita est inimicus salutis nostræ) sed hostiam, quæ Chri-
stus est, iterum in cruce offerendam pro nobis negat. Semel enim oblatus est Chri-
stus, neque amplius vnquam offerendus; quandoquidē resurgens ex mortuis, iam
non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Non enim dixit Paulus: Non est vl-
trā pœnitentiā, neque dixit: non est vltra remissio. sed, hostia, inquit, vltra non est,
hoc est, crux secunda vltra non est, hostiam quippe hanc vocat. Vna nanq; hostia
perficit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Enimvero locus præfens nunc exi-
git, vt scripturæ cum verbis, tum exemplis ostendatur Dei miseratione indulta ho-
mini-

Cauēdam
esse recidi-
uationem
in peccata

Ioannis 5

Prover. 26

Eccle. 34

Genesis 19

Lucæ 17
2. Reg. 19
3. Regū 2

Lucæ 11

Numer. 11

Nume. 14

Lucæ 9

Obiectio-
nes aduer-
sarium,
& solutio-
nes.
Hebræ. 6

Ephesi. 4

Hebræ. 10

Roman. 6

Exodi 31

minibus, quoties expetitur, remissio. Peccauerant filij Israel in vituli conflatis ad ratione. Oruit Moses dominum, & prauaricationis huius veniam obtinuit. Flauit enim desiderio carniū populū, & obmurmurauit in dominum, qui rursus deprecante Mose placatus est. Attonitus exploratorum narratione idem populus, de domino conquestus est, quod eum in terram illam ducturus esset, ubi hostili caderet gladio. Iterum Moses oratione sua placabilem dominum reddidit.

Numer. 11
Numer. 14
Numer. 16
Numer. 21
Iudic. 2
2. Reg. 12
2. Reg. 24
2. Paral. 33
Psal. 40
Psal. 145
Psal. 102
Esaia 43
Ezech. 18
Prouer. 24
Matth. 18
Galat. 4
Apocal. 2
Lucæ 15
Lucæ 18
Lucæ 19

Omitto concitationem populi Israelitici in seditione Chore factam, & murmurationem ad aquas contradictionis, immissionemq; serpentum ignitorum in populum, ob domesticas sibi, & quotidianas contra Deum obmurmurationes. In quibus omnibus offensionibus inflexus Mosi precibus dominus, dedit remissionem populo non semel neq; bis. Si quis autem euoluat libros Iudicum, quoties cōperiet peculiarem domino populum deseruisse viam domini, & ad idolorū cultum declinasse? Sed clamantibus illis in tribulatione misit Deus propitius nunc hos, nunc illos liberatores, qui eos de graui hostium manu, iugoq; eriperēt. Deinceps offenderat Dauid grauius dominum adulterio, & innocentis Viriæ occisione, veniamq; supplex illius criminis obtinuit. Deinde in numeratione populi ambitu regni sui contenti, vehementer sese peccasse vltro confessus est, & huius quoq; peccati veniā obtinuit. Vidēsne igitur iteratam ipsi Dauid indultam fuisse peccati remissionem? Quid memorem Manassen regem Iuda post effusum sanguinem prophetarum, & fordīdum idolorum cultum, cum esset captiuitate conclusus, clamasse ad dominū, & obtenta veniā, regnoq; recepto vitam in melius cōmutasse? Quis igitur rectē pœnitentiā abstulerit, quam nouimus tantum homini fructū adferre, vt eū Deo reconciliet, in gratiamq; reducat? Propterea clamat Dauid in Psalmist: Nunquid qui dormit, nō adiciet vt resurgat? eosq; qui à virtute exciderint, & graui somno peccati sunt oppressi, resurgere posse contestatur. Erigit e mēlisos dominus, & propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, sanatq; oēs infirmitates nostras.

Per Esaia em nos aduocat: Ego, inquit, sum, qui deleo iniquitates vestras. & Dicitu iniquitates tuas vt iustificeris. Operosum sanē foret omnia per prophetarū testimonia, quibus ad pœnitentiā nos prouocat Deus, & redeuntibus ad se veniā promittit, adducere: non semel tantū, neq; secundō, sed quoties ad implorandā eius misericordiā conuerti voluerimus. Quacunq; enim hora ingemuerit peccator, omnium peccatorum eius non recordabitur dñs, vt inquit Ezechiel; nam nō vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. Demū, vt est apud Sapientē, septies in die cadit iustus & resurgit, nō autē resurgit à lapsu, nisi per pœnitentiā: quis igitur non viderit pœnitentiā sapius iterari posse, & post lapsum nulli ab errore resipiscenti denegandā esse? Sed age ex noui testamenti autoritate idē ostendatur. Beato Petro interroganti, quoties peccanti fratri esset dimissurus, an vsq; septies, respondit dñs: Non dico tibi septies, sed vsq; septuagies septies. Ecce abyssum diuinae miserationis, & fontem misericordiæ in immensum profluentem, cuius venas obturare contendunt, qui huius aque fluxum in nos deriuari nolunt. Et diuinus Apostolus ad Galatas: Filioli, quos iterū parturio, donec formetur in vobis Christus. Receperant Galatæ regulam fidei à Paulo, sed rursus ad infidelitatē sunt relapsi: secundō eos reuocat Paulus ad veritatis rectitudinem & pœnitentiā. Insuper iubetur Ioānes Ecclesiæ Ephesi scribere: Habeo aduersum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor igitur esto, vnde excideris, & age pœnitentiā, & prima opera tua fac. Ecce dominus hortatur post lapsum eos ad pœnitentiā, qui à recto calle aberrarunt. Præterea filius prodigus post dissipatam suam substantiam, ad osculum patris recipitur, & primam recipit stolam. Ouis aberrans à grege, p̄ pastoris humeris ad caulam reuecta est. Drachma decima multo quaesita est labore, vt inueniretur, & inuenta toti viciniae gaudium attulit. Ad hæc, publicanus cū se peccatorem confitetur, iustificatus in domū suam reuertitur.

Qui

Qui ab Hierusalem in Hiericho descēdens, incidit in latrones, expoliatus & sauciū benignē à Samaritano fouetur; alligatoq; vniuere in domum Ecclesiæ reducitur. Postremō hæc mulier adulterij rea à condemnatione liberatur, & ne amplius peccet, sollicitē admonetur: vt nobis exemplo sit, salutare pœnitentiæ medicamentum nulli vnquam subtrahendum esse.

Caput XVIII.



Terum ergo loquutus est eis Iesus: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Quum paralyticum per summa tecti sibi oblatum sanaturus esset dominus, & diceret: Fili dimittuntur tibi peccata tua, Scribæ & Pharisei

dixerunt intra se: Hic blasphematur, quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Dominus autem cognoscens cogitationes eorum, respōdit filium hominis etiam in terra habere potestatem dimittendi peccata. Similiter & hoc loco, quia mulierem à peccatis absoluit, & liberam abire permisit: ne quispiam ipsum blasphemare oblatret, aut quod solius Dei est, sibi impudenter vendicare, diuinitatis suæ sacramentum hic aperit, ostendens qua virtute, qua autoritate, qua potestate ream à peccato absoluerit. Ego, inquit, sum lux mundi. Non quidem lux corporea, quæ mutationi & corruptioni est obnoxia, aut mortales illustrat oculos: sed lux spiritualis, nullis obfusa tenebris, nulla caligine obumbrata, mentem humanam cœlesti splendore perfundens. Est enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Non lux alternationem noctis sustinens, aut luminis interpolationem, vel succedentes habens vicissim tenebras: sed perpetuō radians, & intima cordis noua, semperq; fulgenti claritate perlustrans. Non itidem lux certis constituta finibus, neq; Galilææ conclusa limitibus (quia me Galilæum nuncupatis, & de Galilæa oriundum iactitatis) sed totius mundi spatium meo lumine replens. Non enim veni, vt Iudæa solum meo illustretur aduentu, aut Galilæa: sed omnis mundi regio tanti sit particeps fulgoris. Hanc lucem, si sapitis, nō parui pendite, in eius radijs gressus vestros dirigite: quoniam qui sequitur me, doctrinam meā amplectendo, & mandata obseruando, non ambulat in tenebris ignorantiae aut vitiorum: sed habebit lumen vitæ, in præsentī quidem seculo animum interius illuminans, & in futuro totum hominem glorificans. His autē verbis suam diuinitatem intelligi voluit, secundum quam lux est vnigenita patris, & lumē de lumine, atq; splendor patris gloriæ. Quis enim homo, aut quæ creatura, etiam angelica, se lucem mundi appellare audeat? quocirca hoc dicto seuerū esse Deum subostendit. Neq; quispiam obijciat, apostolis apud Matthæum dictum esse à dño: Vos estis lux mundi. Quoniam vnusquisq; illorū lux quidē erat per participationē gratiæ, & spiritualis splendoris cōmunicationem: Christus verò substantialiter, & sua natura lux est vera & immensa, vt primo libro in explanatione huius loci, nō erat ille lux, abundē dictū est. Sanē in Euangelio dictū meminimus, qd si cæcus cæco ducatur præbeat, ambo in foueā cadunt. Ex opposito autē, si lucida teda, si fax clarissima, etiā noctu iter tētanti ducatur præstat, gressus illius sine offendiculo dirigit, à præcipitio, fouea, & lapsu pedes ipsius præseruat, & tenebroso quidem tempore, ne in tenebris ambulet, eum lumine claro circumfundit, vt habeat ille continuum fulgorem itineris sui ducem. Atqui in hac via præsentis vitæ difficili, salebrosa & aspera, mille occurrunt pericula, discrimina mille, quæ impedimento plerumq; sunt nobis, ne optatā nostri callis contingamus metam: sed aliō nos diuertunt, & deducunt in perditionem. Nunc prærupta iter hoc agentibus occurrunt præcipitia: nūc senticosa, & spinis obsepta loca. Interdum densis obducimur tenebris, & opaca nocte in hac valle mūdi vmbrosa: interdum verò luto hæremus, & in lubrico cœno vix benē pedē sistimus. Omitto diuerticula, in quæ faciliē ferimur, à via plana & regia declinantes

Matth. 9

Ioannis 8

Matth. 5

Matth. 15

ad de-

ad dextram aut sinistram. Prætereo latronum insidias, obsidentium omnes vias nostræ partes, & in exitum nostrum toto annixu conspirantium. Itaque summopere opus est nobis ad peragranda huius nostræ peregrinationis semitam, recto duce & bono, qui & viæ non sit ignarus, & libens velit nos omnibus his exēptos periculis, incolumes ad constitutam nobis ciuitatem perducere. Verum quod multis optandum nobis esset votis, & ingenti labore perquirēdum, vltro nobis offertur. Ecce Christus se nobis ducem promptè & alacriter exhibet, utque ipsum sequamur, dulciter inuitat: quinimò quanta ipsum sequentibus ducem proueniant commoda, declarat dicens: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. De malis quidem & pueris dictum est in Psalmo: Nesciuerunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulat, ignorantia videlicet et vitiorum. Et quanti hoc sit periculi atque detrimenti, in Euangelio Christus nobis testatur, cum ait: Qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. Et si quis ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Tantum autem incommodum euitat, quisquis Christum sibi ducem constituit; nam qui illum sequitur, non ambulat in tenebris, sed habet madata ipsius, tanquam ardentem faculam viæ suæ indicem, & cum Propheta Deo lætus cōcinit: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Consequetur itē ex assiduo Christi consecratu lumen vitæ, quod interius animam illuminans, perducet illum tandem ad lucidam viuorum regionem. Et quum lumen vitæ promittit dominus habiturum illum, qui ipsum secutus fuerit; non de lumine isto corporeis spectando oculis verba facit, neque de vita hac corporali, sed de spirituali solum lumine, & vita cœlesti atque perpetua loquitur: quinimò hisce verbis seipsum pollicetur affectis suis & sectatoribus, qui est lumen vitæ, sicut & fons vitæ, & panis vitæ, imò autor vitæ, & vitam suis largiens æternam. Sequamur igitur indefessè Christum ducem, ut tantis ab eo bonis locupletemur.

Caput XIX.

Dixerunt ergo ei Pharisei: Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. Respondit Iesus & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum: quia scio vnde veni, & quo vado: vos autem nescitis vnde venio, aut quo vado. Pharisei non ad discendum, sed calumniandum se admodum propensos ubique declarant. Student enim semper Christi verbis contradicere, illis repugnare, ipsi ut falsis obuiare, atque cauillationem obijcere. Nam cum dominus se lucem mundi appellasset, ipsi obdurata mente huic luci, ne eorum mentibus illuceat, obluantur: persimiles ijs, qui ne oblatum solis lumen intueantur, oculos palpebris obuelant, aut vultum auertunt. Et quia ipsum nudum existimant hominem, nube carnis obductam, sed splendore signorum se prodentem deitatem in eo non attendunt. Homini quidem de se ipso testimoniū inualidum esse solet, & nequam fide dignum: minus enim creditur ei, qui se suaque facta prædicat, aut propria opera verbis extollit. Propterea Pharisei domino in faciem obijciunt, quod de se ipso testimonium perhibeat: non considerantes, quod antè præmiserit præcones, Moysen, David, Esaiam, & ceteros præclaros prophetas, qui celeberrimo præconio testimonium de ipso, antequam aduenteret, perhibuerunt. Illam deinde blasphemiam plenam euomunt vocem: testimonium tuum non est verum, qua Christum Dei virtutem & sapientiam mendacij nota perstringunt, eumque, qui summa est veritas, falsum dicere testimonium impio ore obgarrunt. Sed animaduertite, quid eis dominus responderit. Sanè ad id, quod posteriore impingunt loco, responsionem adhibet in primis: quod tametsi de ipso perhibeat testimoniū, nihilominus illud verum est, quia Deus verus est, in quem mendacium aut falsitas cadere non potest.

A test. Ipse itidem lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ: lux autē suapte natura superflua est manifestatiua, & quamuis nulla re externa clarescat, aut adhibita facula, ad motuæ tæda collustratur, nihilo secius seipsam mortalium oculis verè insinuat. Sic & Christus lux spiritualis, licet aliorum testimonio non fuisset declaratus, suū tamen, quod de se dixit, testimoniū nō minus extitisset veritati cōsentaneum. Verum autem esse testimoniū, quod de se ipso perhibet Christus, adstruit: quia scio, inquit, vnde veni, & quò vado. Venit enim à patre in mundū ad consummandum humanæ redemptionis mysterium, & beneplacito voluntateque patris, nostræ carnis substantiam assumpsit, & peracto nostræ salutis sacramento rursus ad patrem vadit, & ad gloriam patris triumphator egregius & victor reuertitur. Pharisei autē neque ipsum ut Dei filium à patre missum receperunt, neque rediturum ad paternæ maiestatis gloriam crediderunt. Neque igitur vnde venit, aut quò vadat, ipsos tenere, apud contestatur.

Caput XX.



Vos secundum carnem iudicatis, ego non iudico quenquam. Et si iudico ego, iudicium meum verum est: quia solus non sum, sed ego & qui me misit, pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, pater. Qui oculos habent corporis, lippitudine aut hebetudine imbecilles, non rectè de coloribus iudicant, quinimò aliter, quam res sese habeat, ob insitam infirmitatem ferunt iudicium, de candido, quod nigrum, & de nigro, quod sit candidum dicunt. Ita videntur affecti Pharisei: ob grauem enim animi morbum, zelum, inuidiam, odium, quo in Christum concitabantur, aciem mentis obtusam & obnubilatam habuerunt: neque ad cognoscendum in carne delitentem diuinitatem, sese tamen multipharis signis liquidè prodentem, penetrare valuerunt. Et hærentes duntaxat in eo, quod in Christo exterius contuebantur, affixique soli eius figuræ corporeæ, nudum ipsum hominem esse rati sunt: propterea dixit Christus eos secundum carnem iudicare, quia ultra carnis, humanamque naturam nihil in eo reliquum esse putarunt. Christus autem hoc pacto secundum carnem & faciem se quemquam iudicare negat: quia intima etiam cordis perscrutatur, & scit quid est in homine. Aut se quemquam modò, præsentique suo aduentu iudicare denegat. Non enim venit, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. In secundo verò suo aduentu iudicabit omnes per discussionem, examinationemque operum prius in vita gestorum: de quo quidem venturo in consummatione seculi iudicio subiungit: Et si iudico ego, iudicium meum verum est. Aut de præsentis iudicio discretionis, hoc secundo loco facit sermonem, quo bonos à malis examine occultæ suæ cognitionis secernit, & fideles ab improbis internoscit, quemadmodum inquit Paulus ad Timotheum: Nouit dominus, qui sunt eius. Vtrumque autē iudicium Christi, & discussionis operum, quod in finem mundi differtur, & discretionis meritorum, quod præsentis tempore exercetur, verum est, quia à summa veritate & æquissima lance iustitiæ profectum. Quis enim fieri possit, ut suprema veritas non rectè occulta cuiusque merita dignoscat, aut prima iustitia à recta iudicij lege exorbitet? Porro causam veritatis iudicij sui adfert: Quia, inquit, non sum ego solus, sed ego, & qui me misit, pater. Nolite, inquit, arbitrari me iudicij mei ratione à tramite veritatis aberrare: quia solus non sum, qui fero iudicium. Non enim à patre separari unquam possum, quum ipse in me manens faciat opera, & ipse in me, & ego in patre sim. Itaque qui me misit, pater, mecum est: & non relinquit me solum, quum ab eius substantia diuelli non possim, aut quicquam ei cōtrarium sentire vel iudicare. Eadem enim

enim vtriusque nostrum cognitio, idem prorsus iudicium. Hisce autem verbis manifestè se alium à patre filius adserit, vt catholica fatetur Ecclesia, quum de duobus loquens, se missum & patrem mittentem nominet. Neque tam en spiritum sanctū ab vtriusque consortio separandum putemus, sed adiungendum potius, & nominatis patre atque filio simul intelligendum, quemadmodum eos vnà connectit beatus Ioannes, dicens: Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, pater, verbum, & spiritus sanctus, & hi tres vnū sunt. Quoniam verò Pharisei semper adducunt, illiusque seruandæ zelo in dominum persecutionem se mouere iactitant, ipsius legis (quam tanti faciunt) autoritate comprobant suum testimonium ab eis minimè reijciendum esse, sed recto iure recipiendum. In lege, inquit, vestra, & vobis per Moysen lata, scriptum est: quia duorum hominum testimonium verum est, quum in Deuteronomio legatur: In ore duorum aut trium testiū stabit omne verbum. Homines autem affectu aut odio à veritate decidere facile possunt, et communi in prauum consensu, falsum perinde atque verum fore testificari. Nonne qui contra Naboth dixerunt testimonium, quòd benedixerit Deum & regem, fallaciter illud ementiti sunt? Nonne qui castam Susannam in adulterio deprehensam in iudicio contestati sunt, concupiscentia excaecati, contra veritatem tulerunt testimonium? Quanto magis igitur duorum testimonium, qui à veritate deflecti non possunt neque oberrare, firmum haberi debet: Atqui ipse de me ipso testimonium perhibeo, haud aliter atque lumen se ipsum demonstrat & alia: & testimonium etiam perhibet de me pater, quum voce cælo de lapsa contestatus est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, quum identidem in me manens opera facit, quæ me ab ipso prodijisse, genitumque esse liquidò produnt. Quir igitur dura ceruice, huic vtriusque nostrum testimonio reniti mini: Quare non cellatis in terra calumniam veritati, excaecata mente obiectantes, testimonium tuum non est verum? Resipiscite tandem ab hac insaniam, & vel patris cælestis de me testimonium admittite. Nec quum meum de me ipso testimonium reijciatis, & suum quoque aspernari redarguamini. Præterea vt præter eum, de quo perhibetur testimonium, dignoscantur esse duo testificantes de illo, quemadmodum verbale gis insinuant, etiam duo sunt, qui de Christo testimonium perhibent: pater, inquam, & spiritus sanctus, quemadmodum per Esaiam dominus noster attestatur, dicens: Et nunc dominus misit me, & spiritus eius. De patre quidem, quòd testificatus fuerit Christum in baptismo & transfiguratione, iam dictum est: de spiritu sancto verò idem constat, quia super Christum baptizatum in specie columbæ descendit, & in transfiguratione vt nubes lucida ipsum cum discipulis obumbravit.

Caput XXI.

Dicebant ergo ei: Vbi est pater tuus? Respondit Iesus: Neque me scitis, neque patrem meum. Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis. Hæc verba loquutus est Iesus in gazophylacio docens in templo, & nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius. Quia dixerat modò dominus, se non solum esse, sed & patrem suum esse cum eo, id carnali sensu accipientes, vtpote qui nihil in Christo nisi humanum, & quod in aperto oculis omnium patuit, esse crediderunt, suo more confestim obijciunt: Dicis tecum patrem tuum esse, quum tamen te solum videamus. Ostende igitur nobis patrem tuum, & vbinam sit, indica, quo te vera dixisse comprobemus. Porro alij id ludæorum verbum, per contumeliam & contemptum in Christum, dictum fuisse adstruunt. Quid frequenter, inquit, patrem tuum nobis inducis, qui ignotus est & ignobilis? Quid crebra illius interpellatio aures nostras

Astras obtundis, & quasi magnæ autoritatis virum adfers in medium, qui Galilæus est & faber: Existimabant enim ipsum de patre secundum carnem hæcenus protraxisse sermonem. Sed quid dominus eis responderit, audiamus. Neque me scitis, inquit, neque patrem meum. Non credebant in Christo plenitudinem diuinitatis habitare corporaliter, & propterea ipsum reuera nesciuerunt. Quia tamen genus & parentes eius secundum hominem & locum originis perspectum habuerunt, prius à Christo audiuerant: Et me scitis, & vnde sim scitis. Cum autem nescire filium ludæi conuicti sunt, consequens est eos quoque patrem nescire. Siquidem ea relatiuum, & quæ reciprocè mutuoque referuntur, natura est & cõditio, vt cognito vno eorum protinus cognoscatur & reliquū: & ignorato vno ignoretur & alterū. Quòd si filium cognoscerent in forma Dei esse, & æqualem Deo, atque ex patre genitum: & patrem vtiq; cognoscerent eiusdem secum naturæ filium atque substantiæ genuisse. Magnam itaque iacturam incurrunt, qui filio non credunt, cum ex hac incredulitate, patris quoque notitia illis sustollatur. Quæ quanti sit facienda, paucis aperit dominus sequenti loco: Hæc, inquit, est vita æterna, vt cognoscant te verum & solum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Quòd si patrem cælestem cognoscere & filium eius, vita æterna est: profectò ignorare patrem itidem & filium, interitus est æternus, & mors perpetua. Demum curauit Euangelista locum annotare, quo hæc alta suæ diuinitatis mysteria Christus aperuit, vt non clanculum, aut in abscondito dicta esse cognoscantur, quemadmodum improba hæreticorum dogmata, sed in publico, vbi frequens est populi ad audiendum concursus, scilicet in gazophylacio: qui locus est sacræ pecuniæ ad oblationes, & vsum templi custodiendæ designatus. Ex audientium autem numero conceperant nonnulli manus in eum mittere violentas, diuina tamen virtute repressi, id non tentarunt, quia nondum venerat hora eius: non qua ex conuersionibus astrorum cogere mori, sed qua sua sponte dignaretur occidi. At verò id scrupum cuiquam mouere posset, quir interrogatus hic dominus, vbinam sit pater suus, non respondit è directo propositæ quæstionis neque cælestem se patrem habere patefacit, quod tamen ipse locus præsens videbatur exigere. Vnde relinquebantur ipsi ludæi animo suspensi, & super ea re anticipites ac ambigui, quemadmodum paulo post sequentia Euangelistæ verba testantur. Et non cognouerunt, inquit, quia patrem eius dicebat Deum. Philippo verò apostolo interroganti dominum post expletam vltimam cœnam: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis, cum mira benignitate & facilitate respondit Philippe, qui videt me, videt & patrem meum. Non credis, quia ego in patre, & pater in me est: Verum magna est affectuum & animorum diuersitas: in Philippo ostendi sibi patrem rogante, & ludæis hic simile quiddam interrogantibus, quæ propositam facile dissoluit quæstionem. Siquidem ea verba dixit Philippus pio animo, & ardenti desiderio videndi patrem cælestem. Idcirco dignus fuit, cui amplius aperiretur immanitionis Christi in patre, & inseparabilitatis ab eo arcanum. Scribæ verò, Pharisei, & principes sacerdotum, maligno animo id, quod dictum est, interrogarunt, vt aliquod ex ore Christi verbum arriperent, vnde eum possent accusare. Enimvero id præcipuum fuit eorum studium, domino nostro calumniam struere, cauillari in omnia eius verba, & tentare ex illis ansam arripere ipsis contradicendi, ea improbandi, deridendi aut contemnendi. Hæc itaque malignitas animi eorum, & prauitas affectus nullo modo digna fuit apertione cœlestis mysterij & reueratione diuinæ originis, quòd non essent ipsi tam augusti & sublimis arcani idonei auditores. Ecclesiastico autem autore dictum est: Vbinon est auditus, non effundas sermonem. Et dominus ipse in Euangelio nos edocuit: Nolite sanctū dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & canes conuersi dirupant vos. Quo quidem verbo admonemur altissima diuinæ veritatis sacramenta, & sublimia mysteria non esse proponenda im-

pugnatoribus veritatis aut contēptoribus, ne aut irrideāt ea, aut acrius improbent. Neq; ludæi, quibus hoc loco dominus non aperuit diuinæ generationis sacramen-
tum, ex eo relinquebantur dubij, quidnam super ea re credere deberent, aut igno-
rantix nubilo inuoluti: quoniā ex prius auditis frequenter domini verbis satis per-
spectum habent, quod se filium Dei esse confiteretur, & patrem suum diceret esse
Ioannis 5 Deum, cum superius dixerit Euangelista post hæc domini verba: Pater meus vsq;
modò operatur, & ego operor. Propterea ergo, inquit, magis quærebant eum lu-
dæi interficere, quia nō solum soluebat sabbatū, sed & patrem suū dicebat Deum,
Ioannis 10 æqualem se faciens Deo. Et in sequentibus locis lapidibus impetere Christū sunt
Ioannis 19 aggressi: quod homo cū esset, faceret, inquit, seipsum Deū. Demum corā Pilato
conclamarūt, secundum legē suam Christum mori debere, q̄ filium Dei se fecerit.

Caput XXII.

Dixit ergo iterum eis Iesus: Ego vado, & quæretis me, & in pecca-
to vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire.
Sollicitus de ægroto curando medicus, omnem tentat viam instauran-
dæ fanitatis ei, quem exitiali & lethifero morbo nouit ægrotare. Et v-
bi perspicit leuiora blandioraque remedia non prodesse, studet aciora ad moue-
re medicamina, sectionem, cauterium, vstulationē, quibus noxius expellatur mor-
bus. Hoc non minus obseruasse cernitur dominus noster optimus humanæ infir-
mitatis medicus, vt duritiem cordis ludæorum & impietatem sanaret. Adhibuit
admiranda signa, quibus ad fidem adducerentur, adhibuit & salutarem cum sua-
uitate doctrinam. Quæ omnia vbi nihil eis conducere conspicit, aut salutem adfer-
re, nunc asperam eis comminationem infert, & æternam interminatur mortem,
vt hac saltem ratione ad sanio rem reuocentur mentem. Vado, inquit, ad eum, qui
me misit, & ad cœlestem reuertor gloriam, quum deuicta morte immortalis vitæ
dignitatem assumpsero. Quod etsi adhuc futurum erat, more tamen suo ad de-
signandam reicertitudinem, id vt præsens enunciat. Postquam autem per redi-
tum ad patrem à vobis abiero, quæretis me, non credendi desiderio, sed persequen-
di studio: & quem amplius in proprio corpore persequi (vt prius) non poteritis, in
membris acerrimè infestabit, & pro viribus excruciat. Sed horredus vos ma-
net ex hac persequendi sæuitia exitus: nam in peccato vestro moriemini, & perpe-
tuus addicti pœnis, æternæ vitæ exortes, semper secundam mortem acerbissime
feretis. Itaq; quod ego vado, vos non potestis venire: ad vitam enim propero sempi-
ternam, vos autem ad æternum mortis horrorem, quia oblatam vitam vestra per-
uicacia reijcitis. Ego ad gloriam vado patris, vos autem ad confusionem perpetu-
am sponte vestra ruitis. Ipse ad cœlestem transeo requiem, ad quam peruenire non
potestis: quia viam, qua illuc itur, tenere contemnitis. Quum igitur me nunc sequi
renuistis ad virtutis laborem, non poteritis me etiam sequi ad præmium. Non ob-
negatam benè agendi facultatem, sed ob propriam animi vestri malignitatem, vi-
am salutis amplecti recusantem. Quod si durum est æterna carere vita: si triste, in-
teritum perferre perpetuum: si graue, interminū perpeti supplicium: respicite,
dum datur hora, à prauis studijs vestris, abijcite pondera peccatorum vestrorum,
ne in illis moriamini. Quia non mortui laudabunt dominum, neq; omnes, qui de-
scendunt in infernum. Ecce quibus eos minis exterreret, quæ mala ipsis imminentiā
prædicat, vt vel illorum horrore ipsos à malo reuocet.

Caput XXIII.

Dicebant ergo ludæi: Nunquid interficiet semetipsum? quia di-
cit, quo ego vado, vos non potestis venire. Et dicebat eis: Vos de
deorsum estis, ego de superius sum. Vos de mundo hoc estis, ego
non

A non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia in peccatis vestris mori-
emini. Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato ve-
stro. Ex fonte dulci manans aqua suam refert originem, & dulcis est. Ex fonte ve-
rò amaro & turbido non potest vnda suaui profluere, sed amaricata & horrida
gustu. Atqui animus hominis vt fons est, quæ intra se concipit iugiter scaturiens:
qui si beneuolus fuerit, & sincero affectus amore, talia etiam sensa & cogitata
expromet: sin verò maleuolentiæ veneno labefactus, aut inuidiæ tabe fuerit cor-
ruptus, nihil rectum, nihil amicū, nihil denique benignum meditabitur: sed
obliqua, sinistraque cogitatione quæcunque audita interpretabitur. Id nunc ludæi
facitare conspiciuntur, qui verba domini nequaquam intelligentes, protinus in
absurdam & horrendam auditu exeunt cogitationem, verbisq; eam expromunt,
sciscitantes, nunquid seipsum esset interfectorus: quia dixerit, quod iturus esset, a-
lios peruenire non posse. Sed vnde hæc tanta exoritur intelligendi absurditas?
Profectò ex sola animi eorum nequitia, qui quoniam virulentus est, & horro-
re odij contaminatus, quicquid intra se recepat, consimili tabe commaculat: quem
admodum vas illitum veneno, quicquid impositum sibi receperit, reddit vene-
ratum & mortiferum. Cæterum neque veri similitudinem habet hæc improba
eorum inquisitio. Non enim, si seipsum interfectorus esset, colligere rectè po-
tuissent, eam ob rem, quod ipse iturus esset, alios peruenire non posse. Nam & ipsi
seipsum interficere potuissent, sibi que vltro mortem consciscere: & hac via venis-
sent quidem, quod Christum abijisse autumassent. Hanc autem (quam etiam cogi-
tare pius horrescit animus) de Christo impietatem ipse mansuetè ferens, osten-
dit eis cum admiranda benignitate, quoniam pacto sua fuerant verba accipienda,
simul & suæ naturæ eminentiam supra cæteros homines declarat. Vos, inquit, de
deorsum estis, & creaturarum sortiti conditionem, quæ Deo creatori subiectæ
B sunt, & longo infra ipsum subsident atque subsistunt intervallo. Ego verò de su-
perius sum, & diuinam habens naturam, quæ rebus creatis omnibus in immen-
sum supereminet. Ex patris enim substantia genitus, eique in omnibus æqualis,
creaturarum naturam longè transcendendo. Nempe, deorsum, hoc loco creaturarum
propriatatem fortemque designat, ratione creationis Deo subiectam atque sub-
iacentem. Superius verò diuinam nominat naturam, omnia supergradientem,
& ab omnibus eminenter exceptam: quem admodum diffusius est discussum pri-
us, quum hic locus occurreret explanandus: Qui de terra est, terra est, & de ter-
ra loquitur: qui deorsum venit, super omnes est. Aitero deinde discrimine se ab
eis dissentire atque distare demonstrat, quia scilicet de mundo sunt, ipse verò non
erat de mundo. De mundo erant Scribæ & Pharisei, si affectum (vt debes) at-
tendas: nam toto animo rebus huius mundi inhæbant, Primatum & honores ar-
dentissime ambiebant, eligentes primas cathedras in synagogis, & primos disci-
bitus in mensa: suaque opera omnia facientes, vt viderentur ab hominibus. O-
pes itidem & pecuniam nimia cupiditate prosequerentur, deuorantes domos vi-
duarum, & pecuniæ quæstum in ipso quoque templi vestibulo aucupantes. Chri-
stus verò hoc modo non erat de mundo: quia affectum animi fluxis huius muni-
di, caducisque rebus non habuit implicatum aut intentum. Non enim propriam
quærebat gloriam, sed solius patris. Sic etiam omnes abiecit opes, vt non habe-
ret, vbi caput reclinaret. Rursum quod modò comminatus fuerat, iterum eorum
auribus inculcat: ipsos scilicet in suo peccato morituros, & ad mortem vsque in sua
iniquitate perseueraturos absque fructu pœnitentiæ. Vt quod prima exhortatio-
ne eorum mentibus non inhæserat, aut fuerat infixum, saltem secunda aut tertia
affigeretur. Ita enim faciunt, qui duræ ceræ annuntur imprimere formam sigil-
li, si primo conamine frustra tentarunt efformare illius effigiem, superaddunt

secundum aut tertium conatum: & improbo tandem labore assequuntur, quod expetunt, nisi usque adeo dura sit, & primitiuae formae reluctans materia, ut omnino illius effigiationem non admittat. Qualis reuera erat Iudaeorum animus, qui lapidis instar omnem refugiebat emollitionem, & ne terribili quidem hac interminatione inflectebatur ad poenitentiam. Idcirco tertio idipsum repetit, ut medicus de aegroti salute desperans, & imminentem saepius ei praedicens interitum, nisi ea, quae reparandae sanitati apprimè necessaria sunt, obseruet. Sed nunc viam aperit, qua tantum possint euadere discrimen, scilicet mori in suo peccato, ut potest credere voluerint, quia ipse est, quam quidem si amplecti neglexerint, de salute eorum actum esse declarat. Si enim non credideritis, inquit, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Vbi quàmuis supprimat, quisnam ipse sit, hanc tamen significat sententiam his verbis, se Christum esse in lege & prophetis promissum, ut eorum verborum haec sit intelligentia: Nisi credideritis, quod ego sum, scilicet Christus vobis antè promissus, & nunc exhibitus, moriemini in peccato vestro. Nempe de hac re inter vos agitur controuersia & disceptatio. Aut si altiore volumus sensum attendere, utitur hic dominus noster ad eos verbo illo essentiam designante absolute, & sine cuiusquam adiectione sumpto, quo diuinitatem suam illis apertius significaret, cum eo de se verbo loquatur, quod soli Deo competere dignoscitur, & prius ad Moysen de Deo dictum est. Quum enim Moyses ad liberandum ex Aegypti seruitute populum Israeliticum mittendus, interrogaret de nomine mittentis, respondit dominus: Ego sum, qui sum. & rursus: Sic dices ad filios Israel: Qui est, misit me ad vos. Hoc igitur verbo reuocat eis in memoriam, se ipsum esse, qui prius ad Moysen hoc se nomine vocari contestatus est. Quod si rerum omnium naturam pensiculatus indagauerimus, soli Deo esse, in primis conuenire comperiemus, ut qui ab alio minimè subsistat: sed fons primarius est existentiae rerum omnium, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia. Neque quippiam aliorum ad perfectionem diuinæ essentiae pertingere valet: sed citra proportionem omnem ab ea deficit, & quodammodo ad non esse decumbit. In comparatione siquidem eius, qui verè est, quia incommutabilis est, & exordium non habet, nec aliunde accipit esse, sed à se habet, quasi non sunt, quae mutabilia sunt, quae principium sui esse habent, & idipsum ab alio sortiuntur. Quod enim dicitur, fuit, non est: & quod dicitur, erit, nondum est. Deus autem tantum est, qui non nouit fuisse, vel futurum esse. Ceterum non solis putemus Iudaeis hanc à domino comminationem esse factam: quod si in eum non crediderint, morientur in peccatis suis, sed & nobis. Eadem enim nos quoque manet damnatio, si in Christum fide per dilectionem operante non crediderimus. Idem omnino exitium, idemque interitus, si obdurauerimus corda nostra per impoenitentiam, & Phariseis persimiles in incredulitate fuerimus: si denique assidue vocantem nos Deum ad poenitentiam, surdis auribus praeterierimus. Audiamus itaque tubam Euangelicam Paulum apostolum terribili verborum clangore auribus nostris intonantem: An diuitias bonitatis Dei, & patientiae, & longanimitatis eius contempnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit: Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die ire & reuelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius. Fugiamus, oro, adiutore Deo pro vitibus peccatum ad mortem, quod tam graue & horredum est, ut pro illo non dicat Ioannes esse orandum. Illud verò impoenitentia est, & continua in peccato ex animi electione perseverantia. Et quoniam in Prouerbis ait Sapiens, quod pestilente flagellato, stultus sapientior erit, & rursus alio loco: Mulcato pestilente, sapientior erit paruulus. Ex incredulitate Iudaeorum & iudicio, in quo propter eam inciderunt, capiamus exemplum effugiendi tam graue malum, nostramque inde salutem operemur. Dum tempus habemus, operemur bonum, ut monet Apostolus: & nos ipsos

A ipsos in Christum verè credere ostendamus, non tantum verbo & lingua, sed etiam opere. Enimvero obduratis corde & incredulis, neque cognoscentibus vias eius, iurauit in ira sua, quod non introibunt in requiem suam. Festinemus illam ingredi, & ne in idipsum incidamus incredulitatis exemplum, in quod videmus prolapsos esse Iudaeos, quia ad assiduam domini vocationem auribus grauius audierunt, & prorsus obsurduerunt, ipse nos quotidie commonefacit simul & exteret his verbis, quae apud Lucam dixisse legitur semel atque iterum: Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Caueamus itaque summopere, ne in numero illorum habeamur, de quibus in Prouerbis loquitur dominus: Quia vocaui & non respondistis, locutus sum & non audistis, & faciebatis malum in oculis meis, & quae nolui, elegistis, propter hoc haec dicit dominus Deus: Ecce serui mei comedent & vos esurietis, ecce serui mei bibent & vos sitietis, ecce serui mei lætabuntur & vos confundemini. Denique per Hieremiam prophetam idem conqueritur dominus, quod dura ceruice contempserint ipsum, quos ad se vocauit, praenunciaturque se illos Dei contemptores proiecturum à se, & deserturum, cum inquit: Et nunc quia fecistis omnia opera haec, dicit dominus, & loquutus sum ad vos mane confurgens & loquens & non audistis, & vocaui vos & non respondistis: faciam domui huic (in qua inuocatum est nomen meum, & in qua habetis fiduciam) & loco quem dedi vobis & patribus vestris, sicuti feci Sylo. Et projeciam vos à facie mea, sicuti proieci omnes fratres vestros, vniuersum semen Effraim. Non ergo simus ex duritia cordis surdastri ad vocantem nos dominum: quoniam cor durum (ut ait Sapiens) male habebit in nouissimo. Et rursus alio loco: Qui verò mentis est dura, corruet in malum.

Caput XXIII.

Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Iesus: Principium qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui & iudicare, sed qui me misit, verax est, & ego quae audiui ab eo, haec loquor in mundo. Et non cognouerunt, quia patrem eius dicebat Deum. Ad ostensionem suae deitatis modò dixerat Christus Iudaeis: Ego sum, neque adiecerat, quidnam esset, ut ex ipsa loquendi ratione se Deum esse declararet, cui soli conuenit simpliciter esse. Hinc Iudaei materiam interrogandi sumunt, quisnam ipse esset, ut determinatio re, contractioreque sermone de se loqueretur. Quia, inquiunt, dixisti, ego sum, & non addidisti, quidnam es, nunc ergo dic quis es, ut credamus. Quibus hoc pacto interrogantibus eam adhibuit dominus responsionem, quae et diuinam in eo naturam pariter & humanam designaret. Sum, inquit, principium omnium rerum, ex quo omnia sunt sumpturunt exordium, & per quod omnia constant. Principium, per quod facta sunt omnia, per quod Deus creauit secula, in quo Deus creauit caelum & terram. Necessè est autem rerum omnium autorem Deum esse, quare nuncupatione principii, se Deum esse, perspicue designauit. Cum autem subnectit, qui & loquor vobis, se hominem pro nobis factum insinuat, qui praesens verba, quae à patre accepit, hominibus nunciauit, patrisque voluntatem explicauit. Verum quia nec his verbis erant credituri, sed in sua permansuri infidelitate, praedicat eis graue iudicium, ob peccatorum suorum multitudinem futurum. Multa, inquit, sunt quae de vobis discutere & examinare debeo, non quidem

hoc tempore, sed quum cuiq; homini iuxta opera sua fiet retributio. Quum enim
 Psalm. 74 accepero tempus, ego iustitias iudicabo, & statuam id potissimum contra faciem
 vestram, quod in me credere proteruia vestra respuitis. Ob quā tamen nihil rerum
 fidei, nihil ipsi detrahitur veritati; quia qui me misit pater, verax est, à quo sicut es-
 sem mihi datum est, ita & sapere & cognoscere. Omnia enim mihi tradita sunt à pa-
 tre meo. Non itaque à me ipso loquor, quæq; meo arbitrio sint excogitata, sed quæ
 Matth. 11 audiui à patre meo, hæc loquor in mundo. Atqui non potest à veraci quicquam ni-
 si verum proficisci. Veritatem itaq; quam à patre accepi & audiui, mundo manife-
 sto. Cæterum cæcis oculis obiecta lux, non præbet suam claritatem, neque perspi-
 cua est, neque excæcatis ludæorum animis oblata veritas, eos ad veræ cognitionis
 lumen prouehere potest. Nam quum tanta dominus de patre suo eis mysteria de-
 clarasset, illi oculos suos in terram declinantes, non cognouerunt, quia patrem
 eius dicebat Deum. Ipsum enim nudum existimantes hominem, quæcunque
 de patre differuit, de diuino & cœlesti patre (vt intelligenda erant) accipientes, fal-
 sa simul & blasphema putabant, ac honori ipsius Dei non parum derogantia,
 quemadmodum inquit Ioannes quinto cap. Propterea magis quærebant eum lu-
 dæi interficere, quia non solum soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat
 Deum æqualem se faciens Deo. Et quum decimo Ioannis cap. dominus dixisset
 ludæis: Ego & pater vnum sumus, & ob hoc ipsum lapidare tentassent, interro-
 ganti domino, propter quod bonum opus ostensum ipsis ab eo, vellent eum lapi-
 dare, responderunt: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia
 tu homo quum sis, facis teipsum Deum. Cæterum quoniam in præsentī loco
 Christus seipsum appellat principium, paulo altius id repetendum est, quo pacto
 ea denominatio illi conueniat, indagandumq; diligentius, an ipsi soli sit propria at-
 que peculiaris. Certè si scripturas accuratè fuerimus perscrutati, comperimus &
 Ioannis 1 id nomen Deo patri attribui, vt quum in sui Euangelij initio Ioannes dicit: In prin-
 cipio erat verbum, significans eo dicto, quod filius Dei ab æterno erat in patre, ne-
 que temporali natiuitate suæ existentie habuit exordium, vt oblatrarunt hære-
 tici. Similiter & quum Propheta in Psalmo inducit patrem ita ad filium loquen-
 tem: Tecum principium in die virtutis tuæ. Ac si planè dicat: Tecum ò fili est pa-
 ter in coæternitate diuinitatis, quo intelligamus, non extitisse patrem ante filium
 Dei, quemadmodum Ariani impudenter obgarrunt, sed cum filio & apud fili-
 um semper fuisse patrem, in eo Psalms loco principij nomine signatum. Ipsum ve-
 rò Dei filium, etiā principium dici, præsens Euangelij locus apertissimè testatur.
 Non tamen idcirco duo contendas esse principia, patrē & filium, sed vnum & vni-
 cum principium, quæadmodum & pater est Deus, & filius est Deus; non tamē duo
 dij, sed vnus est Deus. Nihil secius aliqua inuenitur discriminis ratio inter nuncu-
 pationē illā, vt patri congruit, & vt attribuitur filio, quod pater principium est sine
 principio, quoniam à nullo suæ deitatis habet originē. Filius verò principium est
 de principio, quoniam ex substantia patris ante secula est genitus. Sed nonne &
 spiritui sancto eadē adaptari poterit denominatio, vt & ipse dicatur principium?
 Quid nī poterit: quum & ipse autor sit & causa effectrix rerum omnium haud
 minus quam pater & filius, quinimò pater & filius & spiritus sanctus vnum sunt
 omniū principium, attamen ea deprehenditur esse differētia inter illam denomi-
 nationē, patri & filio attributam, & spiritui sancto accommodatam, quod tam pater
 quam filius ratione diuinæ emanationis productionisq; intīmæ principium dicitur,
 itidē & ratione conditionis, creationisq; rerū exterarū. Est em̄ pater principium filij,
 & spiritus sancti; filius itidē principium spiritus sancti; insuper pater & filius princi-
 pium sunt rerū om̄ium productiuū. At verò spiritus sanctus, ratione emanationis
 diuinæ & originis intīmæ, non dicitur principium, quod nulli diuinarū hypostaseōn
 præstet sequenti ordine originem, quoniam nulla est reliqua, cuius esse possit hoc
 modo

modo principium. Ratione tamē productionis rerū conditarum; spiritus sanctus
 æquè principium dicitur atq; pater & filius. Itaq; absoluta principij ratio maximè pa-
 tri conuenit, quoniam primario loco: deinde filio eadē competit, & postremo spiri-
 tui sancto, qui (vt filius) principium est de principio, sed gemino, principium inquam
 duntaxat creaturarum.

Caput XXV.

Dixit ergo eis Iesus: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc co-
 gnoscetis quia ego sum, & a me ipso facio nihil, sed sicut docuit
 me pater, hæc loquor. Et qui me misit, mecum est, & non reliquit
 me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. Hæc eo loquente mul-
 ti crediderunt in eum: Videbat dominus (cui omnia, antequam eueniant, cogni-
 ta sunt) nonnullos in turba ludæorū, quam alloquebatur, esse, qui visis hora mortis
 eius signis, essent in eum credituri. De quibus Lucas inquit: Et omnis turba eorū,
 qui simul aderant ad spectaculū istud & videbant, quæ fiebant, percutientes pecto-
 ra sua reuertebantur. Aliquos etiā post reditum eius in cœlū, ad apostolorū prædi-
 cationem conuertendos, de quibus meminuit in Actis apostolorum Lucas, quod
 his auditis, quæ à Petro dicta sunt, compuncti sunt corde, dicentes: Quid faci-
 emus viri fratres? Ideo futuram eorum conuersionem prænunciat, simul & suæ
 Actor. 2 mortis genus explicat, quod in cruce pro mundi salute moriturus sit: Quum, in-
 quit, exaltaueritis filium hominis, & in aerem erexeritis cruci affixum, tunc co-
 gnoscetis quia ego sum: non mutabilitati obnoxius & instabilitati, vt post non esse
 habeam esse more creaturarum, aut post esse decidam ad non esse, quæadmodum
 ea, quæ corruptionem sustinent: sed diuinæ naturæ incommutabilitatem in me cō-
 stantissimè seruans. Ego enim dominus, & non mutor. Nunc quidē obstitit ver-
 bis meis, & doctrinæ meæ pro viribus repugnatis. Quum autem morte me affe-
 ceritis, tunc meam cognoscetis diuinitatē, & in me credetis. Quod si crudeles ma-
 nus Christo inferentes, veniæ locū & poenitentiae erant habituri: quis, quantiscun-
 que pressus sceleribus, de misericordia Dei desperauerit: aut ad eum reuerti, vt
 remissionē peccatorum accipiat, trepidus recusauerit: Vt verò de Deo patre loqui
 se patefaceret, & non de alio quouis secundum carnē parente; vt etiam se non esse
 repugantē, aut aduersum Deo ostenderent, quemadmodum vulgo ludæi iacta-
 bant: à se ipso, proprioq; arbitrio, aut sententia se nihil agere protestatur, sed eodem
 eū patre consensu atq; concordia ea loqui, quæ ab ipso patre accepit atq; didicit. Do-
 cuit autē pater filium, non quia ignorantē, & prius diuinæ scientiæ expertem erudi-
 erit, aut in cognitionē adduxerit, sed quia scientem ante secula genuit, gignendoq;
 ipsi filio sapientiam, sicut & essentiam diuinam contulit. Non itaq; prius ignarus,
 postea sapiens factus est filius, sed ab æterno sapiens, suam scientiam in patrem
 refert autorem, eamque ab ipso se habere confitetur. Demū ea dem repetit, quæ su-
 perius commemorata sunt, vtpote, qui me misit, mecum est, & non reliquit me so-
 lum, ne illa, quæ arduū continent suæ diuinitatis & inseparabilitatis à patre sacra-
 mentū, negligenter audita sine fructu prætereant: sed iterum atque iterū repetita,
 tenacius audientium animis infigantur. Itaq; secum esse patrem suum, à quo missus
 est, perhibet: quia ipse in patre, & pater in eo indimobiliter & indigressibiliter est,
 neque reliquit eū pater solum, vt qui inseparabiliter, & identitate naturæ vnū sit
 cum patre, & semper in sinu patris. Cum hæc autē arctissima substantiæ patris & fi-
 lij cōnexionē, etiam voluntatis vtriusq; concordia est & cōsensus, vt ne in minimo
 quidē filius à beneplacito patris discedat aut discordet, sed quæ patri placita sunt,
 faciat semper. Voluntas etenim præcipua patris fuit, vt pro salute mundi filius
 mortem

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

Ioannis 3 mortem pateretur. Sic enim dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum daret. Non enim misit Deus filium suum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. & hanc optimam patris voluntatem filius studiosè adimplevit. At verò quamvis magna fuerit Iudæorum incredulitas, ea tamen non omnium animos occupavit, quia ex audientibus multi crediderunt in eum. Ecce semen verbi Dei iactum in terram bonam, quod exortum fecit copiosum fructum in iis, qui crediderunt. Quod autem in spinas peccatorum aut supra petram duri pectoris Iudæorum decidit, nullam fidei aut bonorum operum attulit frugem, quia spinarum aculeis aut ariditate lapidis emortuum est.

Quinti Libri FINIS.

IN EVANGELIUM

IOANNIS LIBER VI. ADIECTVS

explanationi Cyrilli per Iudocum Clichtou-
um Neoportuensem, doctorem
Theologum.

Caput I.



Icebat ergo Iesus ad eos, qui crediderunt in ipsum: Si permaneritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Cum constructum fuerit fundamentum, & iacta ædificij prima exordia, laborat artifex industrius reliquum opus absoluere, neque absistit à labore, priusquam extremam rei manum impulerit. Cognouit quidem dominus iacta in nonnullorum cordibus ex verbis suis veræ fidei fundamenta, idcirco ad consummationem spiritualis ædificij sola perseverantia consequendam, hac exhortatione annititur inquisit. Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis. Parum est, inquit, sermonem meum auribus hausisse, & ad tempus seruasse, neque vllus ex eo provenire potest fructus. Nempe multi verba mea audierunt, & conuersi sunt retro, dicentes: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire: Quid prodest obsecro, durum subijisse certamen, si quis animo fracto tandem hosti manus dat victas: Quid nauè deduxisse in pelagus, & salum sulcasse profundum, si tandè antequàm portum contingat, nauis procellis & fluctibus acta fatiscat: Quid inchoasse domusstructuram, si quis non consummauerit: Non incipiētibus, sed perseverantibus vsq; in finem, salus æterna promittitur. Memores estote vxoris Loth, quæ cōuersa retro, in statuam salis est mutata. Nemo itidem mittēs manum ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei. Itaq; nolite vobis blandiri, quòd sermonem meum audieritis aut receperitis, initium id salutis est, sed nisi manseritis in sermone meo, nequaquam id vobis profuturum est. Si autem ad finem vsq; in eo perstiteritis, verè discipuli mei eritis, & non solo nomine. Nonnulli enim se meos dicunt esse discipulos, & tamen à discipulatu meo longè sunt alieni, nomen tenent, rem non habent. Sed ne quis existimet parui esse momenti ad discipulatum domini ascisci, quis inde fructus sequatur, audiamus. Duplex enim hic exprimitur. Primum cognoscetis veritatem, me scilicet, qui sum veritas. Ego enim sum via, veritas & vita. Aut remoto velamine umbrarum legis Mosaicæ, quo hæcenus obducti fuistis, veritatem lucis Evangelicæ perspicuè cernetis sine figuris dilucidam. Nempe lex per Moysen data est, gratia &

IN EVANG. B. IOAN. LIBER VI.

207.

A gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Antiquis siquidem patribus omnia in figura contigerunt, & umbram futurorum bonorum lex habuit: nunc verò reiecta nube & nocte figurarum, successit claritas splendoris Evangelici, quem interioribus oculis animi cernetis, si in eo, quem recepistis, sermone permaneritis. Secundum ex hoc sequens emolumentum est, quòd veritas cognita liberabit vos, id est, liberos vos reddet à seruitute peccati ac amore mundi, restituetq; in libertatem iustitiæ. Sanè liberare, secundum Latinæ linguæ consuetudinem, designat eripere, aut aliquo periculo eximere. Hic verò (ut sequēs indicat sermo, & Iudæorum cauillatio) non in eo accipitur significatu, sed liberum efficere, in libertatem adserere denotat.

Caput II.

Respondunt ei: Semen Abraham sumus, & nemini seruiuimus vnquam. Quomodo tu dicis, liberi eritis? Respondit eis Iesus: Amen amē dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. In turba eorum qui crediderant (ad quos præcedens habitus est sermo) nonnulli erant qui nondum crediderunt, neq; fidei dono illuminati sunt, qui hanc cauillationem verbis domini obiecerunt. Neq; enim existimandum est, eos qui in Christum crediderant, vsq; ad ad calumniandum eius verba & falsò redarguendum animatos fuisse. Magistri enim verbis reuerentià à discipulis solet exhiberi, non calumnia. Quia igitur dominus eos, qui in suo permanserunt sermone, promisit per veritatem liberandos, futurosq; liberos illis offensi verbis Iudæi, qui duntaxat ad reprehendenda Christi verba intenti erant, intelligebant significari se aliqua prius seruitute pressos, à qua essent per veritatem liberandi. Id autem indigno ferentes animo, de generis sui nobilitate gloriatur, quòd ex Abraham patriarcha duxerint originem iactantes, & quòd nemini seruiuerint vnquam, vanè attestant, de seruitute corporali verba domini solum intelligentes: de qua tamen quòd se asseuerant, falsum esse liquidò constat. Ioseph enim vnus ex patribus eorū & progenitoribus seruiuit in Aegypto, quæ admodum Psalmus dicit de eo: In seruum venū datus est Ioseph. Et ipsi quoq; in Aegypto duram seruiuerunt seruitutem sub iugo Pharaonis in luto, latere & paleis: propterea dominus sæpius eis commemorans beneficium liberationis eorum ex Aegypto, adducit quòd eripuerit ipsos de domo seruitutis et fornace ferrea Aegypti. Quid: nonne in Babylonica captiuitate sub Nabuchodonosor duram pertulerunt seruitutis conditionem? Nonne tandem Romanorum Imperio subiecti, eis tributa pendebant: Quid ergo gloriantur se nunquam seruisse cuiquam: Sed vsq; ad præceptum est & vehemens contradicendi studiū, ut quid verū sit nec ne, nequaquam attendat. Cæterum dñs de corporali seruitute cum eis contendere recusat, alteram autem longè duriorē adfert seruitutem, qua clanculum innuit eos grauiter esse oppressos, utpote seruitutem peccati. Nam qui facit peccatum, seruus est peccati. A quo enim quis superatus est, huius & seruus est. Trahitur quis cupiditate sua ad congerendam pecuniam, ad rapienda aliena, ad furtum, nonne auaritiæ seruus est: alius crapulæ, ebrietatiq; deditus, ad obscenas corporis voluptates præceptus rapitur, quis hunc gulae & libidinis seruū negauerit: Deniq; alius ad honores aspirat, dominatum concupiscit, principatum affectat, hic superbix durissimo iugo sua colla subigit. Verum hæc seruitus eo deterior est, quàm corporalis subiectio, quòd corporalem ut duram & acerbam detestantur omnes & auersantur, quàm aspera sit cognoscunt, & pro viribus refugiunt. Peccati verò seruitus, neq; satis cognoscitur, neque displicet. Applaudimus ei, & colludimus sponte nostra, atq; indies augemus eam. Habet enim asseclam sibi & sociam blandam voluptatem, cuius furore & mendacio

1. Corin. 10

Hebræ. 10

Genesis 39

Psal. 104

Exodi 1

Deuter. 4

4. Reg. 25

Lucæ 2

2. Petri 2

Ioannis 6

Math. 10

Lucæ 17

Lucæ 9

Ioannis 14

Ioannis 1

dacio inescat animos hominum, & libertatis præ se fert speciem. Præterea, serui hominum, inhumanos & immites plerunq; fugiunt dominos, & corripiendo fugam, à dura liberantur seruitute. Seruus verò peccati, quò fugiat, non habet. Sequitur enim illum semper vindex consciëntia, & grauissimis (qui ex peccatorum recodatione surgunt) stimulis torquere non cessat, neq; placidam ei quietem concedit. Præterea corporalis seruitus plerunq; citra culpam eius, qui in conditionem trahitur seruillem, inducitur, & ipso quidem renitente ac inuito. Quid enim peccauerat Ioseph, vt in seruum à fratribus venundaretur? Quid item admiserunt Ezechiel, Daniel & socij eius, in captiuitatem Babylonicam adacti? Seruitus verò peccati, spò te nostra semper contrahitur, cum peccatum omne sit voluntarium, & eius assuefactio spontanea & culpæ rationem habet assidue annexam, quoniam ex ipsa, & frequenti eius perpetracione potissimum nascitur. Rursum humana seruitus, qua in alterius ditionem amissa libertatis conditione quispiam redigitur, saltem ipsa finitur morte, quantumuis in præsentis vitæ incolatu fuerit diuturna, immitis & aspera. Peccati autem seruitus nequaquam in ipsa terminatur morte, sed hic inchoata, perpetuò durat post mortem, sine vlla consequendæ libertatis spe. Qui enim peccati iugum à se non excusserit, quum præsentem agit vitam, haudquaquam illud abijcere poterit post hanc vitam: quòd tunc nec poenitentia nec venia locus vllus relinquatur ijs, qui hic obdurata fronte, animoq; obstinato grauibus peccatis se obstrinxerunt. Adde, quòd libertas iustitiæ, quam præstant virtutis opera, & mēs sibi cōscia recti, admittit secum seruitutem corporalem, seruilēq; inter homines conditionem, quòd vna alteri haudquaquam repugnet aut aduersetur. Fuit sanè Ioseph domino suo Aegypto seruiliter subiectus, si corporis attendas conditionem: animo tamen maximè liber, quòd concupiscentiæ carnis manus victas non dederit, quòd integram domino suo fidem in administranda illius domo, sine dolo & fraude seruauerit. Ex opposito itidem corporalis libertas, & conditio viuē di inter homines libera, seruituti peccati sæpenumero inuenitur coniuncta in ijs, qui libertatem quidem habēt corporis, qua nemini subijciuntur, animum tamen habent varijs subactum cupiditatibus. Achab planè rex Israel liberam habuit vitæ conditionem, qua & regio fuit sceptro insignis, & multis populis latè imperitabat. Animo verò maximè seruus fuit, quòd sordido idolorum cultui, crudelitati, iniustitiæ, & alienæ rei vendicandæ cupiditati se totum submiserat, sponteq; addixerat. Sed nunc quanta maneant dispendia illum, qui seruus est peccati, attentius audiamus. Miserabilis planè conditio eius, qui seruus est peccati, quinimo & diaboli seruus, q primus est autor peccati, & tristi tandē clauditur exitu hæc seruilis subiectio. Nam seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Domus Dei in hoc præsentis seculo, Ecclesia est, de qua Psalmus: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. In altero verò seculo, domus Dei vita est, & gloria æterna, de qua alio loco Psalmus: Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. Et dominus ad apostolos: In domo patris mei mansiones multæ sunt. In neutra autē domo seruus peccati manere comprobatur. Non in priore quidem, quia etsi secundum loci qualitatem, & oculos hominum in Ecclesia diuersetur, in oculis tamen Dei ab Ecclesia cœtuq; fidelium segregatus est, & vt membrum putridum à corpore mystico resecat. Neq; in posteriore, quia in supernam illam Hierusalem non intrabit aliquid cō inquinatum, aut abominationem faciens & mendaciū. Porrò non existimet quisquam seruum peccati hominem appellari, quia peccet (non em̄ est homo qui non peccet: & septies in die cadit iustus) sed quia permanet in peccato, & ex inueterata peccandi consuetudine funibus peccatorum suorum constringitur, quibus ad finem vsq; vitæ perseuerat irretitus. Filius verò & à peccati seruitute exemptus manet in domo in æternum. Filius iste, dominus noster est, à iugo peccati verè liber.

Nam

A Nam peccatū non fecit, neq; inuentus est dolus in ore eius. Et ipse in domo manet in æternū nam caput est corporis Ecclesiæ, et in gloria Dei patris sedens ad dexteram maiestatis. Sed quæ admodum filiationis suæ participationē alijs pro inenarrabili benignitate sua communicat, et adoptionē filiorum Dei elargitur, ita et libertatis à peccato gratiam illis præstat, & manendi in domo Dei prærogatiuam. Quicumq; igitur per gratiā Christi, qui verus est Dei filius, effecti etiam fuerint filij Dei per adoptionē atq; cohæredes Christi, illi quoq; liberi fient à pctō, et in vtraq; Dei domo manebunt in æternū. Si ergo filius vos liberauerit, liberosq; reddiderit, verè liberi eritis. Non em̄ potest, qui seruitute peccati subiacer, se ipsum pro arbitrato suo ab eo iugo eripere, et si sponte sua se coniecerit in miseram illam conditionem, ab alio liberetur oportet, vtpote à vero filio Dei. Nulla tentetur alia libertatē recuperandi via, quia per illum solum vera conceditur libertas à peccatis, vt hic peccatū non dominetur, neq; regnet in nostro mortali corpore, et in futuro seculo, vt omni no peccatum locum non habeat.

Caput III.

Scio quia filij Abraham estis, sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud patrem, loquor, & vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis. Ostendit superiore sermone dominus noster Iudæos reuera seruos esse, et grauissimis obnoxios peccatis occultè significauit: nunc ad id quod de generis sui nobilitate splēdoreq; iactanter adduxerant, respōdet. Scio, inquit, et admitto, quòd filij estis Abrahamæ secundum carnem, sed non estis secundum imitationem. Agnosco in vobis carnis originem, sed non Abrahamæ fidem, neq; opera, quia quæritis me interficere. Inde degeneres estis, et à patris vestri bonitate exorbitantes. Id certè nunquam molire mini, si filij Abrahamæ secundum fidem essetis. Ipse autem stirpis originem parui facio, si illi non respondet animi bonitas, & proauorū recta imitatio. Grati sunt mihi Abrahamæ secundum spiritum filij: qualis Zachæus, qui meo ipsius testimonio dictus est filius Abrahamæ. Abraham primus circuncisionem secundum carnem accepit, vos vt veri sitis Abrahamæ filij, circuncisionē secundum spiritum suscipite, & circuncidite præputium cordis vestri. Abijcite odium, quod in me concepistis, extirpate inuidiam, qua excruciamini, expellite maleuolētiam & perpetrandæ cædis cupiditatē, qua agitamini, & tunc veri eritis filij Abrahamæ. Circuncidimini domino, & auferite præputium cordis vestri, vt veram Abrahamæ cognationem, quæ secundū spiritum est, referatis. Non enim qui in manifesto Iudæus est, neq; quæ in manifesto in carne est circuncisio, sed qui in abscondito Iudæus est, & circuncisio cordis in spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Admonuit vos Ioannes Baptista, vt clarissima tuba in deserto personans. Ne cœperitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham. Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ. Quid aliud his verbis significauit, quàm solam carnis ex Abraham stirpem nemini salutem adferre, sed fidem & bonorum operum imitationem: quia Deus ex lapideis gentium cordibus (qui ex Abrahamæ progenie non sunt exorti) potest suscitare filios spirituales Abrahamæ, fideiq; & iustitiæ eius sectatores. Et multi ab Occidente & Oriente facti per gratiā Abrahamæ filij, deferentur cum Lazaro in Abrahamæ patris eorum sinum, recumbentq; cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum. Filij autem regni huius (qui vano Abrahamæ nomine tumescunt, & iustitiam eius non sectantur) efficientur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Cæterum quid Iudæos in tantum nefas præcipitet, vt vitæ auctori necem inferre moliantur, deinde declarat. Quia sermo (ait) meus non capit in vobis, id est, non habet locum in cordibus vestris, neq; recipitur à vobis. Si enim caperetur à vobis, & vos ediuerso caperet, atque ad me adduceret, more hamis, NN quisi

Esaia 51
Eph. 5
Hebra. 1
Roman. 6
Lucæ 19
Genesis 17
Hierem. 4
Roman. 1
Matth. 3
Lucæ 16
Matth. 8

qui si à pisce apprehenditur, ipsum etiam apprehendit, atque ad piscantem alleuat. Sed non potest effigies sigilli dure imprimi cere, quia non recipit efformationem sigilli, sed rigida duritie prorsus à se rejicit. Et corda itidem vestra saxorum instar obdurata, non admittunt verborum meorum sensum, neque sinunt ea animi vestri penetralia subire. Quod verò suorum verborum monita non capiant Iudæi, Christus ostendit à signo, quid inter ipsum & Iudæos intersit, explicans. Ego (inquit) quod vidi apud patrem meum, hoc loquor. Veritatem Christus apud patrem suum vidit, seipsum utiq; vidit, quia ipse est verbum, quod erat in principio apud Deum. Deus pater verus est, filius eius veritas est, ut de seipso dicit Philippo: Ego sum via, veritas & vita. Veritatem ergo vidit apud patrem, veritatem loquebatur in mundo, quia se & Deum patrem annunciabat mundo. De Iudæis autem subiungit dominus: Et vos, quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis. Quid faceret, paulo antè eis dixerat: Quæritis, inquit, me interficere. Id autem apud patrem Abraham non viderunt, quem amicam Dei fuisse scriptura testatur. Proinde de illo secundum carnem patre hic non loquitur. De quo ergo patre hic dicat, quod ea faciant Iudæi, quæ viderint apud patrem suum, in sequentibus manifestius aperiet, quum dicturus est expressè, eorum patrem esse diabolum; non quod ab eo geniti aut creati essent, ut nonnulli impiè confinxerunt: sed quia imitatione malitiæ eius, filij ipsius erant, quatenus mali erant. Filij eius utiq; erant per imitationem, non per creationem. Apud hunc itaq; patrem viderant opera, quæ faciebant, odia, invidiam, bonorum æmulationem, innocentis interfecionem, quia imitatores diaboli facti fuerant, quum non solum nollent filium Dei suscipere, sed etiam meditarentur occidere.

Caput III.

Responderunt & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dixit eis Iesus: Si Abraham filij estis, opera Abraham facite: nunc autem queritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis, quæ audiui a Deo: hoc Abraham non fecit. Vos facitis opa patris vestri, Iudæi quod eis dominus vltro concessit & tribuit, iterum atq; iterum replicant, & Abraham suum esse patrem, illius genere intumentes, rursus inculcant, quod dominum prouocent, ut aliquid diceret contra gloriam aut nomen Abraham, & exinde possent in eum vindicare tanquam inimicum atq; aduersarium Abraham. Verum dominus insidias eorum & molitiones non ignorans, Abraham quidem, ut meritò commendandū, laudat: ipsos verò ut degeneres & à moribus Abraham alienos, condemnat. Ea, inquit, propria conditio est filiorum, qui ingenua sunt & generosa indole, egregios suorum parentum mores consecrari, neq; ab auita probitate quoquo pacto desciscere. Qui verò à bonitate parentū degenerant, vecordes sunt & improbi filij. Dixi iam vobis, quod Abraham quidem filij estis secundum carnem, sed id parui est ponderis, nisi simul cognatio morum accesserit. Si itaq; filij Abraham estis secundum operum assimilationem & affinitatē, opera Abraham facite. Cum promissit Abraham Deo, quod multiplicaturus esset semen suum sicut stellas cæli, credidit Abraham Deo, & reputatū est ei ad iustitiam. Vos itaq; in me credite, ut veri eius filij esse probemini. Quum itidē accepit Abraham mandatum de immolando filio suo Isaac, protinus obtemperauit Deo, neq; detrectauit illud ministerium. Hanc insignē obediendū promptitudinē imitemini, obedite Deo p me vos ad fidē vocanti, & salutis doctrinam quotidie proponenti. Cæterum opera vestra ostendunt vos ipsos à moribus Abraham prorsus alienos. Ille fidelis erat, vos increduli: ille Deo obediens, vos rebelles & inobedientes: ille paratus ad filium suum Dei iussu sacrificandum, vos in mortē innocentis præcipites ruitis, & queritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis, quæ audiui à Deo. Magna certè est

A tē est in his verbis prauitatis Iudæorum exaggeratio, & quibusdam gradibus accrescit cumulus iniquitatis eorum. Iussit Deus hominem non occidi. Quicumq; enim, ait, fuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius ad imaginem quippe Dei creatus est homo. Vos autem hominem innocentem quidem & minimè reum mortis occidere laboratis, quum tamen Deus per Moysen præcipiat: Infontē & iustum non occides. Insuper veritatem loquentibus debetur merces, non poena. Illis ampla conferri solent præmia, non parari supplicia. Vos autē me veritatem vobis annunciantem morti tradere cogitatis, ex quo vos inimicos veritatis esse liquidò monstratis. Demum si quis veritatem ab homine auditam aspernetur, tolerabile quidem id est malum. A Deo verò auditam veritatem loquenti repugnare, graue est piaculum. Id enim non est hominē spernere, sed Deum. Vos autem me persequimini, & morti adiudicare toto annixu elaboratis, loquentem non quamlibet, sed quam à Deo audiui veritatem. A quo enim mihi est esse, ab eodem & noscere & sapere. Id quippe mihi est audire à patre, quod est esse ab eodem. Non igitur in hominem solum, sed & Deum hæc vestra ascendit impietas, qua mortem meam meditamini. Hoc autem Abraham non fecit, non interfecit innocentē, non à Deo missum nuncium ludibrio habuit aut contempsit, quin potius omnium reuerentia & hospitalitate domo suscepit: quum sedens in conualle Mambre, tres ad se viros de via venientes conspexit. Quocirca multo verius cognoscuntur Christiani esse filij Abraham, imitatores scilicet fidei & operum eius, quàm Iudæi, quorum caro ex illo erat, vita autem non erat. Quod non subticuit diuinus Paulus ad Galatas scribēs: Non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit. Nō de filijs secundum carnem ibi verba facit Paulus, sed spiritum, qui in Christo regenerati sunt, & à vetusto peccati iugo liberi. Quos ex libera vxore Sara descendisse dicit, secundum mysticum sensum, quia Christi gratuito munere sunt libertate donati. Demū quia operum conformitate impios Iudæos non esse filios Abraham conuicit dominus, cuius opera exequantur, deinde declarat: Vos, inquit, facitis opera patris vestri, utpote diaboli, qui cum mortis sit princeps, & mortis habeat imperium (eius enim inuidia mors intrauit in orbem terrarum) ipse vos instigulat in meam mortem, & vos ipsi prauis eius suggestionibus toto animo acquiescitis. Verum magnopere nobis formidandū est, ne simile quiddā nobis iure obijciatur, quod à domino Iudæis hinc obiectū legimus. Gloriamur enim Christiano nomine, & secundum illius rationē non viuimus. Iactamus itidē nos Christi esse filios per spūalem baptismalis lauacri regenerationē, illius tamen optimos mores & vestigia nō sequimur. Nōne igitur grauiter timere debemus, ne etiā nobis meritò id in facie obiectetur: Si Christi estis filij, opera Christi facite. Et quoniam opera Christi non facitis, ut res ipsa linguis tacentibus loquitur, conuincimini non veri esse Christi filij per morū imitationem, sed degeneres, & adulterini, generatioq; praua & adultera. Enimvero ad ambiendos mundi honores toto rapimur animo, atque aspiramus ad congerendas opes, insatiabili cupiditate ferimur ad voluptates, presentisq; vitæ delicias perfruendas insanimus & agimur præcipites. Hoc autē Christus non fecit, qui delatam sibi miro fauore regiā dignitatē fugiendo declinauit, qui pauper semper vixit, non habens vbi caput reclinet, qui deniq; acerbissimos in corpore suo pro nobis dolores pertulit. Quocirca in nobis id locum habere videtur, quod scribit Paulus ad Titum: Confitentur (inquit) se nosse Deum, factis autem negant. Confitemur siquidem ore & exteriori cultu atq; habitu nos Christū noscere, eius nomen sumus in baptismo professi, & præclara ipsius denominatione insigniti, appellamur Christiani. Factis autem Christū negamus, quoniā quæ vetuit, committimus, & quæ præcepit, omnino negligimus. Nōne igitur cū horrore, ingētīq; pauore debemus extimescere, ne demū nobis iustè impropere, quod hoc loco deinceps Iudæis exprobrauit: Vos ex patre diabolo estis, & opera patris vestri est

Genesis 9

Exodi 13

Genesis 18

Galat. 4

Hebra. 3
Sapient. 3

Ioannis 6

Ad Titū 1

Ioannis 8 tris vestri vultis implere. Ex patre siquidem diabolo sumus, si malitiam eius, & peruersitatem nostris operibus imitamur, facti exinde morum cognatione Satane filij. Opera quoque patris illius, daemone inquam, implemus: si quaecunque fuggerit, mala perpetrantes, prauis moribus similes illius efficimur. Ne ergo in tantam prolabamur indignitatem, vt ex consortio filiationis Christi decidamus in affinitatem diaboli, ne in numerum filiorum regni adsciti, prorruamus in miseriam filiorum perditionis ac gehennae, studeamus enixè dignitatem Christiani nominis in nobis illabefactam, integramque seruare. Enitatur id ipsum esse quod dicimur, vt Christianorum vera exhibere opera, sicut & nuncupationem sortimur. Tunc verè Christum patrè nostrum nuncupabimus, cum illius sectabimur opera. Hoc vno argumento nos legitimos eius filios haud dubiè cõmonstrabimus. Tunc itidem Christum reuera nostrum legislatorè esse profitebimur, cum datam ab eo legè Euangelicam sine prauaricatione obseruabimus. Alioqui sicut Iudaeis id probro dedit ac impropertauit: Nonne Moses dedit vobis legè, et nemo ex vobis facit legem: ita & nobis haud iniuria id exprobrari poterit: Nonne Christus dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem: Quod ne fiat, studeamus totis viribus ita constitutam nobis Euangelicam legem tenere, vt in ipsius exacta obseruatione talè ac tantum legislatorè honoremus.

Ioannis 7

Caput V.

Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati: vnum patrem habemus Deum. Dixit ergo eis Iesus: Si Deus pater vester esset, diligeretis vtiq; me. Ego enim ex Deo processi & veni. Neque enim a me ipso veni, sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis: quia non potestis audire sermonem meum. Sapius Iudaei Abrahæ stirpe se exortos gloriati & semper à domino confutati sunt, atque quòd veri non essent Abrahæ filij, conuicti. Ex quo tandem intelligere coeperunt, dominum non de carnis origine, sed vitæ similitudine, morumque imitatione dicere, ac verba facere. Quasi enim hoc pacto adinuicem loquebantur: Quoties nominauerimus Abraham, dicturus est nobis: Quare illum non imitamini, de cuius genere gloriamini: Dicamus Deum patrem nostrum, & videamus quid nobis respõdeat. Propterea dicunt: Nos ex fornicatione non sumus nati, vnum patrem habemus Deum. Legerant vtiq; in scripturis fornicationè spiritualem appellari idololatriam, per quam misera anima daemõnibus, quasi prostituta, subiicitur. Nempe Ezechiel propheta nefandas idololatriæ superstitiones, quibus erat contaminata Hierusalem, commemorans, inquit: Et habes fiduciã in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo, & exposuisti fornicationem tuam omni trãseunti, vt eius fieres. Et edificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis. Ad omne caput viæ edificasti signum prostitutionis tuæ, & multiplicasti omnes fornicationes tuas. Idem quoque Propheta alio loco: Duæ mulieres, filia matris vnus fuerunt, & fornicatae sunt in Aegypto. In adolescentia sua fornicatae sunt. Itaque nunc se iactant, quod ex ijs, qui idololatriæ dediti fuerint, non descenderunt. Sed vana & friuola est eorũ iactantia. Nam & patres eorum in deserto adorauerunt vitulum conflatile, & cum à iudicibus regerentur, sæpius abierunt post deos alienos, & traditi sunt in manus persequentium. Denique quum regum principatu gubernarentur, frequenter admodum prolapsi sunt in cultum idolorum, & tandem Babylonicam perperissi captiuitatem in scelerum suorum poenam. Si non fuerat vnquam in progenitoribus eorum ista fornicationis abominatio, quare igitur Hieremias propheta, imò dominus per Hieremiam, Iudaeã de fornicatione increpat, atque vt ab illa desistat, clementissimè

Ezech. 10

Ezech. 23

Exodi 32
Iudic. 2
4. Reg. 24

Attimè cõmonet dicens: Tu aut fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuere- Hierem. 3
tere ad me, dicit dominus, & ego suscipiam te. Itaque hoc verbo occultè gentibus se praeferunt idola colentibus, & pluris sese faciunt, quòd vnus Dei cultũ obseruant, idcirco subiiciunt: Vnum patrem habemus Deum. Huc patrè suum vocat, non solum quia eos creauerit (Id enim ipsis cum gentibus est commune. Nam omnibus hominibus ratione conditionis naturæ, vnus est pater. Siquidem ipse fecit nos, & non ipsi nos) sed etiam quia peculiariter eum colant, & legem eius seruent, tanquam electi ab eo filij, quandoquidè Deus populũ Israeliticũ, filium suũ primogenitum vocauerit, cum in Exodo dixit ad Moysen: Filius meus primogenitus Israel. Sed quod negligenter Deum coluerint, quod irreuerenter ipsum contempserint, quoniam quod impudenter eum, quem patrem se habere iactabant, neglexerint, eis Moses in Deuteronomio impropertat, dicens: Generatio praua atque peruersa, hæc curre reddis domino populo stulte & insipienti: Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit & creauit te: Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es domini creatoris tui. Et vt crebriori repetitione, impietatis Israelitici populi magnitudinem exaggeret, idè rursum obiecit: Dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutaris suo. Pro uocauerunt eum in dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt. Immolauerunt demonijs, & non Deo, dijs quos ignorabant. Cæterum hanc tumidã eorum iactantiam repressit dominus, ostenditque ne Deum quidè esse patrè eorum ratione cultus & venerationis eorũ in ipsum. Si, inquit, Deus esset pater vester ob singularè vestram in eũ reuerentiã, diligeretis vtiq; me. Ego enim ex Deo processi & veni. Processi quidem generatione aeterna & ineffabili secundum diuinitatè, qua Deus ex Deo, omnipotens de omnipotente, aeternus de aeterno genitus sum. Veni aut secundum assumptam humanitatem in hunc mundũ. Non enim à me ipso veni, sed ille me misit, quæ missio, vtiq; incarnatio (vt & in alijs locis) intelligenda est. Itaque procedere ex patre, diuinitatis est: venire verò, humanitatis. Acrideinde interrogatione incredulitatè eorum exprobrat: Quare, inquit, loquelam meam non cognoscitis: Verba quidem mea auribus corporis hauritis, non tamen mentis vestrae infixata insident, neque satis intelliguntur, quia neque ea vera esse creditis, neque opere studetis complere. Et tanti mali causa est, quia non potestis audire sermonem meũ. Vtiq; ad eò cor vestrũ liuore & inuidia intabuit, & in me graui odio exarsit, vt non possitis benignis auribus recipere sermonem meum, neque æquo animo illum ferre. Meminisse debetis Esaiam prophetam de vobis & vestri similibus dixisse, quòd auribus grauius audierunt. Id in vobis completum cernitur, qui à recta doctrina aurem auertitis, et non potestis audire sermonem meum: quia non vultis ei credere, neque fidem præstare. Esaiæ 6

Quod diabolus a Deo creatus est bonus, sed post creationem natus bonitate sponte prolapsus, malus factus est. Caput VI.



Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendaciũ, ex proprijs loquitur: quia mendax est, & pater eius. Quod occultis insinuationibus, & velato sermone prius dixerat dominus de patre Iudaeorum; nunc tandem remota omni verborum circuitione, flexu & ambage, aperte depromit, de quo eorum patre locutus fuerit, paucis explicans, & diabolum eorum patrem esse declarans. Nempe cõsuetudinis est sacrae scripturae, ex imitatione vel similitudine filios appellare, iuxta quam Ezechiel propheta loquitur ad Iudaeam: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Quia enim Iudaei imitati fuerant impietates Amorrhæorũ & Cethæorum, inde parentes eos habuisse dicuntur, de quibus per scelerum propaginem NN iij naceren-

Ezech. 16

nascerentur, & cū quibus pro simili scelere damnarent. Itaq; omnis homo, in quantum à Deo creatus est, bonus est: in quantum verò p liberū arbitriū peccādo se subiicit diabolo, patrē habet diabolum, & filius illius est per operum imitationem. Quales erant Iudæi, quibus dominus causam, quare ex patre essent diabolo, reddidit dicens: & desideria patris vestri vultis facere. Quæ erant illa desideria patris eorum, quæ facere vellent, superius explicauit, cū ait: quæritis me interficere. Hæc reuera erant desideria diaboli, qui mortis est princeps, mortis habens imperiū, & vitæ exterminator, quia & ipse inuidit homini, & eum occidit. Nam Euam per serpentem seduxit, & per illam virum decepit, licq; occidit eum, quia ex iusto fecit peccatorem, ex immortalifecit mortalē, ex viuente per gratiam, mortuum per culpam. Porro quod illa sint desideria diaboli, occidere hominē, & sanguinem innoxium fundere, sequentia domini verba ostendunt. Ille, inquit, homicida erat ab initio. Diabolus contra primum hominē non ferro accinctus, sed mendaci & lethifera persuasione armatus venit, nec eum gladio, sed verbo necauit, quum illi suggestisset Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dñs, sciētes bonum & malum. Omnis ergo qui alicui homini malum persuadet pestifera lingua, dum illum ad peccatum prahit, occidit: non quidē secundum corpus, sed animam. De talibus dicit Psalmus: Filij hominum, dētes eorum arma & sagittę, & lingua eorum gladius acutus. Si enim homo p malitiam occidit animam suam, vt inquit Sapiēs, dum similis mali venenum alterius anime instillat, nōne eam enecat: Et si odium in fratrē, anime mors est, vt ait Ioannes in epistola sua: Qui odit fratrē suum, homicida est, & scimus quia homicida non habet partē in regno Dei. Nōne consimili ratione avaritia, iracundia, & cætera id genus capitalia peccata, exitium sunt animæ: & qui ad illa proximum pertrahit, crudeliter eum occidit: & tanto quidē immanius, quanto anima corpore præstantior est & dignior, atq; mors animæ quàm corporis perniciosior. Ille etiam (qui dictus est Iudeorum pater) in veritate non stetit, & veritas non est in eo. In veritate non stetit: quia prolapsus est à veritate, nec voluit manere in suæ originis sanctitate. Factus enim fuerat ad imaginem & similitudinē Dei. Sed superbiēdo retinuit quidem imaginem, quia non perdidit naturam immortalitatis: amisit tamē veritatē similitudinis, quia ex iusto & bono angelo diabolus iniustus & malus factus est. De quo ad prædictorum valentiorē comprobationem adhuc subiungit dominus: Quum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius, scilicet mēdacij. Diabolus planē à semetipso mēdax fuit, quia à nemine prius audiuit, nec didicit mendacium, sed ipse suum genuit mēdacium. A veritate siquidem & Deo, qui veritas est, sponte sua se auertens, horrendas mēdacij tenebras incurrit, nec aliundē illas, quàm à seipso accepit. Quemadmodum à splendore solis detorquens oculos, nō ab alio tenebras & noctis horrorem habet, sed à se solo, quod sponte sua à fonte luminis discesserit. Eam ob rem quum loquitur mendacium diabolus, ex proprijs loquitur. Et quēadmodum Deus verax est, & pater veritatis, ita quoq; diabolus mēdax est, & pater mēdacij. Homo verò, quia non à se, sed docente & suggerente diabolo mendacium didicit, quum loquitur mendacium, non ex proprijs loquitur, sed ex alieno, & quod aliundē accepit: neq; mēdacij pater est, sed patris mēdacij filius, quē per peccatum à veritate & Deo declinādo, malitiæ assimilatione imitatur. Porro nō incongruū fuerit hoc loco nōnullorum adsertionem destruere, sentientium diabolum à Deo malum esse cōditum, & in prauitate creatū fuisse. Cuius sententiæ adstruendæ occasionem sumunt ex hoc loco, quo dicitur: Ille homicida erat ab initio, putātes his verbis significari, eum à principio suæ productionis, quiniudē in ipso suis exordio, malitiæ ad dictum fuisse. Verum hi nō satis discutiunt domini verba, neq; eorum sensum perspicaciter attendunt. Nō enim dictum est, quod in initio homicida fuerit, sed ab initio peccati scilicet, vt ait Augustinus, quoniam ab ipso incepit peccatum & præuaricatio.

A ricatio. Aut ab initio creationis humanæ, & productionis mundi corporei fuit homicida: quia tunc mortem humano generi intulit, nec vnquam destitit postea exitium & perniciem, quibus potuit, adferre. Atqui quum mundus iste sensibilis productus est, & homo formatus, iam creata substitit substantia angelica, primò omnium (vt complurium est sententia) ad esse deducta. Fuit igitur angelus ipse in sua conditione naturæ, antequam prolaberetur & homicida fieret. Insuper adducit illud Ioannis in epistola sua dictum: Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Si ab initio, inquiunt, ipse peccat, in peccato productus est, & creatus malus, alioqui non ab initio peccasset, ex principio suæ constitutionis. Verum huic rationi eadē fermē adhibenda est dilutio, non propterea dictum esse, ab initio diabolus peccare, quia formatus fuerit à Deo malus: sed quia ab ipsius peccati exordio (quod ab eo cepit originem; nam ante illius lapsum nō erat peccatum) præuaricatus est Dei legem, prolapsusq; à natua bonitate sua, & decidit in prauitatem, à qua nunquam destitit: sed in ea continuē perstat, semper mala malis accumulans, & praua suggerens. Prætereà innituntur & huic sententiæ Psalmi: Draco iste, quem fecisti ad illudendum ei. Et huic verbo Iob: Ecce Behemoth, quē feci tecum: vbi nomine draconis & Behemoth intelligitur diabolus, ratione suæ malitiæ his nominibus nuncupatus. Dominus autem contestatur se illum fecisse, quo à bonis viris tentationes eius, & machinamenta fraudum superantibus, ei illudatur. Consequens est igitur, inquiunt, ipsum à Deo creatum esse malum. Sed qui hæc in veritatis impugnationem excogitant, non exactē substantiam diaboli ab aduentitia eius malitia dirimunt: quod si studiosē facerent, hanc ab ipso angelo prolapsio profectam dignoscerent, illam verò à Deo processisse, et id solum scripturam significare velle. In qua non semper causa rei subiectæ atq; propositæ, sed interdum euentus insinuat: vt cū alijs locis plerumq; tum hoc Psalmi loco: quo non eam ob causam designatur formatus draco, vt à sanctis viris astutias eius superantibus ipsi illudatur: sed denotatur eius formationem & prolapsionem spontaneam deinde sua culpa factam, id consequutum esse, quod ipsi ab hominibus suggestiones ipsius pestiferas conterentibus illudatur. Et vt paucis agam, quæcunq; scripturæ testimonia diabolum à Deo factum commemorant, intelligenda sunt secundum substantiam & naturam diabolum à Deo esse, non secundum culpam, quam postquam creatus est, sponte sua incurrit & apostata factus, prolapsus est. Sed age ex sacrarum literarum testimonio comprobemus, quod propositum est, vt pote angelum lapsum in principio bonum fuisse, & à Deo in bonitate creatum. In primis diuinus Psalter Deo concinit, quod omnia in sapientia fecit. Non est autem diuinæ sapientiæ consonum, quod à bono autore malum producat. Si quidem boni est bona producere, neque potest à bono malum proficisci: vt neque à calido frigidum, aut à lucido tenebrosum. Bonum enim saluat & continet, malum verò dissipat & disperdit. Atqui angelica natura, etiam ea, quæ auersa est à suo principio, à Deo facta est: non enim seipsam produxit, aut alium, quàm Deum habuit conditorem: erat igitur illa in principio quum crearetur, bona & boni particeps. Si quis enim oppositum adstruxerit, eam scilicet malā esse creatam non erit igitur illa malitia ipsi angelo desertori imputanda, sed Deo auctori suo, qui talem ipsum creauerat: neq; iuste ei pœna pro illa desertione aut discessione infligetur à Deo, vt quæ non sit in sua potestate constituta, sed natura insita. Pro his autem, quæ natura nobis adsunt, neq; laudem, neq; vituperium meremur, neq; præmii nobis aut pœna debetur. Sed grauis est impietas, Deum malorum auctore dicere, aut illi iniustitiam adscribere, qua desertoribus spiritus sine propria culpa pœnam infligeret. Iustus enim dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Et rursus: Rectus dominus noster, & non est iniquitas in eo. Prætereà hoc loco dicit dominus de diabolo, quod in veritate non stetit. Fuit igitur aliquan

do in veritate & iustitia, sed in ea non permansit, Quippe nemo de illo, qui nunquam in veritate fuerit, dicet, quod in veritate non steterit, sed quod in ea nunquam extiterit. Quum itaque dicatur angelus lapsus, in veritate non stetisse neque perstitisse significatur olim quidem in veritate fuisse, sed in ea non perseverasse. Insuper dominus apud Lucam dicit: Videbam Satanam tanquam fulgur de caelo cadentem. Fuit igitur aliquando in caelo, unde tanquam fulgur repente & subito descendit. Qui enim nunquam in caelo fuit, non recte dicitur cecidisse de caelo. Atqui in caelo malitia locum non habet: non enim intrabit in civitatem supernam quicquam coinquatum, aut abominationem faciens & mendacium, quum igitur in caelo fuit, bonus utique fuit: & quum primum malus factus est, protinus excidit. Habuit ergo, priusquam caderet, bonitatis rectitudinem, in qua creatus est, & quam sponte deseruit, quum collapsus est. Ad haec Esaias sub persona regis Babylonis, a membro caput significans, de angelo lapsio dicit: Detracta est ad inferos superbia tua. Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris: qui dicebas in corde tuo: In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo: veruntamen ad infernum detraheris in profundum lacu. Vbi Satanam dicit Propheta mane exortum, quando praclaro lumine virtutum & scientiae exornatus, primum productus est in sublimitate decoris & splendoris spiritualis: quum tamen sese contra suum autorem in corde suo extulit, bonis illis omnibus exutus, proiectus est in infernum. Bonus igitur fuit diabolus, quum a Deo crearetur: sed illam bonitatem non servavit, neque custodivit indemutatam. Cōsimiliter Ezechiel propheta sub typo & nomine regis Tyri, qui membrum erat diaboli, dicit de eo: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, in delitijs paradisi Dei fuisti. Omnis lapis preciosus, operimentum tuum. Tu Cherub extentus & protegens, & posui te in monte sancto Dei. In mediolapidum ignitorum ambulasti, perfectus in virtijs tuis a die conditionis tuae, donec inuenta est iniquitas in te. Hic angelus, qui decidit, magnam prius habuisse naturae & donorum Dei excellentiam in principio suae creationis liquidò demonstratur: postquam verò inuenta est in eo iniquitas, omnia haec divinae largitatis munera ei subtracta fuisse, & gravem exinde secutam eius ruinam. Quis itaque non videt, nisi prorsus caecutiatur, Prophetam divino spiritu edoctum sensitse eum prius bonum fuisse, postea verò spontanea aversione ad iniquitatem declinasse, & malum factum? Demum beatus Ioannes, qui hoc nobis conscripsit Evangelium, in spiritu cognoscens & perspicuens, quoniam modo factus est lapsus diaboli, inquit in Apocalypsi: Et factum est praelium magnum in caelo. Michael & angeli eius praeliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius, & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in caelo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanus, qui seducit uniuersum orbem: & projectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt. Quibus verbis aperte significat draconem illum prius fuisse in caelo, antequam cum eo praeliaretur Michael archangelus: post commissum verò praelium, ipsum de caelo projectum fuisse. Fuit igitur ei innata bonitas, & quamdiu illam servavit, in caelo mansit: sed ubi primum eam deperdidit, caelo delapsus est.

Caput VII.

Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Medicus ubi aegroto morbum suum patefecerit & gravitatem illius, toto deinde studio laborat eum ab eo morbo reuocare, ne tandem intereat, & vitae patiatur dispendium. Optimus itidem medicus animarum, ubi latenter

tentem ludaeorum aperuit languorem, quod scilicet filij essent diaboli, & eius desideria studerent explere: acrioribus interrogationibus eos nunc ad salutem reuocat, & ad veritatem audiendam exhortatur, quasi aspera quaedam medicamenta putrido vulnere admouens, quae totam eius saniem & putredinem exedant. Et haec ad eos verbis uti videtur: Dixi vos a patre mendacij exortos esse, & diaboli filios. Si durum est illum habere patrem, & mendacio ludificari, quum mihi veritatem dicenti non creditis: quare ad verba mea obfuscescitis, neque finitis illa animos vestros subire? Non potestis a mendacio liberari, nisi per veritatem: non potestis a iugo diaboli erui, nisi per filium Dei. Offeritur vltro vobis veritas, cur eam spernitis: quid illam conculcatis? Dixi me esse Dei filium, dixi sapius a patre me venisse & missum esse, id ipsum quoque operibus & apertis signis demonstraui: quis vos fascinauit non credere veritati? Caeterum solent aliquando docentium verba, quantumuis vera & recta, ab audientibus contemni ob improbam illorum vitam, a verbis longè discordantem. Quum enim verba vitae dissonant ob vitae doctoris impuritatem, verba quoque contemptui habentur. Id autem in me locum habere minimè comperietis: quia nihil in me, quod reprehensionem mereatur, aut peccati notam habeat, deprehendetis. Disquirite vitam meam, verba & opera mea discutite: nihil omnino, quod iure redarguere possitis, occurret. Si igitur in vita mea est sinceritas, & in verbis sola veritas, quid vos auertit a fide? quid vos distrahit, quo minus mihi credatis? Neque putetur ea sententia, quae in praesenti loco Christum veritatem proloqui, & ludaeos illi minimè credere significat, superuacue hic posita: quàmuis repetita videatur, & non multorum aliorum verborum interstitio contextu bis inculcata, atque eodem ferè loco ingeminata. Nam non eadem est illius in primo & secundo loco proferendi & signandi ratio, neque modus. Siquidem priore loco dicta sententia adsertoria est, & serio enunciatiua, hoc pacto: Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. Neque vlla ibi particula est inquisitiua, neque opponi debet. Posteriore verò loco eadem sententia est interrogatoria, propter notam quaestionis inibi expressam, sciscitaturque causam rei prius adsertae, hoc modo: Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Non est igitur illic inutilis eiusdem sententiae replicatio, neque repetitio: quum non sit illius eadem forma, neque significandi ratio. In vtraque autem earum particula, si, conditionem non exprimit, aut aliquam eius, quod proponitur, cum haesitatione suspensionem, & posita quadam hypothesi enunciationem: quemadmodum in hoc loquendi genere. Si poenitentiam non egerit peccator, in aeternum peribit: sed adsertionem potius indicat, & eius, cui adiacet, certam affirmationem, tantumdem valens atque quia, vel quoniam: ut & in hac propositione: Si iustus est dominus, cuique secundum opera sua mercedem retribuet, quo nihil aliud signatur, quam quoniam iustus est dominus, unicuique iuxta opera sua reddet mercedem: haud secus hic propositus domini sermo ad ludaeos idem nobis significat, ac si diceret: Ego autem, quia veritatem dico vobis, non creditis mihi. & rursum: Quoniam veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Verum quia veritatem annuncianti eis domino fuerunt increduli, occluserunt verbis veritatis aures, et prorsus obsurderunt, iusto Dei iudicio dati sunt in reprobum sensum, & ad fabulas inanes conuersi, mendacis & vanitatibus aures suas patefecerunt, & futilibus verbis creduli in varios praeteriti sunt errores: ut in eis iam completum videatur, quod scribit Paulus ad Thessalonicenses: Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacia: ut iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Sed nunc reliqua domini verba ad ludaeos audiamus, hoc modo illos subinde compellantis: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Sanè si rerum naturam attendimus, omnia ex Deo sunt, quia ab eo ortum habent & existunt omnia. Si verò spiritualem generationem, qua filij Dei gignuntur

2. Thess.

gnuntur, & ex Deo nascuntur, ipsi soli ex Deo esse noscuntur, qui fidem habent in eum, & rectè credunt. Et tales utiq; verba audiunt, non solum auribus corporis, sed & mentis affectu, & executione operis. Siquidem audire verba Dei, est præceptis illius, quæ per scripturas loquitur, obedire; qui autem duntaxat exteriorè sonum verborum Dei auribus percipiunt, sed ea neq; menti infigunt, neque ad opus accommodant, verba Dei audire dicendi non sunt, neque fructum aliquem salutis suæ referunt. Quemadmodum semen, quod cecidit secus viam, & conculcatum est, aut à volucribus cœli comestum, nullã attulit segetem aut frugem. Eam ob rem dominus, quum viam salutis nobis ostenderet, inquit: Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Et Deiloquus Paulus ad Romanos scribens: Non, inquit, auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Beatus quoq; Iacobus in epistola sua: Estote, ait, factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmet ipsos. Quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abiit, & statim obliuiscit, qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanerit in ea, non auditor obliuiscit factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Quid enim prodest cibum corporis sumere, & benè receptum stomacho per vomitum rejicere? Verbum Dei cibus est animæ, quod si mētē subierit, & continuò obliuione deleatur, aut non compleatur opere, non adfert animæ salutem, quinimò grauiorem illi & duriolem parit damnationē. Nempe scienti benè agere, & non facienti, peccatum est illi, multoq; melius erat veritatem non agnoscere, quàm post ipsam agnitam retrò conuerti. Quam ob rem dominus terribiliter auribus nostris inlclamat: Seruus non sciens voluntatem domini sui, & non faciens, vapulabit paucis; sciens autem voluntatem domini, & non faciens, vapulabit plagis multis. Et de Iudæis loquens, quotidie verba eius, sed inutiliter audientibus, ait: Si non venissem, & loquutus eis non fuisset, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Idcirco & hoc loco ex aduerso præcedentis proloquij de Iudæis colligit: Propter eà vos non audistis, quia ex Deo non estis. Audierunt quidem Iudæi aure exteriori verba domini, sed ea neque mentis penetrabilibus infixerunt, neq; opere exercere contenderunt; & eam ob causam verba Dei non audire hic dicuntur, neque ex Deo esse per fidem & imitationem, licet ab eo sint per naturam. Hoc autem loco sicut & alijs plebisque, audire verba Dei, esse ex Deo, credere in Deum, secundum perfectam & completam rationem sunt accipienda, secundum quam hominibus cōpetere possunt. Atqui perfectissima audiendi verbi Dei ratio, est completio operis; quandoquidem illa solis conuenit bonis, perceptio verò bonorum, quæ aure fit exteriori, etiam pessimo cuique est communis. Itaque esse ex Deo secundum fidem & imitationem, duntaxat bonorum est munus. Esse verò ex Deo secundum naturam & formationem, cuius homini cum cæteris creaturis cōuenit. Deniq; credere in Deum cordis assensu, non minus malis, quàm bonis adest. Credere verò in ipsum fide per dilectionem operante, & fidem habere operibus coniunctam, atque opera cōiuncta fidei, solum bonis congruit; & ea perfectissima est credendi ratio, atq; maximè completa. Igitur audire verba Dei, esse ex Deo, credere in Deum, & si qua sunt similia, secundum absolutam illam, & consummatam rationem (quæ solis bonis competere potest) hoc loco & alijs sunt accipienda: quandoquidem quæ maximè talia sunt, quum in disciplinis humanis, tum in sacris literis potissimum curentur atq; desiniantur.

Caput VIII.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmoniū habes? Iracundi & præcipi-

capitis animi indicium est, correptionem mansuetè & leniter illatam nō ferre, sed illicò in conuitia & contumelias erumpere; & cum vera non adsint, quæ rectè obijci possint, etiam falsa confingere, quæ alteri impingat. Id profectò Iudæi suo exemplo nunc produnt: quos quum dominus longiori sermone ab iniquitate concepta vellet ad virtutem reducere, illi in alteram omnino partem resiliētes, & furore exagitati prorumpunt in iniurias, & falsis eum probris læessunt: quia vera, quæ illi possent ingerere, non inueniunt, ipsum habere dæmonium dicunt, qui in potestate imperabat spiritibus immundis, & exibant, quem contremuerunt dæmonia clamantia & dicentia: quoniam tu es filius Dei. Si dæmonium habet dominus, dicit Iudæi, cur ergo rugientes dæmones clamabant ei: venisti ante tempus torquere nos? Cur rogabant, ne ab eo torquerentur, vt mitterentur in porcos, ne expelleret eos extra regionem, ne ipsos in abyssum mitteret? Procidunt dæmones supplices ad pedes eius, & horrendo clamore intonant: Quid mihi & tibi Iesu fili altissimi: scio quia sis sanctus Dei. Et vos diabolo patre vestro duriores, negatis filium Dei, execrādā illi infertis blasphemiam, quod dæmonium habeat: qui alijs potestatem dedit eijciendi dæmonia: qui solo verbi imperio eos expellit. Dæmones confitentur eum vel inuiti: vos erecta ceruice, & corde incredulo illi in faciem resistitis, discipuli vestro magistro deteriores. Samaritanū etiam eum vocant, quasi abiectum & despicabilem, quasi legis transgressorem inuisum ipsis & odiosum. Iudæi enim Samaritanis erant exosi, quemadmodum superius dixit Euangelista, quod nō coūtūtur Iudæi Samaritanis, ipsosq; vt nullius præcij homines, & Mosaicæ legis præuaricatores aspernabantur. Quum igitur aliquem quàmuis genere Iudæum, contemptibilem significare volebant, & eorum societate indignum, Samaritanum ipsum per contumeliā vocabant. Sanè quarti libri Regnorū sacra refert historia, quod quum Salmanasar rex Assyriorum transtulisset totum populum regni Israel in Assyrios, assumpsit ex diuersis sui regni vrbibus viros, & misit eos in terram Israel, vt habitarent in vrbibus Samariæ, & terram illam colerent. Cumq; illi idolorū cultui prorsus dediti, & veri Dei omnino ignari, ab immixtis diuina vitione leonibus interficerentur, ac grauiter infestarentur: audiens hoc rex Assyriorum, iussit illum mitti vnum ex sacerdotibus captiuis à Samaria abductis, qui doceret populū illum traductum in coloniam, legem & cæremonias colendi Deum, & quo ritu illi sacrificare deberent. Quod etsi sacerdos ille sedulo faceret, nihilo secius populus ille cum Deo Israel (quem secundum ostensas sibi cæremonias coluit) simul & dijs suis seruiuit, & idolis thura adoleuit: vnaquæq; tamen gens secundū vrbes suas idola sibi fabricauit, illis templa extruxit, erexit aras, & sacra litauit. Et hunc parētum suorum morem filij quoq; imitati sunt, & tota ipsorum posteritas, vsq; ad tēpus dominicæ prædicationis & conuersationis in terra. Quoniam autem illi Samaritæ cum Deo Israel simul colentes idola, neq; legem Mosi integrè custodiebant, neque sabbatum more Iudæorum obseruabant: sed gentilitios ritus commiscebant cæremonijs Mosaicæ legis: hinc Iudæi, quum aliquem insinuare volebant non esse verum Dei cultorem, sed præuaricatorem legis, & ritus Iudæorum transgressorem, contumelioso verbo Samaritanum eum vocabant. Quo etiam ignominioso nomine Christum hoc loco notabant: significare volentes ipsum esse violatorem Mosaicæ legis, conculcatorem sabbati, & more Samaritanorum Dei contemptorem.

Caput IX.

Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat & iudicet. Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Beatus Petrus mansuetudinē domini nostri declarans, dicit de eorum cum mā-

1. Petri 1
ledi-

lediceretur, non maledicebat. Quod cum aliis, tum hoc loco dilucidè nobis est perspicuum. Accepit enim gravem ab emulis iniuriam, & falsò quidem illatam; quam si in eos retorquere voluisset, verè de eis dixisset, quòd dæmonio erant pleni. Ab illis tamen temperavit etiam veris contumelijs, & mansuetè vnum eis obiectum negavit, dicens: Ego dæmonium non habeo, hac dulci verborum mansuetudine eos ad lenitatem animi reducere curans. Vt enim testatur Sapiens: Responsio mollis frangit iram, durus autem sermo excitat furorem. Et idem alio in loco: Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Ad alterum verò eidem obiectum minimè respondit, & tacita confessione id verum esse de se significavit, quòd scilicet secundum spiritualè sensum Samaritanus esset. Nempe Samaritanus tantundem valet atq; custos. Ipse autem dominus custodit nos ab omni malo. & secundum Psalmi sententiam: Custodit dominus omnes diligentes se, atq; custodit animas sanctorum suorum. Nisi enim dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Hinc in parabola descendens ab Hierusalem in Hiericho, & incidentis in latrones, dominus noster se Samaritano comparat, exhibenti misericordià fauicio. At verò sciscitari quispiam posset, cur in superiore loco, cum Iudæi se Abraham habere patrem dicerent, & gloriarentur etiam Deum sibi patrem esse, grauius in eos inuectus est dominus: & confutato vtroq; illorum dicto, ex patre diabolo illos esse respondit. Hic verò cum longè maiorem contumeliã ab eis accepit, & dæmonium habere dictus est, non vehementem eis adhibuit responsionè, sed placida voce, mansuetòq; ore id solum, quod obiectum erat, negare contentus fuit. Reddèda est respòsio, quòd ubi docere eos, & humilitatis admonere oportuit, ne quòd Abrahæ semen essent, se iactarent, Christus vehemens fuit: ubi autem contumeliã ferendã erant, mansuetudine vititur. Dicentibus enim illis, patrè Deum & Abraham habemus, in eos inuectus est vehementius. Quum verò habere dominum insimulatur, lenissimum se exhibet: ad nos erudiendum, vt quæ ad Deum pertinent, maiorem in modum defendamus: quæ ad nos, contēnamus. Siquidem in loco paulo antè exposito de Abraham & Deo Iudæorum patre, eos oportebat & superbiam cordis eorum contundere atq; reprimere. Idcirco asper illis erat & acerbus respondendo. In hoc verò loco illata est illi grauis exprobratio & contumelia, quam ad dandum nobis patientiæ exemplum sufferre eum decuit: ideo respòsum Iudæis reddens, mira vsus est mansuetudine, vtroque scilicet loco erudiens nos, quæ quidem ad Deum pertinent, vindicare nos cum multa diligentia debere: quæ verò ad nos spectant probra, despiciere. Vt autem in omnibus se patris gloriam quærere ostendat, subiungit: sed honorifico patrem meum, & verbis & operibus omnia in gloriam eius referens: & vos inhonorastis me, conuicta grauiã mihi ingerendo, quæ tamen pro nihilo duco, quia non quæro gloriam meam, gloriam scilicet huius mundi, & laudem humanam: & ergo maledicta & probra illata parui pendo. Solent quidè, qui gloriæ sunt cupidi, & popularem aurã aucupari contēdunt, grauius offendi, cum improperijs incessuntur. Ego verò, qui propriam gloriam non quæro, vestras inhorationes minimè curo. Sed est alius, scilicet pater meus cœlestis, qui meam ipsius gloriam quærir: & vt omnes honorificent filium, sicut honorificat patrem, desiderat, & is iudicabit atq; discernet gloriam meam à vestra: quia vos secundum seculum gloriamini, ego verò minimè gloriam meam pater ipse veram esse ostendet, vestram autem fucata atq; mēdacem. Neq; hic de iudicio retributionis aut damnationis sermo agitur (quia illo iudicio pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio) sed de iudicio discretionis, quo pater gloriam filij vt longè eminentiorem discernit à cuiusvis etiam creaturæ gloria. Vidimus enim gloriam eius quasi gloriam vnigeniti à patre. Ceterum quoniam mansueti & patientis animi est, cum læsus fuerit et laceffitus iniuria, non reddere malum pro malo, sed vincere in bono malum: vt huiusmodi benefici-

riorum retributione, lædentium animi emolliantur, & redeant ad lenitatem. Dominus noster, & dæmoniacus, & Samarites à Iudæis per contumeliã nuncupatus, ampliora salutaris doctrinæ beneficia dulciter eis impendit, id Sapiientis monitum seruans: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones congeres super caput eius. Magnam itaq; vtilitatem verba sua audientibus futuram ad fertoria prædicatione confirmat, dicens: Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum: mortem, inquam, animæ perpetuam, quæ sola vera est mors, & magnopere formidanda. Est em separatio intermina à fonte vitæ perennis, & ne vnquam finiatur, semper recrudescens, mors secunda finis & exitus nescia. A qua nos sua benignitate eripiat, qui est credentibus resurrectio & vita.

Caput X.

Dixerunt ergo ei Iudæi: Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est & propheta: & tu dicis, si quis sermonem meum seruauerit, nō gustabit mortem in æternū. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & prophetae mortui sunt: quem teipsum facis? Sicut accepta cōtumelia bonus fit melior, ita malus de beneficio fit peior. Neq; id abs re: diligentibus enim Deum omnia, etiam mala, cooperantur in bonum. Odientes autem Deum omnia, etiam bona, conuertunt (vt antè dictum est) in malum. Ecce Iudæi non veritatem audire aut discere student, sed aperta illi impugnatione resistere & contradicere. Loquutus fuerat modò dominus de morte, qua animã hic separatur à Deo fonte vitæ per culpã, & in futuro per gehennam. Iudæi autem oculis mentis caligantes, & lucis splendorem non percipientes, quam veritas illis exhibuit, de morte corporis loquutum dominum autumant: & inde calumniæ materiam sumunt, obijcientes & Abraham mortuum esse & prophetas, quos tamen constat verbum Dei seruasse: colligere inde volentes falsum id esse, quod antea dominus dixerat: Abraham quidem secundum corpus emortuus est, & propheta: non tamen animæ mortem senserunt, sed secundum illam Deo viuunt. Siue enim viuimus, domino viuimus: siue morimur, domino morimur: siue ergo viuimus siue morimur, domini sumus. Et Deus ipse dicitur Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus autem non mortuorū, sed viuorum: omnes enim viuunt ei. Sanè hoc loco, cum ex Iudæorum, tum ex domini nostri verbis, duplex quidem mors, & vna ab altera longè diuersa, nobis insinuata est. Vna scilicet corporis, quæ est ipsius animæ ab ergastulo carnis dissolutio. Et hæc non tam mors, quàm obdormitio, transitus & migratio ex hac vita, atque depositio sarcinæ corporis dici debet. Eadem quoq; nequaquam habet annexam rationem culpæ, cum omnibus hominibus tam iustis, quàm iniustis sit communis naturæ lege, necessitateq; inuitabili. Differri enim potest, vt serius q̄s moriatur, non tamen deuitari, vt mortem corporis penitus quis effugiat, & non sentiat. Idcirco nequaquam formidanda est, quàmuis pleriq; graui illius capiantur metu: cum et eos sit inuenire, qui ardentibus votis illam exoptauerint, vt Propheta cū dolore exclamans: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Et beatus Paulus scribens ad Philippenses: Cupio dissolui & esse cū Christo. Altera verò mors est animæ, quæ est ipsius per culpam à Deo separatio in hac vita, & per gehennam ab eius regno post vitæ præsentis decursum. Hæc autem à sola enascitur culpa, & graui quidem atque peltifera, quum dicat Sapiens: Homo per malitiam occidit animam suam. Quapropter & euitari potest adiutore Deo ab ijs, qui propriæ fabricis solliciti sunt, & non incurij. Neque vlla necessitate aut violentia irrogari cuiquam valet, sed propria tantum sponte accersi & contrahi. Neq; omnibus illa est cō-

Matth. 10
munis, sed pravis duntaxat, & corruptæ vitæ hominibus est peculiaris, summo pe-
re tamen formidanda: quoniam non temporalis est aut momentanea, sed intermi-
na & perpetua. Quod & dominus in Euangelio salubriter admonuit: Nolite, in-
quit, timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed po-
tius timere eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. At verò,
quoniam in Christo Iudæi solam carnem attendebant, & nudum hominem ipsum
putabant, longè inferioris eum dignitatis, quàm fuerit Abraham & propheta, exi-
stimabant. Propterea cum stomacho & iracundia interrogant: Nunquid tu ma-
ior es patre nostro Abraham: rati magnum id nefas esse, si se illo maiore diceret,
qui & hominibus & angelis maior est. Et quoniam hæc omnia ab eo per arrogan-
tiam dicta iudicabant, cum exprobratione & amaritudine percontantur: quem tei-
psum facis: quasi dicerent, non est ferenda æquo animo tua superbia, qua te ipsum
vsque ad eò tumide effers.

Caput XI.

Respondit Iesus: Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.
Est pater meus, qui glorificat me: quem vos dicitis, quia Deus
noster est, & non cognouistis eum: ego autem noui eum. Et si di-
xero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum,

& sermonem eius seruo. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem
meum: vidit, & gauisus est. Quanto maiore peruicacia Iudæi obnituntur ver-
bis Christi, tanto maiore benignitate eos conatur dominus ad viam rectitudinis
adducere. Ecce videt eos aduersa & aperta fronte ei resistere, & tamen non desinit
verba salutis eis communicare. Ostendit se propriam gloriam nequaquam quare
re: quia insolenter obiecerat, quem te ipsum facis: A Deo patre glorificari se dicitur
quia in baptismo, transfiguratione, operibus miraculorum, filius à patre glorifica-
tus est, declaratus & manifestatus. Neque idcirco locum habet calumnia hæretico-
rum, qui maiorem filio patrem cauillatur, quod filium glorificet. Nam & filius ipse
sæpius dicit in scripturis se patrem glorificare: ex quo tamen non rectè colligant, fi-
lium esse patre maiorem. Pater, inquit, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet
te. Quinimò & homines dicuntur in scriptura interdum glorificare Deum: Sic luce
at (inquit dominus in monte ad discipulos suos) lux vestra coram hominibus, vt
videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui est in cælis. Quis au-
tem, nisi mentis inops & amens, dicat homines Deum glorificantes patre cælesti,
qui ab eis glorificatur, esse maiores: Nempe huiusmodi glorificatio non consistit
in nouæ gloriæ adiectione ad eum, qui glorificatur: sed in gloriæ iam habitæ ma-
nifestatione. Non igitur semper, qui glorificat, eo qui glorificatur, maior est. Cæte-
rùm quia Iudæi peculiarem Deicognitionem sibi arrogarunt, seq; solos Dei cultores
gloriabantur, eius tamen legem & mandata non seruabant: de Deo (qui & pa-
ter erat) dixerunt quidem, quod Deus esset eorum, non tamè cognouerunt eum.
Sanè ij soli cognoscere Deum dicuntur, qui viam mandatorum eius perambulāt,
neque ab ea quaquauersum declinant. Ideo de filiis Heli peruersis, & ministerio sa-
cerdotij indignè fungentibus, dicit scriptura: Porrò filij Heli, filij Belial, nescien-
tes dominum. Et Paulus de transgressoribus mandatorum Dei scribens ad Ti-
rum, dicit: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Itaque Iudæi quia
Dei præcepta non obseruabant, in cædem saluatoris cæca mente ruentes, rectè di-
cuntur non cognouisse patrem. Quia verò filius eiusdè est substantiæ & nature cū
patre, & vnigenitum patris verbum, reuera scit patrè: neque quoquo pacto à sermo-
ne eius discedit, quia quæ placita sunt ei, facit semper. Itaque mendaces erant Iudæi,
qui dicebant se cognoscere Deum, quem tamen non cognouerunt: se illum scire di-
cunt.

A Citabant, quem nescierunt, cuius repulerunt verba, & repudiarunt madata. Si igitur
Christus dixisset se eum nescire, quem reuera sciuit, fuisse Iudæis mēdaciij cri-
mine similis. Sed longè abest à summa veritate hæc impietas, & mendaciij suspi-
cio. Et quia dixerant Iudæi: nunquid tu maior es patre nostro Abraham: se longè
maiores illo ostendit. Qui enim beneficium largitur, maior est eo, qui suscipit.
Abraham verò, inquit, à me id habuit beneficiij, quod viderit diem meum, cuius vi-
dendi magno tenebatur desiderio: & quia se visurum illum sperabat, non medio-
cri perfundebatur gaudio. Sanè vidit diem domini Abraham, quādo in spiritu co-
gnouit Christum ex sua stirpe in carne nasciturum, quod significabat, cum seruo
suo Eliezer, quem mittebat ad accipiendam filio suo Isaac uxorem, ait: Pone ma-
num sub femore meo, & iura mihi per Deum cæli. Ergo quæ fuit illa iuratio, &
quare hoc modo facta, nisi quia significabatur de genere Abraham venturus in car-
ne Deus cæli: Aut (vt alij non ineptè sentiunt) tunc diem domini Abraham vidit,
quum in figura summæ Trinitatis tres angelos hospitio recepit. Quibus profectò
susceptis, sic tribus quasi vni loquutus est: quia etsi in personis numerus Trinitatis
est, in natura tamen vnitas est diuinitatis. Vel diem suum dicit diem crucis, quem
Abraham oblatione arietis & Isaac præfigurauit: per hoc ostendens, quod non in-
uitus ad passionem venit: & pariter demonstrans eos esse alienos ab Abraham (quem
verbó tenus tanti faciunt) si in quibus ipse exultauit, hi dolent. Verum quia supra
dicta, potius futura sub figurarum velamine significabant mysteria, quàm in præ-
sentia exhibita beneficia à Christo generi humano, quæ cognouerit Abraham. Et
domini verba designare videtur Abraham vidisse præsentem illorum cælestium
bonorum exhibitionem. Missa faciamus hæc tria superius adducta, dicentes A-
braham vidisse diem domini, quando iam in placida sanctorum patrū requie po-
situs, cognouit filium Dei esse incarnatum. Erat enim ille dies domini, quo carnis
nostræ substantiam pro nobis assumpsit. Et id quidem cognouit Abraham com-
pletum esse per testificationem iusti Simeonis, qui post dominum susceptum in
vlnis requieuit in pace, & intimauit sanctis patribus eum natum. Aut per denun-
tiationem angelorum sanctos patres visitantium sæpius, & quæ consolationem
eis adferret, spemq; propinquæ liberationis præstarent, benigniter ipsis signifi-
caturum. Quum itaq; æditus est in mūdum virgineo partu dominus noster, quis ad-
dubitauerit angelos antiquis illis patribus annuissse saluatoris ortum, sicut &
in terris nunciauerunt pastoribus: & tunc sanè Abraham vidit diem domini, de
quo dicit Psalmus: Hæc dies, quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. &
gauisus est illum diem salutarum tandem aduenisse, quem vt videret, multis antè
seculis & annis exultauerat: quum scilicet a ihuc in carne positus, re promissionem
accepit Christum ex se nasciturum esse, cuius complendæ promissionis diem cum
gaudio expectabat, sperabatq; venturum.

Caput XII.

Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum ha-
bes, & Abraham vidisti? Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico
vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapi-
des, vt iacerent in eum: Iesus autem abscondit se, & exiit de templo. Iudæ-
is accommodandum videtur, quod dicit Psalmus: Oculos habent, & non videbunt. Psalm. 113
Oculos quippe mentis habebant, quibus Christi diuinitatem vel ex mirabilibus si-
gnis, & operibus miraculorum perpendere facile potuissent, si non obstitisset cæ-
citas mentis. Verum vt de ipsis inquit Sapiens, excæcauit eos malitia eorum. Idcirco
diuina in eo naturæ maiestatem non attendentes, ad solam humanæ formæ fi-
guram defigebant oculos, & illius ætatem annis humanæ durationis mitiebantur:
non aduerterunt dictum à Michæa propheta fuisse: Et egressus eius à principio, à Mach. 3
diebus

diebus æternitatis. Neq; à patre ad filium ineffabilis emanationis expressum sacramentum; Ex vtero ante Luciferū genui te. Non itidem considerauerunt illa diuinæ sapientiæ (quæ Christus est) verba à Salomone in Prouerbijs descripta: Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quicquàm faceret à principio; ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequàm terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram; necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole constiterant. Ante omnes colles ego parturiebar. Adhuc terram nõ fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Demum non animaduenterant illa æternæ sapientiæ verba ab Ecclesiastico deprompta: Ego ex ore altissimi prodiiui, primo genita ante omnem creaturam. Ego feci, in cœlis vt oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texti omnem terram; ab initio & ante secula creata sum, & vsq; ad futurum seculum non desinam. Hæc igitur & consimilia de æternitate filij Dei scripturæ testimonia negligentes, solum annorum ætatis humanæ curriculum in eo numerabant, obiectantes eidem, quod quinquaginta annos nondum natus esset. Quõ igitur vidisset Abraham, qui duobus annorum milibus, aut amplius, natiuitatē eius antecesserat: Cæterum non cessat illuminator hominum cõiuuentibus eorum oculis, & sincerae veritatis splendorem ferre nõ valentibus, suæ diuinitatis lucem ingerere; qua tandem percipiant ipsum supra Abraham, & omnem hominē eminenter existere & præexistere. Itaq; respõdit eis: Anteq̃ Abraham fieret, ego sum. Sum quidem præsentis temporis habet rationem, fui præteriti, ero futuri. Præteritum verò & futurum diuinitas nõ habet, sed semper illi esse adest. Idcirco ad exprimendam suam diuinitatem non dicit: anteq̃ Abraham fieret, ego fui; sed, ego sum. Res siquidem corruptibiles sui ortus habent principium, & tandē decurso sui temporis spacio tendunt ad exitum; idcirco diuersorum temporum vicissim recipiunt denominationem. Diuinitas verò semper eadem & stabilis est, cuius nihil in præteritum defluit, aut in futurum accedit: ideo solius verbi præsentiam subsistēdi exprimentis, denominationem admittit. Rursum quia Abraham creatura est, fieri dicitus est. Filius autem Dei, creaturæ rationem omnino refugit, super omnem creaturam longè supereminens: proinde non fieri, sed esse adferitur. Porro cū eo tempore Christus tres & triginta duntaxat annos haberet: quare ergo non dixerūt (quæret quispiam) quadraginta annos nondum habes, sed quinquaginta? Superuacua est huiusmodi quæstio: simpliciter enim, prout primū eis occurrit, dixerunt. Respondent tamen nonnulli, q̃ per quinquagesimum annum ex reuerentia iubilæum nominant, in quo & captiuos manumittebant, & emptijs possessionibus cedebant. Ipsum igitur necdum iubilæum vnum annorum compleisse significabant. At verò, cū rationibus dominū conuincere non potuerint, nec suis verbis amplius obistere, velut amentes & furore concitati, ad lapides currūt, ipsumq; vt blasphemum, & sese Abraham præferentē, atq; Deum esse prædicantem, lapidibus obruere parant. neq; seruato recto ordine iudicij, neq; habita loci sacri ratione; cū tamen iubeatur lapidandus duci extracæstra & ciuitatem. Et Ioiada pontifex Athaliam tyrannide regnum Iudæorum occupantem iusserit duci extra septa templi, & interfici. Dñs verò eos tanq̃ correctionem non suscipientes deserit, & abscondit se: quia commēdanda nobis erat eius patientia, non exercenda in rebelles potentia. Non autē abscondit se in angulo templi quasi timens, aut in domunculam fugiens, vel post murum aut columnam diuertens: sed cœlica potestate inuisibilem inuidiantibus se constituens, quemadmodum cū sui de supercilio mōtis præcipitare eum voluissent, ipse transiens per medium illorum ibat. Vnde nobis memorabile relinquit exemplū, vt etiā cū resistere possumus, iram superbientium humiliter declinemus. Vt em̃ subtractione ligni extinguitur ignis & diminuitur ita absentia eius, in quem quispiam ira inflammatur, sedatur & mitigatur efferuentis iræ incendium, & ad lenitatē reuocatur ebulliens animus. Sanē cū affectus iræ immoderatus suo ruat impetu in multa

A multa facinora, hominemq; cæcum tradat in grauiā scelera, quorū deinde amara & fera ducitur poenitudine: optimū est ad rectam vitæ institutionē documentum, vt hanc immanē belluam vinculis frenemus & catenis, ipsamq; effrenē intra rectæ rationis metas atq; leges cohibeamus. Id nos studiosè admonet Iacobus, dicens: Sit autē omnis homo velox ad audiendum, tardus autē ad loquendum, & tardus ad irā. Ira enim viri iustitiā Dei non operatur. Et Paulus ad Ephesios scribens, diuturnior rem iræ commotionē prohibet, inquit: Sol nõ occidat super iracundiam vestrā. Quo verò pacto violentiam iracundiæ, & exæstantem flammā coerceamus, dñs præclara nobis documenta suo exemplo tradidit. In primis quidem, quod iniurijs etiam falsò illatis lacelessi à proximis, eorum etiam vera mala, quæ noscimus, taceamus, neq; pro contumelia reddamus contumeliā: ne concitatum iracundiæ in proximo æstum magis ac magis excitemus, atq; nos ipsos vlciſci reciproca illatione contumeliæ contendamus. Quod quidē Apostolus ad Rom. scribens præclare admonuit: Nulli malum pro malo reddētes, nec maledictum pro maledicto, nõ vosmet ipsos defendentes charissimi, sed date locū iræ. Deinde iniuriantium nobis animos exhibitione beneficiorum frangere, atque nobis beneuolentia deuincere annitamur. Cū enim iracundus animus perspexerit nos pro maleuolentia & maledicto referre beneficiū atq; officium: nisi ferreus fuerit aut adamantinus, flectetur ad lenitatē & mansuetudinē. Id quod B. Paulus nos edocuit, ad Romanos dicens: Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illi: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbonēs ignis congeres super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Demum cū perspectum habemus, nec mitia verba cōmotos animos lenire posse (quæ tamen magnā habere solent sedandæ iræ efficaciam, cū dicat Sapiens: Responso mollis frangit iram, durus autē sermo suscitatur furorē. & rursum: Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos) neq; beneficia pro contumelijs retributa feruorem iræ temperare valere, secedere ab iratis, & nostram submouere præsentia debemus: vt saltem absentia nostri, æstantis animi & ebullientis paulatim resdat indignatio. Nepe exemplo dñi nostri longè gloriosius est iram tacendo fugere, q̃ loquendo superare. Et id fortis animi iudiciū est, si accepta contumelia nequaquā cōmouetur. Melior enim est patiens (teste Sapiente) viro fortis: et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Verū q̃ noxia sit & contraria salutis ira animi, aut ex ea progressa contumelia, dñs per Matthæū nos edocet. Qui irascitur, inquit, fratri suo, reus erit iudicio: qui autē dixerit fratri suo, rhaça, reus erit concilio: qui verò dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehēnæ ignis. Neq; minus exitiale est odium ob acceptā iniuriā in proximum cōceptum, atq; altè animo infixum: quod nisi radicitus extirpemus, & prorsus euellamus, nõ speremus, aut orationes nostras Deo gratas fore, aut accepta munera. Si non dimiseritis (ait dñs) hominibus peccata eorū, neq; pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. Dimittite & dimittimini. Si ergo (dicit ipse, q̃ mitis est, & humilis corde) offers munus tuū ad altare, & recordatus fueris, q̃a frater tuus habet aliqd aduersum te, vade prius recõciliari fratri tuo, et postea veniens offeres munus tuū. Idē quoq; Ecclesiasticus attestatur, dicens: Qui vindicari vult, à dño inueniet vindictā, & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluētur. Homo homini reseruat irā, & à Deo quærit medelā: In hominē similit̃ sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur: Ipse cū caro sit, reseruat irā, & propitiationē quærit à Deo: Quis exorabit pro delictis illius: Memorare timorē dñi, & nõ irasceris proximo.

Caput XIII.

ET præteriens Iesus, vidit hominem cæcum a natiuitate, & interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic aut parientes eius, vt cæcus nasceretur? Quia Iudæi sermonum Christi alti

Iracundiam, contumeliā & odiū summo opere esse vitanda. Iacobi 1. Ephesi. 4.

Roma. 12.

Ibidem.

Prouer. Eccl. 6.

Prouer. 16.

Matth. 5.

Matth. 6. Luca 9. Matth. 5.

Eccl. 18.

Caput Ioannis LX.

Lucas 22
 Psalm. 79
 Psalm. 33
 Ioannis 5
 Matth. 9
 Ioannis 1
 Genesis 9
 Exodi 20
 3. Reg. 11
 3. Reg. 21
 Ezech. 18

tudinem non susceperant, exiens de templo curauit cæcum à natiuitate sui absentia eorum furorem mitigans, & per operationem signi eorum duritiam molliēs, atque eorum, quæ à se dicta sunt, per opera fidem faciens. Præteriens itaq; vidit cæcum, quia eius miseratus est. Videre etenim Christi, est misereri: vt conuersus dominus respexit Petrum. Hinc Propheta miserationem à Deo sibi præstari petens, orat: Domine Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salu erimus. Et alio loco: Oculi domini super iustos. Vidit etiam, quia studiosè eum respexit, quasi aliquid circa ipsum operaturus: & ea occasione intentæ defixionis oculorum domini in cæcum, inducti sunt discipuli ad inquirēdam causam illius cæcitatē. Sanè quia meminerunt, languido ad probaticam piscinam à diurna agri tudine curato dictum esse à domino: Vade, & amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat, & paralytico iacenti in grabato, qui in domo ei oblatu fuerat: Fili dimittuntur tibi peccata tua: arbitrati sunt cæcitatē huic homini inflictam fuisse propter peccatum aut suum, aut suorum parentum. Itaq; percontantur à domino, an peccauerit cæcus, vt in sui peccati pœnam cæcitate percuteretur: an eius parentes quicquam admiserint, ob quod filio eorum sit inflicta cæcitas. Et planè perspicuum satis esse debet, ipsum hominem, vt nasceretur cæcus, haudquaquam prius ali quod peccatum admisisse, in cuius iam ante commissi pœnam & punitionem cæcitas in natiuitatis exordio ei foret à Deo inflicta. Non enim ante natiuitatē suā peccauit: quoniam non sunt ponendæ animæ hominum ante coniunctionem cum corporibus, alteram in cælo vitam degere, & ibidem committere peccata, ob quorum punitionem demergantur in corpora, & afficiantur incommodis pro qualitate suorum criminum, vt cæcitate, egestate, & cæteris id genus calamitatibus: quæ admodum primo libro diffusè ostensum est, cum occurreret hic locus exponendus: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mūdum. De parentibus verò, an ob eorum peccatum filius oculis sit orbatus, nō vsque adeo dilucidum esse potuit: quandoquidem ob iniquitates parentum nonnunq; filij re porariā & in hac vita subeunt pœnam. Enimvero irriserat Cham Noe patrem suum: tulit autem maledictionem patri debitam Chanaan filius Cham, cui dictū est: Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Et dñs in mōte Sina ser mones legis explanans ad populū Israel: Ego sum, inquit, dominus Deus tuus for tis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generatio nē. Dereliquerat Salomō dñm, adorans idola mulierum alienigenarū, quarū ardē tissimo amore tenebatur. Ob quod à Roboā filio eius ablatae sunt decem tribus Is rael, et datæ Hieroboā filio Nabath. Demū offenderat Achab grauiter oculos dñi, q̄ interfecto crudeliter innocente Naboth, vineam eius possedit. At quia se cōuertit ad pœnitentiā, ieiunioq; & cilicio se afflixit, ad Heliam factus est sermo domini: Quia Achab humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malū domui eius. Aeternam verò pœnam, & ignē infer num non patiuntur vnq; filij pro crimine suorum parentum, quemadmodum per Ezechielem dictum est: Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Filius nō portabit iniquitatē patris, nec pater iniquitatē filij, sed vnusquisq; in peccato suo morietur.

Caput XIII.

Respondit Iesus: Neq; hic peccauit, neq; parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Ad interrogationem discipulorum respondit dominus: neq; ipsius cæci peccato, neq; suorum parētum factum esse, vt cæcus nasceretur: non tamen omnino negat hac responsione ipsum cæcum aut parentes peccatū aliquod cōtraxisse. Habuerant enim labē originalis cōtagij, & vi-

A & viuēdo aliquid peccatorum superaddiderant. Quis enim vitam hic ageret insons criminis: Sed non illo ipso illorum peccato factum est, vt à natiuitatis exordio visu priuaretur, quin potius vt manifestentur opera Dei in illo, vt scilicet per illius illuminationem declararetur gloria diuinitatis domini, & illius splendor, eorum qui no uerunt signum, oculos feriat. Enimvero se in mundum venisse contestatur dominus, vt operetur opera patris, qui misit illum. Cum itaq; filius se operari opera patris adserat, sua & patris opera eadem prorsus esse monstrauit: quæ sunt infirma saluare, debilia roborare, homines illuminare. Quomodo igitur nō erubescunt, qui filium à patris substantia separare nituntur, alienūq; ab eius natura adstruere nō verentur: Nōne quorum eadem est operatio, illorum & eadē est natura: & quorum diuersa est natura, ipsorum quoq; diuersa est actio: Si igitur opera filij, ipsius etiam patris sunt opera, quemadmodum alio loco dicit: Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. & iterum: Pater in me manens, ipse facit opera, erit patris & filij eadem omnino substantia, eademq; natura. Quod si diuersam quis pertina cius adstruxerit, erit filius creatura, & ad id virtutis atq; dignitatis creatura conscendet, vt operetur opus Dei, habeatq; idem opus commune cum Deo. Et quum Deus immensa virtute sua ea operetur, quæ creaturæ vires & mensuram transcendāt (canit enim ei Propheta: Tu es solus, qui facis mirabilia. & iterū: Qui facit mirabilia magna solus) ipsa quoq; creatura suis nixa viribus ea ager, quæ suā transcendunt metam & legē. Sed facestant hæ nugæ, & filiū, qui patris operatur opera, fateamur eiusdē esse cum patre substantiæ, vt ex operum consortio, naturæ quoq; idētitas eluceat. Cum autē dicit hoc loco Christus, hunc esse cæcum natum, vt manifestentur opera Dei in illo: de seipso id dicit, non de patre, & seipsum eo verbo insinuat esse Deum. Iam enim opera patris manifesta erant in totius mundi creatione, & sapientissima dispositione, quinimò cōtinua illius administratione atq; gubernatione. Verū de Christo humana forma induto id adhuc non vsq; adeo erat perspectū, quod erat mundi conditor & rector, sed per hanc rei mirabilē illuminationē inducti sunt homines manu ductione quadam ad illud credendum. Et ita manifestauit Dei filius gloriam suam, vt ostenderit se autorē esse creationis. Siquidē ea, quæ de re maiori est fides, etiā id quod minus est, & rei minoris fidem cōfirmat. In vniuersa autem creaturarum sensibilibium multitudine honorabilior est homo. Ex eo igitur, quod Christus se ostendit hominis esse creatorē, corroborat hāc in omnibus fidem, quo vniuersæ creaturæ sensibilis etiam sit factor. Eorum etiam, quæ in nobis sunt, mēbrorum honorabilissimū est oculus, quandoquidē ipse totum corpus humanum gubernat, & pedes dirigit. Lucerna, inquit, corporis tui, est oculus tuus. Idem quoq; faciem hominis exornat atq; decorat. Quod enim est sol in orbe terrarum, hoc est oculus in corpore: vnde & superiorem cæteris mēbris locum sortitur, sicut in quodam regali fastigio collocatus. Itaq; quum in hac cæci illuminatione, oculi se factorem atq; creatorem ostendat Christus (neq; enim lutum superpositum, neq; aqua fluenti, quicquam habebant virtutis ad oculi efformationē, sed sola Christi diuina virtus illum produxit) eo facto cōprobat se & reliquorum corporis mēbrorum, imo totius hominis esse creatorem. Et quoniam ex eo, quod hominis se commonstrat esse factorem, hanc omnibus etiam facit fidem, quod totius fabricæ mundi sit productor, quemadmodū iam ostensum est. Consequēs est ipsum Christum per hanc cæci illuminationem, & nouam oculorum eius productionem, se hū quidō proderet totius machinæ mundi conditorē, & ita gloriā suam manifestare: quod in principio erat propositum. At verò sciscitari hic quispiam possit: Nūquid iste cæcus iniusta passus est, quod cæcus fuerit natus sine culpa: Minimè profectō, quin potius beneficiū accepit per hanc cæcitatē. Nā & mirabilius visum recepit, quàm si à principio natiuitatis accepisset, & ea occasione interioribus etiam oculis est illuminatus, atq; ad Christi fidem integrè perductus. Quid enim profuit ludæis

Ioannis 10
 Ioannis 14

Psalm. 71
 Psalm. 135

Matth. 6

A vita exordio oculos corporis integros habuisse, quum animo prorsus cecutiret. Nonne maius iste cæcus est beneficium assequutus, qui ad tempus visu corporis capus, postea & interius & exterius est videndi facultate donatus? Non tamen desunt, qui in hoc Evangelij loco particulam, vt dicunt non esse causatiuam, sed significare euentum, sicut & in illo Pauli verbo: Lex subintravit, vt abundaret delictum. Non enim lex ipsa, causa fuit abundantia delicti effectrix, quum vetaret culpam, sed ad ipsius legis inductionem id consequutum est, quod abundauerit delictum. Sic & hoc consequutum est, vt dominus oculos clausos aperiens, & alia naturalis infirmitatis nocumenta corrigens, suam demonstrauerit virtutem. Sed prior sententia videtur huic loco congruentior. Neque perfunctorie id prætereundum, quod dominus se operari debere dicat, donec dies est, quandiu scilicet præsens hoc in mundo fuerit. Ipse enim verus est dies, post tenebras errorum & ignorantia exortus, de quo Propheta dicit: Exortum est in tenebris lumē rectis corde, misericors & miserator & iustus dominus. Et Esaias: Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, ambulantes in regione vmbrae mortis, lux orta est eis. Et hoc in loco dominus de seipso: Quandiu sum in mundo, lux sum mundi. Perinde atque quandiu sol iste sensibilis nostrum superfertur hemisphærium, diurni temporis mora protenditur. Cæterum si per id solum temporis intervallum (in quies) extenditur Christi operatio, quo præsens huic mundo fuerit, quum iam diutius hinc ad patrem abierit: non igitur amplius opera patris nunc operatur, neque lux est mundi, quandoquidem non est amplius in mundo. Versamur ergo in illa nocte horrenda, in qua nemo potest operari. Sed diligenter hic animaduertendum, quod etsi corporis sui præsentiam hinc subduxerit, maiestate tamen diuinitatis semper adest, sicut ipse à discipulis abiturus pollicetur: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Itaque protrahitur dies iste spiritualis, in quo filius opera patris facit, & est in mundo ad diem vsque extremi iudicij: nam toto eo tempore, & homines illuminat lumine suae gratiae filius, & ad fidem poenitentiamque vocat. Deinde verò succedit nox terribilis & tremenda impiorum, post expletum iudicium & definitam omnium retributionem, in qua nemo potest operari, quia tunc nullus poenitentiae superest locus, nulla emendandae vitae commoditas: sed duntaxat recipiendi, quod quis operatus fuerit, & metendi, quod seminauerit, hora. De illa nocte dicitur: In inferno autem quis confitebitur tibi? Et ligatis manibus & pedibus, projicite eum in tenebras exteriores. Denique discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Præter hunc autem diem, & noctem generalem, & toti mundo communem, cuique nostrum itidem suus est dies, & sua nox. Dies inquam, totum vitae nostrae, quod hic viuimus, spacium, quo nobis datum est à Deo operari ea, quae ad vitam æternam consequendam conducunt. Nox verò, tempus post mortem nostram corporalem futurum, in quo non licet cuiquam operari, neque contractas prius mortiferas abstergere fordes. Operæ precium ergo est, quod beati Pauli consilium non segniter, neque oscitantes audiamus, sollicitè nos admonentis: Dum tempus habemus, operemur bonum. Neque Sapiētis monita negligamus, id nostris auribus studiosè inculcantis: Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum. Idem quoque rursum: Ante mortem confitere, viuus & sanus confiteberis. Demum de mortuis dicit spiritus, quod requiescant à laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos.

Quod baptismi lauacrum multis ante figuris fuerat præsignatum, & prænunciatum, atque in Euāgelica lege cum multa uirtute exhibitum.

Caput XV.

Hæc

A Nec quum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Abijt ergo & lauit, & venit videns. Qui maiores substantias de nihilo ad esse produxit, multo magis novos in cæco oculos sine materia fecisset. Sed voluit hac luti compositione & linitione super oculos, docere seipsum esse creatorē, qui in principio usus est luto ad hominis formationem. Ideo autem non aqua utitur ad lutum faciendum, sed sputo, vt nihil adscribatur fonti: sed discas, quoniam virtus oris eius oculos aperuit cæci & plasmavit. Et deinde vt non videatur cuiquam ex virtute terrae esse curatio, iussit oculos lauari: non tamen illic, & eo in loco ablui eum voluit, sed ad Siloe misit, vt cum multos contingeret exinde eum videre euntem ad piscinam, & lutum super oculos habentem, pluribus manifesta fieret eius illuminatio, & noua visus restitutio. Neque ipsi fonti Siloe adscribenda erat hæc curatiois gloria (multi enim lauantes ibi oculos, nullo tali beneficio sunt potiti) sed soli Christo, cuius quidē diuina & efficax virtus aderat in fonte Siloe, quæ omnia operabatur. Et propter hoc interpretationē nominis Siloe Evangelista adiecit dicens, quod interpretatur missus, vt doceat, quoniam & illuc Christus (qui verè est Siloe spiritualis, & ad salutem hominum missus) eum curauerit. Sicut enim Apostolus dicit, quod petra erat Christus, ita & Siloe spiritualis erat, tum quod fons vberimus, aquam salutis in totum mundum deriuans, tum quod missus à Deo patre ad illuminandos eos, qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant. Cuius quidem testimonium perhibet Iacob, prophético spiritu futura prænuncians, quum inquit: Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est. Vbi Hebraica litera habet dictionem Silo, Christum ibidem insinuans, qui peculiari quadam ratione vt verbum patris missus est ad nos. Demum quanta fuerit cæci fides, vel ex ipsa litera Evangelij facile est contueri. Non enim contradixit verbis domini, neque cogitauit apud seipsum: Lutum solet magis excæcare oculos: quid igitur lutum mihi superposuit? Sæpe numero laui oculos in Siloe, & in nullo sum adiutus, si quam ipse curandi virtutem haberet, præsens utique me curasset. Non hæc aut similia animo secum volutauit, sed simpliciter obediuit, & beneficium curationis ex fidei firmitate & obediendi promptitudine continuò consequutus est. Maior profectò & magis comendanda fuit hæc fidei sinceritas in cæco, quam tarditas in Naaman Syro: ad quem quum Helizæus misisset nuncium, quod lauaretur septies in Iordane, & mundaretur à lepra, iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quod egredere-tur ad me, & stans inuocaret nomen domini Dei sui, & tangeret manu locum lepræ, & curaret me. Nunquid non meliores sunt Abana & Pharfar fluuij Damasci omnibus aquis Israel, vt lauer in eis & munder: Abeuntē tamen cum indignatione, serui admonuerunt, vt Prophetæ verbis obtemperaret, quorū dictum non aspernatus, sospitati redditus est, & septies in Iordane lotus, iuxta Prophetæ verbum curatus est. At verò, quia miracula nostri redemptoris ita iuxta literam facta creduntur, vt mysticè cōsiderata aliquid innuant nobis faciendū & credendū: age quid hæc cæci curatio spiritualiter insinuet, altius inuestigemus. Sanè per illuminationē huius cæci significabatur illuminatio generis humani: quandoquidē cæcus iste genus humanū designat, quod in primo parente excæcatū est, quia ex illo traximus omnes non solum originē mortis, sed etiam iniquitatis. Per vnum enim hominē mors, & per vnum hominē peccatū intravit in mundum, & per peccatum mors, quæ in omnes homines pertrāsijt. Et benè non solū cæcus, sed etiā cæcus à natiuitate dicit, quia oēs homines (excepto illo, qui de virgine natus est, & sacratissima etiā virgine, ex qua Deus homo prodijt in mundum, exempta) cum peccato originali nascimur, & grauissima cæcitate depressi, in mundum venimus: quam quidē cæcitatē de radice primi pa-

Genesis 1

1. Corin. 10

Lucæ 1

Gen. 49

4. Reg. 5

Quid cæcus iste a Christo illuminatus mystice designat. Roman. 5

mi parentis contraximus. Qui benè videns conditus fuerat, sed diabolicis persuasionibus obtemperando cæcitatē incurrerat, quam in omnes suos posteros transmisit. De peccati cæcitate loquitur Propheta: Ecce em̄ in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et Paulus ad Romanos; Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Porro præteriens dominus vidit cæcum, non enim stans, sed præteriens vidit, quia in similitudine carnis apparuit. Sed in via peccatorum non stetit, quia peccatū non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Hinc est quod secundum alterius loci parabolam Samaritanus secus faucium venit. Quod enim ibi per faucium, hoc significatur hic per cæcum. Et quod ibi dicitur, venit hic, præterijt. Venit ergo dominus secus faucium, & præteriens vidit cæcum; quia appropinquauit viæ immortalitatis nostræ, non tamen fixit vestigium in via peccatorum. Venit enim, vt cæcitatē peccatorum nostrorum tolleret, non vt eam susciperet. Hæc ergo opera patris se dicebat oportere operari, quia venerat quærere perditā, restaurare corrupta. Sed nec ipsa sui nouitate stupenda, & mirabilis cæcū curatio, magno vacare mysterio putanda est. Expuens quippe dominus in terram fecit lutum, & oculos cæci inunxit. Sputum quidem quod à capite in os defluit, diuinitatē Christi significat, quia caput Christi Deus. Et æterna sapientia apud Ecclesiasticū loquitur: Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omnē creaturā. Et Salomon de ipsa: Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam maiestatis eius sincera. Lutum verò de terra, sacratissima Christi caro est, de sacrosancta virgine sumpta, vt ait Psalmus: Veritas de terra orta est. Similiter Esaias: Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Expuens in terram, lutum fecit: quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Inunctus autem cæcus nondum videt, donec veniat in natatoriā Siloe, quod interpretatur missus. Non caret (vt paulo antè diximus, & repetere non piget) mysterio, quod Euāgelista huius nominis posuerit interpretationē, quod, inquiens, interpretatur missus. Quis enim præcipuè missus, nisi ille, qui sapius dicit: Non veni à me ipso, sed à patre missus sum: Christus em̄ verè est missus, quia & antè promissus, & post multos testes prius missos, tandē nobis exhibitus. Piscina ergo illa baptismus est Christi. Lauit cæcus in piscina Siloe, quod interpretatur missus, & illuminatus est: quia in Christo baptizati, illuminantur omnes. Cū ergo inunctus est cæcus ille, quasi catechumenus factus est. Sed egebat lauari, id est, baptizari, vt illuminaretur: Catechumenus verò inungit, vt doceatur. Nā catechumenus Græcè, Latinè instructus dicitur. Baptizatur verò, vt verū lumen agnoscat, & remissionē omnium peccatorum recipiat. Non itaq; exigua putetur lauacri baptismalis virtus, quod dimotis animæ tenebris, lumen cœli infundit. Neq; recens credatur eius & arbitraria constitutio, quo & multis instrumenti veteris figuris, & prophetarū testimonijs est præsignatum. Aquis quippe diluuij, totius mundi expiata sunt peccata, & qui in arce conditi erant, per aquā salui facti sunt. Id baptismi typū gessit, per quē sordes oēs peccatorum deponuntur, & vitæ vetustas tollitur. Audi Petrū apostolū huius rei grauissimum testē: In diebus, inquit, Noe cū fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquā, quod & nos nūc similis formæ saluos facit baptisma, nō carnis depositio sordū, sed consciētiae bonæ interrogatio in Deum. Insuper populus Israel duce Mose mare rubrum sicco pede pertrāsiit, submersis ibidem Aegyptijs, quod per baptismi susceptionē totam diabolicā prauitatis cohortē à nobis dimoueri & expelli insinuat, nosq; in Christo regeneratos, à durissima eius tyrannide, Dei gratia liberari. Testē huius mysterij accipe diuino loquum Paulū ad Corinthios scribentē: Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri oēs sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt, in nube & in mari. Quid prætereā populus Israeliticus Iosue ductu, Iordane traiecit (vbi etiam aquæ hinc atq; hinc immotæ constiterant, & mediū præbuerant iter) in

iter) in terram promissionis perducti significant: nisi Christo autore, quicumq; baptismi lauacrum ritè susceperint, in terram viuentium tandem peruenturos. Quid Naaman Syrus (cuius modò facta est mentio) septies in Iordane ablutus, & à lepra mundatus nobis innuit, nisi baptismi Christi lotos, ab omni prorsus animæ lepra, peccatoq; purgari. Quid deniq; aquæ expiationis & lustrationis, secundum veteris legis ritum tollens immunditiam, ex contactu morticinorum contractā denotat, nisi aquam baptismi, omnem penitus animi impuritatem abstergere. Hanc planè aquam dominus per Ezechielem pollicitus est, dicens: Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Hanc quoq; baptismi aquam vidit Propheta, cū ait: Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, & omnes, ad quos peruenit aqua ista, salui facti sunt. Deniq; hanc effudit latus Christi, lancea militis in crucetrā fixum, in remissionem peccatorum, qua sanctificata est Ecclesia, à maculisq; suis emundata. Postremū hanc baptismi gratiam præsignauit probatica piscina, in quam post aquæ ab angelo motionem descendens, quacunq; tenebatur ægritudine languidus, ilicò sanabatur. Volens enim Deus homines propinquius adducere ad baptismi donum per hanc piscinam, quàm per aquam lustrationis, non adhuc inquinamenta solum mundat, sed & corporis languores tollit & ægritudines sanat: quo designetur baptismus omnem animi morbum depellere, & peccata detergere. Sicut enim ministri, qui prope regē sunt, ijs qui sunt à longè, clariores sunt, ita & in figuris fit, vt quæ propinquior est veritati, eam clarius & manifestius exprimat atq; referat. Nō autem simpliciter sanabat aquarum piscinæ natura (semper enim hoc fieret) sed in angeli descensione. Sic & in baptizatis non simpliciter aqua operatur, sed cū spiritus sancti acceperit gratiam, tunc omnia soluit peccata. Angelus enim descendens turbabat aquam, & sanatiuam imponebat virtutem, vt discant Iudæi, quoniam multo magis angelorum dominus omnes ægritudines animæ per baptismum sanare potest. Sed tempore huius piscinæ infirmitas, impedimentum volenti curari fiebat: nam impediēbat, ne quis prius alijs in aquam descenderet & curaretur. Nunc autē ad lauacri baptismi vnusquisq; accedere potest, non enim angelus est qui turbat aquam, sed angelorum dominus, qui omnia operatur. Et in hoc baptismi fonte non vnus solum vno tempore curatur, vt in piscina, quini- modò si vniuersus terrarum orbis veniat, gratia non consumitur, sed similis manet. Sicut enim solares radij per vnāquāq; illuminat diē, & nō cōsumuntur, neq; à multa largitiōe minor fit solis lux: ita & multo amplius spiritus sancti actio in nullo minuitur à multitudine eorum, qui potiuntur ea. Hoc autē fiebat, scilicet vt vnus tantum post motionem aquæ sanaretur, vt qui didicerant, quoniam in aqua ægritudines corporis sanabantur, in hoc per multum tempus exercitati, faciliē crederent, qd & ægritudines animæ aqua sanare potest.

Caput XV.

Tacq; vicini, & qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant, quia hic est. Alij autem, nequaquā, sed similis est eius. Ille vero dicebat, quia ego sum. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit ille & dixit: Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoriam Siloe, & laua. Et abij, & laui, & video. Et dixerunt ei: vbi est ille? Ait: nescio. Non potest ciuitas abscondi supra montē posita, neq; accendūt lucernā & ponūt eā sub modio, sed supra candelabrū, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Ira neq; claritas signorū Christi obscurari potuit aut occultari. A vicinis enim & notis eius primū perspecta est, qui hunc illuminatum,

Lucæ 19

minatum prius cæcū & mendicū nouerant. Vbi animaduertendum nobis est, ad cuius sortis viros mirabilis Dei clementia se inclinabat. Eos qui mendicabant, cum multa miseratione curabat, & hinc Iudæorū os obstruens, quoniā non præclaros, non insignes neq; principes, sed ignobiles sua dignos ducebat prouidentia: etenim pro salute omnium venerat. Ita etiam descendens ab Hierusalē in Hiericho, cæcum sedentē secus viam et mendicantē sanauit, vocatumq; ad se benigniter illuminauit. Et quia aperti eius oculi vultum eius & speciē oris aliquantulum mutauerāt, nonnulli dicebant non illum eundē esse, qui cæcus fuerat, sed alium eius similē. Ipse vero neq; verecundatus est de priori cæcitate, neq; formidauit furorē plebis, neque renuit seipsum ostendere, vt prædicet benefactorē. Interrogatus de modo susceptæ illuminationis, verax omnino cōprobatuſ est. Quod enim non nouerat, non dicit. Neq; enim sciuit, quoniā in terram expuit, idcirco neq; alijs illud expressit, quoniā autem superunxit, per sensum tactus didicit. Quod eum iusserit ire ad piscinam Siloe, ex auditu testatus est. Nomen benefactoris expressit, recognouit enim eius vocem ex disputatione cum discipulis, et ex præcedenti tempore nomen eius iādiu audierat, per celebrem famam signorum eius, quæ aliorum relatione didicerat. Demum quærentes vicini, vbi est ille? conspirationē aduersus dominum meditari videntur, vt accusarent eum apud Phariseos, quemadmodum sequentia eorum facta ostendunt. Christus autem non aderat huic, quem curauerat, neq; alijs qui ab eo curabantur, non em̄ quærebat gloriā suā, neq; se ostentare. Recedebat semper post præstitū curationis beneficium dominus, vt nos doceret ex beneficiis nostris gloriā humanam quærere non debere, sed solum diuini nominis honorē meditari. Quod etiam dominus noster totius virtutis institutor salubriter nos edocuit, in ieiunio, oratione & elemosyna plausum popularem nos quærere non debere admonens, sed solius Dei gloriā, vt nesciat sinistra nostra, quid faciat dextera, alioqui receperimus mercedē nostram. Quod si in abscondito coram oculis Dei curauerimus quod rectū est operari, & pater noster cœlestis, qui videt in abscondito, retribuet nobis. Paulus quoq; eidē consentiens sententiæ, nos hortatur, ne inanis gloriæ cupidi aut per vanam gloriā quicquam faciamus, sed siue comedamus, siue bibamus, siue aliud quid agamus, omnia in Dei gloriā referamus: ad illa sola nostra vertatur intentio.

Math. 6

Galat. 6

1. Corin. 10

Caput XVI.

Adducunt eum ad Phariseos, qui cæcus fuerat. Erat autem sabbatum, quando lutum Iesus fecit, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum Pharisei, quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video. Dicebant ergo ex Phariseis quidam: Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alij autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit, quia propheta est. Iudæi superius quærentes, vbi est ille? volebant eum inuenire, vt dominum nostrum ducerent ad Phariseos: qui verò non habuerunt eum, ducunt cæcū. Propterea autem Euangelista subdit diem sabbati fuisse, quando lutum fecit Iesus, vt scilicet eorum malā mētem, & iniquitatis plenam demonstraret, & causam propter quam eum quærebant, vt scilicet occasionem contra eum inuenirent, & vt detraherent miraculo per æstimatam legis præuaricationem, quod ex sequentibus eorum interrogationibus planius elucescit. Sed diligenter considerandū est, qualiter non turbatur cæcus: nam quando quidem turbis dicebat sine periculo interrogatus, non ita magnum erat veritatem dicere. Mirabile autē est nunc, quod in ampliori pe-

A ori periculo constitutus, neq; negat, neq; contraria dicit prioribus, sed eadem succinctius constringit. Et hoc pacto contrariū passi sunt eius, quod volebant. Duxerūt enim eum, & interrogauerunt vt negaturum: sed ab eo certius veritatem, & mirabilem domini virtutem didicerunt. At verò audito factæ illuminationis modo, diuersi de domino varia senserunt. Hi quidem, quod non esset à Deo missus, sed præuaricator legis, qui sabbatum non custodiret, qui in sabbato lutum fecerat, & oculos inunxerat. Verum hi magna tenebantur animi cæcitate. Cum enim ex hoc signo ad fidem induci debuissent, & tanti operis autorem prædicare, non ad id conuerterunt animum, quod laudandum aut commendandum videretur, sed quod reprehensioni patere senseratur & obiectioni, protinus sabbati violationem obiectant, quod tamen secundum literalem etiam legis sententiam dominus minimè violauerat. Nam ea opera manuum exercitio & ministerio facta, quæ ad Dei obsequium, aut manifestandam eius gloriā attinebāt, minimè prohibita erant, ne sabbato fierent, qualia erant circuncisio, hostiarum in templo præparatio & immolatio. Hæc autem compositio luti & inunctio ad Dei virtutem ostendendam spectabat, & alijs diuulganda. Si igitur sabbato circuncisionem accipit homo, vt non soluat lex Moisi, & sacerdotes in templo sabbatū violant, & sine crimine sunt, quæ rectè senserit ex luti cōmixtione, aut inunctioe super oculos, violatum sabbatum, ex q̄ maximè Dei gloria apud homines eluxit: Alij verò vel exiguo veritatis splendore illuminati dixerunt, obstruere conantes os loquentiū iniqua: Si non esset hic homo à Deo, non posset hæc signa facere. Cum igitur cæco à natiuitate visum reddiderit, signum id est eum non esse peccatorem. Ita ab effectu rei sumentes argumentum, comprobant eum à Deo esse, quod tam stupendū ædiderit signum. Verum percontabitur quispiam, an ne malis conueniat interdum miracula agendi ministeriū & officium, quum apud Matthæum dominus de reprobis dicat: Multi dicent mihi in illa die: Domine, nōne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & prophetauimus, & signa multa fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nescio vos. Discedite à me operarij iniquitatis. Quod igitur pacto consequens est, ipsum dominum si peccator esset, hæc signa facere non posset: Sed hi nō præcipui sunt autores signorum, qui vitæ habent prauitatem, & tamen miraculorum agendorum potestatem, quorum solum exercent ministerium, atq; vt instrumenta quædam funguntur illorum faciendorum officio. Vtitur enim plerunq; Deus etiam malis ad mirabilia opera peragenda. Christus autem præcipuus erat autor signorum, & attestatus est illa esse opera patris, quæ non aliena, nec ab extrinseco aduentitia virtute peragebat, sed solo verbī imperio aut opere nil nisi primarium operatorem demonstrante. Non potuit igitur ipse hæc in nomine patris se facere contestans, & eadem opera patris nominans, peccator esse. Alioqui ipsa Dei patris opera ab homine peccatore fuissent perfecta, & illi Deus fuisset cooperatus. Et quoniā non potuerunt Iudæi diuersa de domino sentientes in vnam conuenire de eo sententiā, vnoquoq; suas partes tutante, schisma erat inter eos. Schisma Græcè, Latine scissio. Scissi ergo erant, quia pars veritati assentiebāt, & pars falsitati applaudebat. Christus dies inter lucē & tenebras diuisus est. Hæc autem discissio eo ipso bona erat, quod impedimento fuerit coadunatos Phariseos vno animo conspirare in Christi damnationē & præiudicium, ostenderitq; plerosq; eorum adhuc modicum lumen habere, quo veritatem oblatam contuerentur. Quamuis enim ferè semper, & vt plurimum bona sit concordia, & discordia mala, quod hæc dissipet omne bonum atq; disturbet, illa vero promoueat, corroboret & foueat: nihilo secius & bona interdum inuenitur discordia & mala concordia, cum discrepantia animorum alicuius mali perpetrandi præstat obstaculum, & vnanimitas, mutuusq; complurium consensus eos constringit & alligat, valentioresq; reddit ad conceptum scelus perpetrandum. Vnde ad impediendam malam concordiam se dominus in hunc mundum venisse contestatus

Ioannis 7

Math. 7

Ioannis 10

est, cum ait: Non veni mittere pacem in terram, sed gladium, id est, separationē, vt sequentia eius verba ostendunt. Et qui turrim Babel edificabant, cōcordes erāt in malo suo: inde et si inuiti, ad bonum tamē dissenserunt per varietatem linguarum illis immisam, qua separati sunt abinuicem, & cōceptum opus prātermiserunt. Et focij Chore in seditione cōtra Mosen & Aaron malē cōueniebant, ideo per immisam plagam benē diuisi sunt. Iudas item traditor cūm Iudæis prauē consensit, & dux fuit eorum, qui comprehenderunt Iesum. Ecce malam cōcordiam. At Paulus à Iudæis in Hierusalem comprehensus, atq; in concilio eorum cōsistens, cūm haberet compertum vnam partem eorum, qui aderant ad sui accusationem, esse Phariseorum, & alteram Sadduceorum, exclamauit inter eos se Phariseū esse, atq; de spe & resurrectione mortuorum iudicari. Qua voce immisit dissensionem inter Phariseos & Sadduceos, dissoluitq; totam illam multitudinem. Ecce bonā discordiam. Qui igit̃ rectē de Christo senserunt, ipsius illuminati de suo illuminatore quærunt sententiam, et animo quidem (quantū verba exprimunt) beneuolo. Nō enim quod in calumniam verti posset, quærūt, quid scilicet dicat de illo, qui sabbatum nō custodit: sed quod Christi gloriam elucidet & prādicet. Quid dicis, inquit, de illo, qui aperuit tibi oculos? Ille verō nō modō corpore, sed etiam mente illuminatus, constanter & interritē exprimit quod sentit, q; videlicet propheta est, nō tamē quilibet de numero & cœtu prophetarum, sed propheta ille vnicus & singularis, quē Moses prādicat à Deo apud Iudæos esse suscitandum.

Caput XVII.

NON crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuisset, donec vocauerunt parentes eius qui viderat, & interrogauerunt eos dicentes: Hic est filius vester, quē vos dicitis quia cæcus natus est: quomodo ergo nunc videt? Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est: quomodo autē nunc videat, nescimus, aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus. Ipsum interrogate: ætatem habet, ipse de se loquatur. Hęc dixerunt parentes eius, quia timebant Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret, propterea parentes eius dixerunt: quia ætatem habet, ipsum interrogate. Qui urbem expugnare nititur, vbi vnam murorum partem, quam prosternere atq; euertere tentauit, conspicit ad eō firmam esse atq; compactam, vt eam dissoluere atq; subruere nequeat, mox ad alteram partem, quæ imbecillior & inualidior apparet, suas transfert machinas, ardetes & tormenta, vt ea parte oppugnatam urbem intercipiat. Ita quoque Pharisei, quia cæcum iam illuminatum attonitū reddere non valuerunt: sed videbant eum sine animi trepidatione benefactorem suum prādicantem, per parentes eius putabant Christi miraculum obscurare. Sed hæc est veritatis natura, quod per quæ putatur insidias pati, per hæc fortior fit. Mendacium enim sibi ipsi quidem obuiat, & per quæ lædere veritatem videtur, per ea clariorē eam ostendit. Quod & nunc factum est. Vocati enim parentes, & interrogati de cæco illo, an filius eorum esset, & cæcus natus, vt quicquam dicerent, quod Christi gloriam diminueret aut extenuaret, dum vtriusq; indubitatum proferunt testimoniū, magis amplificat atq; magnificent factum signum. Verūm imbecilliores erant parentes filio, qui testis aderat intrepidus veritatis, illuminatos habens oculos intellectus à Deo. Nam ipse interrogatus, impauidē modum, quo sanatus fuerat, explanauerat. Parentes verō id ipsum interrogati, se nescire dicebant, quō visum receperat, cūm tamen ipso referēte, illud certō cognoscere potuerint. Atqui non ex ignorantia dicebant se nescire, quō factus fuisset videns, sed id solum ex trepidatione & formidine, metuq; offendendi

dendi Iudæos (si quicquam dicerent, quod nomen Christi celebrius redderet) respondēbant. Iudæi enim vt Deo repugnantes, & suæ salutis obstaculum obicemq; ponentes, sanxerant, eum cum ignominia extra Synagogam eijciendum, qui confiteretur dominum nostrum esse Christum. Hac formidine percussi parētes cæci, non ausi sunt, quod cognoscebant, palām confiteri, sed id à filio interrogari debere responderunt, qui quum matura esset ætate, de se loqui faciliē posset. Sed quemadmodum filij Israel, quanto magis opprimebantur ab Aegyptijs, tanto magis multiplicabantur & crescebant, ita nominis Christi gloria quo magis prohibebatur ab hominibus, eo amplius diffundebatur.

Caput XVIII.

Vocauerunt ergo rursus hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est. Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: vnum scio, quia cæcus cum essem, modo video. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis: Dixi vobis iam, & audistis: quid iterum vultis audire? nunquid & vos vultis discipuli eius fieri? Quum in altera parte murorum, ad quam factus est oppugnationis transitus, non satis cōmoda perspiciatur esse inuadendi urbem opportunitas: rursus ad priorem partem fieri solet regressus, & acriori insultu, nouisq; machinis instauratur ibidem oppugnatio. Quia ergo cæci nati parentes miserunt Phariseos ad illum, qui curatus est à cæcitate, rursus vocauerunt eū secundō. Neq; ei manifestē dicunt, nega, quoniā Christus te curauit: sed sub prætectu religionis ad hoc eum inducere volunt, dicentes: Da gloriam Deo, quasi dicant: confitere quia hic nihil est operatus, nega quod accepisti. Hoc planē non est Deo gloriam dare, sed Deum potius blasphemare. Sic autem volebant illum dare gloriam Deo, vt sicut & ipsi, diceret Christum esse peccatorē. Verūm ille, vt neque pateret calumniæ, neque veritatem celaret, non dixit, scio eum iustum, sed sententiam protulit eorum sententiæ ex opposito contradicentem. Dixerant enim: nos scimus, quia hic homo peccator est. Ipse verō neq; dubitationem, neq; nescientiam sua responsione expressit, sed oppositionem dicti eorum. Dicitis, inquit, vos scire, quod peccator est: ego verō ea in re non sentio vobiscum, sed eum peccatorem esse nescio, quinimō bonum & iustum esse ipsum ingenuē fateor, quod & ipsa loquuntur opera. Id vnum planē, quod manifestē noui, prādicō, scilicet quum cæcus essem, suo beneficio nunc visus munere fungor. Quia autem nequiter euertere, quod factum est, ad priores redeūt sermones, rursus modum curationis inquirentes, sicut canes expetitam venationem nunc hic nunc illic inuestigantes. Ille autē qui toties interrogatus, toties responderat, iam quasi quædam tædio afficeretur propter illorum duritiā & incredulitatem, cum quadam stomachatione respondit: Non attenditis ad ea, quæ dicuntur: Non amplius respondebo vobis inaniter interrogantibus, & non volētibus addiscere, sed cauillari, quæ dicuntur. Nunquid & vos, sicut ego, vultis in eum credere, & discipulatuū eius inherere? Itaq; fortis quidem veritas, & imbecille mendacium. Nam veritas ipsa, etsi de spectos assumpserit, claros eos facit vel ostendit. Mendacium autem, etsi cūm fortibus fuerit, imbecilles eos monstrat. Super omnia enim vincit veritas, & inexpugnabilis eius arx atq; minutio.

Caput XIX.

Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis, nos autem Mosi discipuli sumus. Nos scimus, quia Mosi locutus est Deus, hunc autem nescimus vnde sit. Respondit ille homo, & dixit eis:

PP ij In hoc

3. Esdra 4

In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos. Scimus autem, quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non posset facere quicquam. Maledictum hoc, tu discipulus illius sis, veniat super nos Christianos. Quæ admodum Rebecca dixit filio suo Iacob timenti maledictionem sibi pro benedictione illatum iri à patre suo Isaac, si deprehenderet simulationem illam, qua fingeret se esse Esau: In me sit ista maledictio filii mei. Ita sanè & in nos sit hæc Phariseorū maledictio. Si quidē cor intuearis eorum, maledictum est: quia hoc maledictis affectu protulerunt. Si verba ipsa perpendas, exoptabilis est benedictio: quis enim nō desideret discipulus esse Christi: Sed quemadmodum per Prophetam dicit dominus de improbis: Maledicam benedictionibus vestris, ita ediuerso dicit: Benedicam maledictionibus vestris: & completur in eis quod alio loco dicitur: Maledicent illi, & tu benedices. Rursum more suo de Mosi discipulatu se vanè iactant, dicentes: Nos Mosi discipuli sumus. Sed falluntur, semetipsos decipientes. Nam si veri discipuli Mosi essent, crederent utique Mosi annuncianti Christum, & cognoscerent eum, qui per Mosen prænunciatus est. Sic enim dominus illis ait: Si crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, meis verbis quomodo credetis: Nōne discipulorum est magistri doctrinam ad vnguem seruare, & ab illius præceptis nequaquam exorbitare: Si igitur Mosi estis discipuli, ut verbo protestamini, o Pharisei, cur illius dogmata non obseruatis: Prohibuit ille maledictionem inferri cuiquam: Nō maledices, inquit, furdo, nec cæco pones offendiculum. Vos autem maledicitis homini, veritatem cōstanter confitenti. Prohibuit insuper sanguinem innoxium fundi & iustum occidi. Vos autem in cædem innocentis, & eius qui iustitiæ totius est autor, præcipites ferimini. Demum iussit Moses Deum adorari, & eius gloriam in omnibus queri, vos autem signum istud in cæco calumniantes, Dei virtutem pro viribus extenuatis & negatis. Id vnum tamen verum confitemini, vos scilicet scire, quod Mosi locutus est Deus. Et id ipsum nos ingenuè quoque fatemur, per sacram scripturam edocti dicentem: Loquebatur Deus cum Mose, sicut homo loqui solet ad amicum suum. Et Deus de Mose: Ore ad os loquor ei. Sed eo grauior est vestra dānatio & iniquitas, quod illius, cui Deus locutus est, præcepta negligitis. Ea quæ à Deo suscipit mandata conculcatis, & pro nihilo ducitis. Prophetam illum, quem de medio vestrum prædixit suscitandum & audiendum, nunc coram loquentem contemnitis, dicentes: Hunc autem nescimus unde sit. Sed nōne locum natiuitatis eius & patriam nouistis: aut etiam genus secundum humanā genealogiam: nōne superius dixistis: Hunc scimus unde sit: Sed hæc verba vestra non ex ignorantia illius, sed contemptu prodeunt, quo illum parui facitis. Vos etenim miserandi, Dei filium cernentes, hominem prorsus contemptibilem & nouissimum iudicatis, hinc dicitis vos illū nescire unde sit, cōsueti more hominū, qui quos abijciunt, nescire se dicunt. Tale quiddam & in libro Regum legimus. Cū enim Dauid adolescēs Goliath viris fortibus formidabilem strauisset, ait Saul ad Abner: Cuius est iste puer Abner: Certè armiger eius fuerat, citharam coram eo crebrō percusserat, & nunc quis esset interrogabat. Quasi enim non cognoscebat, in quo ætate adolescentis, & habitū pastoralē contēnebat. Sed quo magis eluceat, & innotescat cæcitas vestra, ea quæ per visum cognoscitis, auditu minora æstimatis. Illa enim quæ nosse vos dicitis, utpote quod Mosi locutus fuerit Deus, à progenitoribus audistis. Sed nōne fide dignior est, qui certificauit, quod à Deo venit, per miracula, quæ nō solum audistis, sed vidistis: Vnde meritō cæcus ipse, sed iam claritate mentis & corporis perfusus, dicta vestra cōfutat, à magnitudine signi in se perpetrati sumpto argumento. Nō videtur,

A detur, inquit, id veritati consentaneū, aut omnino cohærere vero, quod nesciatis unde de iste sit, & tanquam ignobilem aut obscuri nominis virum despiciatis, qui tã præclarum signū, & diuinæ virtutis attestatiuum in me operatus est. Nēpe peccatores Deus auersatur & odit, neque preces eorū gratæ sunt auribus eius. Sed si quis Deum intentissimè coluerit, & mandata eius seruauerit, hunc benigniter exaudit. Oculi enim domini super iustos, ut dicit Propheta, & aures eius in preces eorum. Et rursum alio loco: Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet dominus. Hunc autem illuminatorem meum exaudiuit Deus, qui talē ei potestatem contulerit, quod à me ab incunabilis insitā & congenitam cæcitatē depulerit. Non est igitur ipse peccator, ut vos sentitis, sed à Deo, cuius virtute id admirabile opus egit. Neque enim à mundi exordio auditū est cuiquā, quod quis aperuerit oculos cæci nati: quocirca nisi ille tanti signi autor esset à Deo, nō potuisset tale quicquā efficere. Sed quomodo, dicit quispiam, Deus peccatores non exaudit: Exauditus ne est publicanus, qui in templo Dei à longè stans, & oculos in terram demittens, pectusque pugnīs percutiens, dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori: Qua confessione sic exauditus est, ut iustificatus à templo rediret, qui iniustus venerat ad templum. Insuper nōne à domino nostro edocti, quotidiana oratione utimur ad Deum: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Quæ autem sunt debita nostra in Deū, nisi peccata quibus eū offendimus, propter quæ debitores mortis, & dānationis ei apud diuinā maiestatem efficimur: Rursum beatus Ioannes in epistola sua: Si dixerimus quia peccatū non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis nō est. Denique Sapiēs: Quis potest dicere, mundū est cor meū, & purus ego sum à peccato: Si igitur nullus exors criminis hanc degit vitam, & peccatoris orationes non suscipiuntur à Deo: nullos igitur Deus exaudit, sed omnium auersatur orationes. Quomodo ergo dicit Psalmus: Exaudiuit dominus vocē fletus mei, exaudiuit dominus deprecationem meam, dominus orationem meam suscepit: Ceterum exaudiuntur à Deo peccatores, si resipiscant à peccatis, si mala præterita lachrymis abluant, & ex corde abnegent se esse quod fuerant: trāslati enim per hoc sunt à morte ad vitam, à sinistra ad dexteram, ab iniustitia ad iustitiā. Eos verò qui perseverant in malitia sua, & præteritis peccatis quotidie noua accumulāt, fiuntque indies deteriores, Deus minimè exaudit, eorum preces abijcit & execratur, quemadmodum per Esaiam dicit: Cū extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cū multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestre sanguine plenæ sunt. Et Hieremias ad dominum: Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus, idcirco tu inexorabilis es. Opposuisti nubem tibi ne transeat oratio. Enim verò nubes illa, peccatorum nostrorum atra est densitas, obstaculum præbens, ne diuinas aures oratio nostra penetret.

Caput XX.

Responderunt & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos: Et eiecerunt eū foras. Audiuit Iesus, quia eiecerunt eū foras, & cū inuenisset eū, dixit ei: Tu credis in filiū Dei: Respondit ille & dixit: Quis est domine, ut credam in eum: Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo domine, & prociens adorauit eum. His verbis Pharisei cecitatem ei exprobrant, impropertantes quod propter peccata aut sua, aut parentum factus esset cæcus, & dicentes: In peccatis natus es totus, id est, à prima ætate peccatis inuolutus es, & clausis oculis natus. Ecce ex Pharisæico supercilio id enascitur, seipsum bonum existimare, & alios ut peccatores aspernari: temerario quoque iudicio quæ alijs aduersa contingunt, reputare ob peccatum illis esse inflicta, & deterioris vitæ culpam. Eō tēdit parabola domini nostri,

Lucæ 18

quam dixi ad quosdam, qui in se confidebant tanquam essent iusti, & aspernabantur ceteros: in qua Phariseus ascendens in templum & orans, benefacta sua commemoravit, prætulitque se alijs, quos adulteros, fures, raptores, iniustosque iudicavit, sed non meruit ille cum publicano gratiam iustificationis. Ita hoc in loco cæcū hunc despectui habentes, dicunt à prima ætate peccatis fuisse irretitum: existimantes se longè illo esse iustiores & meliores, quum tamen ediuerso hic esset iustificatus. Nam qui oculos eius aperuit, totum saluavit, quicque foris illuminavit, ipse cor illius ab omni iniquitatis nubilo purgavit. Ipsi verò grauissimis peccatis, & potissimum infidelitatis & crudelitatis erant illaqueati. Cæcitatē quoque eius adscribunt peccatis præteritæ vitæ, perperam de illo iudicantes, quum tamen dominus noster protestatus sit, eum neque propter sua, neque parentum peccata cæcū natum esse. Ex quo perspicuum est, animum qui grauirapitur affectu odij aut liuoris, transuersum omnia agere, atque contrario veritati iudicio plerumque præcipitem ferri. Aegro quoque animo ferunt se ab illo doceri, quod non minus, quam antecedentia, ex tumore animi nascitur, dedignantis ab alio doctrinam capessere, quia sibi excellentis scientiæ persuasionem induit, sciolusque videtur. Ipsi certè eum interrogauerunt, ipsi coegerunt vt diceret, quid de Christo suo illuminatore sentiret, & nunc vera confitentem arguunt, & de synagoga propellunt, donec expectabāt eum negaturum esse Christum, aut opus Dei fide dignum esse putabant, sed quum vident eum in veritatis confessione constantem, ignominiosè eum eijciunt. Ipsi illum magistrum suum fecerant, ipsi vt discerent toties interrogauerunt, & demum ingrati, docentē reiecerunt cū indignatione, dicentes: Et tu doces nos? Solet enim maiorum consuetudo à minoribus aliquid discere dedignari: quod nimirum ex latente morbo superbiæ proficiscitur, quo sibi animus falsam scientiæ opinionē adscribit, & erubescit ab eis, qui inferiore gradu vitæ aut dignitate sunt constituti, quippiā percipere, ne ignorasse videatur id ipsum, aut minor illo in doctrina appareat à quo discit, quum cupit omnibus supereminere. Sed si animus noster vera esset humilitate munitus, non erubesceret, etiam à quouis puerulo, quicquam quod ignoraret addiscere. A quo cum que enim percipi potest veritas, amplectenda est & capessenda. Exemplo nobis est dominus noster, vberimus sapientiæ fons, quod duodecim annos natus (vt Lucas scribit) inuentus est in templo inter legis peritos & doctores interrogans & audiens eos. Ipse qui Dei virtus est & sapientia, in quo omnes thesauri scientiæ & sapientiæ sunt absconditi, non recusat interrogare homines, & audire illos: quid ergo nos talia cæcutientes, & nocturnis persimiles reuermus, ab alijs, quantumlibet abiectis aut exiguis, veritatem ediscere? Non dedignatus est dominus noster eximium veræ humilitatis exemplum à Ioanne Baptista abluī in Iordane & baptizari: quid igitur respueamus à proximis & fratribus nostris doctrinæ munus, quantumuis existimatione hominum habeamur eruditi, aut alij putentur ignari, suscipere? cū si nos vera moueat & sincera veritatis agnoscendæ cupiditas, non tam à quo doceamur attendere debeamus, quam quid doceamur, & veritatis munus à quocunque accipiat, preciosum esse. Ceterum Pharisei, sicut à cæco auditā salutarē doctrinam cōtemplauerunt, ita & ipsum doctorem habent ludibrio & spernunt, eijcientes eum cū graui ignominia extra synagogam. Id reuera magnum apud Iudæos opprobrium ducebatur, si quem de synagoga eiecissent. Sicut enim nunc homicidæ vel adulteri, vel cæteris capitalibus criminibus rei, ab Ecclesia pellunt, ita tunc cōfessores Christi à synagoga Iudæorum eliminabantur. Pharisei quidē illum prius cæcum, eijciebant, sed Christus eum suscipiebat. Tunc magis meruit cognoscere Christum, cum eiectus est de consortio inimicorum Christi. Quandiu enim inter Phariseos fuit, & ignominia ab eis non est passus, non se illi denuo exhibuit, sed cum primum extra illorum est contubernium expulsus, & ignominia nota pro Christo affectus, protinus se illi Christus præsentem ostendit. Quo quidē exemplo nobis dilucidè declarauit, eos qui propter Christum

stum

Doctrinā libèter ab omnibus esse percipiendam.

Lucæ 2
1. Corin. 1
Coloss. 2

Astum & iustitiam reprobantur ab hominibus & eijciuntur, continuo à Deo suscipi: & quanto grauior contumeliæ cuique inferuntur propter Deum, tanto Deū illi propiorem et propinquiorem esse adiutorē. Beati, inquit, eritis, cum maledixerint vobis homines, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis: gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in coelis. Nempe vt amicitia huius mundi inimica est Deo, & qui voluerit amicus esse mundi huius, inimicus Dei constituitur: ita ediuerso inimicitia huius mundi, amica est Deo: & qui voluerit esse inimicus huius mundi, amicus Dei redditur. Quis enim mundus vt abortiuos eijcit, eos Christus vt filios charissimos suscipit. Cū quanta itaque benignitate illum compellat, & inuentum ad consummatam fidei confessionem adducit, accuratius attende. Vt audiuit eum foras eiectum, quærit eum vt colligat in sinum suæ pietatis, & ducat in suum ouile. Inuentumque interrogat: Tu credis in filium Dei? Interrogat autem non ignorans, sed volens seipsum notum facere, & ostendens quoniam plurimi fecit eius fidem, quasi dicat: Iudæorum multitudo conuiciata est mihi in eo signo, quod operatus in te sum: sed nulla mihi est cura illorum. Vnius rei cura est, vt tu credas: melior enim est vnus faciens voluntatem Dei, quam decies mille iniqui. Porro id non perfunctoriè hic animaduerte, quod si sola Christi qualiscunque confessio, fidei esset consummatio, dictum nunc fuisse illi: tu credis in Christum? Sed quia hæreticis penè omnibus hoc nomen in ore esset futurum, vt Christum confiterentur, & filium tamen Dei negarēt, id quod proprium Christo est, ad fidem poscitur. id est vt credatur in Dei filium. Credidisse autem in Dei filium, quid proficit, si credatur in creaturam: cū à nobis fides in Christo, non creaturæ Dei, sed filij Dei postuletur. Non est igitur creatura Christus, vt Dei filius, quemadmodum oblatrant Ariani, sed verus Deus. Nondum autem cæcus Christum nouerat: cæcus enim erat antequam veniret ad Christum, & post curationem à Iudæis circumtrahebatur. Idcirco ille, qui eum tantum corporeis oculis videbat, corde nondum intelligebat, respondens: quis est dñe, vt credam in eum? Quibus verbis ostendit iam dudum se paratum cor ad credendum habuisse, sed in quem deberet credere, ignorasse. Desiderantis enim, & valde ingerentis animæ est hoc verbum: pro quo in tantum disputa uit, hunc ignorat: vt discas in eo veritatis amorem. Et ergo ipsa veritas se ei apertè, & dimoto omni velamine exhibet, dicens: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. Ecce mysterium suæ diuinitatis abscondit Christus à sapientibus & prudentibus, scilicet incredulis Iudæis: quibus nunquam tam apertè verbo seipsum demonstrauit, quod maleuolo eum animo quærerent & insectarentur. Illud autem paruulis & humilibus reuelauit mysterium, pio eum affectu prosequentibus. Neque se difficilem ad credendum præstitit hic cæcus, iam plenè illuminatus: sed protinus verbo potestatus est credere & opere. Nam procidens adora uit eum: per hoc quodammodo contestans Christum esse Deum se credere, quem procidens adorabat: nobis quoque exemplum relinquens, vt non erecta ceruice, sed in terram prostrati, Dei misericordiam imploramus: quemadmodum nos etiam admonet Prophetam, ad debitam Deo uenerationem exhibendam omnes inuitans, quum ait: Venite adoremus & procidamus ante Deum. Porro huius cæci exemplo discimus, quod qui propter veritatem & Christi confessionem malo et contumelia aliqua afficiuntur, is maximè à Deo honoratur. Vt enim qui propter Deum pecunias dispergit, is maximè eas inuenit: & qui odit animam suam, is vel in primis amat: ita contumelia affectus propter Deum, is plurimum honoratur à Deo, quod cæco usu venit. Eiectus est à templo à Iudæis, & à templi domino inuentus est. A pestifero concilio liberatus, salutaris est fontem consecutus. Cōtempus à contempторibus Christi, ab angelorum rege honoratus est. Hæc sunt veritatis præmia, quæ affectus est is, qui pro veritate fortiter decertauerat, qui interritus Scribarum & Phariseorum insultus ac fremitus pro Christo sustinuerat: in cuius fortitudinis constantiaque mercedem se

Matth. 5

Iacobi 4

Matth. 11

Psal. 94

Ioannis 12

PP iij vltro

vltrò illi Christus agnoscendum obtulit, & ad consummatam fidei perfectionem prouexit, seuerum Dei filium esse illi contestatus. Sic sanè, qui pio animi affectu Deum quærunt, protinus eum habent occurrentem: ab ipsiis uero, qui peruerso corde quærunt eundem, procul abest, nec inueniri potest. Mulier namq; Samaritana cum dixisset domino nostro iuxta puteum aquarum: Scio quia Messias uenit, qui dicitur Christus: cum ergo uenerit, ille nobis nunciabit omnia: protinus illi dominus se esse Christum esse testificatus, & respondit: Ego sum, qui loquor tecum. Nunquam autem tanta facilitate, neq; tam aperte ludæis se esse Christum esse contestatus. Cum enim interrogassent eum, meditates insidias: Quousq; animam nostram tollis: Si tu es Christus, dic nobis palam: respondit illis: Veritatem, inuolute tamen & minus patenter, loquor uobis, & non creditis. Opera quae ego facio in nomine patris mei, haec testimonium perhibent de me. Sed & in exordio infantilis aetatis ipsius, Magi quae siuerunt Christum cum muneribus, & stellae praeviae ductu eundem inuenerunt quoniam ut eum adorarent, inuestigauerunt. Herodes uero etsi multum perquireret, minime ipsum inuenit, quia in illius exitum stringi ferrum iussit. Similiter turbæ leguntur requisisse dominum nostrum in deserto, & facile inuenisse quoniam am studio audiendi uerbum eius pertrahebantur. At pontifices & Pharisei dederunt mandatum, ut si quis cognouerit ubi esset Iesus, indicet ut apprehendant eum. Nunquam tamen incidere in eum, aut inuenire potuerunt quoniam maligno studio eundem persequerentur. Et huius quoque rei figuram legimus in lib. Regnorum de Dauid, quem atrociter persequerentur Saul in montibus & desertis, ut perderet ipsum: nunquam tamen eundem inuenire aut comprehendere potuit. Ionathas autem filius Saul, haud magno negotio inuenit ipsum Dauid in sylua: quia illi amicitia coniunctissimus, ad confortandum illum perquisiuit, dixitq; ei: Ne timeas, neq; enim inueniet te manus Saul patris mei.

Caput XXI.

T dixit ei Iesus: In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident, uideant: & qui uident, caeci fiant. Et audierunt quidam ex Phariseis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Nunquid & nos caeci sumus? Dixit eis Iesus: Si caeci essetis, non haberetis peccatum: nunc uero quoniam dicitis, quia uidemus, peccatum uestrum manet. Longanimis expectator domini Simeon, & aduentum eius in carnem ardentem suspirans, cum accepisset ipsum quadragesimo post natiuitatem die inductum in templum, & cupidus uisus fuisset amplexus, post diuinas laudes prophetico spiritu illustratus, dixit: Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicetur. In ruinam quidem eorum, qui impegerrunt in lapidem offensionis, et petram scandalum, & incredulitate mentis suae, & obstinati animi duritia credere in ipsum renuerunt. In resurrectionem uero illorum, qui doctrinam eius amplexi sunt, & mandata seruarunt: per quae ab imo barathro damnationis ad uirtutum culmen, & caeli demum celsitudinem subuecti sunt. Eandem quoque sententiam hoc loco dominus adserit, dicens se in hunc mundum uenisse in iudicium, non quidem condemnationis aut extremae retributionis, quae ad consummationem usque seculi reseruatur futura: sed discretionis bonorum ab improbis, & credentium ab incredulis: ut qui non uident, uideant, id est, qui se non uidere putant, & quærunt ut uideant, interiore lumine illustrentur, & ad fidei, ueritatisque perducantur cognitionem. Simples enim & humiles, suam confitentes & agnoscetes ignorantiam, a Christo illuminati sunt. Et ut uidentes, caeci fiant, id est, ut qui putant se uidere, & medicum non quærunt, qui ipsos illuminet, cum in magna caecitate uersentur, permanent in sua incredulitate, & tenebrositate errorum: quales erant superbi sapientes & Pharisei, qui sapientes erant in oculis suis, & apud semetipsos prudentes. Sanè

A Sanè ut Paulus ait, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt: euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Et haec sanè uerba domini, liquidò nobis ostendunt, quanti momenti est ad uirtutem, & diuina munera promerenda, humiliter de seipso sentire, suam cognoscere fragilitatem, infirmitatemque fateri. Haec planè humilis de se existimatio, & propriae indigentiae confessio, diuinae gratiae largitatem affatim consequitur, & caeleste impetrat auxilium. Contra uero, qui grande aliquid, & sublime de se existimant, seque super se extollunt, arrogantesque maiora, quam sibi adsint, diuino destituti praesidio aridi relinquuntur & indigni, bonorumque omnium egeni. Id Propheta nos edocet, dicens: Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulauit in magnis, neque in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. Sicut ablatus est super matrem suam, ita retributio in anima mea. Et idem alio in loco: Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superbiorum humiliabis. Verè itaque de se professus est: humiliatus sum, & liberauit me: quoniam Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam. Saul quum paruulus esset in oculis suis, dux super Israel constitutus est: cum uero in superbiam elatus esset, a Deo abiectus & reprobatus. Quum Dauid uilis in oculis suis saltaret coram arca ludens cithara, mirum in modum Deo placuit: cum uero tumor e animi inflatus, populum iussit numerari, uindictam Dei manum sensit. Hinc per Esaiam dominus inquit: Ad quem respiciam, nisi ad pauperulum, & humilem, & trementem sermones meos: Quinimò ipse, qui uerè humilis est, exultans in spiritu sancto: Confiteor (inquit) tibi domine pater caeli & terrae, quoniam abscondisti haec a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Itaque uenit in hunc mundum, ut paruulos, & qui suae sunt caecitatis conscii, illuminaret, illis in errorum caligine dimissis, qui sibi uidentes uidentur. Sed si in hunc mundum (dicit quispiam) Christus uenit, ut uidentes caeci fiant, non est eis imputanda illa caecitas, neque ipsorum culpae adscribenda, quinimò ipsius execrationis Christus uidebitur esse causa, qui propterea dicit se in mundum uenisse, ut uidentibus infligeretur caecitas. Verum non rationabiliter loquuntur, qui haec Deo obiectant, ipsumque auctorem mali adstruere non uerentur. Nempe sicut sol iste sensibilis, nostrum superfertur horizonta, ut omnibus suae claritatis dona communicet, & in cunctorum oculos suae lucis iaciat spicula: quod si quis palpebras ocludat, aut se sponte sua auertat a sole, beneficium luminis ipsius recusans: is non culpa solis, sed propria expers est illuminationis, & in tenebris manet. Haud secus uerus ipse sol, qui uenit illuminare sedentes in tenebris & umbrae mortis, eam ob rem terras inuilit, ut omnibus suae cognitionis & gratiae munus impartiat, & omnium oculos interiores splendore spirituali illustret. Plerique uero repudiarunt hoc munus caelestis luminis, uelut eis exhibitum, & oculos mentis ocluserunt, ne illuceret eis tam eximia lucis aeternae irradiatio. Non igitur ipsi uis uis solis culpa effectum est, quod occaecati fuerint, sed sola ipsorum improbitate & duritia. Excacauit enim eos (ut dicit Sapiens) malitia eorum. Quod nobis haud adumbratè significatè est in Sampson capto a Philistaeis, protinus in carcerem ab eis coniecto, & orbato oculis: qui quemuis hominem suarum cupiditatum catenis & uinculis grauiter adstrictum designat, & ob suarum affectionum uehementiam mente occaecatum. Si quis enim honoris ambitione laborat, aut graui exaestuatur opum cupidine, aut Aethneis uoluptatum ignibus efferuet, nimirum sibi ipsi oculos eruit, & destitutus lumine mentis, in foueam iniquitatis agit praecipit. Proinde particula, ut, secundo loco intellecta, non causam exprimere putanda est, sed euentum. Quamuis enim praecipua causa aduentus domini in mundum fuerit, ut non uidentes uideant, quia interioris illuminationis ipse primarius est fons & auctor: non tamen idcirco uenisse putandus est, ut uidentes caeci fiant: cum ab eo non possit quoquo pacto proficisci obtenebratio, sed post aduentum suum id consecutum est, quod

Roman. 1

Humilitatem ad diuinam gratiam perceptionem esse conuenientissimam. Psal. 130

Psal. 17

Psal. 114
Iacobi 4
1. Regum 9
1. Regum 15
2. Regum 6
2. Regum 24

Esaias 66

Matth. 11

Lucas 1

Sapien. 2
Iudicium 6

exi-

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

existimantes se videre, amplius facti sunt cæci: non quidem occasione lucis suapte natura illuminantis, sed obduratione cordis malorum. Ita peritissimus medicus, si ægrotis omnibus det præcepta, quibus pristinam sospitatem recuperent: quorum hi obtemperantes medico, restituantur incolumitati: illi verò recusantes morè gerere rectè consulenti, ægrotent amplius, & tandem extinguantur: tum medicus ille rectè dixerit se venisse, vt omnibus sanitatis beneficium impendat, suo tamè aduentu effectum esse, quòd pleriq; deterius se habuerint, & vitam cum morte commutauerint. Nullus tamen sanæ mentis interitum illorum medici culpæ adscripserit, sed ægrotorum incontinentiæ, qui suo indulgentes animo, salutaris illius præcepta neglexerint. Mos autè sacræ scripturæ admodum frequens est ea, quæ peruentum contigerunt, & ad aliud consecuta sunt, exprimere modo quodam causalitatis, tametsi nulla ibidem causæ ratio subsit. Vt hic Euangelista alio loco: Cū autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum: vt sermo Esaiæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro: & brachium domini cui reuelatum est: Propterea non poterant credere, quia id prædixit Esaias. Rursum alio loco: Nunc autem & viderunt, & oderunt me & patrem meum: sed vt adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: quia odio habuerunt me gratis. Nō enim in his & consimilibus scripturæ locis, prædictio & prænunciatio facta per Prophetā, denotatur esse causa incredulitatis & odij Iudæorum: sed quia sponte sua excæcati sunt & indurati, hinc euenit testimonia prophetarum, hanc prædicentia excæcationem & obdurationem, esse completa in eis & consummata. Porro nonnulli ex Pharisæis suspicati illa verba domini propter seipsos esse dicta, vt pote & qui videt, cæci fiant, cum supercilio & indignatione interrogarunt: Nunquid & nos cæci sumus? Indignè enim ferebant & molestè, seipsos illis verbis etiam cæcitatibus probro notatos esse: cū se existimarēt acutius cæteris, & perspicacius animo videre. Verum quid dominus iactantibus se de perspicacitate mentis, & cæcitatem suam minime cognoscentibus responderit, audire operæ precium est. Si cæci essetis (inquit) non haberetis peccatum, id est, si vos cæcos diceretis, & ad medicum recurreretis, vt hanc depelleret cæcitatē, essetis immunes peccati, & digni à medico illuminari: nunc verò, quoniam dicitis, quia videmus, peccatum vestrū manet, id est, quia existimatis vos videre, & recusatis implorare opem medici, grauiori delicto estis adstricti, & maiore laboratis onere peccatorum. Duplex siquidem in eis erat malum, quòd scilicet grauiissima tenebantur cæcitate, non cognoscentes veram lucem, quæ inter eos signorum splendore radiabat: & quòd hanc tantam suam cæcitatem non perpenderunt, persuaseruntq; sibi, quòd essent oculatissimi, & præter ceteros cognitionis gratia illustrati. Itaq; per similes erant phreneticis, qui quum à grauisimo tentantur morbo, & planè delirant, non tamen suum cognoscunt morbum, sed se sana esse mente & corpore sibi persuadent, & verbis apud alios adstruunt. Non incongruum itidem fuerit, hæc postremò domini verba secundum aliā interpretari sententiam: scilicet, si cæci essetis, id est, in scij scripturarum de meo aduentu & operibus aperte loquentium, nequaquam tam graue vobis peccatum incumberet, tanquam ignorantia peccantibus, et hæc ob causam quicquam excusationis habentibus. Nunc verò quia prudentes vos atq; legis peritos adseritis, per vos ipsos condemnabiles estis, quia nulla vobis prætendi potest per ignorantiam excusatio. Sed & ijs, qui intelligentiæ scripturarum talentum à domino acceperunt, magno pereformidandum est, ne ipsum indebitè dispensatum, materiam grauioris ingerat peccati & damnationis: quoniam cui multum communicatum fuerit, multū requiratur ab eo: & tanto maioris est criminis reus, quāto plura susceperit dona, quæ dispartiat, & perperam suo fungitur officio: aut quanto amplius norit, quæ agenda sunt, & agere negligit.

Sexti Libri FINIS.

IN

IN EVANG. B. IOAN. LIBER VII. 225.

IN EVANGELIUM IOANNIS LIBER VII. ADIECTVS

explanationi Cyrilli per Iudocum Clichtou-
um Neoportuensem, doctorem
Theologum.

Caput I.



Men amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro: quia autem intrat per ostiū, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt. Quia Pharisei factitabant se videre, quod quidem possent, si oues Christi essent, dominus contra eorum arrogantiam de grege suo, & de ostio, quo intratur in ouile, similitudinem proponit: ostendens quòd nec sapientia, nec obseruatio legis, nec bona vita quicquam valet, nisi per eum, per quem solum datur aditus & accessus in salutem, quemadmodum alio loco dicit: Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Itaque hoc in proverbio quatuor potissimum proponit, ostium, ouile ouium, furem & pastorem. Per ostium, seipsum intelligi proponit, vt deinceps declarat. Per ouile ouium, catholicam Ecclesiam, consortiūque fidelium designat: in quod non nisi per Christum rectus patet ingressus. Per furem atq; latronem intelligendus est, qui aut non rectè de Christo sentit, aut suam, & nō Dei gloriam quærit, & is pestifero dogmate aut perniciosis moribus oues infectat & labefactat. Deniq; per pastorem accipiendus est is, qui Deo rectè subditus, non proprium, sed ouium quærit cōmodum, earumq; salutem procurat. Itaq; alludens moribus furis & pastoris, ea naturali proponit exēplo, quæ & in re ita sese habere conspiciuntur, & sensum spiritualem habent latentiorē. Siquidem furis conditio est, non intrare per ostium in ouile, sed aliundè ascendere, vt transcendere macerā, aut fractione parietis ingressum sibi parare vt aliena rapiat. Cui similes sunt, quicunq; non per Christum, sed alia quauis via in Ecclesiam volunt intrare: quales erant Scribæ & Pharisei, qui docebant mandata & doctrinas hominum, & legem præuaricabantur: quandoquidem prohibebant pro viribus turbam in Christum credere, dæmoniacum ipsum & insanum vocantes. Qui verò per ostium intrat in ouile ouium, i. per Christum in cœtum & societatem fidelium, quos ad bonum dirigit, ille pastor est verus ouium, quæ salutem conducant earum, sollicitè providens. Signum autem, quòd is verus sit pastor, duplex subnectitur. Primum, quòd ostiarius illi vt noto, & iam pridem cognito aperit ostium. Ostiarius rectè intelligitur spiritus sanctus, q̄ dicitur spiritus veritatis, & promittitur docturus apostolos omnem veritatē. Christus autem est veritas, ipso attestante: Ego sum via, veritas & vita. Ostiarius igitur aperit ostium pastori, cū spiritus sanctus piè in Deum affectos Christum edocet, & rectam de Christo intelligentiam ex sacrarum literarū promptuario præbet. Secundum verò legitimi pastoris signum est, q̄ oues vocem eius audiunt, recipiendo sanam ab eo doctrinam fidei, & præceptis ad vitam rectè instituendam datis promptè obediendo. Nempe hic ouium nomine fideles intelliguntur animo simplices & humiles: qui in ouili Christi pabula verbi eius & mandatorum quotidie sumunt, & præpositis suis rectè monentibus libenter obtemperant. Solet & huic literæ Euangelicæ aliā à sacris autoribus adaptari expositio, sanam etiam & rectam prætendens intelligentiam: qua per intrantem in ouile ouium intelligi volunt eum, qui administrationem dñici gregis suscipit, illiq; moderando præficitur per aliquā dignitatē ecclesiasticam: vt Episcopatum, curam pastorem, aut

Ioannis 12

Esaiæ 53

Ioannis 15

Psalms 68

Lucæ 12

Caput Ioannis X.

Ioann. 14

Ioannis 10

Ioann. 14

aut aliam quamuis, quam ex humana institutione assequitur, sibiq; vendicat. Per eum verò, qui non per ostium intrat in ouile ouium, sed ascendit aliunde, illum intrinari dicunt, qui nequaquam legitima, rectaq; via consequitur huiusmodi pastoralis eminentiam, sed detorta & obliqua, atq; inconcessa: vt qui sublimioris cathedra appetens, caeca fertur ambitione praecipuus ad comparandam sibi ecclesiasticam dignitatem, quo honores aucupetur humanos: aut qui rapida exestuans cupiditate lucri, aspirat ad praesidentiam ouilis dominici, qua emolumentum pecuniarum largius colligat, & opes congerat abundantius: proinde aut vi & armis curat seipsum intrudi in sedem pastorem, aut Simoniacae lae, pactoq; precio laborat ad ouium dominicarum assumendum regimen, non attendens verbum B. Pauli ad Hebraeos scribentis: Quod nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Non etiam deterritus voce illa terribili beati Petri ad Simonem magum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti pecunia donum Dei possideri. Quisquis autem non per ostium intrat, sed aliunde hoc pacto ascendit in ouile ouium, fur est & latro: quoniam non quaerit ipsarum ouium salutem, sed proprium duntaxat commodum, sinens commissum sibi gregem dispergi atque dissipari, fame contabescere atq; in praecipitia vitiorum prolabi. At verò per eum, qui intrat per ostium in ouile ouium, putant eum intelligendum, qui debita & licita ratione assumitur ad gregis Christi moderationem, canonica scilicet electione, & humana institutione, ad quam nec ambitione, nec auri cupiditate anhelauit: & is pastor est ouium, quoniam non suam ipsius, sed ouium perquirat utilitatem, ab eis saeuam luporum arcens rabiem, & quicquid ipsarum officit saluti. Huic autem vero & legitimo pastori ostiarius aperit: quoniam Deus illi praestat ingressum in sui gregis directionem, quam ille in nomine domini rectè suscipit, & dominus ipse autor est huius prouectionis atq; promotionis ad culmen regiminis: cum contra de alijs, ambitu, fauore humano, aut precio ad fastigium ecclesiasticae sedis eleuatis, dicat dominus per Prophetam: ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui, quod perinde est atque, non approbavi. Non enim ipsis Deus suae Ecclesiae peruigil ostiarius aperit ianuam, vt ingrediantur ad ouilis gubernationem: sed ambitio, cupiditas, aut alia tetra animi lae, eos acrius concitat ad inuadendam sedem praesidentiae, moribus ipsorum indebitam. Demum eiusdem boni pastoris, spiritus sancti vt ostiarii autoritate intromissi, vocem oues eius audiunt: quoniam subditi illius, conscij bonitatis sui pastoris, monita eius & verba praedicationis libenter suscipiunt, atq; opere complent. Cum autem compertum habent suum pastorem non intrasse per ostium in ouile ouium, sed aliunde ascendisse: neq; tam gratam habent eius ad bonum exhortationem, neq; tam obtemperanter, tantaq; promptitudine illi quippiam iubenti morem gerunt: quoniam violenta illa in ouile irruptio multum ipsi detrahit reuerentiae & venerationis, facitq; vt minus ad ipsum afficiantur oues, minorisq; illum existiment & faciant.

Caput II.

H proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emisit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed effugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbiu dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis. Quamuis paulo ante Christus ostium appellatus sit ex ea, quam sibi accommodat, nuncupatione: haud tamè à vero aberrauerit, qui Christum etiam vocauerit pastorem, quando quidem postea seipsum quoq; eo nomine insigniuerit. Neq; id obstare credatur huic appellationi, quod fidelis quispiam dominico gregi praepositus, & vigilanter intentus moderati-

tioni

A tioni suarum ouium, pastor dictus sit. Nam Christus sibi subiectos, vt gratiae & donorum, ita quoq; & nominum suorum reddit participes. Siquidem cum ipse sit lux, discipulis etiam suis lucis nuncupationem tradit, cum ait: Vos estis lux mundi. Ita cum ipse primus sit & praecipuus pastor, suis membris eiusdem nominis participium & communicationem praestat. Itaq; Christus, vt verus pastor, proprias oues vocat nominatim: quia nouit nomina praedestinatorum & praedicatorum ad vitam. Vnde discipulis ait: Gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in caelo. Et Paulus: Nouit dominus, qui sunt eius. Educit autem eas & emittit, quando de tenebris ignorantiae ad lucem veritatis, & de via iniquitatis ad rectitudinem iustitiae eas dirigit. Vadit ante eas, quia rectè viuendi exemplum, quasi vestigia pedum ipsorum oculis obijciens, quid faciendum aut quid fugiendum, opere docet. Et oues illum sequuntur, quando Christi humilitatem, mansuetudinem & patientiam, caeterasq; virtutes studiosè imitantur. Christus enim passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Deniq; sciunt oues vocem Christi veri pastoris: quia populus eius & oues pascuae eius, quae docuit Christus, solida fide complectuntur, & quae iussit agenda, opere complent, mandata eius enixè obseruantes. Alienum autem non sequuntur oues Christi: quia eum, qui peregrina, & ab horrentia à doctrina Christi diseminat, non recipiunt: nec eum identidem, quia alia docet seruanda praecipit, q̄ Christus docuerit: sed fugiunt ab eo, exitiale eius doctrinam, & morum corruptelam execrantes. Neq; nouerunt vocem alienorum, quia non accommodant aures, aut peitilenti eorum dogmati, aut traditionibus impietatis & peruersitatis morum. Possunt & huius capituli verba Evangelica ad pastorem ecclesiasticum non inconcinne adaptari: quemadmodum & superioris capituli dicta in calce eius ad consimilem sensum sunt accommodata. Nempe bonus pastor diuina electione, & canonica institutione ad gregem domini pascendum delectus, proprias oues vocat nominatim: quoniam sollicitam praestat curam ad eas cognoscendas, non foris solum, sed & intus & in cute: vt ex hac peruigili sollicitudine eas propemodum noscat ex nomine, & propria appellatione nuncupet: admonitus ad hanc habendam vigilanter omnium notionem à Sapiente in Prouerbijs: Diligenter (inquit) agnosce vultum pecoris tui, gregesq; tuos considera. Educit autem eas idem pastor, quando ex quiete & ocio, ad ambulandum in via mandatorum Dei, & boni operis exercitium ipsas euocat, admonitorioq; sermone incitat illud beati Pauli verbu, illarum auribus inclamans: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Et illud eiusdem verbum ad Hebraeos: Propter quod remissas manus & soluta genua erigite, gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Deinceps ante oues suas vadit ipse pastor, quando ipsis proponit bonae vitae exemplum, quod imitentur, & per bonorum operum gressus iter illis ostendit, quo debeant incedere. Quemadmodu beatus Paulus admonuit Timotheum, ita scribens: Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Ad Titum etiam scribens idem, his verbis ipsum, vt ante oues suas iret, est exhortatus: In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate. Illum quoq; pastorem sequuntur oues, quoniam imitantur bona opera, quae in eo mirifice elucet, & obiecta sunt oculis subditoru, quo incitentur ad ipsorum consecrationem. Sic enim praecipit Christus apostolis, quod vitae suae splendore alios animarent ad consimilia virtutum officia facienda, cum ait: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui est in caelis. Et B. Paulus oues suas sedulo hortatus est, vt ipsum sequerentur, cum ait: Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Quod autem expedire & alacriter oues ipsae legitimum sequantur pastorem, id in causa est, quia sciunt vocem eius: noscunt (inquit) & approbant doctrinam eius, facileq; eam discernunt

QQ nunt

Hebr. 5

Act. 9

Osee 8

Ioannis 1
Matth. 5

Luca 10
2. Timoc. 2

1. Petri 2

Prouer. 27

Ephesi. 5
Hebr. 12

1. Timo. 4

Ad Tit. 1

Matth. 5

1. Corin. 4

nunt à quouis impio & improbo dogmate, quod alienus quispiam illis inculcare plerumq; tentat. Siquidem persuasum habet, quòd sicut recta est sui pastoris vita atq; commendabilis: ita salutaris est & sana eiusdem doctrina ac prædicatio. Proinde arrectis auribus adstant ad illam attentius hauriendam. At verò oues ipsæ simplices & placidæ alienum pastorem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quoniam cum exploratum habent quempiam malis artibus, dolo, fraude, largitione, adeptum esse pastoriâ sublimitatem, & idcirco à Deo esse alienum: huius vitam & mores (qui plerumq; improbi sunt & corrupti) non sequuntur, neq; trahunt in imitationem, sed diffugiunt à consecrandis illius operibus, ne illorum lædantur contagio, aut corruptela inquinentur. Cur autem oues ab alieno pastore effugiant, continuò causa subnectitur: quia non nouerunt vocem alienorum, quum pestiferam eorum vesaniam, quam diuulgant in suis sermonibus, non approbant, neq; libenter aures suas eorum dictis accommodant. Sermo enim eorum vt cancer serpit, & incautos virulenta sua tabe clanculum inficit. Verùm quia huiusmodi sermo Christi obscurus erat & obumbratus, intus aliud continens, quàm in cute ostentans, minime animis eorum peruius fuit, quocirca illum hoc modo patentius aperit.

Caput III.

Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium. Nunc dominus, quod clausum fuerat, aperit: & quod velatis prius verbis dixerat, apertè referat. De ostium nominat, per quod in vitam, & domum dñi fiat introitus. Neq; enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, quàm nomen domini nostri, per quem solum salus, redemptio, & ingressus in regnum cælorum conceditur. Quare quicumq; ante ipsum venerunt pseudochristi & pseudo prophetæ, non quidem à Deo missi, sed proprio arbitrio atq; animo incitati, fures fuerunt & latrones, vt Theodas magus, qui multos de populo Israel subdolis verbis suis decepit, dicens se esse prophetam: et duxit eos vsque ad Iordanem, promittens se illis sicco pede transitum præstiturum, vt quondam patres eorū duce Iosue transierant: sed à Romanis militibus ipse, & tota eius societas profligata est. Quales etiam fuit Iudas Galilæus, qui tempore natiuitatis Christi prohibebat populum Iudæorum profiteri Cæsarem dominum, & eidem pendere tributa: quem multi secuti sunt, & rebellionem in populo excitarunt: sed ipse itidem periit & sectatores eius, vt Actus apostolorum commemorant. Cæterum non est hoc domini verbum, quàmuis vniuersalem præferat sententiam, ad prophetas applicandum, quia tanquam præcones ante eum venerunt, sed non præter eum: quia à Deo missi sunt, & veritati (quæ Christus est) testimonium perhibuerunt: quare ipsi vt veraces, & veritatis nuncij, per ostium intrarunt in ouile. Dominus autē noster loquitur duntaxat de ijs, qui venerunt quidem, sed non per ipsum vt ostium intrare voluerunt, sed aliundè ascendere, de quibus per prophetam conqueritur: Ipsi currebant, & ego non mittebam eos: dixerunt, hæc dicit dominus, & ego non sum locutus. Et vt huiusmodi cognoscerentur non esse pastores veri, non audierunt eos oues. Qui enim domini fuerunt, & ad gregem eius pertinentes, minime seductoribus illis crediderunt: nec abierunt post eos, sed domino firmiter adhæserunt, qui iterum de se ipso testatur, quòd est ostiū, vt diligenter per eū laboremus intrare in æternā requiem.

Caput III.

Er me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant. Quanta ma-

Ata maneat eos utilitas, qui per Christum introierint, quantus per hunc introitū bonorū cumulus ipsis accedat, manifestius exprimit Christus his verbis: qui vt summè bonus cum nostri non indigeat, tamen pollicitationibus & promissis non desinit nos prouocare, vt suæ bonitatis ad eum venientes efficiamur participes & confortes. Quisquis itaq; introierit per Christum, saluabitur: quia ipse fons est salutis in totum orbem diffusus, per quē in omnes deriuatur veræ salutis gratia. Ipse venit in hunc mundum peccatores saluos facere, & vt saluum faciat populum à peccatis eorum. Ille itidem ingredietur per bonos & pulchros cogitatus, interior em componens hominem, & animi penetralia cū intima pace & tranquillitate subiēs. Egredietur verò per exteriorum bonorum operū exercitiū, quæ alijs cedant in protectum & exemplum, & per exterioris etiam hominis & membrorū, quæ sunt super terram, mortificationem. Pascua demum inueniet æternæ felicitatis in futuro seculo: non hyberno marcentia frigore, sed perpetua viriditate florentia, vbi copia rerum sine penuria, fertilitas sine sterilitate, exuberantia bonorum omnium sine indigentia, vbi canet cum Prophetâ: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ, ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me, animā meam conuertit. Demum quanta sit voluntatis & animorum discrepantia inter furem et verum pastorem, sequentia Christi verba nobis perspicuè declarant: quandoquidem fur non venit nisi vt furetur, alienā rem sibi vsurpando, nō de præceptis Christi suos sectatores instruens, sed suis exemplis eos viuere suadens: & mactet, mala doctrina retrahendo à fide, animamq; vitijs occidendo: & perdat in æterna dānatione quoscumq; sibi adhærentes. Fur ille primus, diabolus est, qui primis parētibus stolam immortalitatis, & puritatem innocentia fraudulenter abstulit, & in eis totum genus humanum mactauit & perdidit: de quo superius à domino dictū est: Ille homicida erat ab initio. Deinde qui ipsum imitati sunt dissipatores ouilis domini, à morum similitudine etiam fures nuncupati sunt: quorum vna fuit voluntas & intentio furari, mactare & perdere suos sectatores: qui non solum secundum animam, sed et corpus interdum mactati & perdit leguntur, occisis scilicet & perditis omnibus, qui seditiosos & pseudochristos sequebantur. At verò Christus se hunc in mundum venisse contestatur, vt oues suæ vitam habeant in præsentī seculo, stabiliti in fide per dilectionem operante, quæ animæ vitam spirituale impartit, quoniam vt ait Prophetâ: Iustus ex fide viuūt, & abundantius vitam habeant, quando ex hac vita emigrant, ad alterā longè præstantiorē & perfectiorem, in terra illa uiuentium, vbi mors nunq; locum est habitura nec imperiū. Est enim ipse Christus vera & æterna vita, et apud ipsum fons vitæ affluentissimus, quā cōmunicat omnibus, qui per ipsum in ouile domini introierint. Cæterum hæc Euāgelica lectio, quæ auribus nostris in hoc capite insonuit, manifestum etiam discrimen ostendit inter bonum pastorem animarū in Ecclesiastica administratione, easdē sortitum proprietates pro suo tenore & modulo, quæ Christo pastori summo supereminēter conueniunt, et inter pastore peruersum, dæmoniaca prauitatis æmulū, qui hic non absurdè furis nomine signatur ac nuncupatur. Nempe vt Christus ostium est primarium & primitiuum, per quod fideles Ecclesiæ sinum ingrediuntur ita secundum Christum, et sub ipso legitimi pastores salutis suorum subditorū anxie solliciti, ostium sunt secundarium atq; instrumentarium, cuius ministerio patet fidelibus in Ecclesiæ gremium introitus. Itaq; quisquis recto huiusmodi pastorū ductū ipsius Ecclesiæ septa fuerit introgressus, saluabitur, si modò fidem, quam corde et ore professus fuerit, opere quoq; teneat: quod planè ad perfectum Ecclesiæ ingressum exposcitur. Nam qui ore quidem fateretur Christum, & factis negat, corpore intra Ecclesiā continetur, animo verò extra eam consistit. Vbi verò non minus mente, q̄ corpore quis Ecclesiā subierit, salutis viam iam ingressus: si in ea perstiterit, æternæ salutis consequetur brauium. Rursum boni pastoris auspicijs & directio-

2. Timot. 2

1. Timot. 1
Math. 1

Psal. 22

Act. 4

Genesis 3

Act. 1

Ioannis 8

Iosue 3

Abacuc 2

Hier. 23

Ad Tit. 1

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

ne ingrediatur fidelis quisque in penetralia suae mentis intima, ad considerandum im-
 mensitatem diuinæ bonitatis circa salutem humani generis: collectoque animo reuol-
 uet secum, quod suauis est dominus, quod magna est multitudo dulcedinis effluuissimæ,
 quam abscondit Deus diligentibus se. Deinde egredietur extra contemplationis
 secretum, ad exterius boni operis exercitium, ad succurrendum proximo, & sub-
 leuandam eius indigentiam. Quippe bonus pastor suos docet subditos, nunc per con-
 siderationem diuinorum beneficiorum ingredi penitiora mentis arcana, nunc uero
 per iustitiæ opera egredi ad proximorum subleuationem. Et ita per ductum boni pasto-
 ris, ingressus Ecclesiæ adyta, inueniet pascua spiritalis alimonie, quibus anima sa-
 ginetur, uerbum scilicet Dei, de quo dicit scriptura: Non in solo pane uiuit homo, sed
 in omni uerbo, quod procedit de ore Dei. Et Ecclesiastico teste: Cibabit iustum De-
 us pane uitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Hec certe sunt
 læta pascua, quæ inueniet boni pastoris alumnus, & ecclesiasticis insuper sacramen-
 tis tanquam fertili & felici pabulo impinguabitur, in loco pascuæ à domino collocatus.
 At uero peruersus pastor, & sub pastoralis prætextu officij tyrannidem excens, non
 uenit in ipsius gregis suscipiendam gubernationem, nisi ut furetur, bona subdito-
 rum expilando nouis exactiõibus & adinuentiõibus insuetis. Mores siquidem
 tyranni sibi uendicat in Ecclesia, & aliena diripere non ueretur: excogitat artes uar-
 ias, astus & fraudes, quibus suas ad cutem usque oues immaniter attondeat. Non
 enim uenit in ouilis dominici curam huiusmodi pastor improbus, nisi ut mactet et
 perdat, potissimum animas, quas prauæ suæ uitæ exemplo plerumque occidit, aut
 incuria negligentiaque corrigendi sinit ire in perditionem atque destruit. Si quidem tot
 animas perdere dicitur, quot ob inertiam & desidiam permittit trahi in interitum,
 & non eripit (ut potest & debet) ab imminente exitio. Ex opposito autem pastor bo-
 nus, conditionum Christo competentium propemodum imitator & æmulus, uenit
 in partem ecclesiasticæ sollicitudinis, ut ipsius oues uitam habeant animæ in breui
 presentis uitæ curriculo, & eandem abundantius habeant post expletum morta-
 lis uitæ cursum. Enim uero totum eius studium eò tendit, ut commissæ illi oues ui-
 tam agant honestam, qua suas hic uiuificent animas, & post exantlatos huius uitæ la-
 bores uitam assequantur æternam.

Caput V.

Hoc sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ou-
 bus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt
 oues propriæ, uidet lupum uenientem, & dimittit oues, & fugit:
 & lupus rapit & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercena-
 rius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Superior Euangelistæ sermo monstra-
 uit dominum nostrum esse illud unicum ostium, per quod accessus est ad æternam
 salutem. Præsens uero, & qui nunc habetur in manibus, indicat eundem esse pasto-
 rem, & bonum pastorem. Pastor quidem est, quia oues suas, id est, fideles in eum
 credentes, scientia pascit & doctrina, & per rectam salutis uiam ducit in æternam ui-
 tæ pascua. Quemadmodum dicit B. Petrus: Eratis sicut oues errantes, sed conuersi
 estis ad Episcopum & pastorem animarum uestrarum. Bonus uero pastor, quia ani-
 mam suam posuit pro ouibus suis, quando pro nobis uiuificandis acerba & igno-
 miniosam subiit mortem. Dilexit enim nos (ut ait sacer Paulus) & tradidit semeti-
 ipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Ergo eius ex-
 emplo, quicumque bonus pastor libenter debet pro ouium salute animam suam po-
 nere, & propriæ uitæ pati dispendium potius, quam oues suæ pereant. Audite Ioannem
 in epistola nos id admonentem: In hoc, inquit, cognouimus charitatem Dei, quoni-
 am ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas pone-
 re. Mer-

IN EVANG. B. IOAN. LIBER VII. 228.

A re. Mercenarius uero dicitur is, qui non pro amore salutis earum oues dominicas,
 sed ad temporalem mercedem pascit: & quia plerumque terrenam substantiam, quam oues di-
 ligunt, merito nomen pastoris perdit. Vtrum uero pastor sit uel mercenarius quispi-
 am, cognosci ueraciter non potest, si occasio necessitatis deest. Træquillitatis enim
 tempore plerumque ad gregis custodiam sicut uerus pastor, sic etiam mercenarius
 stat: sed lupus ueniens indicat, quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Lu-
 pus autem diabolus est, animas hominum strangulans, & quærens quem deuoret:
 similiter & quicumque illum sequuntur, de quibus dictum est: quod ueniunt in uesti-
 mentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Quare hæreticus impietate nouorum
 dogmatum à sinceritate fidei seducere tentans animas, lupus quoque dicendus est.
 Iniustus itidem & raptor fideles quosque atque humiles sua tyrannide opprimens, tan-
 quam lupus super oues uenit. Sed mercenarius hos lupos irruentes uidens, fugit
 quia neque diabolo, ne suis tentationibus ouem de ouili separet, resistit, neque hæreticæ
 prauitatis aut uolentiæ opprimentiu sese murum opponit. Et tunc lupus rapit, & di-
 spergit oues, quia diabolus destitutus auxilio pastoris facile per quolibet uitiorum præ-
 cipitia impellit ac adigit. Hæreticus itidem eas errorum laqueis innectit, atque per de-
 uia trahit errabundas. Demum tyrannus eas diripit, & nullo suis obstante conati-
 bus miseris dilaniat: à quo dum mercenarius sibi periculum metuit, resistere eius in-
 iustitiæ non præsumit. Fugit autem mercenarius, non mutando locum, sed subtra-
 hendo solatium, neque contra luponum rabiem ullo zelo feruoris accenditur: quia
 dum solum exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter pa-
 titur: neque stare in periculo ouium potest, qui in eo, quod ouibus præest, non oues
 diligit, sed lucrum terrenum quærit: & ideo opponere se contra periculum trepi-
 dat, ne hoc quod diligit, amittat. Conqueritur profecto grauiter de huiusmodi
 propriam utilitatem quærantibus mercenarijs, & solo nomine pastoribus, per E-
 zechielem dominus dicens: Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod cras-
 sum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit,
 non consolidastis: & quod ægrotum, non sanastis: quod contractum est, non alligastis:
 quod abiectum est, non reduxistis: quod perierat, non quæristis. Et disper-
 sæ sunt oues meæ, eò quod non est pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium
 bestiarum agri, & dispersæ sunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in
 uniuerso colle excelsio: & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, &
 non erat qui requireret. Quæ quidem Prophetæ uerba sigillatim clariori elucida-
 tione sunt exponenda. Lac quidem comedunt pastores ignaui, & lanis operiunt, at-
 que quod crassum est occidunt: cum subditorum bona ad uictum suum rapiunt,
 multiplici uestium uarietate induuntur ex suarum ouium exuuijs intextarum,
 & optima quæque suorum subditorum sibi in proprium usum uendicant. Nempe
 quæ sua sunt (ut Paulus inquit) quærun, non quæ Iesu Christi. Quod infirmum est,
 non consolidant pastores, & quod ægrotum, non sanant, quando propensos ad ui-
 tia uerbo exhortationis non corroborant, neque lapsos in ægritudine animæ ad sani-
 tatem per penitentiam reuocant. Quod contractum est, non alligant, quando le-
 thali peccato ab integritate uitæ dilapsos, correctione debita non redintegrant. Quod
 abiectum est non reducunt, quando graui errore, aut hæretica peste à ueritate fidei
 abductos, ad sinceritatem doctrinæ rursus non conuertunt. Quod perierat non quæ-
 runt, quando desperatione à Deo auersos non restitunt ad spem salutis, promittendo
 ex Dei misericordia ueniam. Dispersæ autem sunt oues, eò quod non est pastor: quando
 per abrupta uitiorum oberrant subditi, propter defectum recti moderaminis & do-
 ctrinæ præpositorum. Factæ autem sunt oues in deuorationem omnium bestiarum
 agri, cum immundorum spirituum iugo & seruituti subiiciuntur, qui potestate ac-
 ciipiunt in homines per uitiorum deuia palantes & diuagantes. Super omnem faciem
 terræ dispersi sunt greges, cum terrena, & non cœlestia petunt bona, operibus & flu-

1. Petri 5
Matthæi 7

Contra pa-
stores im-
probos et
stimoniū
scripturæ.
Ezech. 34

Philipp. 2

Psal. 33
Psal. 30

Deuter. 8
Eccles. 15

Psal. 22

1. Petri 2

Ephes. 5

Ioannis 3

xis inhiantes diuitijs, quia non admonentur, quæ sursum sunt, quærere. Non est qui requirit dispersos greges: quia pastores, qui proprias expetunt delicias aut comoditates, dominici gregis damna non curant, neq; aliquo afficiuntur zelo aut desiderio ad salutem animarum suorum subditorum, parum penitantes quanto precio sint emptæ: quoniã non corruptibilibus auro aut argëto, sed precioso sanguine agni immaculati redemptæ sunt. Per Hieremiam quoq; dominus huiusmodi pastoribus comminatur, dicens: Væ pastoribus, qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit dominus. Ideo hæc dicit dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos: Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait dominus. Deniq; per Ezechielẽ dominus de mercenarijs malisq; pastoribus inquit: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Propterea pastores audite verbum domini. Hæc dicit dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam, vt vltra non pascant gregem meum, nec pascant pastores amplius semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltra eis in escam. Ecce ego ipse requiram oues meas. Vbi æternam damnationem interminatur dominus ihs, qui in custodiendo domini gregem negligentiores fuerint, seq; exacturum rationem denũciat de ihs omnibus, quæ incuria & ignauia pastorum perierint: nam animas earum de manibus inertium & ignauorum pastorum requireret.

Caput VI.

Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem: & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Se bonum pastorem esse, dominus duplici indicio argumentoque demonstrat. Primum quod cognoscat oues suas, ad æternam vitam eas eligens & præuidens, quemadmodum inquit Apostolus: Non repellit dominus plebem suam, quam præsciuit. Sicut enim quos reprobatur dominus, nescire dicitur, vt fatuis virginibus inquit: Amen dico vobis, nescio vos, ita quos ad salutem prædestinat & præordinat, cognoscere recte censetur. Et reciproca mutuãque agnitione oues Christi ipsum agnoscunt: quia diligunt eum, & obsequuntur eius mandatis. Næpe qui non credit in dominum, aut mandata eius contemnit, ignorare dominum & nescire dicitur. Quemadmodum obduratus Pharaon respondit Mosi: Nescio dominum, & Israel non dimittam. Conuersa igitur, & retroacta loquutione, qui illa benefactam eius fidem seruant, qui mandata illius custodiunt, iure ipsum cognoscere dicuntur. Deinde vt non æstimes parum mensuram cognitionis Christi & ouium, consequenter subiungit: Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem: cognitione quidẽ diuina, immensa, et inexplicabili hominibus, filius patrem agnoscit: quia sapientia patris est. Et eadem omnino notione pater agnoscit filium, vt splendorem ex se effulgente, vt caractèrem & imaginem suæ substantiæ, vt verbum sibi coæternum. Eo autem agnitionis genere oues Christum minimè cognoscunt, neq; patrem eius: quia Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus autem, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Nemo etiam nouit filium nisi pater, neq; patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Et quemadmodum alio loco contestatur: Non quia patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, is vidit patrem. Cũ itaq; simili omnino cognitione filius patrem agnoscat, & pater filium: quis sanæ mentis filium patre inferiore, aut imperfectiore adseruerit, aut ad creaturam conditionem detruserit? Nunquid creatura ad æquam cum Deo cognitionem potest assurgere, aut diuinam substantiam sicut est ap-

1. Petri 1

Hiere. 23

Ezech. 34

Roman. 8

Matth. 25

Exod. 5

Hebræo. 1

Ioannis 1

Matth. 11

Ioannis 5

A est apprehendere: Incomprehensibilis enim Deus & immensus, posuit tenebras latibulum suum, & omnem supergreditur atq; superexcedit creaturarum mentium caput, haud minus quam infinita lux & splendoris immensi, omnem subterfugit oculorum obtutum. Est igitur filius omnino patri æqualis virtute, æternitate, sapientia, quum patrem agnoscat, sicut eum agnoscit pater, nulla prorsus interueniente dissimilitudine: vbi adiecta similitudinis particula, omnimoda denodatur assimilatio. Secundum verò signum, quo dominus se comprobatur bonum esse pastorem, explanatur, quia animam suam ponat pro ouibus suis, & sponte se morti tradiderit pro ouium suarum salute. Omnes enim (vt ait Esaias) quasi oues errauimus, vnusquisq; in viam suam declinauit. Ipse autem animam suam tradidit in mortem pro nobis. Et quoniam ipse propiciatio est, non solum pro peccatis Iudæorum, sed etiam totius mundi, & mortuus est non solum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum: quamuis secundum exhibitionem præsentis corporalis non fuerat missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel, tamen præuidens gentium multitudinẽ ministerio apostolorum ad ouile suum adducendã, dicit: Alias autem oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, vt pote gentilem populum, qui non est de genere carnis Israel, & illas oportet me adducere ad fidem, per apostolorum prædicationem & officium: & vocem meam audient, quia gentilis populus domini vocem per apostolos auditam promptè suscepit, fidemq; & præcepta eius studiosè custodiuit, quod per Prophetam prædictum fuerat: Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Ex huiusmodi autem gentium adductione ad fidem, factum est vnum ouile, scilicet Ecclesia credentium, & vnus pastor Christus. Nempe quasi ex duobus gregibus vnum ouile Christus efficit, quia Iudaicũ & gentilem populum in sua fide coniunxit. Hinc dicitur est lapis angularis, duos parietes longè inter se diuersos, Iudæorum scilicet & gentium populum in vnum connectens, colligansq; in vnitatem fidei. De quo lapide meminit diuino spiritu illustratus Psalmographus: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et beatus Paulus de Christo dicit: Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Siquidem vtraque vnum fecit, quia Iudæos & gentes in vnam fidei confessionem ouileq; connexuit.

Quod Christus non solum corpus humanum, sed et animam assumpsit rationalem, tanquam alteram compositionis humanæ partem.

Caput VII.

Propterea me pater diligit, quia ego pono animam meam & iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a patre meo. Quia superius dixerat dominus se ponere animam suam pro ouibus suis, innuens se pro hominum salute moriturum, hoc loco quod sponte gustauerit mortem, neq; inuitus ad passionem pertractus fuerit, edocet. Oblatus est enim (vt ait Esaias) quia ipse voluit. Pater meus, inquit, hæc ob causam me singulari amore complectitur, & syncerè diligit, quia pro mundi salute animam meam sponte mea pono, & à carne per mortem separo, vt iterum sumam eam per resurrectionem tertia die futuram. Nemo enim me inuito tollet animam meam à carne mea, quantacumq; fuerit in me inimicorum sæuitia, & grassantium crudelitas, sed sola mea voluntate cum voluero, eam à corpore seipsum. Potestatem enim habeo separandi animam meam à carne eo temporis momento, quo mihi liberit, & rursum habeo potestatem sumendi eam per iteratam ad corpus vnionem tempore resurrectionis, quo rediuiuus exurgam. Vt autem non æstiment Iudæi, cū Christum interfecerint, eum esse derelictum à patre, subiungit Christus: Hoc

QQ iij manda-

Psalm. 17

Esaiæ 53

1. Ioannis 2
Ioannis 11

Matth. 15

Psalm. 78

Psalm. 117
Ephesi. 2

Esaiæ 53

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

Ioannis 3
Roman. 8

Matth. 17

Marci 15

Apollina-
ris.

Ioannis 1

Ioannis 10

Matth. 20

Matth. 26

Lucæ 23

mandatum accepi à patre meo, scilicet ponendi animam & sumendi. Ex quo non est intelligendum, quòd prius expectauerit audire, & opus ei fuerit discere; sed voluntarium monstrauit processum, & contrarietatis ad patrem suspicionē destruxit. Nihil enim aliud mandatum hic dicitur, quàm ea filij quæ ad patrem est cõcordia, nempe beneplacito patris, filius mortem passus est. Sic enim Deus dilexit mundū, vt filium suum vnigenitum daret, &: Et proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Neq; ab extrinseco aut aduentitio filius nouū à patre mandatum accepisse intelligendus est, quod prius non habuerit; sed in verbo vnigenito patris est omne mandatum. Cū autem dicitur filius accipere, quòd substantialiter habet, non potestas minuitur, sed generatio eius ostenditur: pater enim filio, quē perfectū genuit, omnia gignendo dedit. Prædictis aut verbis dominus significat non solū se sponte in manus inimicorū traditurum ad mortē, sed etiam sua potestate, nō necessitate animam à carne per mortē, cūm voluerit, separaturum. Sicut em̄ à ludæis detentus est quando voluit, ita in cruce suspēsus emisit spiritū, quando voluit; neq; cõfixiones clauorū & dolores adegerūt tunc animā à corpore separari, quādo est seiuncta. Nā si voluisset, lōgiori adhuc tēpore eā in corpore detinisset. Itaq; potestatem habuit dominus ponendi animā suā, quia sua potestate & voluntate eam segregauit à carne, nulla ad hoc violentia impulsus. Id liquidò manifestat Euangeliū, cūm dicit, dominū magna voce clamantē emisisse spiritū, quod homo propinqua mortis angustia pressus, efficere neutiq; posset. Proinde Ceterio videns eū cum ingenti clamore præter hominū morē expirasse, glorificauit Deū, dicens: Verè filius Dei erat iste. Et Pilatus cū audisset à Ioseph mortuū esse dominū, mirabatur si iam obiisset, accersitoq; Centurione veritatē rei didicit. Credidit em̄ Pilatus eum diutius in cruce victurum more aliorum, quod utiq; factum fuisset, si ipse à seipso animā suā antè non posuisset, sed expectasset extremū naturæ in cruce exitū. At verò, quia hoc loco Christus animā suā nominat, apertè confutat ipsius Apollinaris & suorū vesana impietas, adferentiū Christum nō habuisse animā humanā & rationalē, sed corpus duntaxat humanum, cui coniuncta diuinitas anime locum obtinuit, vt confingunt, innitentes illi verbo Euangelistæ: Et verbum caro factum est, & putantes ibidem carnem pro solo corpore sumi, cūm frequentissimè in scripturis id nomen p̄ synecdochen pro toto accipiatur homine. Quòd si Christus (vt aiunt) animā non habuit, quomodo perfectus homo fuit; cū sine anima rationali non possit integrè homo coalescere & cōpingi. Quomodo filius hominis erat, quo quidem nomine sæpissimè se nuncupat, nisi anima rationalis eius compositionem subierit; Præterea totum Christus assumpsit hominem, vt omnino saucium totum sanaret; quod igitur ab ipso nō est assumptum, neq; reparatum est ad salutem, neq; curatum. Atqui anima hominis in primis parētibus & tota posteritate eorū grauit̄ fuit, & in primis vulnerata peccato. Si igitur non est à Christo assumpta anima rationalis, ipsa adhuc manet obnoxia veteri peccato, neq; particeps facta est redemptionis, sed solum corpus. Rursum percontari ab illis iubet, si Christus animā fuit expers, quomodo animam suam (quam non habet) ponit pro ouibus suis; quomodo potestatem habet ponendi animam suam, & iterum sumendi eam; quo deniq; pacto venit filius hominis nō ministrari, sed ministrare, & dare animā suā in redemptionem pro multis; Si fuit immunis animæ, non dedit animam pro mundi redemptione. non est igitur adhuc facta nostri redemptio secundum veritatem, sed phantasiā solum & opinionē; quare adhuc sumus adstricti & obligati vinculis mortis & damnationis, vt ab initio fueramus. Postremū sciscitari ab eis non erit incongruum, quoniam pacto veritati cohærebit, quod dominus imminente passionis hora ad apostolos dixit: Tristis est anima mea vsq; ad mortem: Nepe si animæ fuit exors, quomodo eam tam grauis afflictabat tristitia; aut quisnam spiritus est eius, quē in manus patris iam moriturus cõmendauit, nisi spiritus rationalis, & anima hu-

IN EVANG. B. IOAN. LIBER VII. 239.

ma humana: Demum quum hic dominus se animam suam ponere dicit, non id intelligas de separatione animæ à verbo. Nam dissēparatis post mortē anima & corpore Christi, verbum Dei vnigenitum vtriq; seiuncto abinvicem mansit inseparabiliter coniunctum; neq; vlla vnquam facta est direptio verbi, aut à sacratissimo templo, quod sumpsit de virgine, aut ab anima sanctissima. Sed ea animæ positio de separatione animæ à carne solum est accipienda. Caro enim Christi ponit animā suam, & iterum sumit eam, non tamen potestate sua, sed potestate inhabitantis eam, scilicet verbi.

Caput VIII.

Dissensio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet & insanit, quid eū auditis? Alij dicebant: Hæc verba non sunt dæmoniū habentis. Nunquid dæmonium potest cecorum oculos aperire? Ecce verba Christi maximè salutaria, sunt quibusdam odor mortis in mortem (vt ait Apostolus) & nonnullis odor vitæ in vitam. Variè enim circa illa affecti sunt auditores. Nempe quidam canino, mordaciq; dente illis detrahunt, & alios ab eis audiendis, quantum possunt, auocant; quia em̄ maiora erant, quàm secundum hominē, ea quæ à Christo dicebantur, quæ non intelligebant, vt futilia damnantes, dæmoniū eum habere dicebant, & insanum esse, neq; dignum, qui audiat. Neq; hoc solum in loco ipsum, in quo requieuit septiformis spiritus domini, & cui à Deo patre datus est spiritus nō ad mensuram, quicq; solo verbi imperio dæmonia à vexatis hominibus propulsa bat, & qui principem huius mundi eiecit foras, dixerunt agitari dæmonio, sed & sæpius aliās, vt cūm respōdit ei turbai: Dæmoniū habes, quis te quærit interficere? Et rursum alio in loco legūtur ei respōdisse Iudæi: Nōne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu & dæmonium habes? Et paulò post eodem loco: Nūc cognouimus, quia dæmonium habes. Ceterū quàm graue & inexpiable sit hoc Iudæorum scelus, quo Christū dæmonio percitum esse conclamant, non subticuit ipse apud Marcum his verbis: Qui autem blasphemauerit in spiritum sanctū, non habebit remissionē in æternum, sed reus erit æterni delicti: quoniā dicebāt, spiritū immundum habet. Adijciunt & hi oblatratores hic aliud probrum, dicentes Christum insanire, qui virtus est & sapientia patris, & in quo omnes thesauri scientiæ & sapientiæ sunt absconditi. Quia enim supra hominē loquebatur, neq; secundum communem consuetudinē, ipsum furore & insaniam, quasi mente captum agi obtrectabant. Quo quidem errore & ij, qui Christi erant propinqui, aliquando etiam tenebantur. Nam scribit de ipsis Marcus: Et cum audissent sui, exierunt tenere eum; dicebant enim, quoniam in furorē versus est. Sic Paulo in concione verba faciente, & reddēte rationē eorum, quæ docuerat & egerat, Festus præses magna voce dixit: Insanis Paule, multæ te literæ ad insaniam conuertunt. Cui Paulus modestè respondit: Non insanio optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba eloquor. Subijciunt demum hi detractores, edaci liuore instimulati, & aliud opprobrium: quid eum, inquit, auditis? quo insinuant eum non dignum esse, qui audiat, atq; cum stomacho indignantur r̄s, qui aures verbis illius arrigunt, quasi deliri & insipiētes. Ecce qui verba æternæ vitæ habet, & de cuius ore verba gratiæ procedunt, ducentia turbam in admirationē, hic indignus cēsetur, qui debeat audiri, & tanquam delirio exagitatus putatur explodi ac deseri debere. Verūm percontabitur quispiā, cur hæc impropria indignè sibi obiecta ipse Christus hoc loco non confutat, nec refellit: Reddēda est responsio, quoniam ex operibus ipsis factis superq; manifesta uit se nec dæmonium habere, nec furore arreptum esse. Iā em̄ supius se dæmonium nō habere responderat, cūm etiam Samaritanū illum p̄ contumeliam vocarēt. Et apud Marcū cūm obiicerēt ipsum habere Beelzebub, q̄ grauis esset

2. Corin. 8

Esaiæ 11

Ioannis 3

Marci 1

Ioannis 12

Ioannis 7

Ioannis 8

Marci 3

1. Corin. 1

Coloss. 2

Marci 3

Actor. 26

Ioannis 6

Lucæ 4

Ioannis 8

Marci 3

uis esset

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

uis esset illa blasphemia, non conticuit. Nunc autē minimē respondet illatæ eidem contumeliæ. Siquidem cum re ipsa ostendisset, qualis esset, signorumq; splendore, de cætero siluit. Neq; etiam digni erant, quibus responderetur, qui dæmonium eum habere dicerent ex ijs, quibus ipsum admirari, & Deum esse omnes credere debebant. Sed quid opus erat, vt amplius à Christo arguerentur, quum inuicem ipsi dissiderēt, & se mutuo reprehēderent: Ideo nullum verbum fecit, & omnia æquo animo tulit. Neq; hac tantum de causa in præsentia subticuit Christus, sed etiam vt nos erudiret mansuetudinē & patiētiam, induceretq; ad sui ipsius imitationē. Non enim solum hic Christus conticuit, nihil obiectis contumelijs respondens: verum etiā iterum illis, vt à malo reuocētur, ad est, & interrogatus respondet, & suam indicat eis prouidentiam, deitatisq; veritatem, & dæmoniæ & insanus appellatus. Quibus item innumera contulerat beneficia, nō semel aut iterum, sed sæpenumero, non modò non vltus est irrogatas iniurias, neq; remisit aut subtraxit beneficia, sed pro ijs animam suam posuit, & crucifixus patrem pro ipsis rogauit. Hæc nobis imitanda sunt, hoc pacto Christi erimus discipuli, si mansueti erimus & mitis ingenij. Discite, inquit, à me, quia mitis sum & humilis corde. Sed ijs quasi per digressi onem propositis, ad literam Euangelicā reuertamur. Alij verò, quorum sanior erat mens, & à verbis & ab operibus eius Christum ab hac contumeliā vindicabant. A verbis quidē, quod mente capti, energumini & dæmonio vexati, non possent tam alta & sublimia verba depromere, qualia Christus edifferebat, neq; talem profunderē doctrinam. Ab operibus verò, quod dæmones non possint cæco à natiuitate lumen oculorum reddere, vt Christus antè restituerat. Quamuis enim maligni spiritus præstigijs suis plerunq; intuentium oculos eludant, exhibētes coram rei specie, quæ tamen non adest, aut tēpore à nobis haud dinoscibili, repētē aliqua aliunde adducant, sublatis imperceptibiliter quæ aderant, tanquam illa ex his videantur producta, aut hæc in illa conuersa, vt in maleficijs magorum Pharaonis dæmones ipsis obsequētes, sustulerunt virgas subito ex oculis astantium, & in earum locum supposuerunt serpentes, magna celeritate alio ex loco illuc allatos, viuos quidem & veros, & astantes hæc dæmonum artificia ignorantes, credebant virgas in serpentes esse conuersas, & consimili elusione submiserunt dæmones ranas ad magorum incantationem, miracula tamē quæ naturæ legem transcendunt, nequaquam veraciter operari valent.

Caput IX.

FActa sunt autem encænna in Hierosolymis, & hyems erat. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. Circumderunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Iesus: Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Audiuius patiētiam Christi, & inter opprobria prædicationem salutis; sed ipsi obdurati magis eum captionibus suis tētare, quàm illi obedire volebant, vnde ipsi nouas fraudes & insidias moluntur, eo potissimum tēpore, quo diuinis officijs magis intenti esse deberēt, scilicet die encæniorū. Sūt autē encænna solēnitas ipsa dedicationis tēpli. Græcè em̄ καινὸν dicitur nouum, & quancumq; nouū quid fuerit dedicatū, encænna vocantur. Atq; encænnaire Græcè, innouare vel inchoare Latine dicitur. Verūm tēpus ipsum, quo facta sunt encænna, Euangelista quoq; exprimerē curauit, quod scilicet hyems erat. Per hoc quippe ostēdit, quod nō ad primam tēpli dedicationē, neq; secundam: sed ad eam, quæ vltima fuit, hæc narratio pertinet. Tertio namq; templū ipsum Hierusalem fuisse dedicatum, in sanctis literis inuenimus. Prima quidem eius dedicatio, à Salomone cū magna gloria,

IN EVANG. B. IOAN. LIBER VII. 1231.

A gloria, & totius regni pacē, autumnali tempore facta est. Secunda à Zorobabel, I. Esdra 6 Iesu sacerdote magno, & reliquis filijs transmigrations Babylonice, verno tempore refacta est. Tertia verò à Iuda Machabæo & fratribus eius hyemis tempore peracta est, quando etiam specialiter constitutū est, vt singulis annis hæc eadē dedicatio solennibus frequentaretur officijs. Quæ planē constitutio vsq; ad tēpus saluatoris seruata est, sicut præsens Euangelij lectio declarat. Sanè Christus vt exemplo nobis esset, in solennitatibus magis frequentanda esse templa diuino cultui dedicata, & amplius ijs insistendum, quæ ad Dei honorē & proximi salutem spectant, aderat huic encæniorum solennitati, vt populo salutaris suæ doctrinæ dona elargiretur, & diuinitatis suæ mysteria patefaceret. Et ambulabat in tēplo in porticu Salomonis. Porticus Salomonis dicitur, vbi rex ille potentissimus & sapientissimus adorandū stare cōsueuerat, & ideo ex eius nomine cognominabatur. Solent autē porticus nominari ambulacra, vestibula & atria, quibus tēplum cingebatur. Circumderunt ergo eū Iudæi, nō causa agnoscendæ veritatis, sed gratia ingerendæ tentationis & struendæ calumniæ, vt inuenirent, quomodo eū accusarent. Cōpletumq; est in eis, qd per prophetā dictū est in Psalmo: In eo dū conuenirent simul aduersum me, accipere animam meā consiliati sunt. Et rursus: Aduersum me lætati sunt & conuenerunt, tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione, frenderunt super me dentibus suis. Sanè eorum malignitas ex verbis ipsis innotescit. Quousq; aiunt, animā nostrā tollis? Causantur quod animos eorū, insertos ac suspēsos eos dimittendo, tolleret, anxiosq; & discrutiatos redderet, qui ad hoc venerat, vt animas in se credentiū saluaret. Si tu es Christus, inquiunt, dic nobis palam. Iudæi Christū purū tantum hominē futurum, & regē more terrenorū principum cæteris excellentiorem venturum credebant, quod etiā posteri eorum vsq; in præsens tempus sibi falsò persuadent. Putarunt enim regnum à prophetis Christo promissum, solūmodo temporarium esse debere, & initar aliorum regnorū mundanū, cum apud Hieremiam legerunt: Et regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudiciū & iustitiā. Et in Psalmo: Ego autē constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius: cum tamē huiusmodi regnum non sit in exteriori potentatu aut principatu mundi, armatura, exercitus bellatorū conscriptione, aut ministrorū stipatione, sed in spirituali potius dominatu debeat accipi, q̄ in mentibus fidelium regnat Christus per fidē & mandatorum obseruationē. Dixit enim Pilato: Regnū meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meū, ministri mei utiq; decertarēt, vt non traderer Iudæis: hunc autem regnum meum nō est hinc. Et in Psalmo de se dicit: Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea. Deniq; in Zacharia: Noli timere filia Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis, & ipse pauper. Cum igitur ab angelo ad beatam virginē dicitur: Et dabit ei dominus Deus sedē Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternū, & regni eius non erit finis: regnū ei potius spirituale designatur, quo expulso mundi principe, in animis fidelium per totū mundi ambitū erat regnaturus. Et quæ admodum in Psalmo pater ad filiū dicit: Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatē tuam, & possessionē tuam terminos terræ. At verò Iudæi velamē habentes ignorantia inductum cordibus eorum, carnaliter intelligebant Christum armis & militibus stipatum, more aliorum regum, debere principari. Volebant ergo hac fraudulenta interrogatione, vt se dominus Christū esse diceret, quatenus possent eū quasi Romano Cæsari repugnantē, & regnum sibi contra Romanorū (quibus Iudæi erāt tributarij) decreta usurpantē, præsidis potestati tradere puniendum. Quapropter dominus ita prudenter ac temperatē suam responsionē circumtulit, vt illis aditū calumniæ obstrueret, & quod ipse Christus est, futuris fidelibus aperta voce panderet. Respōdit em̄ eis dicēs: Loquor vobis, & nō creditis. Verba, inquit, mea apertē testificantur me esse à patre missum, & verū esse Christum.

Lucæ 23

Matth. 11

Exodi 7

1. Mach. 4

Psal. 34

Hierem. 23

Psal. 2

Ioannis 19

Psal. 87

Zachar. 9

Lucæ 1

Psal. 3

1. Reg. 9

Christum; sed ob duritiam cordis vestri non adhibetis fidem verbis meis. Opera præterea, quæ facio in nomine patris mei, cæcos illuminans, paralyticos sanans, dæmoniacos curans, & mortuos ad vitam reuocans, illa testimoniū perhibent de me, quodd verus sum Dei filius, & Christus à lege & prophetis promissus. In nomine autem patris se opera sua facere Christus contestans, omnem suorum operum gloriam Deo patri adscribit, eiusq; honorem in omnibus factis suis exquisiuit, quæ admodum prius dixit Iudæis: Ego non quæro gloriam meam, sed honorifico patrem meum.

Ioannis 8

Quod Christus ut Dei filius, non solum uoluntatis consensione, sed eorum naturæ consubstantialitate per æternam generationem unum est cum patre.

Caput X.



ED vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est. Ego & pater vnum sumus. Causam quare nō credant Iudæi verbis & operibus eius, Christus subiungit: quia non sunt ex ouibus suis, neq; de illorum numero, qui ad æternam vitam præuisi sunt, sed perpetuæ perditioni addicti. Et ne gratis aut præter rationem id dixisse videatur, manifestum ponit signum, quo oues suæ ab ijs, qui ad se non pertinent, discernantur. Oues, inquit, meæ vocem meam audiunt, fidem scilicet synceram amplectentes, & mandatis meis obtemperantes, & ego agnosco eas, electione gratuita ad vitam æternam, & sequuntur me, imitatione scilicet bonorum operum & beatitudinis assequutione. Oues suas dominus fideles, & sibi obsequentes dicit, qui eum pastorem diligunt & sequuntur, atq; ad pascua æternæ satietatis, boni pastoris imitantes vestigia, perueniunt. Itaq; eos qui in se credere nolebant, dicebat non esse ex ouibus suis: quia videbat iā eos æternæ perditioni præparatos, nec sui sanguinis precio ad vitam perpetuam comparandos. Suis autem ouibus dominus æternam vitam se dare affirmat, pascua scilicet vberissima, honorū omnia copia affluentia, vbi lux clarissima, pax secunda, quies dulcissima, gloria perpetua. Et non peribunt in æternum, quia pastor eorum & saluator talis est, apud quem nihil omnino perire possit. Videbantur quidem perire sancti martyres, quum hanc mortalem vitam per tormenta amittebant: sed non peribant in æternum, quia soluti vinculis carnis, debita sibi præmia à Christo percipiebant, quemadmodum dicit Sapiens: Vili sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & nō tanget illos tormentum malitiæ: & non rapiet eas quisquam de manu mea, id est, potestate mea, dicit dominus. Eos enim, quos semel prædestinando Christus assumpsit, nulla vis diaboliæ tentationis, non immanitas humanæ persequutionis, de sorte & latere eius potest auferre. Sed nōne Iudas (dicit quispiam) in æternum perijt, & surreptus est à Satana de manu domini: & multi viam domini ambulantes, à qua tandem decidunt. Verum ad finem vsq; in bono perseverantes, duntaxat oues domini sunt & dicuntur. Qui igitur post perceptam gratiam, de numero ouium Christi pereunt, hi certè in Dei oculis oues non sunt: quare nec Iudas nec alij retrò abeuntes, ad ouile Christi pertinere dicendi sunt. Superioribus autem verbis, illorum dominus redarguit temeritatem, qui sibi mortis laqueos tetenderant. Stultissimè enim de eius nece cogitabant, quum non solum in ipsum nihil possent agere, si nollet, verum etiam neminem de suis valent auferre. Verum ne hæc dicendo suam videretur gloriam quærere, totam hanc potentiam ad patrem refert, subiungens: Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est. Hoc planè est, quod Deus pater mediatori Dei

Sapient. 3

ari Dei & hominum dedit, vt sit eius vnigenitus filius, Deus de Deo, nec natura dissimilis, nec virtute inferior, nec duratione posterior. Et hoc gignendo dedit, quia Deus verus Deum verum genuit, lux æterna lucem coæternam, vita vitam. Hoc sane est quod maius omnibus est, quia omnem illud excedit & humanam, & angelicam creaturam. Et nemo id ipsum quod pater mihi dedit, potest rapere de manu patris mei: quia quum ipse virtus sit immensa, non potest ei à quopiam irrogari violentia. Superius quidem dominus dixit, non rapiet quisquam de manu mea: hic vero dicit, nemo potest rapere de manu patris Dei. vt liquidò intelligeremus eandem prorsus esse virtutem suam & patris (est enim ipse manus & virtus patris) atq; hūc ipsum esse Christum haud dubiè crederemus, qui non, vt cæteri sancti gratiam acceperit ex tempore, sed verus semper extiterit Dei filius. Quod etiam subsequenti sententia ostendit, quum dicit: Ego & pater vnum sumus. Vnum, inquit, sumus, vna essentia, vna diuinitas, vna æqualitas. Quibus quidem verbis non solum Iudæorum quæstionem, qui tentantes, an ipse esset Christus, interrogabant, absoluit: verum etiam hæreticorum, quos futuros præuidit, insaniam, quam sit detestanda, monstrauit. Vtrunq; audi, & vnum & sumus, & à Charybdi & Scylla liberaberis. Quod dixit vnum, liberat te ab Ario, separante filium à substantia patris. Quod dixit, sumus, liberat te à Sabellio, confundente personam patris & filij sine discretionem. Si vnum, non ergo diuersum: si sumus, ergo pater & filius. Sed vtriusq; horum impietas in exordio primi libri abundè confutata est. Verum quia hæretici hæc domini verba negare non possunt, impietatis suæ mendacio & absurda expositione ea corrumpunt. Tentant enim id ad vnanimitatis referre consensum, vt voluntatis in patre & filio vnitas sit, non naturæ, id est, vt non per id quod sunt, sed per id quod idem volunt, vnum sint. Sed per naturæ natiuitatem (dum nihil Deus, ex se Deum gignendo, degenerat) reuera vnum sunt. Dumq; de manu filij non rapiuntur, non rapiantur de manu patris: dum in operante filio operatur pater, dum ipse in patre & in eo pater est, hoc non præstat creatura, sed natiuitas: non efficit voluntas, sed potestas: non loquitur vnanimitas, sed natura. Non negamus igitur voluntatis vnanimitatem inter patrem & filium. Nam hoc solent hæretici mentiri, vt cum solam concordiam ad vnitatem non respicimus, discordes eos à nobis affirmari loquantur. Sed audiant, quoniam à nobis vnanimitas non negatur, sed præter eam vnum sunt pater & filius, natura, honore & virtute, nec natura eadem potest velle diuersa. Sed rursus cauillationem mouent aduersarij veritatis ex eo, quod Christus patrem pro discipulis rogans, inquit: Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos. Atqui non possunt discipuli esse vnum, nisi voluntatis conspiratione & concordia: non enim in vnam numero, eandemq; substantiam coincidere queunt: neq; igitur pater & filius vnum sunt identitate substantiæ & naturæ. Cæterum quum calumniari magis quam elucidare veritatem quærunt, rectum scripturæ sensum omnino subuertunt. Nam falsum est discipulos nō posse esse vnum cum Deo, nisi voluntatis concordia. Nam supra illum est vnitas illorum cum Deo per quandam deitatis conformitatem & deiformitatem, qua participatione diuinitatis eis communicata, in Deum (vt ita dixerim) transeunt atque transferuntur, seruata suæ naturæ veritate, perinde atq; ferrum ignitum & candens, per ignis communionem fit igniforme, videturq; sublata ferri substantia omnino esse ignis. Et huiusmodi vnione (que longè superior est & sublimior, quam vnio per amorem & concordiam voluntatum) petit dominus noster discipulos esse vnum in Deo, vt scilicet ei inferantur & intimè coniungantur per deitatis in se susceptionem atque participationem. Hæc insuper vnio proximè accedit ad summam illam ac ineffabilem vnionem, qua pater & filius se inuicè immanent, ac sibi intimè immanentes, vnum sunt vnitate naturæ, quæ quidè suprema est, & omnium verissima, cuius assimilationem propinquam discipulis dari per insitionem cū Deo Christus hic petit.

Obiectio-
nes aduer-
sariorum,
earumq;
solutiones.

Ioannis 14

Ioannis 17

RR Sed age,

Sed age, ex rerum natura filius vnus & eiusdem cū patre substantiæ esse common-
stremus. Videmus siquidem propriam & naturæ cōsentaneam generationē esse, cū
gignens eiusdē naturæ prole ex se ædat, vt homo hominē, lux lucem, calor ca-
lorem. Cū verò in diuersitatem generis trālit productū, & alterius quā produ-
cens fuerit naturæ, monstrosa generatio erit, & suæ naturæ proprietatē minimē
seruans, vt cū asinus gignit mulam. Si itaq; alterius naturæ filium pater genuit,
vera ibi & propria natiuitas non erit, quæ proprietatē substantiæ generantis serua-
re non potuit, sed manca & monstri simillima, qua degener filius ex patre prodit,
à dignitate & perfectione paterna desciscens. Sed quomodo illam perfectionē
gignendi ex sua substantia suum simile, Deus creaturis elargitus est, qua tamen ca-
ret: Inuenietur igitur in rebus inferioribus aliqua naturæ dignitas, vt pote eiusdem
generis prole perducendi; quæ tamen nequaquam in Deo erit, quo certè nihil est
absurdius. Præterea Paulus ad Ephesios scribens, dicit ex Deo patre omnē pater-
nitatem in cœlo & in terra nominari, & tanquam ex fonte ad inferiora deriuari. Si
igitur in terra paternitas inuenitur inter homines, quia eiusdē sunt naturæ gignēs
& quod gignitur ex alterius substantia, eadem & in Deo patre primitus erit com-
perta. Alioqui non ex Deo ad creaturas emanaret paternitatis nominatio, sed potius
ex creaturis ad Deum transferretur, perfectiorq; & verior esset in creaturis, q̄
Deo paternitas, quod recta ratio minimē admittit. Rursum per Esaiā dominus e-
os increpans, q̄ putant ipsum fœcunditatis & genituræ expertē, inquit: Nunquid e-
go qui alios parere facio, ipse non pariam; dicit dominus. Si ego qui generationem
cæteris tribuo, sterilis ero; Atqui Deus rebus à se creatis indidit, vt pariāt ex sua sub-
stantia fructū eiusdē naturæ, vt quercus quercum profert, & oliua oliuā. Id ipsum
igitur & ipse habet, vim scilicet ex se gignendi consubstantialem & eiusdē naturæ
filium. Est igitur ipse cum filio vnum substantia & natura. Quod si attentius consi-
derare voluerimus, videbimus planè nō eandem solum esse substantiam in rebus
creatis, sed & magnitudinem, figuram, qualitatem, vt colorem, odorem, saporem, D
motum, & agendi virtutem gignentis & geniti. Quum enim rosa gignit rosam,
viola violam, & vnaquæq; arbor suum fructum, gignens non solum eandē com-
municat substantiam genito, sed & consimilē molem & figuram, eundē in folijs &
floribus colorē, eandem spirationem, & dulcedinem saporis. Quæcunq; itidem vir-
tus est in gignente plantula, eadem agendi efficacia in genito fœtu. Sed vnde, quæ-
so, hæc naturæ conspiratio, conuenientiaq; inter gignentem & genitum in natiuitate
& natura insitis proprietatibus: Quid aliud hæc vniuersa proclamant, nisi filiū om-
nino eiusdem esse naturæ cum patre, ex cuius substantia genitus effulget: ipsum
itidem filium non minorem maiestate, sapientia aut virtute, sed eandem prorsus
cū patre magnitudinē habere, eidem coæternum esse, non minus sapientē aut po-
tentē. Si hæc Ariani in libro naturæ conscripta, & in creaturis, vt vestigijs quibus-
dam impressa, oculatius perspexissent, nunquam filium à patris dirēmissent substā-
tia, aut æquam illi virtutem, sapientiam aut perfectionem cum patre ademissent.
Verum hæc amplius in primo libro discussa sunt & determinata.

Caput XI.

Vstulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit eis
Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter
quod eorum opus me lapidatis. Responderunt ergo Iudæi: De
bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo quum
sis, facis te ipsum Deū. Iudæi qui eatenus loquentem dominū quasi patienter au-
dierant, cū dixisset, ego & pater vnum sumus, amplius vim verborum ferre non
valētes, q̄ ipsi lapidea corda gestabāt, ad lapides cucurrerūt, sine moderatiōe & le-
gis disciplina cū vt blasphemū lapidibus obruere tētantes. Verū quia dñs nec tunc
volebat

Ephesio. 3

Esaiā 66

A volebat pati, nec se ab illis lapidatum iri disposuerat, illa iam iam ferientia brachia
suo nutu cohibuit atq; continuit, dulciq; allocutione exæstuantem illorum iram se-
dare laborauit, dicens: Multa bona opera ostendi vobis à patre meo, videlicet in sa-
nitatibus infirmorū, in assidua exhibitione doctrinæ & miraculorū. Quæ vniuersa
ex patre dicit ostendisse, vt se indicaret eius per omnia gloriam quærere. Propter
quod, inquit, me lapidatis: Summæ quidē est sæuitiæ & ingratiitudinis, mala pro
bonis retribuere, & pro beneficio rependere supplicium. Verum Iudæi nō de bo-
no opere se dominū lapidare velle dicunt, vbi quanquam inuiti & nolentes confi-
tentur, nec possunt negare, multa beneficia & meritorū bona sibi à Christo impen-
sa fuisse. Sed miseri, quod ille de sua & patris æqualitate, & vnitae substantiæ dixe-
rat, pro blasphemia deputabant: q̄ cū homo nudus esset, seipsum Deū faceret, il-
li obiectantes. Ecce infideles Iudæi intellexerunt, quod Ariani adhuc intelligere ne-
gligunt. Id enim quod dominus dixerat, ego & pater vnum sumus, intellexerunt
non posse dici, nisi vbi substantiæ & virtutis esset æqualitas. Quod isti pro blasphe-
mia idcirco receperāt, quia eum tantū hominē esse credebant, Deumq; nullatenus
credere volebant, & idcirco mortem illi intentabant, vt & alio loco dixit Euan-
gelista: Propterea magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat
sabbatū, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Porro quum
Iudæi verba Christi diuinitatē & incommutabilem substantiam testificantia, vt po-
te, antequam Abraham fieret, ego sum; ferre non valerent, alio loco leguntur sustu-
lisse etiam lapides, vt iacerent in eum. Iesus autem tūc nullo ipsi communito ser-
mone, datōue responso, abscondit se & exiit de templo, vt per suam absentiam resi-
deret & deferuesceret ebulliens ipsorum ira. Hoc verò loco cū Iudæi eadē labo-
rarent phrenesi ac insania, more peritissimi medici, aliud ipsis adhibuit medicamē-
tum: vt nihil non tentatū relinqueret, quod eorū salutem conducere putaretur: & q̄s
vno pharmaco prius ad mentis sanitatem reducere non potuit, aggreditur nunc alio
curare antidoto, placida inquam interrogatione, & rectæ rationi innixa, qua ab
eis quærit, cur præter omne ius & fas attentant mala pro bonis ipsi retribuere, &
quàm plurima ipsis præstita beneficia, tumultuaria lapidatione cōpensare atq; repē-
dere. Sicut enim aqua gelida efferuenti iniecta, continuò totum illius feruorē ac e-
bullitionem sedat, residētēq; reddit illam, quæ prius rapido æstu intumuit: haud
secus placida verba ac mitia, iracundiā concitatū animum mitigare solēt, & ad man-
suetudinē reducere. Quod nobis ipse David suo prodit exēplo, cuius districtum
mucronem in totius domus Nabal exterminium, ipsa Abigail vxor eius sua sua-
uiloquentia & humanitate, vagina recondidit, & à cruoris effusione immunē red-
didit. Cumq; respondissent interrogationi factæ Iudæi, quòd ob blasphemiam Deo
illatā lapidibus ipsum appetere, rursum placida voce Christus ostendit, adhibito
scripturæ testimonio, quòd se filium Dei (vt verè erat) dicens, nequaquam blasphe-
miam in Deum commiserit. At verò vbi perspectum habuit, implacabilem ipsorū
animum nequaquam verbis suis mitigatum esse, nec sedari irrationabilem ipsorū
furore, tunc alterum adhibuit præcipiti ipsorum iracundiæ remedium, quod & pri-
us admouerat altero in loco, vt iam dictum est. Cū enim (vt paulò post narrat hic
Euangelista) rationem reddidisset Christus suorum operum & verborum, osten-
didissetq; se nequaquam in Deum esse blasphemum, quòd filiū Dei se diceret: quæ-
rebant eum Iudæi apprehendere, sed ipse exiit de manibus eorum, & abiit in aliū
locum. Si quidem quum quicquam altum & magnum Christus Iudæis proloquu-
tus esse comperitur, quàm primū abire & hic & sæpe aliās describitur, vt eorum fu-
rori det locū, absentiaq; sua sedetur & quiescat ipsorum indignatio. Et hæc secunda
est medela, quam in præsentia Christus concitatis in se Iudæorum animis applicu-
it, nihil præmittens eorum, quæ ad ipsos sanandos conducant.

Ioannis 5

Ioannis 8

1. Reg. 25

Ioannis 10

Respondit eis Iesus: Nōne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & nō potest solui scriptura: quem pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemias, quia dixi filius Dei sum? Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite: vt cognoscatis & credatis, quia pater in me est, & ego in patre. Christus quia vidit Iudæos tardos & inualidos non ferre splendorem veritatis, temperauit eum in his, quibus de obiecta blasphemia se purgauit, verbis vt qui imbecilles oculos conspexerit tolerare non posse lucis apertæ iubar, velamen interponat oculis, quo fulgoris acie extenuet. In lege, inquit, vestra, id est, per Mo-
Psal. 81 sen vobis, patribusq; vestris data, scriptum est: Ego dixi, dii estis. Hoc autē Psalmographi testimonium in lege scriptum esse dominus adferit: quia nimirum omnes veteris instrumenti scripturæ, aliquando lex appellantur generali vocabulo. Nonnunquā distinctè per se lex accipitur, & à prophetis dirimitur. Sicut ipse dominus alibi dicit: Lex & prophetæ vsq; ad Ioannem prophetauerunt. Plerunq; in tria mē-
Matth. 11 bra sanctæ distribuuntur scripturæ, vt in illo loco: Oportet impleri omnia, quæ scri-
Lucæ 24 pta sunt in lege, prophetis & Psalmis de me. Quoniam autem in illo Psalmi testi-
Deutero. 6 monio homines dicti sunt dii, noscere opera precium est nomen Dei trifariam in scriptura dici. Primò natura, vt: Audi Israel, dominus Deus tuus, Deus vnus est, & rex omnis terræ Deus. Secundò adoptione & participatione, quo qui in filios Dei adoptantur & participes fiunt diuinitatis, dii dicunt, vt eo in loco: Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat. Et: Deus deorum dominus locutus est: & in præsentī etiā Prophete dicto. Tertio falsò & sola nuncupatione, quæ
Psal. 81 admodum dæmones & idola, de quibus Psalmus: Quoniam omnes dii gentium
Psal. 49 dæmonia, dominus autem cælos fecit. Et Paulus: Quorum Deus venter est. Et alio
Psal. 95 in loco: In quibus Deus huius seculi excecavit mentes infidelium, vt non fulgeat il-
Philip. 3 lumīnatio Euāgelij gloriæ Christi. Si igitur, inquit dominus, idcirco homines dii
2. Corin. 4 appellati sunt, quia sermo Dei ad ipsos factus est, & non potest scriptura falsitatis argui: ipsum verbum Dei, quod erat in principio apud Deū, quo modo non est Deus: Si illi dii vocari meruerunt, qui participes facti sunt sermonis Dei: ipse sermo Dei, vnde participant, cur non sit Deus: Semper enim vnde aliquid participatur, magis & verius id habet quod participatur, quàm ipsa participantia: vt sol, à quo lucis est participatio in subiecta corpora, magis lucidus est quàm aer & aqua, luce participantia: & ignis, à quo tãquam fonte quodam calor in externa diriuatur corpora, verius & vehementius habet calorē, q̄ ea quæ ab eo calorem participant. Verbum igitur Dei, cuius participatione alij denominationē Dei sortiuntur, verius & sublimius Deus est, q̄ homines aut angeli. Nam hi gratia solum, adoptione & participatione dii sunt & dicuntur: ille verò natura, origine & substantia Deus est. Porro sanctificauit pater filium, non quòd vnquam ille sanctus non fuerit, sed quia sanctum illum genuit, atq; vt sanctus esset, gignendo ei dedit. Sicut enim Deus Deum, immensus immensum, sic sanctus sanctum pater filium genuit & misit in mundum, quia eum incarnari cōstituit pro salute hominū. Aut sanctificauit secundum hominem, & humanam in eo naturā, id est, cum sanctitate immunitateq; peccati, & sincere puritate eū incarnari constituit pro salute mundi, quemadmodum angelus dixit ad sacrosanctam virginem: Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Et beatus Paulus ad Romanos, qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundū spiritum sanctificationis. Aut demū sanctificauit eum, id est, sanxit, & constituit ipsum sacrificari & oblationem offerri pro mundi salute. Nā id sanctificari, in scriptura

Aptura plerunq; dicitur, quod templi vsui designatum Deo offertur & consecratur, quemadmodum ibi: Sanctifica mihi omne primogenitum. Sanè qui hunc locum Exodi 13 explanant autores, hi primum sanctificationis modū hic adstruunt, illi secundum, alij verò tertium, vt eorū nullus intelligatur ab vsu & recto sensu scripturæ esse alienus. Demum à verbis ad operum contemplationem, quæ non nisi à vero Deo fieri possunt, ipsos Iudæos transmittit. Siquidem vnaquæq; res, operum suorum functione, officioq; quænam sit, cognoscitur. Viuens enim à nō viuentē operibus discernitur, vt si viuentis exerceat opera, viuens esse comprobatur: sic sanus ab ægro to, & arbor fœcunda à sterili, fructuum productione internoscitur. A fructibus enim eorum cognoscetis eos. Si igitur operum exhibitione, inquit, me verum esse Matth. 7 Deum & patris filium cōprobo, quæuis morborum genera, & ipsam deniq; mortē potentifica voce depellendo, viuificam languidis & mortuis salutem inspirando, me vitæ & mortis dominū ostendendo: ex his inquam operibus credite, quia ego in patre, & pater in me est. Sanè non sic est pater in filio, aut filius in patre, quo modo Deus esse dicitur in aliquo viro sancto, & sanctus quicumq; in Deo. Filius quippe in patre est, per equalitatem vnus, eiusdemq; substantiæ, & per indigressibilem vnus in altero immanationem ob naturæ identitatem. Homo verò in Deo duntaxat est per gratiæ participationem & habitudinem quandam, atq; gratuitam in habitationem. Proinde vir sanctus dicere quidem potest, quia Deus in me est, nō autem valebit vnquam dicere, ego & Deus vnus sumus. Nec rursus, qui videt me, vi Ioannis 14 det & Deum. Hoc enim vnigenito soli filio conuenit, qui sic est in patre, vt sit æqualis patri & vnus cum patre. Verū hęc diffusius in sequētibus, vbi rursus ab Euangelista commemorantur, innotescunt.

BVærebant ergo eum apprehendere, & exiuit de manibus eorum. Et abiit iterum trans Iordanem in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans primum, & mansit illic. Et multi venerunt ad eum, & dicebant: quia Ioannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæcūque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum. Adhuc Iudæos in incepta dementia persistere ostendit Euangelista, quum dicit eos inimico animo tentasse, vt apprehenderēt eum ad supplicium & cædē. Sed dominus ab eis recedit velociter, vt sedetur eorum furor per absentiam suam. Crebrò autem legitur dominus eduxisse populos ad solitaria loca, de perfidorum societate eripiēs, & mundi fluctibus, ac turbine, vt magis fructificet sicut legem veterem daturus, Exodi 19 eduxit populum in desertum. Mystice autem recedens à Hierosolymis dominus, hoc est, à plebe Iudaica, ad loca fontes habentia se transfert, id est, ad Ecclesiā exgentibus, quæ habet fontem baptismi, per quem multi ad Christū accedunt, quasi transeuntes Iordanem. Domino autem ibidem commorante, multi pio animi affectu, & passibus fidei venerunt ad illum, duplex adferentes testimonium eius præcellentia supra Ioannem. Primum, quia Ioannes quidem nullum fecit signū, id est, nullū miraculum ostendit, non cæcos illuminauit, nec languidos curauit. Splendor enim signorū domino nostro seruabatur, vt illius claritate & luce gloria diuinitatis eius mundo innotesceret. Neq; tamen id in aliquo derogat sanctitati eius, quo inter natos mulierum non surrexit, teste saluatore, maior. Nempe miracula operari, nihil adijcit sanctitatis homini, quum malis & reprobis id competat, dicente domino apud Matthæum: Multi dicent mihi in illa die: Dñe, nōne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & prophetauimus, & signa multa fecimus: Et tunc cōfitebor illis: nescio vos, discedite à me oēs operarij iniquitatis. Quare ediuerso nulla signorū ostē-
Matth. 11 sio nihil detrahit homini sanctitatis. Atqui, inquit, hic multa signa fecit, & eorum
Matth. 7 RR iij splen-

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

splendore magnopere effulget: est igitur maior huius q̄ Ioannis excellentia. Secun- dum verò testimonium eminentiæ Christi: quia de illo Ioannes omnia veraciter di- xit, testimonium illi perhibēs. Si igitur Ioanni credere oportebat, multo magis hu- ic, cum illius testimonio etiam signorum demonstrationem habenti. Et hoc pa- cto isti per lucernam veniebant, quia Ioannes lucerna erat, Christus dies, ad quem fulgore huius lucernæ adducti, crediderunt in eum.

Caput XIII.

Caput Ioā- nis XI.

Rat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Ma- riæ & Marthæ sororum eius. Maria autem erat quæ vnxit domi- num vnguēto, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Laza- rus infirmabatur. Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens autem Iesus, dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Inter omnia miracula, quæ Dei filius vt suam panderet diuinitatem, operatus est, su- pereminet hoc, & quasi quendam obtinet principatum, quod circa Lazarum fecit. Et quidem singula opera eius admiratione dignissima sunt. Quis enim nō magno pere admiratur, q̄ Christi iussu & virtute claudi rectis gressibus inceserūt, quod mutis linguarum claustra soluta sunt, quod cæcorum diu clausa lumina tactu sacræ manus eius referata sunt: Quis hæc & plura alia considerans, non diuinam potentiam obstupescat: Sed hæc omnia, parua ad ingentem Christi maiestatem videban- tur, nisi amicus eius Lazarus moreretur. Quē idcirco mori permisit, vt eum nouo & omnibus seculis admirando ordine suscitando, sese vitæ mortisq̄ dominum de- clararet. Itaq; in primis languidi nomē, & locus atq; cognatio describitur, quod fra- ter scilicet esset Mariæ & Marthæ sororum. Et quoniam eo tēpore complures e- rant mulieres illo nomine Mariæ nuncupatæ, ne erramus in nomine, ostēditur ex notissima actione. Ipsa enim erat, quemadmodum pleriq; sentiūt, & complurium est opinio, quæ (vt Lucas Evangelista refert) in ciuitate peccatrix, pedes domini la- chrymis pœnitentiæ lauit, capillis extersit, & vnguēto perunxit, sicq; multorum cri- minum veniam à domino promeruit. Id Ioannes hic narrans, attestatur Lucas, qui hoc in domo Pharisei cuiusdam Simonis factum esse commemorauit. Iam itaq; hoc Maria fecerat. Quod autem in Bethania rursus fecit, vt sequens Evangelistæ locus ostendit, aliud est quod ad Lucæ narrationem non pertinet, sed pariter narra- tur à tribus factum in Bethania post resurrectionem Lazari. Quod verò Ioannes hic refert, lōgo ante Lazari suscitationem tēpore factum est: quum scilicet ab ipsa Maria (vt Lucas & Marcus inquit) eiecit septem dæmonia. Vbi septem dæmo- niorum nomine (vt sentit Gregorius) accipere debemus septem vitia capitalia, & vniuersam vitiorum eluuiem, septenario numero designatam, quorum quum dæ- mones præcipui sint autores, ipsa vitia rectè dæmoniorum nomine appellantur, ef- fectus scilicet nomine causarum. Alij verò autores non ignobiles, nec in celebres, arbitrantur ipsam Mariam sororē Marthæ non fuisse illam in ciuitate publicā pec- catricem, cuius meminit Lucas in septimo cap. sed candidam semper fuisse virgi- nem, & sincera virginis pudoris puritate spectabilē, haud minus quàm Martha soror eius fuit. Cui, Evangelico testimonio & attestante summa veritate, ipsa Ma- ria præfertur. Nempe peccatrix illa, inquit, quantū ex Euāgelio cōiectare datur, Galilæa fuit origine, & in vna ciuitate Galilææ ex diuturna prostitutæ pudicitie cō- fuetudine, vulgo apprimè nota: quandoquidem salutaris eius conuersio & respic- centia à peccato, in vna ciuitate Galilææ, vt Naim, aut alia quauis facta credit, vt ex antecedētibus & sequētibus Lucæ narrationibus haud difficilè deprehēdi posse putant.

Ioannis 12

Lucæ 8
Marci 16

IN EVANG. B. IOAN. LIBER VII. 235.

A putant. Maria verò soror Marthæ, fuit origine Iudæa, & ex Bethania castello Iu- dææ oriunda, quæ (vt hic perhibet Ioannes) erat Hierosolymis admodum propin- qua. Proinde autumant isti, Ioannem hoc loco nequaquam breuibus constringe- re id ipsum, quod pluribus ipse Lucas retulerat de vnctione exhibita domino à pec- catrice in domo Simonis Pharisei: sed per anticipationem ipsum hic verba facere de vnctione pedum domini, & extersione facta in cœna post resurrectionem La- zari paulo ante passionem dominicam, quam latius explicat Ioannes cap. proximè sequente: quod ex ipso literæ tenore, hoc in loco colligi posse sic existimant. Non enim, aiunt, dicit hic Ioannes, quod Maria erat, quæ pedes domini rigauit lachry- mis, deinde perfusos amaro fletu extersit, & demum vnxit vnguento, quod pecca- trix ipsa apud Lucam per ordinem factitasse legitur: sed solum hic memorat Ioan- nes, quod ipsa Maria soror Marthæ vnxit dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis, iam scilicet vnguento delibutos: quæ quidem narratio omnino re- spondet suo ordine ei narrationi, quam diffusius facit Ioannes cap. XII, vt ex eodē vtriusq; recitationis responso sumant ipsi argumentum, beatum Ioannem in vtro- que loco (cap. scilicet XI. & XII.) de eadem loqui vnctione, ea videlicet, quæ post suscitationem Lazari facta est in Bethania circa passionem domini. Neq; enim hic lachrymarum meminit Ioannes, neq; osculorum, quæ peccatrix impēdit pedibus domini, sicut neq; in duodecimo cap. Peccatrix autem ipsa & lachrymas fudit, & pedes Christi est exolculata: quod non fuerat hic prætermittendum, si de vnctione à peccatrice facta, & Lucæ capite septimo descripta, hic haberetur ab Euangelista sermo. Neq; id haberi debet inconueniens secundum istorum sententiam, quod Io- annes hic breuibus perstringit eam historiam, anteq̄ secundum rei gestæ seriem ipsa sit peracta, quam tamen postea amplius exprimit et memorat. Nam hoc pacto Euangelistæ interdum præoccupant & anticipant rei gestæ tempus: paucisq; vno in loco perstringunt id ipsum, quod postea suo in loco latius aperiunt. Vt Marcus tertio cap. inter cæteros apostolos nominans Iudam Scarioth, continuè subiungit, qui & tradidit illum, cum tamen Iudas tunc necdum tradiderat Iesum: sed quomo- do eum tradiderit, prosequitur ipse Marcus cap. decimoquarto. Idem quoq; facit Lucas cap. sexto de Iuda dicens, qui fuit proditor: nondum enim, cū fieret ipsa apo- stolorum per Christum vocatio, Iudas proditorem conceperat nec perpetrare quinimò vicesimo secundo cap. Lucas eum apertius refert. Idem quoq; facit Mat- thæus capite decimo, dicens de Iuda, quod & Marcus: traditionis autem modum & causam explicat planius capite vicesimo sexto. Præterea quod Lucas octauo ca- pite enarrat de Maria Magdalena, de qua exierant septem dæmonia: & Marcus de eadem capite decimo sexto, quod ab eadem eiecerit dominus septem dæmonia: nequaquā de Maria sorore Marthæ putant intelligi debere, sed de altera eiusdē no- minis muliere, quæ à Galilæa fuit oriunda, & Magdalena cognominata, cū ipsa referatur vnā cum cæteris sanctis mulieribus suis comitibus sequuta fuisse domi- num à Galilæa: quod de Maria sorore Marthæ haudquaquā dici posse arbitrantur, vt quæ fuerit natione & origine Iudæa. Quum autem prædicti duo Euāgelistæ scri- bunt, ab ipsa Maria, quæ Magdalene nomen tulit, esse propulsata Christi misera- tione septem dæmonia, de veris dæmonijs secundum substantiam ibi sermonem haberi sentiunt, quibus illa mulier prius dirè torquebatur, & à quorum vexatio- ne diuina virtute fuit liberata. Nam quoties Euāgelistæ narrantes historiam, de eiectis loquuntur dæmonijs, dicūt illorum verba ad literā intelligi debere de vera, & secundum rem ipsam facta dæmoniorum expulsionem. Beatum autem Gregori- um ponentem nomine septem dæmoniorum, accipi debere septem vitia capitalia, & vniuersam vitiorum congeriem, dicunt qui hanc sequuntur sententiā, sensum allegoricum rectè assignare, non autem literalem intelligentiam & historialē: quæ tamē in expositione historię ad literam primo loco debet exquiri atq; efflagitari.

R.R. iij. Ecce

Ecce duplex assignata est huius loci, & aliorum in Euangelio huic appendentium explanatio, & gemina autorum sententia. Qui primam sequitur, ritum Ecclesie & usum pro se habent militantem, vna cum Gregorij autoritate nequaquam aspernanda, neque parui facienda. Qui vero secundam, a vulgata hominum opinione magis discedunt & discrepant: non tamen irrationabiliter, nec multum difformiter ab Euangelio loqui videntur: nec omnino ceteri debet improbabilis eorum positio. Sed his longius, quam par fuit, immorati, ad propositum regrediamur iter. Mittentes autem sorores ad dominum degentem trans Iordanem, non dixerunt, veni ut languentem sanes. Non hoc certe ausae sunt dicere, sufficiebat illis, si tantum nosceret, quod infirmaretur: sciebant enim, quod non desereret, quem amabat. Ecce, inquit, quem amas, infirmatur, tanquam dicerent: satis est, quod hoc noueris domine, nec opus est, ut ad nos venies, fatigeris. Ibi praecipe, & hic quod iusseris, fiet. Sufficit enim amico, indicare suam aut amici necessitatem, & succurrendi arbitrium omnino illius voluntati permittere. At vero quaret aliquis, quare dominus responderit illam Lazari infirmitatem non esse ad mortem, cum ipse Lazarus haud dubie ex ea sit mortuus: Nouerat hoc quidem dominus, & ut sic fieret, ipse voluerat: sed post mortem eum resuscitare decreuerat. Infirmitas igitur illa ad mortem non est, ut scilicet more aliorum hominum in puluerem putredine magis soluatur, & omnino morte decidat: non enim moritur, ut, sicut ceteri homines mortui, a morte teneatur, sed ut mirabiliter suscitetur iterum ad vitam. Sed ea infirmitas, inquit, est pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam. Ergo filius Dei verè est Deus, sicut & filius hominis verè est homo. Sunt enim in omni producentium genere pater & filius, gignens & genitus, eiusdem consimilisque, secundum substantiam naturae. Hoc contra haereticorum impietatem dictum est, qui dixerunt Christum non esse naturam Deum, sed gloria. Vnde quidam eorum suam euomens blasphemiam, dixit: Non in uideo Christo factio Deo, hoc & ego fieri possum, si volo. Quod sane dictum a veritate prorsus est alienum: nam Christus natura, origine & substantia Deus est, non habitu, gratia aut adoptione: quare non est factus Deus, sed ex Deo patre natus ante omnia secula. Nulli autem creaturæ id concedetur unquam, ut ad creatoris dignitatem, substantiamque sublimetur & conscendat. Porro hæc glorificatio, qua per id resuscitationis post infirmitatem & mortem signum filius Dei glorificatus dicitur, non ipsum auxit, qui summè perfectus est, & proficere amplius non potuit: sed nobis profuit, ut per hoc tantum miraculum plures in eum firmius crederent, & æternam animæ mortem euaderent. Quod denique subiungit Euangelista, dominum dilexisse Martham, Mariam & Lazarum, magnum probitatis, virtutisque ipsorum, & indubitatum est testimonium. Non enim dominus, qui nouit, quid sit in homine, aliquo trahitur errore, ut amet indignos amari, vel mundano vanoque aliquo amore prosequatur. Cum igitur Iesus illos amare dicatur, designatur in ipsis ea fuisse probitas & honestas vitæ, quæ digna fuerit, ut eam dominus amore singulari complecteretur.

Caput XV.

T ergo audiuit Iesus, quia Lazarus infirmabatur: tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde post hæc dicit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit: quia lucem huius mundi videt. Si quis autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Dominus nuntiata infirmitate Lazari, quousque quatrimum post mortem eius compleretur, sanare distulit, ut mirabilius suscitaret. Permisit ut expiraret & sepeliretur, & dicerent quoniam foetet ut nullus posset dicere, quoniam nondum defun-

A defunctum eum suscitauit, sed stupor fuit, & non mors. Deinde hortatur discipulos dominus, ut secum in Iudæam redeant, prædixit quod iturus erat, ne repentino reditu animi eorum consternati fatiscerent, sed præmeditatione & præcogitatione contra ingruentia pericula animosius munirentur. Verum territi sunt discipuli, de reditu in Iudæam dominum loquentem audientes. Nouerant conspirationem immanissimam, qua illum Iudæi persequabantur: ac formidantes, ne bonus magister à Iudæis comprehenderetur, quali consilium ei dare, & de incepto reuocare volebant. Non adhuc perfectè intellexerunt dispensationem nostræ salutis, propter quam dominus venerat. Ad hoc enim Deus hominem induerat, ut pro salute hominum moreretur. Sic & B. Petrus cum audisset dominum de passione loquentem, quasi eum volens ab ea reuocare, dixit illi: Absit à te domine, non erit tibi hoc. Sed dominus acriter illum increpans, respondit: Vade post me Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. Ita hoc loco quum apostoli domino consulere quodammodo vellent, redarguit eos dicens: Nonne duodecim sunt horæ diei? Se perfectò dominus hic diem appellauit, qui est dies ex die, lumen de lumine: quique de se alibi dicit: Ego sum lux mundi, & ut se diem ostenderet, duodecim apostolos elegit, de quibus nunc dicit: nonne duodecim sunt horæ diei: ac si diceret: Vos qui estis horæ diei, quare sic consilium dare vultis? Horæ diem sequuntur, & die moderante peraguntur. Sed fortasse dicit quispiam: Iudas ex duodecim vnus erat, nunquid & ipse hora diei erat, qui ipsum diem tradidit ad mortem? Sed quando hoc dominus dicebat, non ipsum Iudam attendebat, sed Matthiam in locum illius subrogandum. Denique Iuda in locum sibi debitum abeunte, electus est Matthias apostolus: & sic perfectus mansit numerus apostolicus, atque horarum diei duodenarius. Christus ergo verus dies est, & qui in hac die ambulauerit, eius vestigia et præcepta sequens, errare non poterit, quemadmodum superius dixit: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Qui autem sine hac luce est, errare potest, rectè ambulare non potest: nam in nocte errorum & tenebris peccatorum aberrans, grauiter offendit ad lapidem pedem suum, & nescit quæ vadit, quæ veræ lucis expers est.

Caput XVI.

Hæc ait, & post hæc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado, ut a somno excitem eum. Dixerunt ergo ei discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo Iesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam iam non eram ibi. Sed eamus ad eum. Dominus hoc loco aliquantulum discipulorum leuat metum, cum se non in Hierosolymam iturum dicit, ut formidabatur, sed Bethaniam: non ut iterum cum Iudæis disceptet, vnde illi videbatur impendere periculum: sed ut Lazarum amicum suum suscitaret. Mortuus quidem erat Lazarus, sed Christo dormiebat. Nullus quippe tanta facilitate posset aliquem excitare à somno, quanta Christus Lazarum resuscitare valebat à tumulo. Denique & omnes defuncti, si potentiam Dei consideres, à quo in nouissimo die sunt resuscitandi, dormientes possunt vocari, iuxta quod Apostolus dicit ad Thessa. Nolo vos ignorare fratres de dormientibus. Et eodem loco: Nos qui viuimus, qui residui sumus, non præueniemus eos, qui dormierunt. Ut enim somnum consequitur experrectio & euigilatio, ita mortem hanc naturæ iterata in nouissimo die resuscitatio, secundum illud: Multi, qui dormiunt in puluere, euigilabunt. At vero apostoli ad communem, vulgataque dormitionis rationem solum attendentes, respondent: Domine, si dormit, saluus erit. Solet enim somnus in ægrotante viro indicium esse salutis & reparandæ sospitatis. Sed dominus noster eis demum aperte rem ipsam declarat, quod scilicet mortuus esset

Ioannis 2

Matth. 16

Ioannis 8

Actor. 2
Ioannis 8

1. Thef. 4

Daniel. 12

defun-

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

esset Lazarus, & discipulorum fidei congaudet; qui, quia videbant ipsum etiā absentem certò illa cognoscere, quæ procul ab ipsis contigerunt, & humano ingenio nequaq̃ sciri poterant, ex eo Deum ipsum esse certius credebant. Enimvero Lazarus languens, non mortuus fuerat nunciatus. Sed quid latere posset eum, cuius oculis omnia nuda & aperta sunt? Quomodo ignoraret mortem Lazari, qui ipsum Lazarum creauerat? Hinc Ecclesiastico teste, vir improbus rectè reprehenditur, in tenebris scelera sua, ne cognoscantur, intrepidè perpetrans, & apud se dicens: Quis me videt: tenebræ circūdant me, & parietes cooperiūt me, & nemo circumspicit me: quem vereor: delictorum meorum non memorabitur altissimus; & nō intellexit, quoniam omnia videt oculus illius, quando expellit à se timorem Dei huiusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum; & nō cognouit, quoniam oculi domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo, anteq̃ crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia. Gaudebat igitur propter discipulos, qui mirabantur sic eum cuncta nosse: nam per hoc verum Deum certius & manifestius eū esse credebant. Licet enim iam crederent, tamen talis erat illorū fides, quæ adhuc proficeret, quæ miraculis ædificata cresceret. Nempe apud Lucam dixisse legitur domino: Domine auge nobis fidem. Et eis à domino dictum est: Quid timidi estis modicæ fidei?

Caput XVII.

Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo. Venit itaq̃ Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Erat aut̃ Bethania iuxta Hierosolymā, quasi stadijs quindecim. Multi ergo ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt consolaretur eas de fratre suo. Martha ergo vt audiuit quia Iesus venit, occurrit illi. Maria autem domi sedebat. Castigati discipuli superioribus domini verbis, nō ausi sunt vltra cōtradicere. Sed Thomas præ omnibus socios hortatur, vt irent & morerentur cum eo. In quo magna eius, & magnopere prædicanda emicat constantia. Sic enim loquebatur, quasi facere posset, quæ alios hortabatur, immemor suæ fragilitatis, sicut & Petrus. Et planè his verbis verum prodidit amantis affectum. Amabant quippe apostoli mirifice dominū, quia eorum vita ex illius præsentia pendebat: ad eū vt aut̃ eū viuere, aut certè cum eo mori iucundum haberent. Quia, inquit, videmus eū ad inimicos properare & ad mortem, neq̃ eum à tali consilio valemus reuocare, eamus & nos, & cū eo moriamur, ne post eius necem, & deserti, & incōsolati remaneamus. Sed nondum erant discipuli induti virtute ex alto, vt contra mortis atrocitatē pugnare aut dimicare possent. Prius erat superanda mortis violentia à domino autore vitæ, & ex eo deriuanda in homines aduersus minas mortis & terriculamenta, constantia. Sed non satis erant discipuli suæ imbecillitatis conscij, non perspectam adhuc, nec rerum periculo exploratam habuerunt suam infirmitatem: quam prodidit, domino à Iudæis capto, omnium fuga atq̃ dispersio, trina Petri negatio, & ianuarum domus præ timore Iudæorum post resurrectionē domini obseruatio. Verum accepto largius spiritus sancti munere, omnis ista trepidatio mortis ab eis expulsa est, omnis formido subeundi pericula animis exclusa. Cū aut̃ venisset dominus Bethaniā, inuenit Lazarū quatuor dies habentem in monumento. Sic sane ipse voluerat, sic disposuerat, ad hoc antea venire distulerat, vt illud quadriū impleretur, & gloriosius resuscitaretur. Manserat enim dñs duobus diebus, & ante duos dies venerat nunciatus, in quadie Lazarus est defunctus: ipse aut̃ quarta die accessit. Consultò autem ab Euangelista ponitur intervallum Bethaniæ à Hierosolyma fu-

IN EVANG. B. IOAN. LIBER VII. 237.

Ama fuisse stadijs quindecim, id est, ferè duobus miliaribus: vt ex loci propinquitate colligatur ratio, quare Iudæi ex Hierosolymis venerint ad consolationem sororibus super fratris interitu adferendam: quod nec sine diuina factum est dispensatione, vt illi, qui ad consolandum sorores venerant, ea occasione adessent resuscitationi fratris, & testes fierent diuini operis atq̃ miraculi. Sed quò Iudæi consolabantur dilectas à Christo, cum iam statuissent, quòd si quis Christum cōfiteretur, extra synagogam fieret: Sed propter calamitatis necessitatem, aut quasi nobiles has mulieres reuerentes, eas consolabantur, aut quia hi aderant, qui non mali erant: multi enim ex ipsis credebant. Cæterum nondum dominus castellum introierat, vnde adhuc extra castellum posito occurrit Martha. Nō autem adsumit sororem, obuiam Christo vadens, neq̃ etiam pandit primò sorori suæ, volens adstātes hoc latere, quoniam si percepisset Maria Christū accedere, obuiam illi isset, & comitarentur eam præsentem Iudæi, quibus notum esse aduentum Iesu necdum Martha volebat.

Caput XVIII.

Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus nō fuisset mortuus: sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Dicit ei Iesus: Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? At illi: Vtiq̃ domine. Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Credebat quidē Martha in Christum, sed non omnino vt oportebat. Nondum enim cognoscere videbatur, quia Deus erat & ideo dicebat, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus, quasi diffidens, quoniam etiā absens si vellet, posset prohibere mortē fratris sui. In petitione verò sua valde moderatis vtitur verbis, quæ tam acerbè dolet interitum fratris. Non em̃ dixit, rogo te vt suscites eum: sed suum animum temperando, duntaxat proponit, scio quia quæcunq̃ poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Tanq̃ diceret: Certa quidem sum, quia potes, scio potentiam in te esse indeficientē: sed si vis, facis. Non ergo præsumo à te petere vt facias, quia nescio si velis. At cum resurrecturum fratrem illius dominus adsereret, illa respondit se quidem certò credere, quòd resurrecturus sit in cōsummatione seculi: sed aliam à Christo fratris resuscitationē, & præsentaneā quidē, & absq̃ dilatiōe, sese expetere subinsinuat. Dñs quidem in præsentem fratris resurrectionem promittebat: sed Martha de ea resurrectione, qua oēs homines resurrecturi sunt, eum dixisse putabat. Viderat certè ipsa dñm mortuos suscitasse: sed tantum id erat, quantum nec ipsa fides ausa est tentare, aut expressius efflagitare. De illa itaq̃ resurrectione, secura erat: de hac aut̃, incerta manebat. Dñs verò vim suam viuificam & resuscitatiuā enucleatius expromēs, dixit: Ego sum resurrectio & vita: ac si diceret, quare dubitas nunc fratrem posse resurgere, cū ego, qui sum resurrectio & vita, illum resurrecturum promittam: Per quem resurget, quando resurrecturi sunt & cæteri homines, per eū potest & modò resurgere. Ipse ergo est resurrectio & vita: quia per eū etiā resurgimus à peccato, vt viuamus iustitiæ, per eundē etiam resurrecturi sumus in cōsummatione seculi ad vitā immortalem, & perpetuò cum eo victuri. De priori quidem resurrectione antè dictum est: Amen amen dico vobis, venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, et qui audierint, viuēt. De altera verò eodē loco dicitur: Venit hora, in qua oēs, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei: & procedēt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. De vtraque verò eodem loco dicit Euangelista: Sicut pater suscitatur mortuos & viuificat, sic & filius

Eccle. 23

Lucæ 7
Marth. 8

Marth. 26

Ibidem.

Ioannis 20

Ioannis 9

Ioannis 5

Math. 22 filius quos vult, viuificat. Qui ergo credit in me, etiā si mortuus fuerit, viuet, hoc est, si mortuus fuerit in carne, viuet in spiritu: non enim est Deus mortuorum, sed viuentium spiritu, quandoquidem de morte corporis hic loquatur. Quicumq; em̄ in Christum credit, & secundum fidem viuit, etiam si carne moriatur, vniuersale cunctorum hominum debitum persoluendo, viuit tamen in anima, Christo (qui vita est animæ) inhærendo. Et omnis, inquit, qui viuit (subaudiatur in carne) et credit in me, etsi mortuus fuerit ad tempus morte corporis, non morietur in æternū, propter vitam spiritus, & ipsam immortalitatē resurrectionis. Demum Christus confessionem fidei eius requirit, interrogans, credis hoc? Sciebat quidem hoc, quem nil latere potest, quod crederet, sed confessionem, qua saluaretur, quærebat.

Roma. 10 Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Cū ergo Martha credidit eum esse filium Dei, credidit eundem esse vitam & resurrectionem, quodq; omnis, qui in eum crediderit, in æternum non morietur. Nam supra dominus, utrū hoc crederet, interrogauerat. Porro in ipso Marthæ occurſu, & verbis supra dictis, magna animi eius constantia & prudentia nobis insinuat. Viso enim Christo, nō statim in planctus & lamentationes prorupit effusas, vt plerumq; contingere solet, cum mœrore aliquo affecti, vel orbitate percussi, à notis visitantur: vbi enim primum eos conspiciunt, erumpere consueti sunt in vberiores lachrymas: sed continuò ipsa magistrum veneratur & credit, licet nō vsq; ad eò perfectè, vt decuit. Nondum enim norat (vt eius verba monstrant) quod Deus esset, cū dicit: Si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: quasi præsens eū potuisset à morte imminente liberare, absens verò illud præstare non quiuisset: cū tamen diuina virtus nullo circumscribatur loco, nullo limite claudatur, omni efficax, in cuncta etiam corpore distantia, & præsens vniuersis. Persimilis certè fuit fides Reguli, qui à domino petiturus filij sui salutem, rogauit eum vt veniret, accederetq; filium eius, manum illi imponeret & sanaretur. Domine, inquit, descende, antequam moriatur filius meus, & idcirco de imbecillitate fidei à domino redarguit. At multo solidior erat et firmior fides Centurionis, pro puero suo dominum rogantis, cū ait: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Propter eà ab ipso Christo mirificè fides eius est commendata, vt apud Matthæum legimus. Videtur & ipsa Martha ex suis verbis & id ignorasse, quod propria virtute & autoritate Christus miracula facere posset, & quod ad ea facienda diuinam opem more aliorum hominum implorare deberet, quum subiunxit: Sed & nunc scio, quia quæcunq; poposceris à Deo, dabit tibi Deus, ac si de bono quodam ac probato viro loqueretur, atq; suggereret illi, quod quicquid à Deo petiturus esset, faciliè id ipsum impetraret: quasi oratione opus illi foret ad Deum, qua obtineret signorum virtutem ac efficaciam. Dominus autē humanæ fragilitatis conscius, & nostram cognoscens imperfectionem, non redarguit hanc sibi dilectam hospitam de fidei suæ infirmitate: sed sua responsione tollit hanc debilitatem, & consolidat dubiam mentē. Cū enim dicit illi, resurget frater tuus: hoc verbo seuerum ostendit Deum, potestatemq; se habere innuit, non solum fratrem absentem, si voluisset, conseruandi à morte, sed & ipsum iam mortuum ad vitam resuscitandi: quod longè amplius est, & omnem creatam excedit virtutem. Quum verò subiicit: Ego sum resurrectio & vita: secundam ipsius Marthæ confutat opinionem, contestaturq; se propria virtute atq; autoritate, non precario accepta, nec aliunde sumpto præsidio ad restituendam hominibus vitam niti. Et hac manu ductione, corroborationeq; imbecillioris fidei, ex Christi verbis accepta, ipsa in tantum prouecta est fidei profectum, vt demum professa sit & ipsum esse Christum, & Dei filium: quare & verum Deum, qui in hunc mundum venerit ad saluandum genus humanum secundum patris beneplacitum.

Caput XIX.

Et cū

A T cum hæc dixisset, abiit & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. Illa vt audiuit, surrexit cito, & venit ad eum. Nondum enim venerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo, qui erāt cum ea in domo, & consolabantur eam: cum vidissent Mariam, quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam, dicentes: quia vadit ad monumentum vt ploret ibi. Martha ex præsentia Christi, & spe futuri boni, quod illi vsquequaq; denegatum non fuerat, aliqua consolatione accepta, noluit ipsius medici & optimi consolatoris præsentiam sororem suam latere: sed eam huius boni participem efficere studuit, demissaq; voce eam vocauit, vt Iudæi ipsam ignorarent vocatam esse à Christo, & sola soror id sciret. Quia si audissent Iudæi eam vocatam fuisse à Iesu, non ipsam fortè sequerentur, & ita non viderent miraculum. Sed quia putauerunt eam ad sepulchrum fratris ituram, ponè secuti sunt. Proinde igitur illa occultè sororem vocat. Nempe si sciissent Iudæi Christum aduenisse, ex malevolentia recessissent illic, & non fuissent testes miraculi. Silentium autē hic Euangelista suppressam vocem & submissam nuncupauit: nam quomodo omnino siluit, cū dixerit sorori, magister adest & vocat te? Omnibus verò adſidentibus, Maria lugēs & plangens non expectauit ad se venire magistrum, neq; ob adſistentes cunctata est, neq; à luctu graui illic detenta: sed surgens confestim se illi obuiam tulit, cuius tantoper præsentiam expetiuerat, cuius tanto tenebatur amore. Quod aut tunc nondum dominus in castellum venerat, nō abs re Euangelista commemorat: vt significet dominum maturiore gressu aduenisse, & vacantius lentiusq; iuisse, ne videatur iniicere se ipsum miraculo, sed rogari ab alijs. Putantes autem Iudæi, qui ad ipsam consolandam conuenerant, quod ad fratris tumultum properaret lachrymis solatium quæsitura, & suo dolori fletibus satisfactura, secuti sunt eam, diuina id agente prouidentia: vt plures tam præclarum miraculum quatríduani mortui ad vitam reuocati cernerent, & sic in Christum crederent.

Caput XX.



Maria ergo cum venisset vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dixit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni & vide, & lachrymatus est Iesus. Maria hic feruentior sorore sua describitur. Non enim turbam erubuit, nec suspicionem timuit, quam de Christo Iudæi habebant, quum aliqui inimicorum Christi interessent: sed omnia contempsit humana præsentem magistro, & soli se dabat ei, qui ad magistrum spectabat, honori. Maiorem itidem reuerentiam Christo, quàm Martha (quantum litera depromit) exhibuit: nam procidit ad pedes domini: quod soror eius non legitur factitasse. Tamen etiam dimitutam, infirmam, & non omnino plenam visa est fidem habuisse de domino, sicut & soror: cū non solidè crediderit dominum virtute sua diuina præseruare potuisse Lazarum à morte, vbi corpore fuit absens, quàm cū fuisset præsentem. Verba tamen eius magnum exprimunt amoris sui affectum, ac si queratur, dicens: Dum nobiscum præsentem fuisti, non mors, non infirmitas aliqua nobis appropinquare ausa fuit: apud quos vitam hospitari nouerat. At vbi abcessisti, adfuit mors, quæ fratrem nostrū acerbo funere rapuit. Quod si tu adfuisses, amicus tuus Lazarus mori non potuisset. Cæterum Mariæ loquenti nihil Christus loquitur, neq; ea dicit, quæ sorori dixerat (turba enim aderat multa, & nō erat tempus illorum verborū)

SS sed

sed condescendit & humiliatur humanā naturam denudans. Quia enim miraculum magnum erat futurum, & multos per id lucraturus, sua condescensione attrahit testes, & humanam monstrat naturam, infremendo & seipsum turbando. Porro fremitus iste in Christo processit ex eius indignatione contra diabolum, cuius inuidia & suggestione mors intrauerat in orbem terrarum; quē breui erat debellaturus, & aculeum mortis sua morte destructurus. Infremuit igitur, quasi minas Sathanæ & morti intentās, quæ & ipsum Lazarum strauerat. Turbauit autem semetipsum, non infirmitate, sed potestate; quia nullus alius poterat eum cōturbare. Turbatus est, quia ipse voluit infremere, quia voluit. In illius enim potestate erat sic vel sic affici, sicut mortuus est quia voluit, quia mortem ipse ad se venire permisit. Huiusmodi autem innocuis passionibus sponte sua assumptis, vt turbatione, tristitia, patore, horrore, interdum moueri voluit, & humanam in se conditionē, quod suum erat prosequi, quo se ostenderet non solum humanam carnem verē assumpsisse, sed & humanæ naturæ proprietates naturales oēs, ex quibus nō apparens aut phantastica in eo carnis assumptio, sed vera esse prorsus cōprobetur. Deinde inquit, vbi nam positus sit Lazarus, non quia ignoraret locum sepulturæ eius. Qui em absens sciuit mortuum, scit & vbi sit sepultus; neque ignorabat vbi positus esset, quem resuscitare volebat; sed quia non vult ipse se iniicere ad faciendum miraculū, quin potius omnia ab alijs discere, & rogatus facere, atque edoctus de ijs, quæ in absentia sua sunt facta, vt ab omni suspitione eripiat signum. Vt igitur designet ipsum Lazarum sicut se absente mortuum, ita & in terra conditum fuisse, locū sepulturæ eius ab alijs sciscitatur. Demum & lachrymatus est dominus, quia fons pietatis erat sed illæ lachrymæ inexplicabile gaudium erant parituræ. Flebat enim eum dominus pro parte humanitatis, quem resuscitaturus erat per potentiam diuinitatis. Erudit etiam nos dominus suis lachrymis, quoniam modo charos nostros vita defunctos, moderatis & lege rationis temperatis lachrymis flere debeamus. Nam ex toto nec cōpati, nec mœrere, ferinum est & durum; horū verò exuberantia, multibre. Quod & Ecclesiasticus nos admonet, dicens: Supra mortuum plora, defecit enim lux eius. Modicum plora supra mortuum, quoniam requieuit luctus mortui, septem dies. Et idem alio loco: Fili, in mortuū produc lachrymas, et quasi dira passus incipe plorare. Vnde id scriptura diligēter annotatū reliquit, quod postquam Aaron mortuus est in supercilio montis Hor, omnis multitudo populi Israel vidēs occubuisse Aaron, fleuit super eo triginta diebus per cunctas familias suas. Cū etiam mortuus esset Moses in cāpestribus Moab, fleuerunt eum filij Israel triginta diebus. Denique cū vitæ suæ cursum expleuisset Iudith spectatissima vidua, animosa Holofernis obruncatrix, luxit illā omnis populus diebus septem. Verūm debet huiusmodi luctus moderatus esse, & recta rationis lege temperatus, nec vehemēter æquo, ne in nobis argumentum esse videatur infidelitatis aut incredulitatis de immortalitate animæ, aut futura carnis resurrectione. Cū enim graui contabescimus luctu ob ademptum morte nobis amicum, & solis indulgemus lachrymis, indolere videmur aut animam eius simul interiisse cum corpore, nec post dissolutionē carnis manere superstitem, aut ipsam nunquam iterum coniungendā corpori in consummatione seculi: proinde tanquam perpetuam nostri ab amico dissepationem deploramus, quasi eum deinceps nunquam visuri. Sed impiam hanc cogitationem compefcuit B. Paulus, ita ad Theff. scribens: Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Præterea quō sincero animi affectu oramus Deum quotidie: Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra: si tractis ex imo pectore suspirijs & largo lachrymarum flumine deplangimus amicum nobis ereptum: Nōne Deo contradicere quodammodo censebimur, & iniquo ferre animo, quod suæ beneplacitum est voluntati, quasi corde illi oblucentes & aduersi? Quare formidandum omnino, ne diuinam contra nos iram prouocemus, ad eō

Ecclesi 22

Ecclesi 38

Nume. 10

Deute. 34

Iudith 17

1. Theff. 4

Matth. 6

A adeo obnixè id refutantes, quod ipse, qui vitæ & mortis habet imperium, faciendum constituit. Insuper non est viri prudentis & maturi opus, assiduo luctu eum deplorare, qui lachrymis ad vitam reuocari non potest, nec fletibus sepulchro erui; id siquidem vano est labore consumi ad id, quod recuperari non potest, nec emendari. Quod apud se prudenter attendens Dauid, cū rescisset filium suum mortuum, a. Regū 12 pro quo adhuc viuentem, ieiunio & fletu grauius se afflictauerat, deposito luctu iussit cibum sibi apponi, & epulatus est. Admirantibusque rem ipsam seruis suis respondit: Propter infantem dum adhuc viueret, ieiunauit et fleui. Dicebam enim: Quis scit, si forte donet eum mihi dominus, & viuat infans? Nunc autem quia mortuus est, quare ieiuno? Nūquid potero reuocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum, ille verò non reuertetur ad me. Hanc eximij regis Dauid prudentiam nobis imitandam proponere debemus, & luctum ipsum mediocritate definire.

Capitulum XXI.

Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum? Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt hic non moreretur? Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait Iesus: Tollite lapidē. Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quatruiduanus est enim. Dixit ei Iesus: Nōne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem. Consuetudo est hominibus mortuos lugere, quos prius charos habebant & amore coniunctos. Secundum hanc consuetudinem Iudæi dominum flere putabant, dicentes: Ecce quomodo amabat eum? Quum tamen potius humanam dominus miseriam deplorabat, duræ mortis seruituti subiectam: & tristem Lazari desolebat sortem, ad hanc vitam mortalem plenam miseriam & dolorum reuocandi. Alij autē Christo æmuli & inimici, ad detrahendum & obloquendum omnipotentis virtuti ipsius illic conuersi sunt; et ex quibus oportebat admirari eius virtutē, ex his ei obtreçant, scilicet ex illuminatione cæci nati. Adscribunt enim impotentiam Christi, quod Lazarus mortuus fuerit, quasi eum nō valuerit à morte præseruare, cū hoc quidem potuerit dominus: sed permisit vt Lazarus moreretur, quatenus maiore miraculo suscitaretur. Quemadmodum domino in crucem acto blasphemantes dicebant, alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si est filius Dei, nunc descendat de cruce, & credemus in eū. Sanè imbecillitati id adscribebāt, quod seipsum non saluum faceret, aut de cruce non descenderet, cū id ipsum potuisset quidē efficere, qui tertio die deuicta morte rediuius surrexit; sed nostræ redemptioni illud nequaquam expediuisset. Itaque vtrumque horum, & quod Lazarus mori sit passus, & ipse in cruce permanserit, admirandæ eius prouidentiam, & diuinæ dispensationi est attribuendum, qua illud effecit, quod nostræ salutis conducentius erat & utilius. In hoc etiam ostēdunt hi obtrectatores se animi iudicio esse corruptos, quia nondum Christo adueniente ad monumentū præadsumunt accusationes, non expectantes rei finē, qui longē mirabilior est, quam hominis ægroti à morte præseruatio. Maius enim est, mortuum quatruiduanum resuscitare, quam languentem, ne moriatur, conseruare; qui ergo illud potuit, cur hoc non poterit? Fremuit autem rursum Iesus in semetipso, indignationem animæ hoc secūdo fremitu exprimens in Iudæorum malevolentiam et improbitatem, qui nō desistebant assidue calumniari opera eius, & canino ea dente rodere ac mordere. Non tamen credat quisquam, hunc Christi fremitum, aut aliam quāuis passionem in ipso cū animi præcipitatione, aut effreni impetu fuisse, sed cū summa tranquillitate, & placida animi, recta ratione semper directi moderatione fuit enim in eo virium omnium ordinatissima ratio.

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

Neq; sicut in nobis passiones illæ præuenerunt in Christo suo motu rationem, aut eam anticiparunt, sed consequutæ sunt ipsam, & excitatæ à voluntate & ratione. Proinde quando & quomodo voluit, illis affectus est. Sanè studiosè Euangelista frequenter commemorat, quòd infremuit, quòd lachrymatus est; vt planius discas & apertius, quòd verè nostram induit naturam. Quia enim hic magis a ihs Euangelistis magna de eo loquitur, etiã in rebus corporalibus humiliora de eo dicit. Demum vt patientior oculis, & magis conspicua esset resuscitatio mortui, iussit dominus lapidem tolli. Sed quare (dicit quispiam) non lapide iacete resuscitauit eum: nõne poterat, qui corpus mouit mortuũ voce, etiã multo magis lapidem mouere? Non autem hoc fecit, vt eos testes faciat miraculi, vt non dicant, quod in cæco dixerant, non est hic. Manus enim & accessus ad monumentum testabantur, quòd ipse est. A motionem verò lapidis Martha prohibere voluit, dicens: Domine iam lætet, quatruiduanus est enim. Quòd quidem quasi diffidens dicit, veluti impossibile credens posse fratrem resuscitari ob dierum diuturnitatem: aut ipsi domino ex synchero animi affectu timebat, ne amoto lapide, graui cadaueris odore offenderetur: idcirco lapide in suo loco dimisso, fratrem potius suscitari petebat, ne tetro sepulchri odore adstantes læderentur. Sed dominus eam, quasi oblitam eorum, quæ paulò antè ab eo audiuerat, quòd resurrectio sit & vita, in fide corroborat: illa ad memoriam reuocans, & si firma credulitas adsit, eam Dei gloriam insigni huius miraculi nouitate conspecturam promittens.

Caput XXII.

Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis: sed propter populum, qui circumstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, voce magna clamauit: Lazare, veni foras. Oraturus dominus noster eleuauit sursum oculos, quoniam intelligentiam humanam erexit, adducens illam per orationem ad excelsum patrem, & nos quoq; cum orare volumus, mentem ad cœlum erigere debere docens. Necesse est igitur volentè ad exemplar orationis Christi orare, eleuare oculos cordis sursum, ac erigere illos à rerum mundanarum cura, cogitationeq; et volutatione nimia. Et his quidem verbis nihil aliud Christus, q̄ gloriam Dei patris, in hoc, vt in alijs operibus, requirebat. Nam quia per humanitatem minor erat patre, ab illo Lazari querebat resuscitationem, atq; ab eo se exauditum dicebat: & hoc propter circumstantem turbam, vt eum vel sic crederent Dei filium, & ab eo missum. Itaq; in primis gratias agit de præteritis, quòd eum audiuerit pater: erudiens nos & de acceptis à Deo beneficijs enixè gratias agere debere, vt ad maiora postmodum suscipienda beneficia efficia mur idonei. Sed quomodo (dicit quispiam) se semper à patre auditum hic perhibet dominus, qui in horto orauit calicem passionis à se transferri, & tamen non est exauditus: & in Psalmo ad patrem verba faciens dicit: Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: nocte, & non ad insipientiam mihi. Cui reddenda est respõsio in ihs, quæ absoluta voluntate & simplici citra annexam conditionem voluit Christus & petiuit, semper ipsum esse exauditum: quando quidem ea semper diuinæ voluntati fuit concors ac conformis. Ego, inquit, quæ placita sunt ei, facio semper. Et si oculi domini super iustos, et aures eius in preces eorum: quanto magis in preces Christi, qui summa est iustitia: Et de huiusce generis petitiõibus hic verba facit Christus. In ihs verò, quæ non absolutè nec simpliciter, sed annexa tantum conditione Christus orauit, non est semper exauditus: vt cum calicem à se transferri postulauit, annectens: Non tamen sicut ego volo, sed sicut tu vis. Et rursum: Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Siquidem orationem illam in horto effudit Christus, non vt translationem calicis à se fieri impetraret, sed vt se verum esse hominem

Ioannis 9

Marth. 26
Psalm. 21

Ioannis 8
Psalm. 33

Marci 14
Lucæ 22

IN EVANG. B. IOAN. LIBER VII. 242.

Aminem ostenderet, ipsius mortis deprecatione atq; recusatione: vt etiam voluntatem nostram edoceret diuinæ voluntati subiiciendam, atq; in cunctis operibus nostris conformandam. Et de his secundi generis petitionibus intelligitur illud Psalmi verbum, quo Christus se à patre non esse exaudiendum dicit. Veruntamè nulla est loci illius ab hoc, quod nunc proponitur Christi dicto, discrepantia. Deinde quod oratione non indigeat, ipse nobis demonstrat. Ad hoc, inquit, quòd fiat voluntas mea, non egeo oratione, qua tibi quicquam suadeam: vna est enim nostra voluntas, sed orationem tamen nunc effundo ad salutem populi circumstantis, vt ex ea cognoscat me tibi nequaquam esse contrarium aut repugnantem, quemadmodum vulgo dicunt ludæi: sed omnino tibi consentientem, & tuo beneplacito humanæ carnis substantia indutum. Quum itaq; domino non proficeret deprecationis sermo, ad profectum tamen nostræ fidei loquebatur. Non inops ergo auxilijs est, sed nos sumus inopes doctrinæ. Non precibus eguit, sed nobis orauit, ne filius ignoraretur. Alta verò saluatoris vox, quæ Lazarum suscitauit, indicium est magnæ tubæ, quæ personabit in communi resurrectione. Altius etiam clamauit, vt gentilium ora refrenet, fabulantium in tumultis esse animas defunctorum: nam quasi foris manentem, eam aduocat per clamorem. Quum autè clamaturus esset dominus, iam inferi turbabatur, iam sub pedibus domini referatus patuit infernus. Omnes mortui expectabant nomina sua vocari. Vno deniq; nominatim vocato, cæteri intercepti sunt. Ideo Lazari dicit nomen, ne omnes mortui cogentur exire. Demum non dixit dominus, surge tu: sed, veni foras: vt viuenti loquens ei, qui mortuus fuerat, non tanquam mortuum, sed tanquam sanum, tanquam viuum, tanquam audire paratum, de sepulchro vocans: quoniam Christo viuunt omnia. Neque item dixit dominus: In nomine patris mei veni foras: aut resuscita eum pater. Sed hæc omnia dimittens, postquam orantis formam acceperat, per res auctoritatem ostendit: quoniam & hoc sapientiæ suæ est, per verba quidem condescensum onem, per res verò ostendere potestatem.

Caput XXIII.

Istatim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes intistis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire. Multi ergo ex ludæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. Sicut vniuersalis resurrectio mortuorum in ictu oculi complebitur, dicente Apostolo: In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba, sic & hæc resurrectio singularis facta est: nam statim prodijt, & incunctanter, qui fuerat mortuus, absq; tardatione, mora. Exijt autem ligatus, vt non putaretur esse phantasma. Sed & hoc quòd exhibitus, non videbatur minus esse miraculum, quàm eum resuscitare. Iussit autem dominus eum solui, vt videlicet tangentes & ei appropinquantes videant, quia verè est ille. Demum iussit, quòd sinerent eum abire, propter humilitatem: nõ enim dicit eum, neq; iubet secum ambulare, ad sui demonstrationem: exemplum nobis relinquens, quòd ex bonis operibus non debemus nostram gloriam quærere aut ostentationem, sed solum Dei honorem, & cum Propheta orare: Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriã. Deniq; quis fructus ex hoc miraculo pro uenerit, commemorat Euangelista, dicens multos ludæorum, qui tum præsentés erant, hoc viso signo credidisse in Christum. Quo quidem verbo subostendit, & quosdam ibidem adfuisse, qui tanto conspecto miraculo nõ crediderunt propter duritiam cordis eorum. Verùm hæc, quæ literam Euangelij concernunt iam expositam, missa facientes, ad allegoricam sententiam, Lazari mortem, sepulturam & resuscitationem accommodare satagamus. Quantùm enim secundum Euangelistæ historiam resuscitatum Lazarum plena fide teneamus, id tamen in allegoria ali-

Lucæ 10

1. Cor. 15

Psalm. 113

quid aliud significare non est hæsitandum; neq; enim cū res factæ per allegoriã ex-
 ponuntur, gestæ rei fidem amittunt. Itaq; per Lazarum mortuum intelligitur pec-
 cator, per iniquitatem à Deo, qui fons est vitæ, dissolutus. Omnis enim, qui pec-
 cat, moritur, vt dñs per Ezechielem dicit: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.
 Et sapiens: Homo per malitiã occidit animam suã, de quibus quidem mortuis
 loquitur dominus in Euãgelio: Sinite mortuos sepelire mortuos suos. Sepulchro
 verò conditus dicitur peccator, quum ingenti mole & pondere malæ consuetudi-
 nis obrutus est, & faciendo quod malum est, etiã se mala consuetudine implicat: a-
 ded vt ipsa mali cõsuetudo non permittat eum intelligere malum esse, quod facit
 & nonnunq; defendit malum, quod agit, & deniq; irascitur, cū reprehenditur. De
 tali dicit Sapiens: Impius cū in profundum malorum venerit, contēnet. Et Esaias:
 Væ illis, qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucē, &
 lucem tenebras. Rursum de eodē Sapiens: Non amat pestilens eum, qui se corri-
 pit. Peccator verò, qui iam mala peccandi consuetudine & desperatiõẽ sepultus est,
 quatuor habet dies in monumento sui peccati & sepulchro, quo obrutus iacet: ga-
 ad consuetudinẽ peccati, quadruplici quodam progressu peruenitur. Primò enim
 est titillatio in corde & cogitatio annexa delectationi cum mora, & hic primus est
 dies mortis. Secundò consensus est cordis in opus prauum, & hic secundus est
 dies interitus. Tertio factũ & operis prauiperpetratio, & hic tertius est dies sepul-
 turæ. Quarto verò consuetudo est, & ex frequentia mali contracta assuefactio, &
 hic quartus est dies. Nempe quidam cū illicita cogitatione pulsantur, ita eã à cor-
 de repellunt, vt penitus nulla mala delectatione moueantur: & hi nullam inde pec-
 cati contrahunt labem, neq; interitũ animæ sustinent: sed materiam potius exercẽ
 dæ virtutis eam sibi faciunt, atq; tentatione superiores euadunt. Quosdã delectant
 quædã mala cum immoratione, & affixione animi ad ea, sed non adducuntur, vt
 consentiant in opus. Accedit deinde consensus, & sic in opus erumpitur. Iam factũ
 in consuetudinem vertitur, & impletur illud mortis quatríduum, & quasi quædã
 fit desperatio, vt dicatur: iam foetet, quatríduanus enim est. Bene aut̃ de illo, qui pec-
 care consueuerat, dicitur, foetet. Incipit enim habere pessimam famam tanq̃ odorẽ
 terribilissimum, & malitiæ suæ exemplum vt grauissimum halitum transmittit in alios,
 quibus eos inficiat, corrūpat & perdat. Lapis illi superpositus, cū in vitiorũ suorum
 tumulo putidus iacet, obdurationem animi designat ex consuetudine peccandi in-
 ductam, qua Deo & monitis hominũ resistit, ne ex inueterato suo malo resipiscat,
 & redeat ad vitã, de quo dicit Sapiens: Cor durũ malè habebit in die nouissimo. Et
 Psalmus: Hodie si vocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Deinde faci-
 es illius peccatoris mole consuetudinis oppressi, sudario est ligata: quia mens eius
 tenebris est obnubilata & offuscata, ne periculum videat in quo versatur, aut ma-
 lum quo grauatur. Quemadmodum Sapiens de talibus dicit: Excæcauit eos malitia
 eorum. Demum huiusmodi peccator ligatus est in vitis & vinculis, quia consuetu-
 dine peccandi, tanquam grauibus catenis est constrictus, et vsque ad eò irretitus, vt
 non possit quoquo pacto sese explicare. Nempe dicit Sapiens: Funibus peccato-
 rum suorum constringitur peccator. Et Propheta: Funes peccatorum circumple-
 xi sunt me. Hanc sanè catenam abijciendam esse monet Esaias, dicens: Si abstule-
 ris de medio tui catenam, & desieris extendere digitũ, & loqui quod non prodest.
 Ad hunc autem peccatorem suscitandum duæ deuotæ sorores dominum obnixè
 debent precari, id est, Ecclesiæ preces assidue fieri pro conuersione malorum, vt e-
 os dignetur lumine gratiæ suæ illustrare, & dextra virtutis suæ erigere. Præcepit
 enim beatus Iacobus: Orate pro inuicem vt saluemini. Et dominus animarum de-
 uotarum (quæ vt sorores lugent casum obdurati peccatoris) aut Ecclesiæ precibus
 inflexus, visitat eum tandem benignitate suæ misericordiæ, & visitans infremit,
 lachrymatur, & turbat seipsum: quia difficilè resurgit à peccati morte, quem mo-
 les

les prauæ consuetudinis premit. Sciscitatur etiam de illo dominus, vbi posuistis e-
 um: vt ostenderet solum ea se cognoscere, quæ iusta & sancta sunt. Peccatorem ve-
 rò ignorat, quia reprobatur. Vnde Adæ post peccatum dicitur: Vbi es? Et reprobis
 in iudicio dicitur: Nescio vos vnde sitis. Quid est autem dicere, nescio vos, nisi
 vos in luce iustitiæ non agnosco: Ad petitionem deniq; sororum venit Iesus & vi-
 det, id est, miseretur peccatoris. Videre nanq; eius, est misereri. Vnde orat Prophe-
 ta in Psalmo: Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuersa de-
 licta mea. Demum voce magna & alta dominus in huiusmodi peccatoris resuscita-
 tione utitur: ad magnam enim vocem domini surgit mortuus, quando magna Dei
 gratia resipiscit peccator. Prodit de monumento, quando cõfiteretur peccata sua: sed
 tamen adhuc ligatus est, adhuc reus, suis viribus absolui non potest. Præcipit ergo
 dominus discipulis, vt eum absoluant & abire sinant: quia ipsis & reliquis ministris
 Ecclesiæ successoribus eorum data est potestas dimittendi peccata. Ait enim: Que-
 cunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Simul etiam commendata
 est hoc loco vnitas Christi & Ecclesiæ. Quia etenim Christus caput est, & Ecclesia
 corpus eius, Christus suscitatur, discipuli soluunt: vt liquidò monstratur neminem
 sine vnitate fidei catholice posse à peccatorũ morte suscitari. Sed ante prodijt redi-
 uiuus Lazarus ex sepulchro, & deinde vt solueretur à discipulis & sineretur abire,
 à domino iussus est: quia peccatorem etiam consuetudine committendi reatus
 grauatum, prius dominus intrinsecus per seipsum viuificat, postea verò eundem
 per sacerdotum ministerium absoluit. Nullus quippe peccator absoluendus est, an-
 tequam per dignã pœnitentiã correctus, & intrinsecus appareat viuificatus. Viui-
 ficare autem interius peccatorem solius Dei munus est, qui per Prophetam dicit:
 Ego sum, qui deleo iniquitates vestras. Et apud hunc Euangelistam superius legi-
 mus: Sicut pater suscitatur mortuos & viuificat, sic & filius quos vult, viuificat. Amen
 amen dico vobis, quia venit hora et nunc est, quando oēs qui in monumentis sunt,
 audient vocem filij Dei, & qui audierint uiuent: quod de his quoq; qui sepulchris su-
 orum peccatorum quasi mortui premuntur, & ad vitam gratiæ per Christum re-
 uocantur, intelligi potest.

Septimi Libri FINIS

IN EVANGELIUM

IOANNIS LIBER VIII. ADIECTVS

explanationi Cyrilli per Iudocum Clichtou-
 um Neoportuensem, doctorem
 Theologum.

Caput I.



Vidam autem ex ipsis abierunt ad Phariseos, & dixe-
 runt eis, quæ fecit Iesus. Collegerunt ergo pontifices &
 Pharisei concilium & dicebãt: quid facimus? quia hic
 homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, oēs cre-
 dent in eũ, & veniẽt Romani & tollent locũ nostrũ &
 gentem. Continet quid ambiguum sermo præsens, vtrum
 qui iuerunt ad Phariseos, fuerint ex illis multis qui crediderant, proponentes con-
 ciliare Christo hostiliter se habentes ad ipsum, & pio studio Phariseos accesserint:
 vt & ipsi crederẽt: Vel fuerint alij à credentibus, irritare volentes inuidũ Pharisæo-
 rũ zelũ in ip̃m, accesserintq; gratia deferẽdi, vt cõtra Christũ acrius sequirẽt. Et videt
 hoc secundũ magis Euãgelista exprimere velle: multos em̃ dixit fuisse, qui p hoc
 SS iij quod

quod viderant, crediderunt, veluti paucis existentibus alijs, de quibus deinde subdit, quod iuerint ad Phariseos. Itaque per istos qui annunciauerunt Phariseis hoc signum admirandum, significant nonnulli, qui videntes bona seruorum Dei opera, illa odiosus insectantur & diffamare conantur, quae tamen admirari, praedicare & imitari deberent: quod quidem conatu se virtutis hostes & inimicos produunt, quam persequi pro viribus & extinguere student. Caeterum his auditis, Pharisei malitia sua contenebrati, & quod se verterent, nescientes (videbant enim se signorum euidencia & claritudine superari) collegunt concilium: non ut conuerterentur & crederent, sed ut Christum nefanda conspiratione morti addicerent. Ineunt consilium, ut eum perderent, non ut suae salutis consulere. Quid, inquit, faciemus? Miseri non dicebant, credamus: sed velut exacuetes, & ad necem eius sese mutuo adhortantes, dicebant: quid faciemus? quia hic homo multa signa facit, hominem eum adhuc per abiectioem quandam vocant, qui tantam susceperant deitatis eius demonstrationem. Tamen, velint nolint, confitentur, quia ille quem quasi hominem despiciebant, sicut Deus signis & miraculis coruscabat. Sed his verbis latentem occultumque animi sui morbum quo vexabantur, detegebant, liuorem scilicet, & gloriae eius inuidebant. Nempe aegro animo ferebant nomen Christi, & famam indies magis ac magis increbrescere, quam extingui potius, ac deleri voluissent, ut ipsi a populo gloriam & nominis celebritatem amplius assequerentur. Idcirco in primis indignantur, quod tanta faciat signa, per quae splendor nominis eius clarius elucescat. Hoc torquebat inuidum eorum animum, hoc male eos habebat, quod tot fulgeret miraculis, quibus splendor sui nominis magis ac magis hominibus innotuit. Id solum in crimen adducitur, quare captandum sit de morte eius consilium, quia signa multa facit: & si hoc pacto dimittatur liberius agere, quae voluerit, sine cuiusquam obstaculo, & omnes credent in eum. O inuidiam, bonis semper operibus aemulam. O liuorem, nihil si quod rectum & bonum est, obliquo dente rodentem. Inuidens soli, quod in plures suae lucis distribuit radios. Aemulantur hominibus, quod a veri solis luce illustrentur, & ad fidem adducantur. Quare? quia vellunt suam doctrinam, & paternas traditiones ab hominibus potius suscipi, atque in admiratione honoremque haberi. Quicquid igitur Christo credentium accesserit, sibi detractum putant: & tanto eorum gloriam magis labefactari, quanto plures in Christum crediderint. Vides quod id quam maximè timent, ne omnes in Christum credant, ne doctrina eorum neglecta pereat, & ipsi tanquam in honorati deserantur a populo, atque in gloriam degant. Verum ut recta quadam ratione videantur moueri ad obstitendum Christi conatibus, dicunt Christum res nouas moliri velle, rebellioem in Romanos excitare posse, & Iudaeorum regnum sibi vindicare: ob quod, inquit, imminet periculum loco & genti. Nam Romani accepto nuncio & comperta rei fama, quod innouandis rebus ipse studuerit, & Iudaeorum sibi voluerit usurpare imperium, collecto venient exercitu, & tollent locum nostrum & gentem. His profecto incommodis tempestiue aiunt, occurrendum est, his tantis malis mature est obuiandum, dum adhuc res in integro est. Sustollendus est a medio tanti autor incendijs. Hoc quidem dicentes, populum volunt concutere, ut pericula subituro hac occasione ex suspitione tyrannidis, quasi dicant: Si Romani viderint eum turbas ducentem, suspicabuntur nos in tyrannidem velle consurgere, & destruent nostram ciuitatem. Sed fictitia erant & commentitia, quae dicebantur. Quid enim dominus demonstrabat tale, unde huiusmodi de eo posset haberi suspicio: an milites circumferebat, & equitaturas trahebat: nonne deserta persequabatur: Sed ut non putentur ob passionem suam inuidiae & prauum affectum hoc dicere, totam ciuitatem periclitari dicunt. Et non modo ciuitatem Hierusalem, sed & totam Iudaeorum gentem periculo destructionis subiectum iri dicebant. Quid enim aliud sibi his verbis volunt, quam totum populum concitare, tanquam tyrannide periclitaturum: Si viderint, inquit, Romani turbam ipsum sequentem, sub tyrannide proprijsque regis principatu nos esse constitutos arbitrabuntur, & diruent nostram ciuitatem ac populum. Et quae

A Et quamam gratia (dicant quae so) putabant Romani Christum sibi Iudaeorum regnum ac tyrannidem vindicare velle: Nunquid seditionem docebat Christus, aut discessionem a Romanis: Nunquid dissuadebat censum dari Caesari, aut pendere illi tributum: Nonne regem ipsum facere voluistis: & renuit. Nonne humilem & abiectam in paupertate vixit vitam: Nonne & domo & alijs huiusmodi ad vitam necessarijs caruit: Haec ergo sine ratione vlla dicebant, sed inuidia tantum. Erant enim quae faciebat Christus, minimè formidanda, nec vlla tyrannidis suspitionem habentia. Qui enim aegrotos sanabat, qui optimam docebat vitam, qui principibus suis subditos parere iubebat, non confirmabat, sed propulsabat tyrannidem. Illi sane Pharisei & Scribae seditionem docebant, dicentes populum domini non debere persolvere Romano principi: Christus vero contra seditionem damnabat. Quid enim simile subostendebat, unde sumi posset argumentum affectatae ab ipso tyrannidis: Nunquid satellitibus armatis stipabatur: Nunquid se muniebat armis aut propugnaculis: Nunquid solitudines obsidebat, aut denso militum agmine grassabatur in populum: Sed ne affectu aliquo aemulationis haec dicere viderentur pontifices & Pharisei in Christum, totam periclitari ciuitatem, & se Reipublicae consulere, & de vltimo ipsorum periculo habendam rationem dicunt. Non Christi doctrina, conuersatio in terris, miraculorum operatio, & creditum in ipsum multitudo, vobis de Iudaei captiuitatis causa fuit, sed longe alia. Huius namque captiuitatis a Romanis factae, & ante captiuitatis Babylonicae & Antiochenae, quae sub Antiocho facta est, non fuit causa, quod apud vos boni viri diuersabantur, sed quod mali & iniusti, & Deum prouocantes, inter vos habitabant: ob quorum scelera venit super vos Dei indignatio. Verum enim uero inuidia nihil videt, sed caecat animam. Nonne Iesus mansuetudinem docuit: Nonne a lapidibus caecos non vlciscitur: Nonne iniuria affectos tolerare: Nonne ad perferendum quam ad inferendum alius malum nos promptiores esse debere admonuit: haec certe omnia, non constituentis tyrannidem, sed tollentis potius sunt opera atque officia, & ipsam penitus damnantis. Verum vide obsecro, quam inopes sint consilij, & quam imprudenter futura metiantur & prospiciant. Proponunt ipsi, quod si dominus sic dimitteretur, venturi essent Romani, & deleturi locum & gentem. Res autem ipsa contrarium omnino, & oppositum habuit exitum. Nam quia non dimiserunt dominum sic, sed tanquam malefactorem in crucem crudeliter egerunt: venerunt tandem Romani & sustulerunt locum & gentem. Nempe secundo & quadagesimo anno post eius passionem, simulque gloriosam eius ascensionem, venientes Romani sub Tito & Vespasiano principibus, locum simul ac regnum & gentem illis abstulerunt: illosque tristi excidio, ferro, fame & captiuitate deleuerunt. Et qui in Pascha Christum occiderant, in eadem solennitate a hostibus obsidione cincti sunt. Quicquid iniuria filij patrem offenderat, ipsi a patre & filio, Vespasiano & Tito deleti sunt. Sicque rei & miseri ad aeterna supplicia transferunt, iuxta quod dominus alibi de eis dixerat: Ecce relinquetur domus vestra deserta, & filij regni huius eicietur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.

Caput II.

VNus autem ex ipsis, Caiaphas nomine, quum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expediat vobis, ut vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Quum caeteri Pharisei, quid faciendum esset, haesitarent, & suam sententiam in ordine consilij proponerent: Caiaphas caeteris impudentius ac inuerecundius, & cum stomacho clamauit, quasi inscitiam & segnitiam caeteris increpitans, quod non quid facto opus erat, expedite prospicerent, quemadmodum ipse visus est prospexisse. Caeterum suboritur hoc loco quaestio non perfunctorie praetereunda, quomodo hic dicatur pontifex anni illius ipse Caiaphas, cum dominus per legem praec-

Ioannis 6
1. Math. 8

4. Reg. 35
1. Macha. 1

Math. 9

Math. 29

Exodi 28

2. Mach. 4

Lucæ 21

Lucæ 19

præcepisset, ut vnus duntaxat esset summus sacerdos, cui mortuo filius succederet, & loco patris sacerdotium administraret. Sed responsio adhibēda, quod eo tempo-
re lex illa domini non obseruabatur apud eos, abrogata per ambitionē Iudeorum, & auaritiā Romanorum, qui in annos singulos summum sacerdotium tunc pecunia venditabant. Erat itaque illa tempestate pontificatus duntaxat annuus, & transacto anni curriculo vni succedebat alter, qui pontificalem dignitatem sibi pecunia comparasset. Nempe de hoc Caiapha referunt probati historici, quod precio sibi vnus anni sacerdotium redemerit ab Herode. Et hanc morum corrupte-
lam tum Synagogæ irrepsisse, haud difficile est ex Machabæorum historia deprehendere, vbi nonnulli memorantur ad summum sacerdotium data grandi pecunia contendisse. Quum autem refert Euangelista de Caiapha, quod erat pontifex anni illius, magnitudinem impietatis, & grauitatem sceleris eius perspicue demonstrat. Quia enim cæteros dignitate pontificali præstabat & autoritate, debuisset maiori pietate & religione in Deum effulgere, quo ceteris exemplo esset virtutem colēdi, & diuina mandata seruādī. Ipse verò reliquis immanior, præcipitior ad scelus, & ad cædem paratior, alios quasi tardius agētes hortatur ad facinus, dicēs: Vos nescitis quicquam nec cogitatis, quia expedit vnus hominis salutē pro tota Republica negligi, quando quidem bonum priuatum publico est posthabēdum, & commune bonum priuato atq; particulari est præferendum. Id autem praua dixit intentione, volēs inducere totum illum confessum in eam sententiam, quod expediret Reipublicæ Iudæorum Christo necē inferre: qua quidem illata, tota gens à Romanorum timore aut incurfu futura esset libera, quasi si non occideretur ab eis Christus, immineret ipsis Iudæis excidium à Romanis, si verò occideretur, ut præconceperant, & animo secum constituerant, futura esset gens Iudæorum libera ab interitu & exitio, quod à Romanis impendere formidabant. Verum longè secus atq; consultauerant, res euenit. Nam ob mortem Christo à Iudæis illatam, tota Iudæorum natio miserabile passa est exterminium, captiuitatem, interitum & dispersionem. Quam eis prædixerat dominus his verbis: Et cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Et cum super ciuitatem Hierusalem pijs obortis lachrymis fleret, dixit: Quia circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndiq; & ad terram prosternent te, & non relinquent in te lapidem super lapidē, eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Quæ omnia à domino prædicta, ipso rei exitu iam pridem comprobata sunt.

Caput III.

Hoc autem a semetipso non dixit: sed quum esset pontifex anni illius, prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente. Et non tantum pro gente, sed vniuersos filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum. Ab illo ergo die cogitauerunt, ut interficerent eum. In propositione Caiaphæ, superius posita, duplex continetur sensus, vnus ipsius Caiaphæ, qui modo explicatus est, expedire scilicet Christum mori per manus Iudæorum, ne tota ipsorum gens à Romanis pereat. Et hic falsus est, & impius, atq; ex praua Caiaphæ intentione emanans: namq; ab ipso Caiapha, non à spiritu sancto processit, qui non potest ad stipulari mēdacio. Huius autem sententiæ oppositum res ipsa (vt iam dictum est) satis superq; comprobauit. Alter verò erat eiusdem propositionis sensus à spiritu sancto intētus, expedire scilicet vnum Christum mori pro populo totius mundi saluando, ut non tota gens humani generis pereat interitu æternæ mortis. Et hunc neq; intellexit Caiaphas neq; intendit. Suam tamen propositionem ita protulit, ut posset & hunc spiritus sancti sensum aptè atq; accommodatè designare. Et huiusmodi expressio propositionis atq; deprōptio, quæ etiā sententiæ veritatis explicandæ erat adaptata, nō erat ab ipso Caiapha, sed à spiritu sancto, q̄ cor eius con-

tamina-

A taminatum non tetigit (nam prauum omnino erat, neq; spiritus sancti sententiam capiebat) sed lingua eius vsus est ad ea verba proferenda, quæ mortē Christi significarent toti mundo profuturam. Tanta siquidem est spiritus sancti potētia, quod à mala mente verba prophetica, & admiratiōis plena elicere potuerit. Cur autē ipse potius quàm alij prophetauerit, & verba futurorū prænunciā dixerit, assignat Euangelista rationē, quia erat pontifex anni illius. Magna planè est pontificalis potestatis virtus. Quum em̄ pontifex esset, licet indignus, prophetauit, nescius tamen quid diceret, & os tantum gratia spiritus, nō autem scelestum cor attigit. Idcirco non simpliciter, sed quo ad hoc, propheta Caiaphas dici posset, cum in litera prophetaſſe dicitur, id est, verbum protulisse propheticum; quanquam id ipsum verbū in prophætico sensu minimè intellexit. Nō enim ad prophætae rationem id semper exigitur, & necessarium est, ut quæ futura denunciat, intelligat. Habuit enim Daniel cōplures visiones, & propheticas protulit denunciationes, quas primò nō intellexit, sed eorū intelligentiam post eā ab angelo est edoctus, & tamē prophetici nominis rationē simul & denominationē proinde nō deperdidit. Neq; idcirco quis rectè negauerit Caiapham fuisse hic prophetā, quia prauus fuerit & iniquus. Nam & Baal ne pharius erat, & tamē inter prophetas cōnumeratur. Et dominus noster de extremi iudicij die loquens, inquit: Multi dicent mihi in illa die: Domine, nōne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & signa multa fecimus: & tunc cōfitebor illis: quia nescio vos. Discedite à me omnes operarij iniquitatis. Prophetauit autē Caiaphas in prædicta sua propositione, q̄ dominus noster moriturus erat pro gente Iudæorū, & nō solum pro illa, sed pro totius humani generis salute: quatenus illos, qui ante secula prædestinati erant, ut essent filij Dei, in vnū cōgregaret, & ex credētibus Iudæis & gentibus vnū gregē, & vnum ouile perficeret: sicut dominus alibi dicit: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnū ouile & vnus pastor. Non enim tūc erant filij Dei vel oues, sed ipse pro eis patiendo, eosq; precioſo suo sanguine redimendo, ex filijs diaboli fecit filios Dei, & ex nocentibus lupis innocentes oues cōstituit. Quid demum ex huiusmodi praua suggestionē Caiaphæ & maligna adhortatione sit consequutum, aperit Euangelista dicens: Ab illo ergo die cogitauerunt ut interficerēt eum. Non quod & antea iam id non cogitassent, quum superius in eius necem cōspirassent, & eum comprehendere sæpius voluissent legantur. Sed quia nunc firmiter & fixo animo se scelere perficiendæ mortis eius constrinxerunt, & quàm citissimè possent, iniqua sua consilia perpetrare decreuerunt.

Caput III.

Iesus ergo iam non palam ambulabat apud Iudeos, sed abiit in regionē iuxta desertū, in ciuitatē quæ dicitur Effrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. Proximū autem erat Pascha Iudæorū, & ascenderunt multi in Hierosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipſos. Non vtq; ille qui est dominus virtutū, formidare poterat aut trepidare palam inter Iudæos conuersari, nec eū suæ diuinitatis potestas deseruerat, quasi vellet, poterat quidem & nihil malī ab illis pati. Sed recedendo, ac sequitiam inimicorum declinando, nobis exemplum dare dignatus est, ut si tempus persequutiōis ingruerit, non dubitemus refugij latebras quærere, & furorē sceleratorum hominum latendo declinare. Id planè & discipulos admonuerat dicens: Si vos persequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Sanè quod dominus relictis Iudæis abiit in regionē iuxta desertum, significat quod illos qui quondā plebs Dei & populus acquisitionis fuerāt, propter suam perfidiam & incredulitatem esset relicturus, & ad gentes, quæ quondam desertæ fuerant à Deo, per apostolicam prædicationem trāsiturus. Nam & ciuitatis huius vocabulum, in qua cum discipulis dominus com-

Matth. 10

mora-

moratus est, huic rei congruit aptissimè. Effrem nanq; fructificatio interpretatur, nimirū sanctam Ecclesiam prælignans ex gentibus, q̄ quondam sterilis & infœcunda, postquam verbum fidei Christi suscepit, spiritalibus bonorum operū fructibus abundare studuit. Hinc de illa dixit Esaias: Lætare sterilis quæ non paries, erumpet & clama quæ non parturis, quia multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum. Synagoga quidem virum habuit Christum, sed eum repudiavit, atque reiecit cum ignominia. Hinc prius fœcunda, postea omnino sterilis effecta est. Ecclesia verò gentium prius deserta & infœcunda, sed postea Christo inferta, multiplici suorum filiorum fœtu exuberavit, ac longè fœcundior quàm Synagoga effecta est. Et quæ aliquando terra perusta & squalida, nihil virens gignere nouerat, modò arboribus fructiferis ornata, diuersorum fructuum gratiam simul & vsum latè per totum orbem propinat. Nec iam desertum, sed meliori nomine hortus deliciarum & paradysus Dei debet appellari. Redemptor itaq; noster, quia sciebat instare tempus suæ passionis, voluit se à ludæis aliquantisper subtrahere, expectans vt veniente Pascha, quod in proximo futurum erat, se illorum manibus, sicut ante secula prædefiniuerat, comprehendendum traderet & crucifigendum. Ascenderunt autem multi ante Pascha, vt purgarentur, & sanctificarentur ad illud celebrandum. Quoniam quicumque peccauerant inuiti vel spontanei, Pascha non celebrabant, nisi prius expiarentur, vt moris erat, lotionibus, & ieiunijs ac rasura: quinetiam quasdam deputatas oblationes offerrent secundum legis constitutionem. Et de regione quidem, in qua dominus erat, ascenderunt Hierosolymam multi: quoniam mandatum erat in lege ludæis, vt die festo, quo Pascha erat, omnes vndiq; conuenirent, & illius diei celebratione sanctificarentur, quamuis extra Hierusalem habitarent. Siquidem in Exodo præcepisse legitur dominus populo Israel: Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram domino Deo tuo, in tribus videlicet præcipuis festis, Pascha, Pentecoste, & festo tabernaculorum, quæ in eodem loco paulo antè sic explicat: Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabit. Solennitatem quoque azymorum custodies, & solennitatem mensis primitiuorum operis tui, quæcunque seminaueris in agro: solennitatem quoque in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro. At verò, quòd ad celebrandum ritè festum Paschæ debebant illud celebrari antè sanctificari, vt hic innuit litera Evangelica, constat ex eo, quod scribitur in secundo Paralippomenon sub Ezechia rege Iuda esse factum. Quoniam enim sacerdotes sanctificati non fuerant tempore opportuno, nec populus ipse congregatus in Hierusalem, nec legitimè fuit sanctificatus, vt faceret phase domino in mense primo, secundum primariam legis constitutionem, consilio regis & principum eius decretum fuit, vt celebraretur Pascha in mense secundo, differreturq; in alterum mensem. Interea & sacerdotes ipsi sanctificarentur ad explendum illius festi ministerium, & populus ipse debito sanctificationis ritu prepararetur ad ipsius celebrationem. Rursum, vt eodem in loco narrat scriptura, magna pars populi de Effraim & Manasse, & Isachar & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit phase, non iuxta præscriptum & determinatum à lege ritum: & orauit pro eis Ezechias dicens: Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt dominum Deum patrum suorum, & non imputabit eis, quòd minus sanctificati sunt. Quem exaudiuit dominus, & placatus est populo. Ex his manifestè liquet, aliquam sanctificationis rationem ac formam debuisse etiam in populo præcedere celebrationem Paschæ, secundum Mosaicæ legis sanctionem, vt hic innuit litera.

Caput V.

Quæ

A Værebant ergo Iesum, & colloquebantur adinuicem in templo adstantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum istum? Dederant autem pontifices & Pharisei mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendat eum. Abominabilis & Deo ingrata est ista sanctificatio Iudæorum, Scribarum & Phariseorum, cum iniqua voluntate, cum cruenta mente, cum sanguinolentis manibus. Quærebant siquidem eum non vt discerent, sed vt comprehenderent. In Pascha ei insidias tendebant, & solennitatis diem in eadem conuertebant. O impietatem, quum magis virtuti est incumbendum, magis à sceleribus abstinendum, tunc innocentè capere conantur. Sed pro dolor, quàm plurimi inter Christianos hanc Iudæorum amentiam & improbitatem imitantur, q̄ diebus festis aut ludis illiberalibus, crapule, choreis, aut alijs mundi vanitatibus dediti, quum Deo obsequium diligentius exhibere, quum templa Dei frequentare, orationibus insistere, atq; Ecclesiastico interesse officio deberent, tunc maximè Deum suis dissolutissimis moribus irritant. Idne est o Christiani, celebrare diem festum, indulgere ventri, & inconcessis voluptatibus habenas laxare: Si prohibetur die festo opus, quod manu exerceatur ad vitæ necessitatem, vt integrius diuinis rebus vacare possitis: nonne potiori iure prohibita sunt ea, quæ non nisi cum peccato committi possunt, & graui offensione Dei? Diebus ad exercenda opera seruilia concessis, vnusquisq; suo intentus est operi, & abstinet à crapula, ludis & vanitatibus. Diebus autem festis passim curritur ad cauponam, ad ludos, spectacula & choreas, in irrisionem diuini nominis, & diei præuaricationem: quum tamè eo grauius sit peccatum, quo sanctiori tempore committatur. Respiscat igitur, & id zizaniam, quod inimicus homo superfeminauit in agro domini, prorsus extirpare, & à se euellere laborent. Postremum Pharisei relinquentes mandatum Dei, quod prohibet innocenti calumniam inferri aut iniuriam, tradunt mandatum istud humanum, vt quisquis sciuerit vbi latitet dominus, indicet vt comprehendatur. In quo quidem mandato & maximè iniusti apparent & ridiculi: nempe toties tentauerant iniicere in eum præsentem manus, & diuina virtute cohibiti, frustra id conati sunt. Tam frequenti igitur experimento & periculo rerum edocti, cognoscere debuerunt, ipsum inuitum nequaquam ab eis comprehendì posse. Cur igitur nunc mandatum dant in absentem, vt significetur eis locus in quo degit & comprehendatur: Verum menses agitata furore patrandi sceleris, nunquam quiescit, donec illud opere expleuerit: licet quippiam sæpius tentauerit frustra, idem tamen iterum atque iterum aggredi annitur, vt præceps ruat in facinus, quod apud se perficere constituit.

Caput VI.

Iesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cenam ibi, & Martha ministrabat. Lazarus vero vnus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit librā vnguenti nardi pistici preciosi, et vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis: & domus impleta est ex odore vnguenti. Appropinquante tempore, in quo dominus pati disposuit, appropinquauit ipse loco, in quo eiusdem passionis dispensationem perficere voluit. Venit enim prius in Bethaniam, deinde Hierosolymam. In Hierosolymam quidem, vt ibi pateretur, quemadmodum discipulis sæpius illum suæ passionis locum prædixerat. In Bethaniam verò, vt resuscitatio Lazari memoriæ omnium arctius imprimetur. Porro decima die mensis primi, agnum Iudæi capiunt immolandum in festo Paschæ: ex eo enim tempore, celebritatis Paschalis prælibant solennia.

TT Quapro-

Esaiæ 54

1. Paral. 30

Exodi 13

1. Paral. 30

Contra indulgentes voluptatibus diebus festis.

Exodi 20

Matth. 13

Caput Ioanis XII.

Matth. 10

Exodi 12

Quapropter in die præcedente, quæ est nona mensis primi, & præcedit sextum diem ante Pascha, epulantur splendide, & exordium festi hanc diem constituent: quo fit, ut Iesus quoque pergens Bethaniam conuiuaretur. Per hoc autem quod dixit Martham ministrasse, insinuat quod in illius domo erat conuiuium. Sed attendenda est mulieris fidelitas, & magna ad domino inseruiendum promptitudo: non enim famulabus imponit ociosa ministerium, sed ipsamet suscepit. Insuper innuere volens Euangelista veræ resurrectionis Lazari signum, dicit, quod ipse vnus erat ex discumbentibus. Viuebat Lazarus, loquebatur, epulabatur, veritas ostēdebat, infidelitas Iudæorum confundebatur, neque credi phantasma eius resuscitatio potuit, qui verè viuētis officia, manducando, bibendo & loquendo deinceps exhibuit. Demum Maria non exercuit communem famulatum, sed ad solum dominum constituit honorem, ad quem non ut ad hominem accedit, sed ut ad Deum. Ipsius pedes vnxit vnguento precioso, extersit capillis, & domum suauissimo vnguenti odore compleuit. Quod autem pisticum Euangelista vocat vnguentum, locum aliquem credere debemus, vnde sumptum erat hoc vnguentum preciosum vel pisticum dictum est, id est, syncerum & fidele, nec extraneis speciebus adulteratum. Quum enim pistis apud Græcos fidem designet, rectè pisticum vocatur, quod syncerum est, & rebus alterius generis minimè permixtum aut confusum. Quod autem Matthæus & Marcus in hac cæna in Bethania caput domini vnguento illo perfusum dicunt, Ioannes autem hoc loco pedes, non solum caput, sed & pedes domini accipiamus perfudisse mulierem, quorum hoc Ioannes, illud verò cæteri Euangelistæ commemorant, nullus tamen eorum à veritate discedit. Nonnulli tamen auctores antiqui & eruditione præclari putarunt, scriptoribus reliquerunt, alteram esse mulierem, de qua Ioannes hic meminit, & alteram, de qua Matthæus & Marcus perhibent, quod super caput domini effuderit vnguentum. Verum non videntur illi satis attendisse eadē hic & ibi ipsius vnctionis circumstantias, ex quibus haud magno negotio deprehenditur eadem esse mulier vngens, & eadē itidē vnctio. Nam quæ hic à Ioanne describitur facta vnctio, in Bethania est exhibita domino, & paucis ante passionem eius tēpore: similiter & illa, quæ à Matthæo & Marco memoratur vnctio, eodem loco & tempore legitur Christo impensa. Rursum, sicut apud Ioannem Iudas dicitur obmurmurasse propter effusionē illam vnguenti, ita apud Matthæum & Marcum discipuli scribuntur ægro animo vnctionem ipsam tulisse, & consimilibus ferè verbis ipsam reprehendisse. Demum sicut hic apud Ioannē dominus cōmendauit ipsius mulieris vngentis opus, & obortā murmurationē cōpescuit, haud dissimiliter apud Matthæum & Marcū cōmendatur à domino officiosa ipsius mulieris inunctio, & discipulorum murmur ipsidē ferè verbis reprimitur. Neque illud obstat rei propositæ, quod apud Ioannē mulier vngens nuncupatur Maria soror Lazari, apud Matthæum verò & Marcū cōmuni mulieris nomine ipsa signatur. Nam potest eadē prorsus mulier apud diuersos Euangelistas diuerso quidē modo exprimi, apud hunc scilicet nomine proprio, apud alios autē cōmuni duntaxat appellatione. Siquidē Mariæ sorori Marthæ mulieris appellationē conuenire negauerit nemo, eamque generali illo sexum exprimente vocabulo contineri. Neque itidē defuerunt scriptores, qui hanc vnctionē pedū domini à Ioanne hic recitatam, putant eandem esse cum illa, quam Lucas cap. septimo describit. Sed & hi non satis pensiculatè attenderunt diuersas huius & illius vnctionis circumstantias atque conditiones, ex quibus colligitur latū ambarum discrimen atque discerniculum. Siquidē quæ apud Lucam describitur vnctio, facta fuisse memoratur in medio prædicationis dominicæ tēpore, & ferè biennio ante domini passionem. Quæ verò hic apud Ioannē, paucis ante diebus facta est, quæ Christus pateretur: rursum apud Lucā facta vnctio, in Galilæa (vt ex Euangelio haud difficilè colligitur) est exhibita Christo, & in domo Simonis Pharisæi. Quæ verò à Ioanne narratur in præsentia

Matth. 26
Marci 14

Lucæ 7

præsentia loco, in Bethania castello Iudææ fuit peracta, & in domo Simonis leprosi, quæ admodum testantur Matthæus & Marcus. Ad hæc, apud Lucā vnctrix pedum domini primū lachrymis eos irrigauit, deinde extersit, & demū inunxit. Apud Ioannem verò in præsentia loco nulla fit lachrymarum mentio, neque irrigationis pedum Christi, quæ fletibus peracta fuerit, aut extersionis post lachrymas sacris domini pedibus superfusas, sed sola refertur vnctio pedum, & eorum post vnctionē facta capillis extersio. Demum in vnctione, quam narrat Lucas, solus Pharisæus apud se murmurauit, cui Christus proposito de duobus debitoribus paradigmatè respondit, & obsequium mulieris sibi impensum commendauit. In ea verò vnctio ne pedū domini, quam hic Ioannes describit, Iudas præsertim indignatus fuisse dicitur, & effusionem illam vnguenti tanquam superfluā, & ad luxum factā redarguisse. Cui dominus respondens, non defuturos pauperes ipsi, qui benefici in eos esse vellent, dixit: & facti illius memoriam perpetuò celebrandā in ipsius mulieris, quæ vnctionem illam fecerat, gloriā prænuñciauit. Postremū, ei quæ apud Lucam inunxit pedes domini, multa scribuntur dimissa fuisse peccata, quoniam dilexit multum: & fides eius eam fecisse saluam prædicatur, iustiaque est abire in pace. Apud Ioannem verò in præsentia loco nulla de peccatis ipsius mulieris, quæ vnctionē impendit domino, habetur mentio, neque de salute per fidē eius parta, neque de abitione in pace, sed neque apud Matthæum & Marcum eandem describentes vnctionem, quam hic Ioannes. Est igitur longè diuersa vnctio, quæ apud Lucā legitur, & quæ hic apud Ioannem.

Lucæ 7

Capitulum VII.

Dixit ergo vnus ex discipulis eius, Iudas Iscariotis, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non venditur trecentis denarijs, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & oculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. Dixit ergo Iesus: Sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Ad Apostoli verba reuocandus est animus noster, qui dicit: Alijs surmus odor vitæ ad vitā, alijs odor mortis ad mortē, & audiemus de vnguento isto, quomodo erat alijs odor bonus in vitam, vt Mariæ; alijs odor malus in mortem, vt pote Iudæ, qui officium domino præstitum sub pietatis obrētū reprehendit, & terribilissimum avaritiæ suæ crimen prætexit officio in pauperes exhibendo. Cæterum quod alij Euangelistæ dicunt discipulos murmurasse de vnguenti precioso effusione, Ioannes autem solum Iudam cōmemorat, putandum est discipulorum nomine Iudam significatum, plurali numero pro singulari vsurpato, quod in scriptura sæpenumero vsu venit. Possunt etiam intelligi alij discipuli aut sensisse hoc, aut dixisse, aut ipsis illud Iuda dicente siue suggerente persuasum esse, atque omnium voluntatem Matthæum & Marcum verbis etiam expressisse, sed Iudas propterea dixit, quia fur erat, & cupiditatis suæ stimulis exagitatus, cæteri verò propter pauperum curam simplici animo, & nihil mali suis verbis obuelante. Ioannes autem de solo illo id commemorare voluit, cuius ex hac occasione furandi consuetudinē credidit intimandam. Quum enim ei creditum esset ministerium ea seruadi, quæ pro Christi & apostolorum sustentatione erant erogata, ipse cæca ductus cupiditate, illorum aliquid furtim subtrahebat, & sibi reponebat, in proprium accommodans vsu ea, quæ in communē fuerant contributa. Non itaque tunc primum perijt Iudas, quando accepit à Iudæis pecuniam vt dominum traderet. Iam antea fur erat, dominum perditus sequebatur, non corde, sed corpore. Ex hac vnguenti effusione occasionem præcipuam videtur sumpsisse dominum Iudæis tradendi, vt pecuni-

2. Corin. 2

Matth. 26

am, quam existimabat se perdidisse, recuperaret. Nempe si illa pecunia fuisset ei comissa, ut pauperibus erogaretur, aliquam illius partem, ut ex more habuit, sibi subduxisset atque seposuisset. At qui quia in unguenti comparatione tota fuit exposita, se totum illud perdidisse arbitratus est, quod propter unguentum comparatum sibi vindicare non potuit, hinc anhelus & æstuans versabat animo, quoniam pacto damnatum illud acceptum posset recuperare, & quam se perdidisse existimabat pecuniam, quovis medio recipere. Talia animo volenti, mali consilij seminator, & malitiae omnis suggestor misit in cor, ut traderet dominum, & amissam hoc pacto pecuniam reciperet. Obsequutus est ille prava suadenti, & tandem seipsum cum pecunia perdidit. Hinc nos ipsi edocti nunquam bonis aliorum operibus obloqui aut detrahere debemus, siue sinistra quadam interpretatione indignari, quin potius admirari ea & laudare, atque imitari pro viribus anniti. Non enim ostendit sese ille virtutis amator, qui virtutis opus in altero reprehendit. Audiamus potius Sapientem dicentem: Noli prohibere benefacere eum qui potest, si vales & ipse benefac. Ceterum dominus noster, ut omnium corda cognoscens, & ad quod vitium quisque propensior esset, non ignorans, mira condescensione usus est, quum Iudaei pecuniarum cupido loculorum commendavit curam, quod ægritudinē eius hoc remedio curaret. Ideo enim ei furi existenti loculos commisit pauperum, ut omnē ei absunderet furandi occasionem. Non enim habuit Iudas dicere, quoniam propter pecuniarum desiderium hoc fecit: etenim sufficientem habebat ex loculo concupiscentiae mitigationem. Quidam verò administrationē pecuniae suscepisse Iudam arbitrantur, tanquam minimum omnium. Nam pecuniae dispensatio, doctrinae communicatione inferior est, quæ admodum dicunt apostoli in Actis: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. At verò Christus multa condescensione ad Iudam utens, non increpavit eum nummos surripientem, sed communem omnibus intulit redargutionem, ut quum sermo plurali ratione ad totam dirigatur multitudinem, minus erubescat ille, cuius causa sit reprehensio, & minus indignetur quod non sit singulari nota redargutionis perstrictus. Quum verò dominus noster dicit: Sinite illam, ut in diem sepulturae meae seruet illud: significat se haud multo post moriturum, & ad sepeliendum aromatibus esse unguendum. Ideo Mariae, cui ad unctioem mortui corporis multum desideranti peruenire non liceret, donatum sit viventi adhuc impendere obsequium, quod post mortem celeri resurrectione praeventa nequiret. Denique quum de se dixit, me autem non semper habebitis, loquebatur dominus de praesentia corporis sui. Nam secundum maiestatem suam, secundum providentiam, secundum ineffabilem et inuisibilem divinitatis gratiam, impletur quod ab eo dictum est: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

Caput VIII.



Ognouit ergo turba multa ex Iudaeis, quia illic est, & venerunt, non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum viderent quem suscitavit a mortuis. Cogitauerunt autem principes sacerdotum, ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudaeis & credebant in Iesum. Dicitur est in Psalmo: Valles abundabunt frumento, id est, simplices & humiles, fructum fidei & bonorum operum ubertim proferent. A montibus autem & collibus defluentem videmus imbrē, neque in illis fruges aut segetes crescere conspiciuntur, quia animo tumidi, & sui opinione inflati, neque divinae gratiae pluviam percipiunt, neque fecunditatem adferunt bonae operationis. Id sane praesenti loco nobis declaratur: quoniam Iudaeorum turba, quae suis maioribus subdita erat, bene de domino sensit: principes verò agitantur in sania. Excitatio

Psal. 46

uitate miraculi turba venit Bethaniam, & ut Iesum tanti signi auctorem videat, & Lazarum etiam resuscitatum cernat, ut quum oculus etiam testis fuerit eorum quae auditu perceperunt, firmiores in eis radices fides agat, & indubitator fiat. Principes autem suis sceleribus in Christum non contenti, & iam Lazarum interimere cogitabant. Sed quid Lazarum possent accusare, ut de eius cogitatione interitus? Nunquid beneficium accipere, crimini dandum est? Considera quae so, quantum studebant caedi & occisioni. Porro multa signa fecerat Iesus, sed nullum ita eos efferauit, non paralyticus, non caecus curati. Hoc enim natura admirabilius erat, & post multa factum & mirandum erat, mortuum quatrduanum ambulante & loquente videri. Idcirco quam plurimi, etiam omisso festo, Bethaniam ad ipsum visendum concurrebant. Hoc eos angebat quod Lazari occasione multi Iudaeorum discedebant ab eorum secta & traditionibus, & credebant in Christum. Inuidebant enim gloriae Christi, & non medio cri dolore torquebantur, quod populus in eum credebatur. Itaque succidere volentes, & sustollere materiam illam credendi in Christum, cogitarunt interficere & Lazarum: ut eo interempto, non amplius ipsius occasione populus ad Christum conuertere-tur. O inuidiam omni fera crudeliorē, & exitium omnibus intentantem: quem auctorem vitae reduxit ad vitam, ipsi liuore stimulati perdere volunt: charitas enim viuificat, & beneficia largitur: at liuor edax perniciem infert & mortem suam: tabe veneni omnia commaculat & enecat. Nonne illa nefarium Cain concitauit in caedem innocenti fratris Abel: cuius cruore imbuta terra, a domino maledicta perhibetur. Sed quod eum in tam crudele impulit parricidium, ut innoxium & iustum fratrem tam diro facto sustolleret? Sola inuidia excrucians ipsius animam, quod munera fratris, suis oblationibus erant domino acceptiora. Eadem quoque fera pessima exasperauit fratres Ioseph in ipsius interitum, grauiter ob id indignatos, quod a patre plus caeteris amaret, & quod somniorum enarratione praesagire videretur suum super eos principatum. Venite, inquit, occidamus eum, & videamus quid profint ei somnia. O Ieone suo & Hyrcana tigre crudelior inuidia. Non eos mouit reuerentia patris, non germanitas sanguinis, non denique forma & gratia optimi adolescentis, quin in eius conspirarent mortem, & consilium de inferenda illi nece captarent. Adde quod eadem truculenta bellua perpulit Iob principem militiae Dauid in subdola fraudulentaque caedem Amasa, quae praefecerat etiam rex ipse suae militiae, quod inuideret illum sibi designatum collegam in eodem magistratu, timeretque ne tandem sibi praeretur Amasa, & solus militiae regiae praeficeretur. Demum eadem infernis paludibus egressa furia animauit Iudaeorum pontifices, Scribas & Phariseos in mortem Christi, qui secundum oracula prophetarum ad ipsos saluandos venerat, & plurimis, iisdemque maximis eos beneficijs cumulauerat. Quorum omnium immemores & ingratiissimi, in crucem egerunt saluatorem mundi. Neque id subtrixit Euangelista, dicens de Pilato: Sciebat enim, quod per inuidiam tradidissent eum. Sed quid multis moror? eadem immanis fera totum perdidit genus humanum, quum inuidia stimulus daemon primos parentes callida suggestionem subuertit, atque ad diuini mandati praeruaricationem inductos, immorales gloria solidauit. Inuidia (inquit scriptura) diaboli, mors intrauit in orbem terrarum.

Genesis 4

Genesis 37

2. Reg. 20

Matth. 27

Genesis 3

Caput IX.



In crastinum autem turba multa, quae conuenerant ad diem festum, quum audissent quia venit Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine domini rex Israel. Praeceptum legis erat, ut decima luna primi mensis agnus siue haedus in domo occluderetur usque ad lunam decimam quartam eiusdem mensis, quando ad vesperum immolabatur. Unde & verus agnus ex omni grege sine macula electus pro populi sanctificatione immolan-

Exodi 12

Apoca. 7
Ioannis 5
Psalms 2
 dus, ante quinque dies, id est, decima luna Hierosolymam ascendit. Et appropin-
 quante hora passionis appropinquare voluit & loco passionis: vt etiam per hoc cla-
 resceret, quia non inuitus, sed sponte pro humani generis salute mortem patere-
 tur. Ante quinque dies Paschæ (vt ex hoc loco constat) Hierosolymam venire vo-
 luit, vt etiam per hoc ostenderet se esse agnum immaculatum, qui peccata tolleret
 mundi, & agni illius typici, qui in lege immolabatur, exemplar & veritatem: quan-
 tus autem fructus apparuerit doctrinæ eius atque signorum, & quantus grex o-
 uium ex ijs quæ perierant domus Israel, vocem pastoris audierat, intendendum est
 ex eo, quod dicitur: quod in crastinum prædictæ cœnæ turba multa domino Hie-
 rosolymam venienti perquam honorificè processit obuiam cum ramis palma-
 rum. Rami palmarum laudes sunt significantes victoriam, qua erat dominus mor-
 tem moriendo superaturus, & trophæo crucis de diabolo mortis principe trium-
 phaturus. Solent enim victores palma victrice coronari. Et in Apocalypsi, beati illi
 & sancti ciues supernæ Hierusalem, qui hoc in mundo legitime certauerunt con-
 tra multiformes hostes, palmas manibus tenere describuntur. Insuper spiritu san-
 cto agitata turbæ mens laudes Christo debitas concinebat, dicens: Hosanna, bene-
 dictus qui venit in nomine domini, rex Israel. Hosanna vox est obsecrantis, magis
 affectum animi indicans, quàm rem aliquam significans, sicut in lingua Latina con-
 similes dictiones, quas interiectiones vocant. Aut vt alij sentiunt, vocabulum est cõ-
 positum ex integro & corrupto. Hosi enim salua significat; anna, obsecrantis est
 interiectio. Hosi ergo corruptum est, quia abiicit postremam in compositione lite-
 ram: anna verò integrum, & significat Hosanna tantundem, atque salua obsecro.
 Protestatur item turba eum venire in nomine domini, id est, Dei patris, à quo in
 hunc mundum missus est, quemadmodum alio loco dicit: Ego veni in nomine pa-
 tris mei, & non recepistis me. Et id quidè maximè animos turbæ erigit, quod non
 venit Deo contrarius aut repugnans, sed secundum beneplacitum voluntatis eius,
 & promissionem à Deo factam hominibus per prophetas. Demum regem Israel
 eundem appellant, non quidem ad exigendum tributum, vel ferro exercitum ar-
 mandum humano more: sed quia mentes hominum suis legibus & optimis insti-
 tutis regat, & in regnum cœlorum perducatur, quèadmodum ipse de se dicit in Psa-
 lmo: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, præ-
 dicans præceptum eius.

Caput X.

Ioannis 8
Ioannis 8
Ioannis 8
Ioannis 8
Ioannis 8
Ioannis 8
Inuenit Iesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est: No-
 li timere filia Sion, ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ.
 Hæc non cognouerunt discipuli eius primum, sed quando glo-
 rificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, & hæc
 fecerunt ei. In asino venire, & à turbis rex appellari & laudari voluit dominus: vt
 etiam per hoc eruditus quisq; cognosceret ipsum esse Christum, quem sic ventu-
 rum prophetia olim præmissa signauerat. Sed & magnæ suæ mansuetudinis atq;
 humilitatis hac aduentus sui in Hierosolymam specie nobis demonstrat exemplum.
 Non em̄ sedet in curru aureo, preciosa purpura fulgens, neq; ascēdit super equum
 feruidū, amatorē discordiæ & litis, qui iactantia gloriæ pectus habet repletū, qui
 de longinquo odoratur bellū, & gaudet ad vocē tubæ, & cum viderit sanguineā pu-
 gnā, dicit in corde suo, benè factū, sed sedet super asellum, tranquillitatis & pacis a-
 micū, oneris patientissimum & laboris. Designat autē pullus asinæ populum gen-
 tium, nullo prius onere legis pressum, sed sine freno & habenis, quocūque ferebat
 animus, sese agentē. Super hunc dominus sedit, quoniā gentilē populū sibi subie-
 ctum per apostolorum prædicationem reddidit, suisq; mandatis obtemperantem.
 Et rectè

Marci 11
Lucæ 19
Matth. 21
Zachar. 9
Ioannis 8
 Et rectè alij Euangelistæ de hoc pullo asinæ dicunt, quod super eum nemo adhuc
 hominum federat: quoniam gentiles legem domini non acceperant, nec propheta-
 rum oracula, quibus ad submittendum colla sua iugo dominico inducerentur. Me-
 minit autē & Matthæus asinam simul cum asello esse adductā domino, per quam
 intelligendus est Iudæorū populus, non indomitus vt gentilis, sed iugo legis iam-
 pridem assuetus, & oneri legalium cæremoniarum mancipatus. Super hanc quo-
 que dominus Hierosolymam veniens sedisse scribitur: quoniam & ex Iudæis cõ-
 plures collegit sua prædicatione, & miraculorum ostensione, qui in ipsum credi-
 derunt, et frenum disciplinæ eius, habenasq; mandatorum susceperunt, vt Christi
 tanquam insidentem cordibus suis piè & sedulo gestauerint. At non curauit Io-
 annes hoc loco ipsius asinæ mentionem facere, neq; narrationem texere, quomo-
 do duorum discipulorum ministerio asina cum suo pullo fuerit Christo adducta:
 quoniam cū omnium postremus suum scripserit Euangelium, cognouit utiq; illa
 ab alijs Euangelistis diffusius esse narrata, nec opus esse, quod iterum à se cõscribe-
 rentur. Adhibetur autē huic factò dictum propheticum atq; testimonium, vt liqui-
 dè constet, quoniam maligni principes Iudæorum eum non intelligebant, in quo
 implebantur, quæ legebant. Nempe in populo Iudæorum erat filia Sion, ipsa est
 Hierusalem, quæ est Sion, cui dicitur: Noli timere, illum agnosce, qui à te expecta-
 tus est, qui nunc à te laudatur: ecce iam venit insidens pullo asinæ, vt ex habitu ve-
 nientis cognoscas eum esse, qui consummatio legis & prophetarum est atq; mun-
 di redemptio. Hæc autē mysteria de Christo prædicta esse, & tunc expleta, non co-
 gnouerunt tunc discipuli domini, quia nondum aperuerat eis sensum, vt intellige-
 rent scripturas, hinc pleraq; ignorabant: quoniam ipse nōdum eis reuelauerat, sed
 accepta spiritus sancti plenitudine, qui docuit eos omnem veritatem, cum scilicet
 Christus per reditum ad gloriā patris esset glorificatus, in mentem eis venit, hæc
 de ipso per prophetas esse prænunciata, & opere fuisse in ipso completa. Confere-
 bant enim tunc testimonia prophetarum ijs, quæ à Christo viderant fieri, & admi-
 rabilem veritatis consensum, atq; responsum dictorum prophetarum ad opera
 Christi compererunt: quemadmodum cum prius dixisset dominus: Soluite tem-
 plum hoc, & in triduo excitabo illud: non intellexerunt tunc discipuli illud verbū
 ad mortē Christi & resurrectionē pertinere. Sed cum resurrexisset à mortuis, re-
 cordati sunt verborum eius, & intellexerunt ex rei exhibitione illorum sensum.

Caput XI.

Ioannis 8
Ioannis 8
Ioannis 8
Ioannis 8
Ioannis 8
Estimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cū eo, quando La-
 zarum vocauit de monumento, & suscitauit eū a mortuis. Pro-
 pterea & obuia venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc si-
 gnum. Pharisei ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficiamus.
 Ecce mundus totus post eum abiit. Tam honorificæ occurssionis atq; ob-
 uiationis causam explicat hoc loco Euangelista, reddens rationem quare obuiam
 sese domino turba obtulerit cū laudum præconijs & celebritate, cum Hierosoly-
 mā aduentaret. Turba, inquit, quæ præfens fuerat resuscitationi Lazari, alijs, qui
 tum absentes erant, diuulgauerat hoc admirabile signum. Vnde tanti miraculi fa-
 ma commota turba, quæ acceperat ab alijs illius signi veritatem, cum officio hono-
 ris, veneratione & reuerentia illi occurrit, illius laudes prædicat: Pharisei verò tan-
 tum populi plausum in dominum ægrè ferunt, disrumpuntur inuidia, feruent or-
 dio, & inter se conqueruntur, suos conatus speratum nō habere successum. Labo-
 ramus, inquit, vt nomē huius abradatur è terra, qm̄ cõtrarius est operibus nostris,
 sed totus noster labor irritus est, & frustra à nobis toties tentatus. Ecce vniuersa
 populi multitudo certatim illū sequitur, illū tota turba suscipit, admiratur & colit,
 T T iij & quan-

& quanto enixius laboramus ad extinguendam illius gloriam, tanto maiore splendore clarificat. Sed maturandum est, quod proposuimus negocium, & antequam id malum latius serpat, totamque occupet urbem, illi tempestiue occurrendum. Ita his verbis & sui detegunt animi morbum, atque molestiam de celebritate nominis Christi, atque se mutuo hortantur ad perpetrandum, quod iam consilio firmauerant. Mundus autem hic pro mundi creatura sumitur, & non pro vitiosis: non enim illi post dominum abeunt, & quum frequentius nunc hoc, nunc illo modo apud hunc Evangelistam sumatur, attendenda est sententia potissimum, ut ab ea elucescat vocabuli ratio, ne ex ipso detur ansa falsitati aut errori.

Caput XII.

Rant autem quidam gentiles ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo: hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ, & rogauerunt eum, dicentes: Domine volumus te sum videre. Venit Philippus & dicit Andreæ, Andreas rursus et Philippus dixerunt Iesu. Prius officioso turbæ in dominum studio & obsequioso cursu damnata est principum & Phariseorum impietas, qui indignè ferebant dominum tanto affici honore: nunc gentilium, qui legis & prophetarum erant ignari, deuotione & diligentia condemnatur Phariseorum malitia, qui scripturam sanctam edocti, venientem in propria dominum non receperunt, toties auditi eius doctrinam reiecerunt, toties visa eius opera parui fecerunt. Gentiles eum videre cupiunt, Iudæi occidere. Et hi planè gentiles præsignant futuram gentium plenitudinem in ouile Christi intraturam, ac iugo fidei colla sua submissuram. Hi tanquam primitiæ conuersionis gentium, & prælibamenta quædam, ostendunt gentilem populum Christi fidem cupidè amplexurum, ac desiderio videndi ipsum vehementius inarsum. Quod si quis percontetur, quomodo gentiles à ritu Iudæorum alieni uenerunt Hierosolymam, ut adorarent in die festo: illi respondendum est: Templum domini in Hierosolymis situm, ad eum fuisse circumquaque nominatum & fama celebratum, ut diebus festis non solum vicini, sed etiam multæ ex longinquis regionibus gentes illuc aduenirent, sicut de eunucho Candacis reginæ Aethiopum, Actus apostolorum declarant. Hac ergo consuetudine hi gentiles uenerant adorare, quorum meminit Euangelista. Aut hi relicto gentilium ritu, iam proposuerant Iudaismum suscipere, & propemodum dispositi erant ut proselyti fierent. Itaque fama audita de Christo, flagrant desiderio ipsum uidentem, et Philippum ad eum, cuius directione & opera uoti compotes efficiantur. Audiuerat autem Philippus à domino: In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed ite ad oues, quæ perierunt domus Israel, idcirco ne dominum fortassis hoc facto offenderet, non adduxit gentiles statim ad Christum: sed rem prius cum condiscipulo communicat, & unà cum eo magistro, eandem refert, submittens illi arbitrio negocium, & cum debita reuerentia illi deferens: hoc enim pacto quasi explorat uoluntatem domini, & rem totam illi committit.

Caput XIII.

Iesus autem respondit dicens: Venit hora, ut clarificetur filius hominis. Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Quia per resurrectionem & ascensionem suam dominus noster glorificandus erat, & gloria eius per totum mundi ambitum extendenda, quemadmodum prædixerat Propheta: Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua, resurrectio autem & ascensio eius

A eius iam in ianuis erant: idcirco respondit dominus noster horam uenisse ut clarificetur, per apostolorum scilicet prædicationem, & gentium conuersionem. Unde quum in litera Christus dicit: Venit hora, tempus iam imminere significat, & suæ passionis, & apostolicæ in omnes gentes prædicationis. Dixerat quidem ipse prius discipulis suis: In uiam gentium ne abieritis: & ut omnem tollerent à Iudæis querelæ & accusationis occasionem, suos à gentilibus cohibuit. Sed quum Iudæi in pertinacia perstarent, gentiles uero studiosè Christum accederent, tempus iam passionis aduentare & uocationis gentium ad fidem, est contestatus. Non enim Christi prouidentia erat dignum, quod Iudæis contumacibus atque proteruis semper inhaereret, prædicationem discipulorum illis communicando, gentes autem reijceret, prompto animo ac alacri uerba fidei suscipientes. Itaque quum post passionem esset discipulos ad gentes missurus, iam dicit tempus ad perferendam in cruce mortem aduentare, quum gentiles illi tanta deuotione Christum exquirerent, tam officioso illo studio significantes propediem in omnes gentes effundendam prædicationis salutiferæ gratiam, idque & congruum esse, & diuina miseratione dignum. Non tamen Christus prior Iudæos dimisit, ut transiret ad gentes, quinimò diutius apud eos docendo, & miracula faciendo conuersatus est, ut esset in testimonium eis, palamque contestaretur, quod ad ipsorum procurandam salutem primùm uenerat. Enim uero antequam in Christum impetum facerent Iudæi, antequam eum crucifigerent, non dixit discipulis: Euntes docete omnes gentes: sed hoc eis dedit mandatum: In uiam gentium ne abieritis. & ipsis itidem dixit pro muliere Chana rogantibus: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Et rursum: Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus ad manducandum. Cùm autem odio à suis Christus haberetur, & tanto quidem, ut ab ipsis interficeretur: superfluum erat persequentibus inhaerere, ac diutius immorari. Etenim recusarunt Iesum Iudæi, dicentes: Non habemus regem nisi Cæsarem, tunc sanè eos dimisit, quum prius dimissus esset ab eis. Ideo dicit: Quoties uolui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluiti: Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta. Consimile quiddam Paulus & Barnabas Iudæis contra dicentibus prædicationi fidei Christianæ dixisse leguntur in Actis apostolicis: Uobis, inquiunt, oportebat primùm loqui uerbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim nobis præcepit dominus: Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Sed oportuit ut altitudinem glorificationis futuræ præcederet humilitas passionis. Ita enim B. Paulus dicit, quod Christus humiliauit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Propterea passionem suam propediem futuram significans, de grano frumenti similitudinè proposuit, quod nisi corruptum & emortuum fuerit, fructum nullum adfert: si uero mortificatum fuerit in terra, largam profert segetem & messem copiosam. Ipse planè dominus noster est frumentum, quo uiuere debet fidelis anima. Dicit enim alio in loco: Et qui manducat me, ipse uiuet propter me. Ex frumento quidem panis conficitur, & ipse est panis uiuus, qui de cælo descendit: ut si quis ex eo manducauerit, non moriatur. Huius frumenti fructu saginanda dixit Propheta Hierusalem & Sion, id est, animam fidelem, cùm ait: Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te. Idem ipse dominus noster granum est, de quo spiritualis seges debet surgere, & solidæ fidei adferre fructum. Quumque sint multa grana seminum, nulli se comparat nisi frumento. Unde mos coepit Ecclesiæ de hoc solo grano confici corpus Christi. Ipse enim dominus noster ex semine patriarcharum in agro huius mundi seminatus est, id est, incarnatus, ut moriendo cum multiplicatione resurgeret. Solus mortuus est, cum multis surrexit. Quod si mortuus pro uita omnium non fuisset Christus, non incre-

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

increuisset tanta fidei seges in gentibus, neq; in mundo surrexisset fructus redemptionis humanæ in omni populo. Quia verò id granum in terram cecidit per ascensionem & crucem, atq; mortificatum est per mortem & sepulturam, plurimum attulit fructum, scilicet salutem totius humani generis, & mundi reductionem ad fidem. Quòd enim à solis ortu vsq; ad occasum laudetur nomen domini, & in omni loco ei offeratur oblatio munda: ex huius grani mortificatione processit.

Caput XIII.



Qui amat animam suam, perdet eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur. Et ubi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Passionem suam dominus & fructum inde exoriturum per granum frumenti significauit. Sed quia non solus ipse erat passurus, quinimò imitatione eius quāplurimi pro confessione nominis Christi mortem erant subituri, & tanq̄ serui dñm secuturi. Oēs enim qui pie volunt viuere, persecutionem pro Christo patiuntur: & oportet nos per magnas tribulationes intrare in regnum cœlorum. Idcirco docet hanc præsentem & momentaneam pro Deo vitam continere, vt æternæ vitæ capiatur hæreditas, dicens: Qui amat animam suam (subaudi in hoc mundo) perdet eam. Amat autem animam suam in hoc mundo, qui desideria eius diuinæ legi repugnantia facit. Et his sanè perdet eam: quia post hanc vitam æternam erit morti addictus. Vt qui de confessione fidei interrogatus, ne vitam corporis amittat, Christum negauerit, is animæ suæ graue patietur in altero seculo detrimentum. At verò odit animam suam in hoc mundo, qui non cedit, neq; obsequitur ei noxia concupiscenti, & diuinis præceptis contraria. Quemadmodum enim eorum, quæ odio habentur, nec vocem audivere sustinemus, nec visum videre delectabitur: ita & animam, quum contraria salutis suggerit, quæ Deo non placent, cum vehementia auertere oportet, & cumulatissimi inde præmiorum sequitur fructus, vt pote quòd in vitam æternam custodiatur. Quum ergo causæ articulus venerit, vt hæc conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ab hac vita migrandum comminante mortem persecutore: ibi oderis in hoc mundo animam tuam, intrepidè mortem subeundo, vt in vitam æternam custodias eam. Cæterum quia multi se Christi ministros ore tantum profiteri possent, opere verò longè ab eius ministerio discedere, opus sui ministri dominus aperit, dicens: Qui mihi ministrat, me sequatur, imitatione scilicet bonorum operum à meis vestigijs non aberrans, & mortis etiam toleratione à me non deuians: vt quemadmodum me pro ouibus meis viderit animam meam ponere, ita & ipse non dubitet pro salute fratrum suorum acerbam mortem subire. Quòd quidem cum factu arduum sit & difficile, magnitudinem præmij & mercedis inde futuram declarat: quæ hoc loco duplex proponitur. Primum, quòd ubi Christus est, scilicet in cœlis, à quibus per susceptionem carnis nunq̄ discesserat, illic & minister eius sit. Itaq; his verbis promittit ministris suis æternam cum eo in cœlis habitationem, mansionemq; perpetuam, quemadmodum alio loco dicit: Pater, quos dedisti mihi, volo vt ubi sum ego, & illi sint mecum. Secundum, quòd ministrum Christi honorificabit pater cœlestis, participem eum reddens honorum supernæ hæreditatis. Magna reuera est ministri Christi dignitas, q̄ sit honorandus à Deo patre: quandoquidem magnum ducunt homines, si à principe aut rege terreno honorificentur honore fluxo, & protinus euanido. Sed & maior longè Dei patris est benignitas & humanitas, quòd eum velit honorificare, licet longè infra suam maiestatem positum, qui Christum filium suum honorauerit. Ita alio loco de seruo vigilante & fidei loquens dominus, dicit: Beati sunt serui illi, quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget se & faciet illos discipulos, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget se & faciet illos discipulos.

Psal. 112
Malach. 1

1. Timo. 3
Act. 14

Ioann. 17

Luca 13

IN EVANG. B. IOAN. LIBER VIII. 249.

bere, & trāsiens ministrabit illis. Itaq; si optabile est, semper cum Christo esse in cœlesti regno, si desiderabile honorificari à patre, enitendum summo opere, vt Christo ministremus, vt eum affectu mentis sequamur, quo tantis potiamur bonis.

Caput XV.



Unc anima mea turbata est, & quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora: sed propterea veni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Quia dominus ad passionem discipulos exhortatus fuerat, ne dicant æmuli, quòd ipse extra dolores existens humanos, facile de morte philosophatur, & nos admonet propter hoc, quòd ipse est sine periculo: hic ostendit quòd & ipse in agonia sit, tamen propter utilitatem mortem non renuit. Itaque animam suam turbatam protestatur horrore imminenti passionis, non tamen ab aliquo alio turbatus est: sed sicut de ipso supra dictum est, turbauit seipsum. Demisit enim naturam humanam in se pati, quod erat ei proprium, vt pote exhorrescere mortem & illam refugere. Nempe Christus appropinquans acerbæ morti, quod humanum est, in se ostendit, & naturam non volentem mori, sed præsentem adhærentem vitæ, eo declarans indicio: quoniam non extra humanas passiones erat. Sicut enim esurire non crimen est, ita neque præsentem vitam appetere. Christus autem corpus à peccato mundum habebat, non à naturalibus passionibus erutum: hoc igitur quòd turbatur, dispensationis est, non deitatis. In agonia quoq; constitutus, & turbatione ob infirmitatem carnis, qui dicat se non habere, contestatur, quum videat fragilitatem humanæ conditionis petere ereptionem ab hora passionis. Cui condescendens, petit à patre vt saluificetur, & liberetur ab hac hora mortis subeundæ: quemadmodum in horto paulo antè, quàm caperetur, orauit patrem dicens: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Sed quemadmodum humana conditio tunc in eo diuina virtute, deinde confortata, subiecit seipsam prorsus diuinæ ordinationi, dicens: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis: & non mea voluntas, sed tua fiat: ita nunc imbecillitatem humanam subleuans cœlesti robore, subiungit: Sed propterea veni in hanc horam, vt scilicet mortem patiar secundum tuam voluntatis beneplacitum, nempe ideo ad hanc deductus sum horam, vt tibi obediam. Deinde efflagitat paterni nominis clarificationem, per passionem & resurrectionem filij futuram, dicens: Pater clarifica nomen tuum, id est, gloriam tuam toti mundo manifesta, quòd sanè per meam mortem & resurrectionem facile efficies, ex qua cognoscet mundus, quòd me misisti, quòd paterni nominis dignitas tibi rectè competat & attribuat. Porro pater cœlestis nil nisi saluare petens, & homines ad fidem adducere, ne credatur Christus illi esse contrarius & alienus, voce cœlo delapsa testimonium illi perhibet, & orationi factæ respondet. Illa quidem vox, patris dicta est, quia personam patris referebat, & à Deo patre perhibente testimonium filio suo, modo nobis incognito & ineffabili est efformata, quemadmodum prius in baptismo & transfiguratione domini. Clarificauit autem pater nomen suum in filio, quum filius de virgine natus est, quum miracula multa fecit, quum descendente spiritu sancto in specie columbæ demonstratus est. Clarificabit verò iterum pater nomen suum in filio, quum Christus resurget à mortuis, quum exaltabitur super cœlos Deus. Nempe hæc omnia gloriæ plena in filio, patris quoque gloriæ, qui talem genuit filium, pandunt. Clarificasse autem se nomen suum, & iterum illud clarificaturum, pater voce cœlo delapsa hic denunciat: non quidem per nouæ claritatis adeptionem, & quia ipsum patris nomen claritudinem aduentitiam recipiat (est enim claritas paterni nominis, & excellentia eius ac gloria, immensa in se atque infinita, neque ad cœmentum, neque imminutionem in se admittere valens) sed huiusmodi glorificatio intelligenda est, quan-

Ioannis 17

Matth. 26

Matth. 3

Matth. 17

quan-

quantum ad claritatis ac eminentiæ ipsius nominis sui ostensionem, declarationem ac manifestationem ad alios. Futurum enim illud significat ea vox paterna, quod nomen eius apud homines præclarum atq; excellens esse prædicetur, ac declaratur, quod etiam notitia & cognitio nominis eius ad omnes Iudæos & gentes dilatetur & ampliatur. Siquidem ante aduentum Christi in carnem, notus tantum erat in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius. Apud gentes verò Dei nomē habebatur ferè ludibrio, & in plura dissectum, idolis attribuebatur. Postquam verò Dei filius nomen patris manifestavit hominibus, ab ortu solis vsq; ad occasum factum est ipsum patris nomen magnum in gentibus, suæq; claritatis radios diffudit in omnes mundi plagas, & in extremos terræ limites propagavit. Nonne in omnem terram exiit sonus apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum: Et quid aliud prædicabant, quàm Iesum Christum Dei filium in mundum venisse ad redimendum genus humanum, & morte crucis hanc redemptionem cōsummasse: Deinde ipsum à mortuis surrexisse, ascendisse ad cœlos, & sedere ad dexterā Dei patris: In quibus omnibus referendis mysterijs nomen patris innotuit gentibus, quibus antè fuit incognitum: & hoc pacto, Deo patre cooperante, per apostolos in huiusmodi prædicatione clarificatum est nomen suum. Rursum, quum in nomine Iesu omne genu terrestrium flecti debere dicatur, & omnis lingua confiteri, quia dominus Iesus in gloria est Dei patris: quum omnis terra Deum adorare debeat, & illi psallere, eiusq; nomini Psalmum dicere, qui hoc fiat, nisi nomen Dei patris toti mundo innotuerit, & omniquaq; clarificatum fuerit?

Caput XVI.

Vrba ergo, quæ stabat & audierat, dicebat tonitruum esse factum: alij autem dicebant, angelus ei loquutus est. Respondit Iesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Aperta quidem & perfectè significatiua erat vox patris respondens filio: sed citò ab eis euolauit tãquam minus attendens. Et hi quidem sonitum tantum retinuerunt, qui auribus illorum illis ferijt auditum, sed nihil significationis animo illorum ingressit. Et hi dicebant tonitruum factum esse, quod sonum absq; signatione cuiuspiam rei nobis adfert. Alij verò, quod articulata erat vox & significatiua, nouerāt auditus: quid autem significauit, haud satis compertum habebant. Et hi dicebant, angelus ei loquutus est: arbitrati angelum de cœlo hæc verba deprompsisse, quæ admodum antiquis patribus in lege plerumq; leguntur angeli fuisse loquuti. Sed verius dixissent, pater de cœlis ei locutus est: si altitudinē mysterij intellexissent. Dominus autem ostendit illa voce se non indignisse, vt indicaretur ei quippiam, quod ante nescierat. Nempe sciebat Christus, qui Dei virtus est & sapientia, se iam esse clarificatum à patre, & adhuc clarificandum, anteq; vox illa æderetur. Sed propter adstantes vocem illam factam esse contestatur & circumstantem turbā: vt per eam illis indicetur & ostendatur, qd verè Dei filius est, patri per omnia consentiens, prius ab eo clarificatus, & demum amplius clarificandus. Deinde ostendit modū gloriæ, quæ à patre adhuc clarificabitur: quoniam nunc in foribus, inquit, est iudicium mundi. Non quidem iudicium damnationis malorum, aut retributionis præmiorum, pœnarumq; æternarum: sed iudicium discretionis fidelium & credentium ab incredulis atq; obstinatis per infidelitatem, & iudicium expulsionis diaboli ab ijs, qui per ipsum redempti sunt. Habuit quidem prius dæmon per tyrannidem principatum in totum genus humanum, & dominatum crudeliter exercuit in oēs. At qui virtute mortis Christi & sanguinis, cōfracta est illius potestas, & sublata potentia: & quos iniuste detinuit captiuos, iuste perdidit. Eiectus est ipse Christi virtute, prostratus extra mundi regnū: quod subdola fraude, tanto tempore, quantum post

A post Adæ præuaricationem effluxerat, ipse princeps tenebrarum, & mortis habēs imperium occupauerat. Id quoq; dominus apud Lucam his verbis significauit: Cū fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet. Fortior autem illo superueniens, omnia arma, in quibus confidebat, aufert, & spolia illius distribuit. Absit autem, vt diabolus principem mundi, ita dictum existimemus, vt eum cœlo & terræ dominari posse credamus: non enim est ipse autor mundi aut gubernator, quemadmodum nonnulli falsò existimant. Sed mundus hic pro prauis hominibus, qui secularia sectantur desideria, & suis indulgēt cupiditatibus, sumitur. Horum princeps Satanus est, quia eis pro suo arbitratu principatur, præcipitesq; ad nutum in grauiā scelera impellit atq; detrudit. Ille autem per Christi mortem foras eijciendus erat. Præuidebat enim dominus post passionem & glorificationem suam per vniuersum orbem multos populos credituros: in quorum cordibus diabolus intus erat, cui quando ex fide renunciant, eijcitur foras. Sed nunquid de cordibus veterum iustorum non est eiectus foras: quomodo ergo dictum est, nunc eijcietur foras, nisi quia quod tunc in hominibus paucissimis factum est, nunc in multis magnisq; populis iam mox futurum esse, prædictum est: Quid ergo, ait quispiam, quia diabolus eijcitur foras, iam fidelium neminem tentat: imò tentare non cessat: sed aliud est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare. Hostis em̄ mœnibus vr̄bis exclusus non cessat arietibus & machinis quatere muros, quod sibi aditū perfringat, ingressumq; paret. Porro huius eiectionis diaboli à fidelibus per Christi mortem factæ, typum gerit, quod alienigenæ populi, Amorrhæi, Phereæi, & Hiebusæi, atq; cæteri id genus, à terra populo Israelitico repromissa, per Iosue filium Nun expulsi sunt & eliminati, quam longo ante tempore occupauerāt. Non enim opere solum, sed & nomine Iesus filius Naue dominū & saluatorem nostrum referebat: id in vno populo faciens, quod Christus in toto mundo.

B Quod viuificæ crucis mysterium per multas veteris testamenti figuras fuit ante signatum. Caput XVII.

Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus. Quomodo princeps mundi huius foras sit eijciendus, nunc manifestat, designans id mortem suam, quam in cruce patietur, complendum. Si exaltatus fuero, inquit, à terra, id est, cū exaltatus fuero: non enim dubitat futurum esse, qd venit implere. Exaltationem autē suam dixit in cruce passionem, qua à terra in aerem subleuatus est, vt aereas debellaret potestates. Verum cū non omnium sit fides, quò omnia se tracturū esse dicit ad seipsum: Atqui nō hoc ad vniuersitatem hominū retulit, sed ad ipsius hominis integritatem, scilicet animam & corpus, secundū quod intelligimus & viuimus: nō enim animas nostras solum, sed & corpora reduxit ad immortalitatem per passionis suæ virtutem & resurrectionis gloriā. Aut si per omnia, ipsi homines intelligendi sunt, omnia prædestinata ad salutem possumus dicere. Aut certè omnia hominum genera, secundum innumerabiles differentias, quibus inter se præter sola peccata homines distant. Aut deniq; oēs homines, quantum ad se attinet, trahit: nam vult oēs homines saluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire. Et ipse propitiatio est, non solum pro peccatis nostris, sed & totius mundi. Quod autem non omnes trahantur, eorum efficitur culpa, qui renitentur trahenti, neq; eius tractum sequuntur. Fascibus enim peccatorum prægrauati se deprimunt, pondereq; malorum pressi, domino ad salutem vocanti contrantuntur, ponētes obicem & obstaculum, ne salui fiant. Et nō abs re, traham, dicit: quasi à tyranno detentos, & per seipsos nequeuntes accedere, atq; sauas illius manus effugere. Cū autem superius dixerat, nemo potest venire ad me, nisi pater meus, qui misit me, traxerit eum, & hic omnia se tracturum dicit ad seipsum: eandē de

signat & consentaneam patris atq; suam operationem, scilicet tractionem hominum ad fidem. Quod fit, vt eadem quoq; cognoscatur vtriusq; substantia. Quorum enim eadem est actio, & naturam eandem esse necesse est. Quemadmodū autem subiungit Euangelista, dominus per exaltationem suā à terra significauit, qua morte esset moriturus, vtpote quod in crucem erigendus, atq; à terra sustollendus, sicut

Ioannis 3 & prius dixit ad Nicodemum: Sicut Moses exaltauit serpētem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis. At verò cum per huiusmodi exaltationem in cruce eius sit princeps mundi foras, constat omnibus, per crucis vexillum deuictas esse à Christo dæmoniacas cohortes, vt sicut per lignum vicerat serpens antiquus primū Adam, vnde in omnes transiuit mors: ita quoq; per lignum idem vinceretur à secūdo Adam, vnde nobis profluxit vita omnis & gratia: hinc factum est, vt in laqueo suo comprehensus sit peccator, & suis, vt aiunt, telis confossus. Sanè crux ipsa fundata est, qua Dauid Goliath horrendum armis, & formidabilem visu prostrauit humi. Ipsa est signum Thau signatum in frontibus virorum gementium: quo muniti, ab interitu erepti sunt, cæteris omnibus interfici iussis. Ipsa, inquam, signum, quo angelus domini signauit seruos Dei in frontibus eorum, ne inferretur illis exitium aut perniciēs. Duo ligna colligens mulier Sareptana, prophetam domo suscipit, atq; sine olei, farinaq; suæ diminutione aliquam diu victitauit. Cruce insignita mens, cœlesti alimonia & spiritus sancti gratia affatim pascitur. Ferrū fundo aquæ demersum Helifæus immisso ligno ad supremam aquæ partem natans eduxit. Nos ad ima barathri depressos crux sancta subuexit ad astra. Hæc enim est lignum vitæ, quod in medio paradisi plātatum esse scriptura commemorat: quia ab ipsa viuifica nobis & vitalis medicina processit. Hæc est arca Noe, per quam saluamur à diluuiō inundantis aquæ vitiorū, & incolumes seruamur. Hæc est scala Iacob à terra in cœlum porrecta, cui dominus innixus est, per quam nobis cœlestia regna conscendere datur. Hæc designata fuit per ligna, quæ humeris suis tulit Isaac, quum immolāndus erat in holocaustum: nam Christi humeris crux baiulata, totius mundi in se tulit precium. Hæc postibus & superliminaribus domorum Israelitarum figurata describitur: quæ sanguine agni delibuta, exterminatorem primogenitorū Aegypti, ne ingrederetur, propulerunt. Hæc est virga Moisaica, quæ mare rubrum percutiens, diuisit aquas, & traducto Dei populo regē Aegyptium cum toto æquitatu submersit. Hæc eadem bis silicem percutiens, aquam largo fluxu eduxit. Ipsa itidem lignum est, quod fluuiō Marath immissum, amaritudinē aquæ in dulcedinem conuertit. Iplius figuram atq; formam manibus extensis referens Moses, superbū Amalech pugnam cientem, atq; in populum Dei ductantem exercitum, oratione ad Deū facta, vicit. Deniq; ipsa lignum illud est, quo in deserto suspensus serpens æneus, omnibus ipsum cōspicientibus sanitatem à morfu serpentum reddidit. Nam quisquis oculos animi in Christum cruci affixum cōuerterit, ab omni vulnere peccati ilico curabitur. Per ipsam deniq; crucem reddita est salus humano generi, facta est redemptio nostra & reconciliatio. Per ipsam allata est nostro medicina dolori, data est fortitudo & robur homini: vt hac lorica obtectus & galea, intrepidus in certamen cum hoste, quem dominus noster crucis salutiferæ beneficio foras eiecit, profligauit omnino, & penitus attriuit.

Caput XVIII.

Respondit ei turba: Nos audiuius ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Et quis est iste filius hominis? Quum intellexissent Iudæi, quod dominus de sua morte futura loquens, dixisset se exaltandū à terra, proponunt ei quæstionem, quō se diceret moriturum, cū scriptura dicat Christum in æternū manere debere. Nomine quidem legis nonnunq; vetus testamentum totum à Iudæis accipi-

Accipitur, vt antè dictum est, & non solum quinq; libri Mosi: ita in prophetis mentio fit de æternitate Christi, vt apud Esaiam: Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, pater futuri seculi, Deus, fortis, princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis. Et apud Danielem: Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius non corrumpetur. Demū apud Michæam: Et tu Bethleem Effrata, paruula es in milibus Iudæ: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Talis autē permanentiā perpetuam videtur contrariari morti atq; passioni. Sed non attendit turba diuinam in Christo naturam minimè obnoxiam esse morti, & secundum eam Christum in æternum manere. Non etiam animaduertit eundem prostrata morte, tertia die resurrecturum: quīs id eis nonnunq; prædixerat, & deinde etiam secundum humanam formam in æternum permanurum: vt passio suæ immortalitati non fuerit impedimentum allatura, compleaturq; quod dictum est à Propheta: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinē Melchisedec. Proinde hic interrogant Iudæi Christum, quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Memoriter quidem tenuerunt turbæ, qd dominus assidue dicebat se esse filium hominis. Nempe hoc loco non dixit: Si exaltatus fuerit filius hominis: sed superius dixerat: Venit hora vt clarificetur filius hominis. Hoc ergo animo fixum tenentes, dicunt: Si Christus manet in æternum, quō exaltabitur à terra: id est, quomodo crucis passione morietur? Et ratiocinatione quadam contradictionem colligente, concludere videntur, aut eum non esse Christum, aut non esse moriturum. Si em̄, inquit, exaltandus es in crucem, non ergo Christus es, qui secundum legē mansurus est in æternū. Quod si Christus es, & ideo semper mansurus: non igitur à terra exaltandus es, & moriturus. Quis igitur est iste filius hominis, quem dicis à terra exaltari debere? Si enim tu ipse es, quō tu Christus à nobis diceris? Si alius, æde apertius, quisnam sit ille. Verūm videntur Iudæi maligno animo hæc verba Christo proposuisse, volentes hac sua responsione captionē prædictis ipsius verbis struere, illis contradicere, atq; hoc pacto silentium illi imponere, & ipsum nō esse Christum ostendere: idcirco Christum in æternum manere consententur, sed prauo (vt nonnuilorum est sententia) affectu, & contranitendi atq; calumniandi studio. Nō enim dicunt: Nos audiuius, qd Christus nihil patitur, neq; crucifigitur: sed quod manet in æternum. Atqui neq; hoc legis diuinæ & scripturæ dictum de perpetua Christi permanentia, contrarium erat verbo Christi de morte in cruce toleranda, vt putabat turba. Immortalitati enim Christi passio eius non fuit impedimento, quoniam in scripturis simul passio & resurrectio ponit, vt in eo Psalmi loco: Ego dormiui, & soporatus sum & exurrexi. & rursum: Tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam. Et Iacob patriarcha vtrumq; horū coniunxit: nam cū dixisset de Christo in spiritu: Procidēs dormiuit vt leo: protinus addidit, & vt catulus leonis excitauit eum, priore verbo passionē domini, posteriore verò resurrectionē eiusdem insinuans. Fuit certè Christi mors, tanq; translatio quædam, & cōmigratio ad melioris vitæ sortem per resurrectionem adsumendæ, non omnimoda ipsius extinctio aut desinentia: quemadmodum lumen solis in occasum decumbentis, aut corpore lunari obducti, non extinguitur, sed breuī & ad tēpus secedens, sine aliqua sui diminutione rursus apparet conspicuū. Ita planè & sol ipse iustitiæ immenso iubare refulgens, ad modicū tēpus huius vitæ passus deliquium, paulo post per resurrectionis gloriā insigniori splendore rursus emicuit.

Caput XIX.

Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, vt tenebræ vos non comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Dum lucē habetis, create

ditē in lucem, vt filij lucis sitis. Hæc loquutus est eis Iesus, & abiit, & abscondit se ab eis. Commendat ab his verbis Christus turbas de aliquâ scripturarum cognitione, quam se ostendebant habere, quantum ad Christi æternitatem imperfectam tamen eam esse ostendit, quia non pertingit, neq; peruenit ad intelligendum mortem Christi & passionem in forma humana simul stare cum deitatis æternitate, quum tamen vtrumq; scriptura adserat de Christo. Siquidem Christi æternitatem supra dictis adstruit testimonijs scriptura: passionem verò apertissime apud Prophetam in Psalmis: Foderunt manus meas & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea. Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Et apud Esaiam: Tanq̄ ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram tondēte se obmutescit, & non aperiet os suum. Ipse autem traditus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & liuore eius sanati sumus. Deus enim posuit in eo iniquitatem omnium nostrū. Demum apud Daniele: Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus. Itaq; admonet ipsos ad consummatam de Christo quærendā cognitionem, dicens: Adhuc modicum lumen in vobis est, per hoc quod intelligitis, quia Christus manet in æternum; ergo ambulate, accedite, totum intelligite, & moriturum Christū & victurum in æternum. Dum lucem habetis, id est, me, qui sum lux mundi, & lux vera, quæ illuminat oēm hominem venientē in hunc mundum: vt non vos tenebræ erroris & ignorantie cōprehendant; quod planè fieret, si eo modo credideritis Christi æternitatē, vt negaretis in eo mortis huiusmodi Christi sine eiusdem morte, aut mortē eius secundum hominē sine eiusdem æternitate, nescit quò vadat: putans enim ad veritatē tendere, in errorū anfractus, præcipitiq; delabatur. Itaq; dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. id est, aliquid verū habetis, credite in veritatem, vt renascamini veritati, & efficiami ni filij mei cognatione & propagatione spiritali, de qua superius dictum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri ijs, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Cū autem dominus cognosceret ipsos his verbis non ad credendum induci, sed ad persequendum exacerbari, abiit & abscondit se ab eis; non quidem ab eis, qui credere & diligere cœperunt, sed ab eis, qui videbant & inuidebant. Quum autem se abscondit, nostræ infirmitati consuluit, non suæ potestati derogauit. Sed quum nec lapides iacerent, nec blasphemarent, cuius gratia occultatus est: Nouerat dominus furorem in eis sauientem, & non expectauit vt in opus exirent; sed occultauit se, emitigans inuidiam eorum. Nouerat, inquam, dominus feruentem iram animi ludæorum, & occisionem meditantem, & ideo occultatus est.

Caput XX.

Vum autem tanta signa fecisset coram eis, nō credebant in eum, vt sermo Esaiæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro, & brachium domini cui reuelatum est: Meritò reprehenditur populus Israeliticus duce Mose in deserto quadraginta annos commoratus, quòd tantis magnalibus & signis Dei, in Aegypto, in mari rubro & deserto ostensis, nō crediderit, sed rebellis contra dominū & obmurmurās semper fuerit. Proinde propheta in Psalmo cōmonet illius populi filios, ne duræ sint ceruicis & obduraticordis in Deum, dicens: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt & viderunt opera mea. Huius autem incredulitatis & duritiei imitatores, tanq̄ hæreditario quodam morbo labefacti videntur.

A videntur ludæi, coram quibus dominus tanta ostendit signa, suę diuinitatis approbatiua, tanta opera, quæ loquerentur eum à patre missum, tanta deniq; miracula, quæ exclamarent eum esse Christum, non tamen credebant in eum. Neq; in hac solum credendi tarditate, sed & permultis alijs est comperire, populum ludæorum sic ad dominum nostrum malè affectum esse, sicut fuerat populus Israeliticus ad Mosen. Nempe Moses autore Deo magnalia fecit in Aegypto, mirabilia in mari rubro, & admiranda signa in deserto: quæ tamen populus parui pendit, neq; illis ad Deum ritè colendum, vt debuit, inductus fuit. Haud aliter Christus multa coram ludæis fecit miracula: dæmonia eiecit, cecos illuminauit, mortuos resuscitauit. Sed Scribæ & Pharisæi talia signa pro viribus calumniabantur, & dæmoniacæ potestati (quæ sua erat malevolentia) adscribebant. Rursum Moses legem Dei in monte Sina acceptā populo promulgauit, & quò foret obseruanda, latius explicuit, iudicia Dei, decreta, & ceremonias sacrificiorum studiosius edocuit. Verum populus auditā & exhibitam legē sæpenumero præuaricatus, cōtra legislatorem obmurmurationibus, seditionibus, & assidujs querimonijs insurrexit rebellis & duræ ceruicis. Sed nōne Christus legifer noster sedens in monte legem Euangelicam sacro ac diuino ore deprōpsit, illam assidua in templo & synagogis doctrinę suæ profusione abundè explanauit: Cæterum non cessarūt Scribæ & Pharisæi sacram eius doctrinam subfannare, irridere palam, carpere in propatulo, vt falsam, vt insani hominis aut arrogantis de se testimonium perhibentis. Insuper Moses tam pio erat affectu charitatis in populum, quòd iniurijs ab eo nō semel affectus interpellauit Deum obnixè, & suppliciter pro obtinenda venia peccati in adoratione vituli conflatilis commissi. Sæpius itē iram Dei volentis penitus delere populum ob rebellionem & crebrā murmurationem mitigauit, & ad fusus diuinæ maiestatis pedibus rogauit pro salute populi, & cōpletionem promissionis factæ de introductione eius in terram illi destinatam. Ediuerso populus pro huiusmodi mansuetudine eum nunc verbis contumeliosis insectatus est atq; exacerbauit, nunc verò lapidibus obruere tentauit, semper ex improbitate sua malum pro bono retribuens, vt sacra testatur Exodi & libri Numeri historia. Haud dissimiliter sua eximia benignitate Christus se mediatorum constituit inter Deum & homines, pro crucifigentibus se, vt ipsis ignosceretur, patrem orauit. Non cessauit item cum verbis, tum opere quosuis à via peccatorū reuocare, et in rectam salutis æternę semitā traducere. Verum etiam ab æmulis & maleuolo in ipsum animo affectis ludæis, Scribis & Pharisæis, impropria, conuicia, & contumelias in cōpensationem accepit. Homo vorax ab eis & potator vini, peccatorum & publicanorū amicus appellatus est. Neq; verbo solum, sed & opere læsionem illi & iniuriam intētare crebris moliti sunt, cū & è summo culmine montis eum præcipitare, & lapides in ipsum, vt blasphemum, iacere frequentius conati sint. Ex quibus omnibus liquiddò constat, si populi Israelitici ad Mosen conditionem & affectum pensiculati at tendas, illum haud absimilē esse à moribus atq; affectione populi Iudaici ad Christum: vt quæ in Mosen facta sunt ab eo populo, quem eduxit de Aegypto & traduxit per desertum, sint tanquam typus quidam & figura eorum, quæ postmodum in Christum facta sunt à populo ludæorum, quem visitauit oriens ex alto. Neque id quidem absurdum: nam omnium confessione Moses typum expressit & imaginem domini nostri in liberatione populi ex Aegypto, ducatu illius in deserto et legislatione. Ita planè & Hebraicus ille populus rebellis & incredulus, cui moderādo Moses prefectus est, imago quædam erat atq; repræsentatio populi Iudaici, verbis Christi, quæ præsens hausit, & operibus eius coram conspectis, increduli semper & contranitentis. Vt de ipso meritò conqueratur dominus per Esaiā prophetam dicentē in persona Christi: Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas: populus, qui ad iracundiam

Psal. 21

Psal. 68

Esaiæ 53

Daniel. 9

Ioannis 8

Ioannis 1

Ibidem.

Esaiæ 53

Psal. 94

Exodi 7

Exodi 14

Exodi 17

Matth. 11

Matth. 12

Exodi 20

Exodi 23

Leuitici 1

Exodi 34

Nume. 14

Matth. 5

Lucæ 21

Lucæ 16

Ioannis 8

Ioannis 10

Exodi 32

Exodi 33

Numer. 1

Numer. 16

Nume. 14

Lucæ 23

Matth. 11

Lucæ 4

Ioannis 8

Lucæ 1

Esaiæ 65

Roma. 10

diam prouocat me, ante faciem meam semper. Itaq; tantam incredulitatem, & ani-
mi duritiam hoc loco cum admiratione quadā videtur insinuare Euangelista, ob-
stupens magnitudinem & grauitatem infidelitatis eorum, quæ à Christo tot tan-
tisq; signis factis, de corde eorum dimota ne utiqua m fuerit. Hanc autem tantam
eorum incredulitatem, à Propheta prænunciatam commemorat Euangelista, qui
spiritu sancto reuelante præuidens eorum, qui credituri erant, paucitatem, dixit
Esaia 53 Domine quis credidit auditui nostro, & brachium domini cui reuelatum est: Par-
ticulam, quis, Propheta nō pro omnimoda negatione, sed pro raritate posuit, quia
quod sancti propheta à Deo audierunt, & populo denunciauerunt, paucissimi cre-
diderunt. Et planè apud scripturā frequens est huius dictionis in ea ratione & ac-
ceptiōe vsus, vt in Psalmo: Delicta quis intelligit: & in Ecclesiastico: Beatus diues,
Psal. 19 qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia
Eccli 31 & thesauris: quis est hic: & laudabimus eum. Satis autem constat, brachium domi-
ni, ipsum Dei filium nuncupatum, qui virtus est ipsius patris. Quomodo & in can-
tico sacrosanctæ virginis dicitur: Fecit potentiam in brachio suo. & crebrò apud
Lucæ 1 prophetas hoc pacto sumitur. Nō quidem, quòd Deus pater figura detineatur car-
nis humanæ, sed quia omnia per ipsum filium facta sunt, ideo brachium domini
Ioannis 1 dictum est: quando quidem homines potissimam operandi vim brachijs exercēt.
Si enim homo tanta potestate præualet, vt sine villo motu corporis sui, quod dice-
ret, fieret, brachium eius, verbum ipsius esset. Non autem patet occasio erroris istius,
qui dicunt: quia solus pater, si brachium eius est filius: non enim duæ, sed vna
persona est homo & brachium eius: non intelligentes, quomodo verba de rebus
alijs ad res alias propter aliquam similitudinem transferantur. Quidam autem in-
ter se mussitant, quæ culpa fuit ludæorum, quòd non crediderint, si necesse erat vt
sermo Esaia impleretur: Quibus respōdemus, Deum præscium futurorum, per
Prophetam prædixisse infidelitatem ludæorum, non fecisse. Nō enim propterea
quenquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam nouit
ipforum enim præsciuit peccata, non sua. Fecerunt ergo peccatum ludæi, quòd fa-
cturos esse prædixit, quem nihil latet. Non igitur vocabulum, vt, in litera causale
est, sed euentus indicatiuum. Nō enim quia dixit Esaia, non crediderunt: sed quia
non erant credituri, propterea Esaia dixit.

Caput XXI.

Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaia: Excæ-
cauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant ocu-
lis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Hæc
dixit Esaia, quando vidit gloriam eius, & loquutus est de eo. Quod hic di-
cit Euangelista, non immeritò scrupulum & ambiguitatem inijcere cuiq; posset.
Si enim credere non poterant ludæi, quòd peccatum est hominis non facientis,
quòd nō potest facere: Et quòd est grauius, ad Deū causa refertur: quando quidem
ipse excæcauit oculos eorum, & indurauit eorum cor. Non enim hoc in præsentī
loco de diabolo dicitur, sed de Deo. Sed quare nō poterant credere: adhibēda est
responsio: quia nolebant. Sicut enim q; Deus negare se ipsum nō potest, laus est vo-
luntatis diuinæ: ita quòd illi non poterāt credere, culpa est volūtatis humanæ. Hoc
autem loquendi genus & in communi vsu obseruatur: vt cū quis dicat, non pos-
sum amare illum, aut obliuisci illatæ iniuriæ, aut veniam dare offensionis in me fa-
ctæ. In quibus omnibus non omnino designatur impossibilitas, sed difficilis ad id
animi inflexio, propter vehementē ad oppositum propensionē atq; procliuatē,
Quemadmodū qui odio alterum insectatur, difficile admodū inflectere animum
potest ad illius amorē propter odij vehementiam: hinc dicit se illum amare nō pos-
se. Cōsimilī modo dicit Hieremias: Si mutare potest Aethiops pellē suam, aut par-
dus

Esaia 53

Psal. 19
Eccli 31

Lucæ 1

Ioannis 1

Esaia 6

Hiere. 31

A dus varietates suas, & vos poteritis benefacere, quum didiceritis malum. Ita excæ-
catio & obduratio animi eorum reddidit eos ad credendum difficillimè disposi-
tos: hinc dicti sunt hic non posse credere. Verū is sermo nobis tantundem signi-
ficare debet, atq; si diceret ipsos noluisse credere, vt nomen potestatis ibi ponatur
pro voluntate, quòd crebro est scripturæ in vsu, quemadmodum quum ait domi-
nus in Euangelio: Qui potest, ait, capere capiat, id significans eo sermone, quòd qui
vult amplecti id vitæ institutum, quo fiat eunuchus caltrans se propter regnū Dei,
Matth. 19 amplectatur ipsum: non enim præcepto constringit quempiam Deus ad capessē-
dum illud viuendi genū, sed solum consulit, & salutari admonet consilio ipsum es-
se arduum & sublime: idcirco in cuiusq; relinquit arbitrio, vt si velit illud aggredi,
aggrediatur. Alio etiam in loco dicit Christus in Euangelio: Non potest mundus
Ioannis 9 vos odio habere, me autem odio habet. Quo verbo significat mundum hominēs-
que mundanos nolle illos odio prosequi, qui secularia sectantur desideria, & ho-
nores mundi aucupari student, gloriamq; popularem captare. Ita de aliquo iam diu-
tius assueto vitijs dicere solemus, quòd nō potest ad bonum conuerti, & consuetu-
dine diuturna contracta malitiam relinquere: non id innuere volentes quòd impos-
sibile sit illi benè operari, sed quia non vult, ideo non potest, & ibidem fumentes
potestatem pro voluntate, quemadmodum & hoc in loco, quum dicit Euangeli-
sta de ludæis, propterea non poterant credere. Id ita accipere debemus, atq; si dice-
ret, propterea nolebant credere. Impossibilem siquidem erat Esaia prophetam,
Ioannis 12 qui prædixerat futuram ludæorum incredulitatē, mentiri: nō tamen propterea im-
possibile erat vt ipsi crederent. Licebat enim, etiam illis credentibus, verum esse
Prophetam: nō enim prædixisset Propheta eorum incredulitatem, si fuissent cre-
dituri. Sed percontabere forsan, quid ergo nō ita dixit hic Euangelista, quòd quo-
niam non erāt credituri ludæi, Propheta id prænunciauerit, sed potius conuersam
innuere videtur sententiam, quòd quoniam prædixerat Propheta non credituros
Iudæos, ipsi non erant credituri: In promptu est responsio, quoniam proprietates
quasdam, loquendiq; certas formas habet scriptura, cuius legibus, præscriptisq; re-
gulis est concedendum. Et recipienda quidem est scripturæ locutio: sed recta eius-
dem intelligentia est exquirenda. Cæterum excæcat Deus & obdurat, non efficiē-
do illa in cordibus hominum, sed deserēdo & non adiuuando. Quia enim priores
eum deserimus, ipse culpis nostris id exigētibus etiam nos deserit, secundum il-
lud Osee: Et oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego. Ex eo verò
Osee 4 quòd nos deserit, gratiæ suæ splendorem subtrahendo & affectus feruorem, re-
linquitur in nobis excæcatio & obduratio, cuius nos ipsi soli autores sumus præci-
pii. Perinde atq; si quis sponte se auertat à sole, & densas incurrat tenebras: hæc defi-
cientia luminis in oculis eius, non solis absentia, sed solum eius culpæ est adscri-
benda. Quæ verò Deo permittente fiunt, sæpenumero à scriptura exprimuntur
perinde atq; ea efficeret, vt in Exodo: Ego indurabo cor Pharaonis. Et Paulus ad
Exod. 7 Romanos: Propterea tradidit eos Deus in passiones ignominia. & plerisq; alijs in
Roman. 8 locis idem obseruatum occurrit. Itaque excæcauit eos Deus & obdurauit: quia o-
culos intimos animi malitia excæcari passus est, & cor eorum ex peccandi consue-
tudine obdurari. Hinc autē effectum est, vt oculis interioribus nō viderint, neq; cor-
de intellexerint mysteria Dei, & proinde neq; cōuersi sunt ad dominū, neq; à mor-
bo sui peccati curati. Porro vt Propheta testimonium modò adductum sit appro-
batius & indubitatus, consequēter Euangelista subiungit, quando huiusmodi ver-
ba à Propheta dicta sunt, eoq; in tēpore prolata cōmemorat, quando vidit gloriam
eius, scilicet filij Dei, & locutus est de eo, vt pote cū testat se vidisse dominū seden-
tē super soliu, & plenam omnē domū fuisse maiestate Dei, & Cherubin stantia. Vi-
dit autē Esaia Deum, nō sicuti est, sed modo quodam significatiuo, sicut propheta
Esaia 6 visio fuerat efformanda. Nemo ergo vos fallat eorū, qui dicūt inuisibile patrē, &
VV iij visibilem

visibilem filium, qui putant hunc esse creaturam. In forma enim Dei, in qua est æqualis patri, etiam filius invisibilis est. Ut autem ab hominibus videretur, formam serui accepit. Ostendit se etiam, antequam susciperet carnem, oculis hominum: sicut voluit in subiecta creatura, non sicuti est. Nam quemadmodum superius dictum est: Deum nemo vidit unquam.

Caput XXII.

Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Phariseos non confitebantur, ut de Synagoga non eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.

Ioannis 7 Dixerant prius Pharisei: Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum: volentes insinuare, nullum principum Christo per fidem adhasisse. Id nunc Euangelista falsum esse comprobat, & multos ex principibus in Christum credidisse scribit. Verum infirma & inualida fuit eorum fides: nam corde tantum seruabat, & non ore propalabatur, neque opere complebatur, cum tamen dicat de illo quous Paulus: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: potissimum ubi confessionis opportunitas & necessitas occurrit. Isti autem principes timentes offendere Phariseos, si palam Christum confiterentur, & cum ignominia de Synagoga eijci, hominibus magis Deo placere studuerunt, & hanc ob rem in via domini minus recte inceserunt, cum dicat Psalmus: Dominus dissipat ossa eorum, qui hominibus placent. Et Paulus: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Et de talibus loquitur dominus in Euangelio: Qui erubuerit me coram hominibus, erubescam & ego eum coram patre meo. Causam denique subnectit Euangelista, quare palam Christum non sint ausi confiteri: quia dilexerunt, inquit, magis gloriam hominum, quam gloriam Dei. Gloria quidem Dei est, publice confiteri Christum: hominum vero gloria est in mundanis gloriari. Gloria ergo hominum diligebant, quia de consortio Synagoga potius Christi videri volebant, potius offendere Phariseos, quam Deum, ne notam apud homines incurrerent, timebant: cum contra de veris Christi discipulis dictum sit: Beati estis cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in celo. Rursum de apostolis dictum legimus: Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilij, quonia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumelia pati. At qui conspirauerant Iudaei, quod si quis Iesum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret. Itaque ne illa perstringerentur ignominia, supprimunt Christi confessionem et tacent, minus reuera constantes, quam fuerit cæcus ille illuminatus a domino, qui intrepidè Christi nomen confessus est in propatulo, & coram frequenti corona virorum, ciecusque de Synagoga, a Christo benigniter susceptus est.

Caput XXIII.

Iesus autem clamauit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Et qui videt me, videt eum qui misit me. Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Quia amor humanae gloriae principes credentes confiteri Christum prohibebat: neque id mirum, nam ille etiam multos ne crederent, detinebat, quemadmodum superius dixerat dominus: Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quam a solo Deo est, non queritis: idcirco contra hoc clamat dominus, fructum fidei ex maiestate eius, in quem creditur, extollens. Clamor autem ille, non tantum vocis elatione, quam mysteriorum dicendorum magnitudinem, & affectum animi ad salutem humanam designat. Cum enim magis insonet auribus Dei ardor affectus, quam vocis magnitudo, sepius in scriptura affectus vehementia nomine clamoris denotatur, ut in Psalmis:

De pro-

A De profundis clamaui ad te domine, domine exaudi vocem meam. Et alio loco: Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Porro quia Christus homo apparebat hominibus, quum lateret Deus, ne putarent eum hoc esse tantum quod videbant, talem ac tantum se volens credi, qualis & quantus est pater, qui credit in me, inquit, non credit in me, id est, in hoc quod corporeis oculis videt coram: sed in eum qui me misit, id est, in patrem, qui eiusdem mecum est substantiae, & cuius sum unigenitus secundum naturam filius. Non itaque paruū existimetur aut exiguum in me credere, etiam propter humanam continentendam gloriam: nam id ipsum est itidem in Deum patrem credere, & illi per veram fidem adherere. Si itaque nullus, quacumque ex causa, reculare debet in Deum credere, neque itidem credere in me ipsum refutare debet, quandoquidem in unum sine altero fides haberi nequaquam possit. Ut autem amplius ostendat omnimodam identitatem, & æqualitatem sui ad patrem, subiungit: Qui videt me, videt & eum qui misit me. quasi dicat: Usque ad nihil distat inter ipsum & me, ut qui me videt, protinus videat & eum qui misit me, propter similitudinem in natura, naturalibusque proprietatibus vtriusque. Ita dicturus est postea ad Philippum: Qui videt me, videt & patrem meum. Non autem hic visio dicitur, obiecti & coram existentis corporis conspectio: non enim corpus, sed spiritus est Deus: sed consideratio veri, quae est per intellectum, & fides in Deum, hic visio dicitur. Denique ad fidem inuitat, ex copioso fructu, & utilitate enascente in ijs, qui rectam fuerint amplexi fidem, significatque aliud quiddam & maius de se credendum, quam de cæteris hominibus, dicens: Ego lux in mundum veni. Lucem autem se hic vocauit, sicut & superioribus locis, quia ab errore eripit, & intellectuales tenebras soluit. Et reuera ipse lux est primaria, omnes illuminans, & ab alio illuminationem non participans. Cæteri autem diuinae lucis participes, interdum quidem lux dicuntur: sed illuminantur ab eo primum, deinde suscepta illuminationis supernae dona in alios distribuunt. Venit autem lux ista vera in mundum, ut omnis qui credit in eum, in tenebris non maneat: sed si prius in caligine vitiorum oberrabat, eripiatur ex horrenda illa nocte, & transferatur in lumen. Si igitur natura homines horrescunt tenebras corporales, & illis offusi, trepidatione agitantur & horrore, magnique beneficii loco ducunt illis eximi tenebras, & infusa luce illustrari, quis non merito amplius exhorruerit spirituales tenebras, erroris & vitiorum horrore plenas: quis non laborauerit illis depulsis, & illata animo luce, ad veram Dei cognitionem perducere ad lucem illam æternam, in qua tenebrae non sunt vllae (ut dicit Ioannes) fidei merito transferri.

Caput XIII.

Et si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico eum. Non enim veni ut iudicem mundum, sed ut saluificem mundum. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem loquutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Solet bonus legislator & premia proponere ijs, qui obseruabunt legem, & poenas decernere praeuaricatoribus, ut his absterreantur a maleficio, illis vero incitentur ad bonum. Haud secus legislator noster Christus paulo ante fructum, quem consequentur credentes in eum, expressit. Hoc vero loco damnationem & poenam, quam incurrunt increduli, comminatorijs verbis explanat, dicens: Si quis audierit verba mea, auribus scilicet corporis dumtaxat insonantia, & non custodierit ea executione operis, ego non iudico eum, hoc scilicet primo meo aduentu, qui non est ad iudicandum, sed saluandum mundum, quemadmodum superius dixit ad Nicodemum: Non misit Deus filium suum ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Et alio loco: Non venit filius hominis animas perdere, sed saluare. Nepe nunc tempus est misericordiae, non iudicij. Ne autem quis spernit existimet propterea incredulos terribile Dei iudicium euasurum.

Psalm. 129
Psalm. 101

Ioannis 14

Ioannis 8

1. Ioannis 1

Ioannis 6
Luca 9

Ioannis
Actor. 9

Ioannis 8

Hebræ. 10

euafuros, subungit: Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. In rebus humanis, qui non accipit mandata regis, sed abijcit, ea cōtemptione & regem quoq; spernit. Filius itidem, qui non accipit verba patris, sed paruipendens irridet, is & patrem aspernatur. Nimirum igitur qui non accipit verba Christi, sed reijcit, reuera Christum spernit, & horrēdo referuatur iudicio. Nempe sermo quē locutus est Christus, iudicabit eum in nouissimo die. Quibus quidem verbis factis manifestauit, seipsum in nouissimo die incredulos, & sui contemptores iudicatarum, sicut prius dictum est, quōd pater omne iudicium dedit filio, & constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum, dedit enim pater ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est. Seipsum quippe Christus locutus est, seipsum mundo annunciauit, vt verbum quod se & alia explicat, vt lux quæ seipsam in primis & alia manifestat. Testatus est enim se filium Dei patris esse, se à Deo processisse, & in mūdum venisse. Quod si quis sermonē Christi intelligere velit, verba quæ Christus ad populum prædicans protulit, neq; hic sensus à proposito erit alienus. Quem admodum enim lex ciuilis dicitur iudicare latronem, quia ostendit eum iudicio & capitali supplicio dignum: ita quoq; opera Christi, & præcepta suis ipsius verbis explicata iudicabunt infideles, quia apertè prodent eos æterna condēnatione dignos esse. Quum enim præceperit Christus nemini inferendam calūniam, non esse irascendum fratri, non temerè iudicandum proximum, non deniq; alteri faciēdum, quod non velle nobis fieri: qui aliquid istorū admiserit, ostendetur ex his domini verbis reus gehennę ignis. Quōd si horrendum est incidere in manus Dei uiuentis, si durum tali iudicio subiacere, quum tempestiua adest hora, accipiamus libenter verba Christi, & opere compleamus, non spernamus eum, qui vēturus est nos iudicare: sed prōpti et alacres amplectamur eius mandata, eaq; seruantes ipsum colamus & honoremus.

Octauī Libri & vltimī Cyrillo a Clichoueo adiecti FINIS.

D. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI
Commentariorum in Euangelium diui
Ioannis Theologi Lib. IX.

Caput I.



Via ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam & quid loquar, & scio quia mandatum eius vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor. Reducit in memoriam Hebræis eorum, quæ à Mose de ipso scripta sunt, commodissimeq; carpit impietatem eorum, subaperiens quia legem etiam ipsam, quam diuinitus Mose datam credebant, summopere contemnebant. Quid porrò de Christo Moses scripsit, neminem esse arbitror qui nesciat, perstringam tamen, vt totus hic locus facilius intelligatur. Prophetam, inquit, suscitabit vobis Deus ex medio fratrum vestrorum sicut me, id est, qui legem faciet, qui mediator inter Deum & homines erit, & ponā verba mea in ore eius, & loquetur ad eos, quæ præcepero illi. Quicumq; autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existā. Duo ergo simul facit: nam & Deo patri repugnare illos ostendit, qui non audiant verba

Deuter. 18

A verba eius, & seipsum illum esse prophetam declarat, qui voce Dei patris patris priscis temporibus venturus nunciabatur. Et quodam modo quamuis qui tardi sint, nisi doctrinam eius audiant, in euitabili cruciatu subiectos fore subaperit. Quomodo enim qui Dei præcepta negligunt, qui mandata eius viuificare pellunt, summis non vexabuntur supplicijs? Aut quomodo vitæ participes erunt, qui mandata vitæ spernunt: iure igitur Propheta de ipsis dicebat: Terra terra, audiaudi verbum domini. Ecce ego mittam mala in populum hunc, quia legi meæ non attenderunt, & verbum meum repulerunt. Duobus sanè criminibus Iudeos adstringi maximè comperimus. Nam neque legem quam defendere simulabant, qua venturus esse Christus prædicabatur, audierunt, nec saluatoris verbis, qui se illum esse prophetam, qui expectabatur, apertè dicebat, attendere voluerunt. Nemo autem putet, quia nihil à se, sed quæ pater præcepit, loquitur: idcirco aut secundum substantiæ, aut secundum dignitatis alicuius rationem, minorem patre videri, sed illud reuoluat animo, & nobis rogantibus respondeat: vtrum prophetæ nomen & rē ipsam Deo secundum naturam conuenire putet: non dubito quin absurdum omnibus videatur prophetam appellari Deū, qui per prophetas loquitur: qui visiones multiplicauit vt scribitur: verum quoniam seruitutis nomen & habitum similitudine nostra verè assumpsit, & hoc modo vocatus propheta est, congruenter etiam quæ prophetæ conueniunt, à scriptura sibi attribuuntur: ita & audisse à patre, & mandata accepisse quid dicat, & quid loquatur, verè scribitur. Ad hæc nimirum rudiore legis sensu præoccupati Iudæi, à Deo ipsam datam credentes, saluatoris verba ad spirituale cultum omnia traduentis, nullo modo suscepissent. Non enim sciebant natura illum esse Deum, nec in mentem sibi veniebat, vnigenitum patris verbum carnem nostram propter nos assumpsisse. Nam si id credidissent, nullo modo doctrinam eius repudiassent, sed quia hominem miserè nudum esse credebant, idcirco non patiebantur legem, vt ipsi putabant, ab eo dissolui. Vnde impudenter clamare solebant: non petimus te lapidibus de bono opere, sed de blasphemia, qui quum sis homo, Deum te ipsum facis. Optima ergo dispensatione dominus noster Iesus Christus ab hac eos falsa opinione remouens, & ad suscipienda verba sua impellens, à nudo homine ad Deum patrem orationem traducit, omni ratione ac via corda molliens Iudæorum, ac varijs modis mentes eorum pertractans. Hæc quamuis sufficere ad repellendas hæreticorum falsas arbitror rationes, qui minorem patre filium putant: quia nihil à se, sed quæ audiuit, mandata loquatur: addam tamen non nihil, quo illorum contumelia penitus denudetur. Age igitur nullam facientes de mysterio incarnationis rationem, rectè de ipso filio Dei posse illud dici ostendamus, quia ego à meipso non loquor, sed qui me misit pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Nam quum ipse sit viuum atq; subsistens Dei patris verbum, necessariò quæ sunt à patre interpretatur, voluntatemque patris in lucem protrahens, quasi mandatum inde accepisse ait. Quod exemplo à nobis sumpto planius fiet. Hic enim sermo quem proferimus, qui verbis compositus, voce ad exteriora prolabitur, mentis nostræ cogitationes, quasi quædam eius mandata in lucem effert: nec id longo tempore facit, simul enim mens concepit, & quæ concepit, voci tradidit: vox autem ad exteriora profusa, quæ in profunditate mentis sunt, interpretatur, nihil de mandatis sibi commutans. Quid igitur mirum ô vos, aut quid impossibile videtis, diceret aliquis, si quum verbum patris filius sit, non sicuti nostrū (omnia enim excedit Deus) patris consiliū interpretatur? Nonne idcirco prophetica etiā autoritate magni consilij angelus appellatur? Nulla igitur vel secundum substantiā, vel secundum dignitatē imminutio inesse filio intelligitur: quia à patre mandatū accipere scribitur, præsertim quum nos quoq; ipsa mandata cæteris demus, imperemusq; vt faciant. Neq; hac de causa illos à naturali similitudine nostra depellimus: sed idē sunt secundū naturā, nobisq; cōsubstantiales,

Hierem. 23

Osce 12

Ioannis 10

Blata 9

les, tam antequam eis mandauerimus, quam posteaquam imperia nostra subierint. Sed dicit fortassis quispiam, consubstantiales quidem esse, dignitate autem minores, quia alienis ministrant imperijs. Sed si non esset de vnigenito scriptum, & tu, quicumque es, qui ista dicis: Quia quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo: sed seipsum exinaniuit formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo, humiliavit seipsum: non nihil fortassis hæc tua ratio ad ferre videretur, verum quoniam subiectionis atque humiliationis modus apertissime patet, cur ita insurgis in eum, qui propter nos humiliatus est: Vndiq; igitur in rectitudinem dogmatis verba hæc reducentes, per dispensationem à Christo dicta fuisse adserimus.

Caput II.

Caput Ioannis XIII.



Nte diem autem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit eius hora, vt transeat ex hoc mundo ad patrem: quum dilexisset suos, qui sunt in hoc mundo, in finem dilexit eos. Subobscurum est quod dicitur, nec simplicem sensum continet: cuius enim rei gratia signanter modò dicere videtur, ante diem festum Paschæ, sciens quia venit hora, vt transeat ex hoc mundo ad patrem: quid autem est, quum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos: Illud igitur vt breuissime primò perstringamus, dicere mihi videtur, ante salutarem passionem, quum sciret Iesus proximè iam tempus esse, vt ad cælos transiret, perfectam erga suos, qui erant in hoc mundo, dilectionem ostendit. Verum vt latius totam rem amplectamur, non grauabor repetere, quæ aliàs dicta sunt. Intellectuales, rationalesq; substantiæ, Virtutes, Dinationes, cæteraq; huiusmodi, propriè saluatoris sunt creatiõis ratione: sed rationales etiam, terrestresq; substantiæ, suæ propriè sunt ea ratione, qua omnium dominus est, etiam si nonnulli eum non adorant. Dilexit igitur suos in hoc mundo, non enim angelos, nec naturam angelorum apprehendit: sed quum Dei patris forma esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo: imò verò propter nos, qui in hoc mundo sumus, exinaniuit seipsum, & charitate sua erga nos formam nostram accepit, quum sit omnium dominus. Dilexit igitur suos, qui sunt in hoc mundo, & dilexit in finem, quia non ignorans quot, quantaq; passurus esset, libenter propter nos cuncta suscepit. Quum igitur, inquit, temeritatem Iudeorum, & crucis patibulum effugere potuisset, ad eò dilexit suos, vt non recusauerit pro vita omnium mori. Quod autem perfectissima hæc dilectio sit, ipsum saluatorem testem mihi citabo. Hoc est, ait, mandatum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Præterea non ignoramus, non paruo fuisse studio Evangelistis omnibus, sapius ostendere passionis tempus à domino fuisse præcognitum, ne quis hæreticorum insurgat, dicens infirmitate sua traditum, & Iudeorum laqueis irretitum, crucis patibulum non sponte sustinuisse.

Caput III.

Ioannis 13



T cœna facta, quum diabolus iam misisset in cor Iudæ Simonis Iscariotis, vt traderet eum: sciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia a Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit a cœna, & ponit vestimenta sua, & quum accepisset linteum, præcinxit se, deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Radicitus à mentibus nostris vt omnium perturbatorum turpissimam saluator arrogantiam euellit: non em̄ ignorat nulla magis agitudine animum hominis deprimi, cui etiam in se Deus resistit. Oportebat autem moderat-

Iacobi 4

A moderato atq; humili animo prædicatores veritatis (discipulos dico suos) inueniri, ne tanto facilius ad hunc detestabilem morbum, adiuumento Christi nõ roborati laberentur, quanto plures maioresq; ad huiusmodi scelus causas erant habituri. Solet enim illustribus viris, crudelis arrogantia bestia insilire. Quid autem apostolis illustrius, aut qui se Deo coniunctiores dicere potuissent: hic certè moribus in eos, qui nihil præclarum habent in vita, nunquam ingreditur. Quò enim eum tentabit, qui nihil habet, quòd sibi arroget: quem verò cæteri admirantur, is solet cæteris se facillè antepone. Nã quasi moribus atq; virtute præcipuus, præstare alijs putat: quæ cum ita se habeant, oportebat profectò vt humilitatis exemplum seipsum Christus illis præberet, quo imitatione domini ad voluntatem Dei mentes suas cõformarent, nec funditus aliter depellere hunc morbum docendo, persuadendoq; quis posset, nisi re ac verbis ostenderet ad eò humiliter de se quosq; opinari oportere, vt serui locum libenter ex animo sibi attribuant. Ministerium ergo serui suscepit, & pedes discipulorum linteo præcinctus lauit. Cõsidera quæso quàm seruile hoc ministerium, quàm infimum, si quis mundi huius honorem respiciat. Exemplum igitur Christus, nõ discipulis solum, sed omnibus eximia humilitatis proponitur. Propterea Paulus ad imitationem eius omnes hortatur, dicens: Hoc sentite in vobis fratres, quod & in Christo Iesu. Et rursus: Putate honore alios vobis præstare. Charitatis certè, cõcordiaq; fundamentum in humili animo iaci solet. Verum vt eius rei magnitudinem, quantum verbis humanis fieri possit, amplificet, ne paruum quid factum esse à Christo quisquam putet, mirabili quodam modo diuinus Euangelista gloriam & potestatem eius breuiter ante oculos posuit, cum dicat: sciens quia omnia dedit ei pater in manus. Quamuis, inquit, nõ ignorauerit omnium se rerum habere potestatem, & quòd à Deo exiuerit, id est, à substantia Dei patris emanauerit, & ad Deum vadat, id est, quod & rursus in cœlum ascendens patri cõglorificabitur: sic tamen seipsum humiliavit, vt linteo præcinctus, discipulorum lauerit pedes. Hoc exemplum habentes charissimi, & huius Christi charitatis imaginem intuentes, moderatè oro de nobis sentiamus, maiora semper præstantioraq; bona in fratribus esse existimantes. Hoc enim ipsum est, ad quod exemplo sui Christus nos inducere voluit.

Philip. 2
Roma. 12

Caput IIII.



Enit ergo ad Simonem Petrum, & dixit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes. Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nõ scis modo, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Vbiq; Petri animus feruentior esse videtur, & nunc more suo salutare tantæ humilitatis exemplum ex reuerentia magistri recusat. Considerabat enim quis ipse natura esset, & quis peluim abiectissimi vsus, serui ministerio loturus pedes, offerebat. Mirabilis quippe, horrorisq; plena res erat. Quis enim non perhorruisset, cum dominum omnium qui cum patre in cœlis glorificatur, huiusmodi ministerium discipulis exhibere videret: lure igitur tantæ rei pondus fidelis discipulus pertimuit, & solita sibi vsus reuerentiæ fructu recusauit, præsertim cum rei causam ignorans, putaret ad quandam solummodo corporis quietè, vt fieri solet, à domino illud cœptum fuisse. Lotio enim pedum, laborè status aut itineris mitigat, propterea feruenter prohibet, dicens: Tu mihi lauas pedes: Oportebat, inquit, oportebat nos qui natura serui sumus, nõ te qui dominus omnium es, officium id suscipere. Sed Christus quidem rei vtilitatè paulo post expositurum se pollicetur. Nos autem non parum hinc etiam proficere possumus, videtes temporum cuncta opportunitati cõmodissime distribui. In aliud enim sermonem transtulit tepus, quia opus instabat, cumq; occasio dicendi datur, ab agèdo desistit, verum Pe-

trus detrimentum, quod ex recusatione illa sequebatur, nō laubis mihi pedes in æternum, paucis didicit.

Caput V.

Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Perspicuum est quod dicitur. Nam nisi hanc mirabilem humanitatis, inquit, disciplinam suscipias, nihil tibi mecum cōmune erit: verū quoniam sæpenumero Christus ea quę de re vna dicit, generalius copiosiusq; intelligit, illud quoq; puto istis verbis significari. Nisi quis, inquit, peccati sordes per gratiam meam lauerit atq; absterferit, regni cœlorum non erit particeps: non enim intrabunt impuri in beatas illas mansiones, sed qui propter charitatem Christi conscientiam suam mundarunt, sanctificatiq; sancto spiritu per baptismū vnā cum Christo viuunt in æternum.

Apoca. 21

Caput VI.

Dixit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed & manus & caput. Qui modō lotionem acriter repulerat, hunc manus etiam & caput libenter offert. Nam si tanta mihi erumna, inquit, non loto impendet non solum pedes, sed totum adferam corpus, vt horrible detrimentū effugiam. Reuerentia igitur, ac tantę rei formidine, nō quia inobediens esset, primō negarat. Nam qui dignitatē saluatoris & mortalitatē suā cōsiderans recusabat, posteaquā huiusmodi detrimentū imminere prospexit, statim obsequitur. Tu autem non nihil fructus hinc tibi collige, exemploq; tibi Petrum proponere: qui etsi dixerit, non laubis mihi pedes in æternum, cedit tamen confestim maiori, nec pertinaciter contendit, sed citō se pœnituisse ostendit. Cauendum igitur, quantum fieri potest, ne temerario casu verba efferamus, sed si quid (homines enim sumus) exciderit, etiam si probē dictum videretur, quum tamen aliud melius appareat, non contendamus, sed quā primū, quod melius est, amplectamur: præstat enim verbis solūmodo peccare, quā magnarum etiam rerū detrimentū habere. Sed procul omnino à nostra lingua iuramentū sit, mutatur enim facillē voluntas: & ideo qui se iuramento adstrinxerit, is se detrimentō subiecit. Vtilissima enim quædā res est, aut nunquam, aut rarō lingua errare, verum quia nimium ardua est atq; difficilis, nemo enim linguam domare potest, vt dicitur, saltē iuramento nequaquam ad strictum proferamus sermonē, vt si cōditio temporum mutare propositū cogat, nō ad eō magna improbitate opprimamur, & facilius propter fragilitatem naturę, veniam diuinitus consequamur. Quis enim delicta intelligit, vt scribitur. Aut quo modo terrestris homo, lingua quę non facillē teneri potest, quum semper in verba prorumpat, non peccabit?

Psal. 18

Caput VII.

Dixit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus: & vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum, propterea dixit, non estis mundi omnes. A rebus corporeis quā aptissimē ad spirituales sermonē traducens, proditorē occultē arguit, ad pœnitentiā & meliores eum reuocans cogitationes. Nam etsi apertē ad huc mala eius consilia non denudet, acriter tamen, quū non esse omnes mundos adseueret, acerbēq; pungit. Sed cæteris quidem discipulis, vel quoniam Christo inhærebant, vel quoniam labore sequendī non fatigabantur, vel quoniam in fide firmi manebant, vel quoniam non parua charitate Christo afficiebantur, mundiciēs inerat. Proditori verō tam auaritię crimen, q̄ affectionis erga Christum infirmitas, inabstergibiles peccatorum ingessit sordes. Quum igitur Christus di-

Astus dicit, vos mundi estis, sed non omnes: quamuis occultius id dici videatur, conscientię tamen stimulus verborum vim ad eum apertissimē reuocabat, qui prodendī consilium ceperat. Tu autem vide, quā clementissimē ita res, primō causa verborum ex lotionē commodē capta, profertur, vt nec cæteri turbentur, qui forsitan repentina re commoti, aduersus proditorē insurrexissent, & proditoris conscientia, magnitudine criminis vehementer exagiteretur. Sed huius clementię magnitudinem quis non admirabitur? Videbat animum eius, cognouerat venenosa eum agitare consilia: honorauit tamen vt alios, & eius quoq; pedes lauit, charitatem vsq; in finem conseruans: & antequā crimina in exitum erumpant, illum non derelinquens, hæc mirabilis, perfectaq; clementia diuinę naturę propria est. Non enim quia nouit occultat vt Deus, propterea ilicōd punit, sed clementer ferens multis reuocat modis. Quum autem non modō non proficere homines videat, imō verō contrā suę improbitati inhæret: tunc iam permittit, prauū consiliū eorū, non diuinę voluntatis opus id esse ostendens. Ideo per Ezechielē dicit: Viuo ego, dicit dominus, quia nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Clementer igitur dominus noster Iesus Christus, quāuis in cor Iudę diabolus iam immiserat, vt eum traderet, vnā tamen cum alijs discipulis eum retinet, & pedes eius lauat: ita cum nulla causa incitatus esset, suę solūmodo prauitatis, tam nefandę proditoris consilium fuisse ostendit.

Ezechi. 18

Caput VIII.

Postquam ergo lauit pedes eorū, & accepit vestimenta sua, quum recubisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me magister & domine, & bene dicitis, sum etenim. Si ergo laui pedes vestros dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes: exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Apertissimē tūc ad imitationem humilitatis, exemplo se nobis proposuisse ostendit, inexcusabilesq; propter suam præstantiam reddidit arrogantes. Inde nanq; humilitatis Christi magnitudinem facillē perspicies, si considerabis, quod natura terrenum est atq; abiectum, non posse humiliari: quod enim descēdet, quod iacet: Sed quisquis in alto positus est, eum (si sponte humiliatus infima petiti) iure admirari debemus: quia vltro abiecta atq; tenuia, quę naturaliter non habebat, suscepit. Non igitur abs re dominus noster Iesus Christus cum discipulis suis, & per eos vniuerso terrarum orbi humilitatis exemplum traderet, non simplici ter dixit, vt ego feci vobis, sic & vos facere debetis: sed dignitatem & gloriam suam prius exposuit, vt hac re glorię cupidus deprimeret. Vos enim, inquit, vocatis me domine & magister, & bene dicitis, sum etenim. Ita breui hac ratione & fidelium ædificationi prouidit, & linguas eorum repressit. Nam quādo ad discipulos cū adiectione articuli dicit: Vos me vocatis domine & magister, ne quis putet non natura id ipsum habere, sed honoris loco sic à discipulis appellari, necessariō addidit, et bene dicitis, sum etenim. Non enim nudo homine, gratia honoris, dominus appellatur: sicuti nos natura quidem serui, gratia verō etiam vltra naturam nostram honorati: sed natura dominus est, qui omnia vt Deus creauit, ad quem canens Psalmista dicit: Quoniam omnia seruiunt tibi. Sed natura etiam magister est. Omnis enim sapientia est à domino, & omnis intellectus per eum: ipse vt sapientia, sapere facit intelligentias, ipse omni rationali creaturę, tam cœlesti, quā terrestri, naturę suę idoneam intelligendi vim inserit. Et quemadmodū quum ipse sit vita, omnia vitę susceptibilia viuificat, sic quum ipse sit sapientia patris, sapientiam cunctis susceptibilibus immittit. Natura igitur dominus & magister, filius est. Quando igitur tantus in gloria ego, inquit, ad tantam deuenire humilitatem non sum dedigna-

Psal. 118

Eccli. 1.

1. Corin. 1

tus, vt etiam pedes lauerim vestros, quomodo vos recusabitis alter alterius pedes lauare? Hinc discimus non debere nos honori proximorum insilire, sed præponendos semper putare proximos. Optima sanè disciplina, animo enim nihil arroganti quid exæquabitur: Præsertim quum videamus nihil magis fratres atq; amicos dissepere, quàm miseræ gloriæ nimia cupiditas. Semper enim maius eligimus, semper fulgentioribus inhiare caducus & instabilis huius vitæ honor lubricam mentem nostram impellit. Quare si volumus ab hoc detestabili morbo, & inani cupiditate liberari (nihil enim aliud hæc cupiditas, quàm deceptio est) Christum saluatorem nostrum toto animo complectamur, qui discipulorum pedes lauit, vt & nos alter alterius pedes lauemus. Sic enim omnis arrogantia via concludetur, omnis gloriæ species procul abibit. Nam si natura dominus, sicuti seruus inter discipulos fuit, quomodo nos natura serui atrocem fugiemus pœnam, si tanto moniti exemplo non proficiemus?

Caput IX.

Amen dico vobis, non est seruus maior domino suo, nec apostolus maior est eo, qui misit eum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Legibus quasi firmis exemplis virtutem confirmat, detrimendi penam præcepti præuaricationem ostendens. Quod enim iure iurando firmatur, non absq; culpa contemnitur. Inexcusabile namq; inquit, certè crimen seruorum est, si maiora quàm domini sui sapiunt. Arrogare namq; est maiora quàm ferre possis, desiderare. Apostoli similiter vituperandi sunt, qui præstantiora sibi poscunt, quàm habeat qui eos misit, præsertim quum sufficere illis mittentis dignitas debeat. Ita mihi non aliud dicere videtur, quàm non paruam hominibus pœnam imminere, si quum natura serui sint, ea tamen facere alter in alterum nolint, quæ ipse quum natura Deus & dominus sit, in discipulos fecit. Turpè enim est, furoribus omnino plenum; quum sitis serui, ait, erubescere propter arrogantiam id in consimiles seruos facere, quod in vos dominus vester fecit. Si hæc igitur scitis, inquit, id est, si hæc intelligere penitus potestis, beati estis, si facitis ipsa. Non enim magnum est virtutem cognoscere, sed studiosè agere, id certè maximum est. Ego autem æstimo melius modo quodam esse nescire, quàm quum scias, per ignauiam negligere; & quod bonum esse credideris, ex desidia præterire. Qui voluntatem ignorauit, ait, domini sui, & non fecit, vapulabit paucis; qui autem sciuit & cõtempserit, vapulabit multis. Qui enim ignorauit omnino, etsi culpa teneatur, quia discere fortè neglexerit, veniæ tamen petitio idonea ignorantia esse videtur. Scientem autem ipsa conditio condēnat. Contempserit enim, nec fecit quod probè cognouerat. Quæ igitur bona esse cognoscimus, peragere non negligamus. Nam quum probè disciplinam viuendi secundum Christum non ignoremus, magnam in tempore opportuno retributionem habebimus, rectè viuentes. Magnus enim, qui facit & docet, in regno cœlorum, vt saluator ait, vocabitur. Quid enim, quod ad pietatem pertineat, ei deest, qui & verbo & opere probus est: aut quomodo talis vir à Deo non honorabitur? Quando operibus cognitio, & opera cognitioni coniunguntur, tunc non parua utilitas consequetur. Nam si quis vnum esse Deum natura nouerit, & tam corde, quàm lingua id confitetur: quamuis id rectè faciat, morietur tamen, nisi operum fulgor cognitioni adueniat. Quomodo igitur non insani penitus est, si quod bonum sit noueris, & viuere benè contempseris: hac de causa fore beatos discipulos dicit, id est, credentes in eum, si non modò intellexerint quæ docuit, verum etiam sincere integrèq; peregerint.

Caput X.

Non

A On de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim. Sed vt impletur scriptura: Qui manducat meum panem, leuabit contra me calcaneum suum. Non parua hic locus obscuritate contegitur. Nā cum beatos fore illos dixisset, qui quum virtutis cognitionem habeant, cura, studio, opera non aliter quàm nouerant, facere nituntur: statim subiicit, non de omnibus se dicere, proditorum (vt multis & mihi videtur) significans. Nunquàm enim inter beatos tanta impietate detētus enumerabitur: & hic quidem vnus sensus est, alter autem ad hunc rectè (vt puto) adijci potest. Nam quoniam dicturus secundum scripturam erat: Qui manducat panem meum, magnificauit super me supplantationem, id est, calcaneum aduersus me suum eleuauit, quum omnes discipuli panem suum manducarent vnà cum eo viuentes, ideo ne de omnibus id dicere videretur, mitigauit prius dicens, non de omnibus vobis dico. Ego enim scio quos elegerim, sed vt adimpleatur scriptura, dicens: Qui manducat panem meum, leuabit contra me calcaneum suum. Horum sensuum alterutrum quem velit, vnusquisq; comprobet. Omnia enim ad ædificationem legentium dicimus. Sed quæret aliquis primum, si omnia scire Christus creditur, cur ludam, qui futurus proditor erat, elegerit? Cur enim cum alijs eum connumerauit, quem non ignorabat quæstus cupiditate captum, in diaboli laqueum esse casurum? Deinde si calcaneum suum aduersus Christum leuauit, vt adimpleretur scriptura: non fuit sanè ipsius rei causa, sed vis illa, quæ adimplere scripturam omnino cogebat. Ad hæc nos breuiter propter communem utilitatem respondentem, primum illud dicimus, nunquam huiusmodi nobis rationes de futuris, nec finem vnquam nos esse facturos increpandi, carpendiq; Deum, qui propter immensam suam misericordiam à nihilo ad esse omnia vocauit: si sic imperitè affecti erimus, vt in omnibus, quæ à Deo facta sunt, similia velimus excogitare. Quid enim prohibebit incusare Deum, ac dicere: Cur in regem, Saulem elegisti, quem sciebas gratiam tuam esse sprecurum? imò verò cur primum à terra hominem formasti, quem non ignorabas mandata non seruaturum? Ascendet hæc oratio etiam in superiora. Cur enim angelorum naturam creasti, quum vt Deus præuideris futuram non nullorum rebellionem? Ex istis, cæterisq; huiusmodi illud porro sequetur, vt præcognitionis causa, aut nihil omnino creare debuerit, aut insensatam solummodo naturam producere, vnde nec natura esse Deus cognosceretur. Illud igitur maximo perè considerandum est, quia rationali creaturæ liberam potestatem creator largitus est, & suæ voluntatis habenas cuiq; commisit, vt in eo sit, quicquid probauit eligere. Qui ergo ad meliora flexi sunt, hi gloriam atq; retributionem electioni suæ consentaneam inuenient: qui verò improbis cogitationibus seipos deprauarunt, cupiditatum fluctibus ad scelera deducti, non iniuria, vt ingrati atq; improbi, æternis vexabuntur supplicijs. In hoc statu (libertatis dico) fuit angelorum natura constituta. Quare qui principium suum seruarunt, in gratia confirmati, stabilem atq; firmam bonorum possident sedem: qui autem principio relicto suo ad peiora delapsi sunt, catenis tenebrarum seipos adstrinxerunt, & perpetuæ damnationi seruantur. Sic & primus homo in paradiso, & spiritalibus delictijs ac gloria positus, seruasset prima profectò naturæ bona, nisi crimine inobediencie mandata sibi diuinitus neglexisset. Sic & Saulem vnxit in regem, fuit enim primò non improbus, quumq; postea solitam sibi probitatem non seruaret, non iniuria vexabatur. Sic ludam quoq; ipsum elegit, & cum duodecim collocauit: aptus enim in initio erat, qui ad sequendum Christum eligeretur, verum quoniam postea sensim turpi quæstu victus, diabolo adhæsit, & ad prodendum vsq; delapsus est, merito repulsus fuit. Nihil ergo in eum possumus dicere, qui probum elegit: qui si voluisset, non cecidisset, qui poterat totam mentem atq; animum suum in charitatem Christi collocare. Nemo autem putet, vt breuiter etiam alterum peragamus, idcirco

Questio bi partita.

Responso ad primam partem.

1. Reg. 9

Ibidem.

Responso

XX in co quæ

Lucæ 12

Matth. 5

ad secun-
dā partem

eo quæ à prophetis dicta sunt, in exitū venire, vt adimpleatur scriptura. Nam si sic
esset, laudari potius, quàm vituperari tanquam scripturarum ministri nequā homi-
nes possent, quippe nec deliquisse omnino viderētur, si coacti fecissent. Nam si ad-
implere scripturā necesse esset, illi per quos adimpleretur, nullo crimine profectō
tenerentur. Præterea in scripturæ autorem culpa redundare videretur, siquidem, vt
adimpleretur scriptura, vi quadam mala cōmiserint. Sed quis ad eod rationis ac men-
tis inops erit, vt scripturam sancti spiritus, peccādi causam attulisse homini vnquā
credere possit. Non ergo vt adimpleatur scriptura, nec ista de causa facta sunt à qui-
busdam, quæ scriptura prædixit, sed contra, quoniam ita nonnulli sponte facturi e-
rant, idcirco præsciens spiritus sanctus futura prædixit. Cū igitur facta sunt, quæ
prædixit, pignus fidei prædictionem habentes, eum iam cognoscimus, de quo ista
prædicta fuerunt.

Caput XI.

A Modo dico vobis priusquam fiat, vt quum factum fuerit, creda-
tis quia ego sum. Necessariō, inquit, quæ mox futura sunt, vobis enar-
raui. Non enim paruam hinc vtilitatem comparare poteritis. Dico igitur
amodō, inquit, vobis, vt quum factum fuerit, exitum rerum videntes, illum me esse
se credatis, qui nihil falsi, nihil vanum atq; inane proferre solcam, & quem scriptu-
ra venturum prænucliauit. Simul ergo & proditor em occultius arguens reuocat,
& proditoris exitum, signum ait fore, quod ipse sit Christus. Nam qui diligenter,
quæ de proditore scripta sunt, examinat, rebusq; accommoat, is facile intelliget, de
eo ipso, non de alio scriptum esse.

Caput XII.

A Men amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit: qui
autem me accipit, accipit eum, qui me misit. Quum vel à prodito-
ris ipsius infania se esse Christum ostenderit, occultius adhuc & illi vtili-
ter, in quæquam mentis habuisset, sic carpit, vt honorem atq; benevolentiam oēm
sibi exhibitam in Dei patris personam referri adserat. Nec tamen id præcipue, sed
contrarium potius intēdit: nec dixit, qui non honorat filium, nec patrem honorat,
vt alibi: sed moderatius à contrario vno alterum auditoribus intelligendum reli-
quit, minus opus cœptæ proditoris scelere iam iam futuro. Quemadmodum ergo,
inquit, si quis acceperit quem misero, me ipsum non alium accipiet: sic si quis
me acceperit, qui à patre missus sum, ipsum patrē accipiet. Hoc modestius dictum,
si ad contrarium verteris, in ipsum patrē proditoris contumeliā ascendere vide-
bis. Minandi ergo modus in his verbis continetur, & veluti si quis hominē à Deo
missum suscipiat, quum prædicationi eius assentiat, Deum qui prædicatur, hono-
rat: eodem arbitror pacto qui dominum suscipit, id est, qui in filium credit, pa-
trem quoque profectō suscipit. Concurrat enim omnino patris significatio, quan-
do filius nominatur. Nam qui filium esse fatetur, is etiam si nolit, patrem esse con-
fitebitur. Horribile igitur fuit proditoris crimen, qui propter impietatem in fili-
um, in ipsum etiam patrem impius inuenitur. Nam si firma fide filium Dei Chri-
stum esse cognouisset, chariorem profectō benevolentiam eius omni turpi quæ-
stu habuisset, nec proditoris crimine inclinatus, eod lapsus esset, vt nunquam nasci
melius sibi fuerit.

Caput XIII.

Q Vum hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & protestatus est,
& dixit: Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis me tra-
det. Cui omnium perspicuum non est, nec orationem nostram, nec
mentem, propriē diuinæ naturæ bona sufficienter posse vel proferre, vel cogi-
tare?

A tare: Quomodo enim, quæ super nos sunt, concipere aut dicere poterimus? Opor-
tet igitur humanorum ruditate verborum, quali per figuram adiutos, pro capaci-
tate nostra in sublimiora conscendere. Quàmuis igitur naturæ diuinæ clementia
omnem mentem excedat, odio tamen mali maximè commota, grauissimè carpit
delinquentes. Quando igitur scriptura motum (vt ita dicam) Dei aduersus peccan-
tes exprimere vult, à rebus humanis per similitudinē verbis vsa, iram & furorem
appellat. Nam quàmuis certum sit nihil harum turbationū posse in Deo intelligi,
moueri tamen atq; irasci Deum dicimus, & ipsi huius rei exquisitā cognitionem
relinquimus ita quum hæc ineffabilia penitus sint, nostro more (vt diximus) à scri-
ptura conscribuntur. Turbatū igitur spiritu Iesum fuisse scripsit Euangelista: nec
aliud turbationem nuncupauit, q̄ odium mali expressius à spiritu factum, quod
certè non erat possibile aliter dicere. Quàmuis verisimile quoq; mihi videatur, nō
potuisse carnem Christi motum, quo iam expressius atq; manifestius ad discipu-
los proditoris odium offerebatur, ita sufferre, vt aliquantisper non exhorruerit
ac ideo turbationis quandam figuram, & iræ signum ostenderit, quemadmodum
etiam quando Lazarum suscitauit, fecisse scribitur: fremens enim spiritu ac turba-
tus, inquit, ad monumentum ibat. Nam quemadmodum ibi minas aduersus mor-
tem, fremitum appellauit: sic in hoc motum (vt ita dicam) aduersus impietate pro-
ditoris, turbationis nomine denotaui. Iure autem molestè ferebat scelera illius,
quia vnā cum alijs discipulis magnis affectus honoribus, paruo argenti pondere
amorem Christi repulit: vt dum panem eius māduicaret, calcaneū aduersus ipsum
eleuauit, non gloriam illius, non societatis leges, non pietatem vt Deo illi debitā,
non quicquam aliud mirabilem recordatus, sed detestabilem solummodo, par-
uamq; Iudæorum respiciens pecuniolam, qua suam animam vendidit, qua inno-
centem atq; iustissimum sanguinem manibus tradidit impiorum. Quare non in-
iuria turbatur dominus, & sic acriter carpit, vt ab vno duodecim discipulorū tan-
tum scelus patratū iri affirmet. Ita omnes manifestè monet, vt suæ quisq; animæ ca-
ueat: ne dum negligat, laqueo diaboli ex desidia capiatur. Vtilis certè admodum
arguendi carpendiq; vis est, quam flocci pendens proditor, quæ cogitauerat, pera-
gere studebat. Expressissimè igitur Christus atq; significatissimè, vnus, inquit, ex
vobis me tradet: ita & proditoris audaciæ atq; ingratiitudinis & diaboli malignita-
tis magnitudinē ostendit, quæ tantum potuit, vt etiā discipulorū vnum auerterit.

Caput XIII.

A spiciebant ergo adinuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret.
Et formido & stupor simul discipulos aggreditur, alterq; alterum aspi-
ciunt, duplici de causa conturbati. Nam & de sua singuli anima formida-
bant, & gratia existimationis consortij non parum mouebantur. Nullo
enim modo de verbis domini dubitantes, sed omnino credentes ita futurum vt di-
xit: & simul graue intolerabileq; putātes eod impietatis discipulorum aliquem per-
uenturum, suam singuli conscientiam examinant, quod ista perditio casura sit, timē-
tes: & magna admiratione affecti, vnde aut quomodo tantum diabolus possit, vt
eorum etiam aliquem à pietate Christi rapuerit.

Caput XV.

Rat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem di-
ligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est,
de quo dicit? Itaque quum recubuisset ille supra pectus Iesu, di-
cit ei: Domine, quis est? Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctum pa-
nem porrexero. Admirari etiam in his oportet & pietatem in Christum, & reli-
gionem discipulorum. Nam quum neque conscj sibi essent, nec coniecturis dare
XX iij se vel-

sevellent: per Petrum, qui omnibus præerat, interrogare maluerunt: nec tamē Petrus id per seipsum peragit, sed per Ioannem, qui hoc nobis Euangelium conscripsit, quiq; nomen suum celauit, ne inanis cuiusdā gloriæ causa diligere se à Christo dicere videretur, nutu ad interrogandum impellitur: ille verò ad pectus inclinatus domini, petit occultè. Cui saluator nullum aliud signum dedit, quò quod Propheta prædixerat: Qui māducat panem meum, magnificauit super me supplantationē. Tintum enim panē dedit: ut ex hoc ostenderet illum esse, qui aduersus se calcaneum suum leuauerit. Sic formidinem discipulorum, quam de seipso quisq; habebat, expulit, & alterius prophetiæ in mentem illos reduxit, quæ dicit: Tu autē homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Eiusdem enim animi intimus familiaris, eiusdemq; mensē particeps cum Christo proditor fuerat, & cum alijs discipulis miraculorum minister ad gloriam Christi omnia peragens: sed turpi postea quæstu superato, honorantis eum Christi gratiam perdidit. Animaduertendum autē esse putato diligenter, quò Euangelista quàm breuiter ad benè viuendum maximè hortatur, si volumus diuinarum rerum cognitionem adipisci: exēplo enim seipsum nobis proponit, qui sic diligebatur à Christo, ut in sinu eius ferè federet. Illi em̄ Deo summoperè propinquant, qui mundo corde sunt, quibus præcipuum à saluatore munus attribuitur. Beati em̄ sunt, inquit, homines mundo corde, quoniā ipsi Deū videbunt. Nempe ista beatificatio vera extitit in Ioanne, vidit enim gloriā Christi, ut ipse testatur, gloriā quasi vnigeniti à patre, nec corporeis oculis inuisibilem vidit naturam. Nullus enim patrē vidit, nisi qui à Deo est, id est, filius Dei: qui verò procul se à turpitudine remouēt, & inanibus huius vitæ curis mente nō agitantur, illis suprā quā animus per se hominis ferre potest, gloriā suam Christus reuelare solet, in qua etiā pater videtur, propterea dicebat: Qui videt me, videt & patrem meum.

Psal. 40

Psal. 54

Math. 5
Ioannis 1

Ioannis 6

Ioann. 14

Caput XVI.

Et quum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotis: & post buccellam introiuit in illum Satan. Perpicuū discipulis suis signum dedit saluator: tinxit enim panem & dedit eum, leuaturum calcaneum aduersus se ostendens, qui panem illum manducaret, & tunc impietatis totius princeps, & malorum omnium excogitator, in animum Iudæ penitus insiliit. Nemo autem putet panem illum, diabolici fuisse ingressus causam. Nemo ita insaniat, ut benedictionem tanti mali causam arbitretur: sed maximè attendat, vniuersamque rem animo diligentius voluat. Nam quoniam etsi nihil omnino illi defuit, qui vnā cum cæteris amoris charitatēq; Christi particeps fuit, & tamen in malis perseverabat consilijs, nulla pœnitentia tactus, nulla Christi admonitione commotus, nullo saltem rubore, quum scire omnia Christum videret, affectus: imò verò magis magisque in horas cupiditate patranda sceleris ardens, idcirco desolatam destitutamque ab omni auxilio animam eius diabolus videns, & mentem nulla custodia munitam aspiciens, ingressus in eam est. Tritum sanè id diabolus esse inuenies, solet corda piorum prauis tentare cogitationibus, & voluptatum ardore ad delinquendum detrudere: sed illuc maximè impellit, quò per seipsum inclinari perspicit, ita infirmitatem nostram ad arma nequitie sue conuertit, et ingenij nostri morbo aduersus nos vititur, voluptate carnis alius laborat, per hanc aggreditur: alius auaritia superatur, hunc habendi cupiditate magis incendit: ita nostris affectibus quasi armis vsus, nos expugnat, & sicut optimus dux exercitus, turre et vineas ibi peragit, vn̄ capi obfessa vrbs facilius potest. Eodē Satan modo per imbecilliorē animi partē nos euertit, præsertim si viderit nihil apud nos admonitiones, exhortationesq; virtutis posse, ac maximè si mysticā benedictionem sperni à nobis conspexerit. Hæc enim maximoperè, si cum pietate suscipitur, vires suas

res suas confringit. Proditor autē sæpius redargutus, non erubuit charitatem Christi, contempsit honorem, et gratiam eius abiicit, benedictionem aspernatus est, in vno fixus hærebat, illud solum modo voluebat, quomodo pecuniolam sibi pararet: non ergo ut consiliatorem, sed ut cogitationum suarum dominū in corde diabolus retinet. Quare fugiamus, oro, fugiamus cupiditates animi, vnde secutura detrimenta videmus. Sed si dominātis (vt quidā dicit) spiritus in te ascenderit, non cesseris ei. Nam etsi potestatis nostræ non sit facere, ne tales spiritus, id est, cogitationes in mentem nostram ascendant, possumus tamen, quod ascenderit, eijcere, nec committere, ut magnas propter negligentiam nostram agat radices. Aliter non dubitemus, quin per uicaciam diaboli paulisper possit superare, ita huiusmodi quid patiemur, quale Psalmista canit: Anteq̄ humiliatus essem, ego deliqui. Prius enim, quò peccati consummatione delinquimus, peccatum voluntate amplectentes, & ianuas animæ diabolo patefacientes, cuius rei proditor nobis exemplum est.

Caput XVII.

Dicit ei Iesus: Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. Absonum atq; incōgruum superioribus forsitan hoc multis videbitur: cur enim quispiam dicet, quum multis proditorum carperit modis, reuocareq; ab improbo ipsum proposito stituerit, hortari modò ut citius peragat, videtur: aut cur eum incitat, qui à seipso inflammatus est, cuius incendium consilijs potius extinguendum erat: Sed nihil incongruè, nihil absurdè dicitur, si quis diligentius atq; profundius hæc consideret. Dicitur enim modò est ab Euangelista, ingressum fuisse in cor Iudæ diaboli, cui nunc Christus, quia totum hominem possederat, dicit: quod facis, fac citius, id est, tuum opus, quod semper facere tibi cordi est, facias citius à diabolo: prophetas occidisti, Iudæorū animos ingressus, lapidibus eos petisti, qui salutare Iudæis doctrinam ministrabant, nemini, qui à Deo missus esset, pepercisti, magna in oēs atrocitate vsus fuisti: veni post illos ego, ut errantes reducā, à tenebris in lucē reuocem: ut quisnā sit natura Deus, omnibus aperiam. Nec ignoro nequaquam te quiescere posse. Quare quod solitus es facere, nunc quoq; facito. Hunc saluatoris verba sensum parturire ipse opinor. Sed age rursus, cur accelerari iubeat, consideremus. Magna certè Iudæorum fuit impietas, qui verbis Christum plagisq; cædentes, spūis etiam dedecorare non erubuerunt. Qui mortem crucis pertulerunt, acetum & bilem in potum dederunt, hastalatus dilaniauerunt. Quid igitur festinas, quispiam diceret: aut cur diabolo hæc attribuis, quæ Iudæi aut alij gratia Iudæorum fecerunt: Sed Iudæi quidem ministri, diabolus autem princeps horum omnium fuit. Festinabat verò Christus, quia & acerbissima hæc futura sciebat, exitum tamen horum non ignorabat: casuras namq; per crucem diaboli vires, destrui mortem, interire interitum, liberari à prisca maledictione genus hominum, iniquitatis os (vt prophetica voce dicitur) obstrui, nec accusaturum quos sibi subiecit, interire omnino idolorum cultum, ianuas paradisi patefieri, superioribus inferiora coniungi, aperiri cælos, ordines angelorum ascendere atque descendere super filium hominis: omnia hæc post passionem futura videbat. Quum igitur tam multa ventura per crucem bona non ignoraret, quomodo non debuit, qui salutem nostram semper optauit, qui propter nos homo absq; peccato factus est, salutis nostre iam ad esse tēpus perspicere, nō maturare: Aut quò non oportuit eum malignitatem diaboli continere, & ad optatā hanc solennitatem citius peruenire studere: Ignoranti ergo hæc omnia diabolo, nec intelligenti patibulum crucis suarum virium fore detrimentum, dicebat: quod facis, fac citius. Ita minantis magis, quàm hortantis hæc oratio est. Nam quemadmodum si vir fortis, aduersus quem fremens quispiam feratur, ipse verò viribus suis fretus, casurum illum non dubitet, magna voce

Eccli 10

Psal. 118

Psal. 106


voce

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

voce militans dicat: quod facis, fac citius, vt meæ dexteræ vires experiaris: nō pro-
perantis mori verba esse diceremus, sed præscientis potius, quia cadet aduersari-
us. Sic dominus noster Iesus Christus velocius currere diabolum ad ea, quæ præ-
parauit, iubet, vt citius vtctus atque vincctus, à tyrannide sua orbem dimittat: quem
sic oppressit, vt neglecto creatore, ad colendas creaturas deuexerit. Huius sermo-
nis vires non iniuria ignorarunt discipuli, quum Christus eis nō reuelauerit: prin-
cipem enim huius seculi quisnam verè natura esset, latere volebat: ac ideo etiam
in alijs, quum de cruce, morte, resurrectione; sua diceret, præcipiebat discipulis,
ne cui hæc aperirent: quod faciebat, vt crucifixus mortem affigat, & salutem homi-
nibus morte adferat sua.


Math. 16

Caput XVIII.

 Vidam autem putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixit
set ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut e-
genis aliquid daret. Quoniã non intellexerunt verba eius, ad res soli-
tas deferuntur, & quæ facere consueuerat, hæc modò iubere vt fiant, ar-
bitrati sunt: die nanq; festo iam iam instante, crediderunt non nihil imperari, quod
ad solennitatem pertineret, vel vt indigentibus aliquid præpararet. Bonus enim
est atque misericors dominus. Perutile autem nobis exemplum proponitur: o-
portet enim, qui festum diem piè acturi sunt, non de ipsis tantummodo curare,
nec quomodo ipsi solum hilare celebraturi sunt, verum etiam egentium propter
charitatem rationem habere. Sic enim spiritaliter Christo dies festus peragetur.
Hac de causa olim Iudæis, dum manna colligerent, præceptum fuit: non sibi tan-
tum, verum etiam contubernalibus, si qui exire non possent ad colligendi munus,
præstare: vt non superflueret, qui multum, nec qui minus, deficeret. Hac enim
alterius de altero cura & studio, mirabilis quædam in omnibus æqualitas reddi-
tur. Magnam igitur iniuriam solennitatibus inferunt, qui parum de indigentibus
curant: nec festum diem rectè peragunt, qui coniunctim tam de se, quàm de alijs
non procurant.

Exod. 16

Caput XIX.

 Vum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo. Erat autem
nox. Cursim ille abiit ad diaboli opus, vt furore detentus de domo exi-
iit, nihil pecunia melius putans, quodq; maius est, nihil à benedictione
adiutus: morbo enim auaritiæ victus, & patrè malignitatis in corde iam
habens, nec quò noctu quidem ruit, considerat. Tenebrosa enim nox quædam im-
piæ cupiditatis, in profundum inferni eum pellebat: ideo quasi ceruus, vt in Pro-
uerbijs dicitur, ad sagittam properabat, vel quasi canis ad vincula, nesciens se ad
periculum animæ suæ currere. Nec frustra dictum mihi videtur, continuo illū exi-
uisse: magnas enim diabolus ad imperādum eis, quos omnino iam cepit, possidet
vires: cogere videtur ad opus etiam nolentes. Timet (vt credo) diabolus, ne moran-
do locus poenitentiae detur, et quasi à temulentia mentem suam rectius cogitans ho-
mo eripiat: hac de causa festinat ac impellit. Nam etiam Iudam, cū post panem om-
nino separauerit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne scintilla in
animo eius accenderit, ac inde illuminauerit, & ad meliora retraxerit, magna præ-
cipitem agit celeritate. Quòd autem hæc cōsuetudo diaboli sit, vel à figuris cogno-
scemus: subiecit Iudæos sibi Aegyptiorum tyrannus, quos luto atq; lateribus ama-
rissimè vexabat, quibus nec tempus quidē orandi Deū præbebat: præfectis quo-
que iussit, vt grauiora illis opera Iudæis adferreret, ne sermonibus vanis dare operā
possent. Appellabat enim vanos sermones eos, qui de libertate haberentur, & ad
meliora inflammarent, quibusq; seruicij conditionē deplorarent, & à Deo posce-
rent


Prover. 7

Exod. 1

IN EVANG. B. IOAN. LIBER IX. 261.

rent meliora, quibus omnibus non nihil illis ad futurum putabat. Aegyptiorum
tyrannus Pharaon, diabolus esse intelligitur, qui respirare idcirco nō sinit irretitos,
vt semel victi, iugo eius semper deprimantur.

Caput XX.

 Vum ergo exisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius homi-
nis, & Deus clarificatus est in eo: si Deus clarificatus est in eo, &
Deus clarificabit eum in seipso, & continuo glorificabit eum.
Proditor quidem diabolo militaturus exiuit, Christus autem orationē
inceptat, re ipsa nos docens, non auribus omnium illa tradī oportere, quæ coniun-
ctissimis solummodo congruunt. Non enim sancta canibus danda sunt, nec pedi-
bus suum turpiter conculcandæ sunt margaritæ. Post recessum igitur proditoris,
in congruenti iam tempore discipulis mysterium reuelat, dicēs: Nunc clarificatus
est filius hominis: passionem quippe suam his verbis significat in ianuis iam adesse
clarificatum verò fuisse ait filium hominis, non alium à se dicens aut diuisum, vt
nonnulli malè intelligūt: vnus enim Christus filius & ante carnem & post carnem
est. Quo autem modo clarificatur, quærendum est: an prius, dicet quispiam,
quando mirabilia faciebat, non clarificabatur? Atqui quādo maris fluctus, & vim
ventorū suppressit, adoratus ab ijs, qui in nauigio fuerunt, vt filius Dei fuit: quan-
do suo imperio Lazarus in vitam rediit, tanta celebritas miraculi fuit, vt quum
postea in Hierusalem ascenderet, & effusus ad eum vulgus fuerit, & infantes cla-
marent, benedictus, qui venit in nomine domini: quando quinq; panibus, duobus
que piscibus præter mulieres & pueros, quinq; milia virorum saturauit, tanta glo-
ria claruit, vt multitudo ad regium voluerit fastigium ipsum eleuare, multa præte-
reo sponte: quomodo igitur clarificari se dicit? Sed clarificatus quidem magnitu-
dine miraculorum fuit, ad eò vt Deus à multis iam putaretur. Consummatio verò
gloriæ in passione sita est, quam pro vita mundi sustinuit, per quam resurrectionis
modus innotuit. Cuius rei rationem si quis altius considerauerit, non pro seipso,
sed pro vniuerso humano genere mortuum fuisse inueniet. Mortuus enim est vt
homo, & vitam suam pro vita omnium repensauit: surrexit aut ex mortuis, & to-
tam naturā nostram in seipso suscitauit: semel enī mortuus, non amplius moritur,
mors enim vltra illi nō dominabitur: quod enī mortuus est propter peccatū, semel
mortuus est: quod aut viuit, Deo viuit. Quæ res etiā in nobis propter Christū veri-
tatē habebit. Resurgemus enim nō morituri, quis per multum intersit inter eos,
qui resurgent in gloria, & eos, qui resurgent in ignominia. Factus ergo Deo patri
obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis: exultatus rursus est, nomē super
omne nomē accipiens. Nam qui homo nudus ab omnibus verè putabatur, sic ex-
altatus est, vt Deus verus, & Dei veri filius esse demonstraretur: nec in nouam quan-
dam dignitatem ascendit, qui natura Deus erat, nihil enim nouum in filio Dei po-
test inueniri, sed habebat omnia naturaliter vt Deus, etiam anteq; formā serui ac-
ciperet. Factus igitur homo, quoniã ad dignitatem pristinā cum humanitate re-
diit, glorificationē accepisse intelligitur. Christo aut clarificato, Deus etiam pater
in filio clarificatus est: non quia gloriæ clarificationisq; adiectio illi accessisset (non
enim indiget his rebus natura ineffabilis) sed quia clarū hominibus factum est, cu-
ius filij pater sit, idcirco clarificatus est: gloria enim certè est talem habere filiū, qua-
lis ipse est: propterea dicit, si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eū in sei-
pso, & continuo clarificabit eum. Simul enim clarificatus est pater per filium, & fi-
lius à patre: æqualiter enim vtriusq; clarificatio facta est. Sed illud ad vtilitatē legen-
tium etiam addamus: Si glorificauerimus Deum, glorificabimur omnino ab eo.
Viuo enim ego, dicit dominus, quia glorificabo glorificantes me. Glorificatur au-
tem in nobis, & per nos Deus, cum sordibus peccati abiectis, illustrem virtutibus
vitam

Math. 7

Math. 14
Ioannis 12

Ioannis 6

Roman. 6

Philipp. 1

1. Regū 1

Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Filiolos, & quasi nuper natos infantes, quàmuis multis splenderent virtutibus, & singuli prudentia munirentur, discipulos appellauit; ostendens infantem esse apud Deum, & parui momenti hominem, etiam si perfectissimus esset; quid em prudentia hominis ad opificem omnium collata est sapientiam? Ideo Psalmista canebat ad Deum: Vt iumentum factus sum apud te. Nec dicere quispiam poterit, nisi magna vecordia teneatur, ideo insensatum se quasi pecudem Psalmistam appellasse, quia Deo inhæsit; magna enim hinc impietas oritur. Nam si qui prudenti homini adhæserit, sapientior fit; quomodo amentem ac insensatum Deo inhærentem appellabimus? Quid igitur est, quod dicit: Si humana sapientia diuinæ sapientiæ conferatur, nihil mentis habere videbitur; nihil em omnino creatura esse videtur, si creatori conferatur. Filioli ergo etiam sunt, qui perfecti sunt. Paruo autem tempore vnà cum discipulis fore se Christus ait: non quia penitus ab eis recessurus erat, nobiscum enim est semper vsq; in consummationem seculi, sed quia non erat sicut prius cum eis conuicturus; prope enim iam tempus erat, vt etiam in cœlos ad patrem abiret. Credere aut oportet fideles, quàmuis à nobis corpore absit, virtute tamē sua oia et nos gubernari, adesse eq; semper ipsum omnibus, qui em diligunt, propterea dicebat: Amen amen dico vobis, vbicunq; sunt duo vel tres cōgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Nam quemadmodum, quando vt homo in terra conuersabatur, tunc etiam cœlos implebat, & angelorum consortia nō relinquebat; eodem nunc modo, quum sit in cœlis cum carne, terram tamen replet, & cum eis est, qui eum diligunt. Obseruandum autem est, quia quibus secundū carnem solūmodo abiturus erat (adest enim semper virtute deitatis, vt diximus) modico tamen tempore cum discipulis se futurum dicebat; aperte seipsum nominans, ne quis in duos filios diuidere Christum audeat; sed vt vnum omnino esse credat Dei patris & virginis filium; nō quia vna naturalis, sed quia post incarnationem pia hæc diuisio non est. Vnus enim in vtraq; natura Christus est.

Quæretis me: & sicut dixi Iudæis, quo ego vado, vos non potestis venire, & vobis dico modo. Non absq; mœstitia propter decessum eius discipulos fore ait. Desideraturi enim erant corporalem præsentiam eius, quam Paulus etiam huic vitæ præponebat, cupiens resoluui & esse cum Christo. Hunc futurum discipulorum mœrorē dominus non ignorans, quæretis me, inquit, sed alia etiam quærendi causa, & quidem necessariò coactura erat. Citò enim tam Iudæorum, q̄ gentium furij, saluatoris nomē prædicantes exagitandi erant; tunc igitur quæretis me maximè, quando tentationum fluctibus exagitabimini. Non autem ad timorem, sed ad fortitudinē his verbis hortatur. Magna enim ad patientiam fundamenta præparatio iacit, ac ideo vtiliter in Psalmis canitur: Paratus sum, & nō sum turbatus; quicquid em ex insperato erumpit, vehementiori semper turbatione animum afficit. Quod autem futurum esse non ignoratur, quoniam cogitatione quasi præsens fuit, minores aduersus prudentem hominem habet vires. Nam quemadmodum atrox, crudelisq; bestia, si repente quosdam insilierit, non modò terruit, verū etiam plerumq; imparatos laniauissin autē anteq; accesserit, visa sit, vel minus, vel nihil mali paratis hominibus armatisq; fecit, aut etiā ipsa cedit; eodem modo in tentationibus, quam nunq̄ sperauimus, ea nos magis exagitat. Vtiliter igitur dominus noster & nunc occultius, & paulo post latius, futura discipulis aperit pericula. Addit aut non absq; causa, nō posse modò secum abire; non enim oportunitas adhuc aderat, nondum ministerio eorum

A eorum consummato. Obseruandum autem, quia Iudæis quidem dixit, quæretis me, & non inuenietis; ad discipulos autem hoc verbo vsus non est. Iudæis enim aptè accommodatur, qui nimia incredulitate, impietateq; maxima ipsum inuenturi nec erant, nec sunt; à discipulis autem, qui toto animo Christum diligebant & diligunt, omnino alienum; quibus quum etsi non corpore, virtute tamen deitatis vnà semper & fuit, & futurus est.

Mandatum nouū do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: vt & vos diligatis inuicem. Rectè ac verè diuinus Paulus scribit: Si quis in Christo noua creatura, præterierunt vetera, ecce facta sunt omnia noua; renouat enim nos atque reformat ad nouam nec assuetam Christum vitam. Mosaicā enim lex neminem perfecit; mandata verò saluatoris, perfectionē hominibus adferunt, ideoq; ipse dicebat: Amen amen dico vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plus q̄ Scribarum & Phariseorum, nō intrabitis in regnum cœlorum. Non ergo moribus Iudæorum innitimur, sed nisi iustitiam legis superabimus, nunquam, mea quidem sententia, cœlos consequemur. Nec Mosaicā legem inutilem fuisse putamus, sed non consummatè inde bonum nobis allatum contendimus. Præparatio enim quædam fuit ad Euangelium, figuris atq; vmbriis ad veram nos pietatem instruens. Propterea saluator dicebat, quia omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Magnæ nanq; spirituales diuitiæ in Moseos verbis latēt, quas magno studio consequi oportet. Sed Euangelicæ doctrinæ pulchritudo penitus adhibenda, vt dupliciter & veteris & nouæ legis cognitione gloriari possimus. Dominus ergo noster Iesus Christus mandata sua veteribus meliora ostendit, & quod omnibus, qui sub lege vixerunt, saluatoris hæc doctrina ignota erat, anteq̄ in cœlos ascendisset (non enim fundamentum & basim omnium bonorum charitatis legem proponit, quæ secundum legem erat, sed eius, quæ supra legem) dicit enim: Mandatum nouum do vobis, vt inuicem diligatis. Sed nōne in lege scriptum est, inquit, diliges dominum Deum tuū ex toto corde tuo: & infertur, & proximum tuum sicut teipsum; Ecce enim cum dilectionem Dei anteposuerit, statim dilectionē proximī ei coniunxit; vt ostenderet non aliter rectè nos posse Deū amare, nisi dilectio proximī consequatur; fratres enim oēs sumus, & idcirco Euangelista Ioannes, qui hæc optimè fecit & docuit: Deum, inquit, diligit, qui fratrem diligit surum. Quō igitur nouum istud mandatum est, quod à vetere lege constitutum est; Sed vide quæso, quod sequitur. Non enim solummodo dixit, mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem; sed nouitatem rei ostēdens, adiecit, sicut dilexi vos, ita & vos diligatis inuicem. Vt ergo nouitatem præcepti facilè intelligamus, rime mur diligenter, quomodo nos Christus amauit. Quum igitur in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo; sed seipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominū factus, & habitu inuentus vt homo; humiliavit seipsum, factus obediens vsq; ad mortē, mortem aut crucis. Ita cū esset diues, factus est pauper, vt ipse Paulus rursus testatur. Vides nouū atq; inauditum dilectionis modum. Lex enim fratrem diligēdum esse ait, sicut seipsum; Christus autem magis nos, q̄ seipsum amauit. Nam aliter cū in forma & æqualitate substantiæ Dei patris esset, nequaq̄ ad nostram humilitatē descendisset, nequaq̄ tam acerbum pro nobis crucis patibulū sustulisset, nolisset cædi, derideri, cōspui à Iudæis. Quid plura: Innumerabilia enim penè sunt, quæ vno verbo secundum Paulū concludamus. Non fuisset factus pauper, nisi nos magis, q̄ seipsum amasset. Nouus atque inauditus huius dilectionis modus, quo nos affici iubet, nihil omnino dilectioni fratrum anteponentes; non gloriā, non diuitias, non corporis huius mortē, si

opus fuerit pro salute fratris mori, quod à beatīs saluatoris discipulis factitatum esse videmus: quod omnes, qui vestigia eorum sequuntur, libenter faciunt, vitam suam pro salute aliorum contemntes, omnem laborem, omne periculum subeuntes, ac demum morientes, vt à perditione hominū animas liberent. Propterea Paulus modò quotidie mori se ait: modò, quis infirmatur & ego nō infirmor: quis scandalizatur, & ego non vrōr: Hanc dilectionem, quasi perfectissimæ pietatis erga Deum radicem, hanc, inquam, quæ legalem illam multo excedit, adhibere dominus iubet. Non enim aliter, quàm hoc modo, pulchritudinem dilectionis erga nos suæ imitari possumus, per quam futura & sola bona consequemur.

Caput XXIII.

IN hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionē habueritis adinuicem. Signum, inquit, imò vestigiū erit omnibus meos vos esse discipulos, si quantū natura humana capere potest, mandata mea seruetis, ac alter alterum diligatis. Sed ambiget forsā quisquam, quamobrem dilectio & charitas sola ex omnibus virtutibus discipulum esse Christi designat, præsertim quum in Christo omnis virtutis numerus, non labore ac exercitatio, vt in hominibus, sed naturaliter vt in Deo perfectissimè insit in diuina enim natura verè ac propriè omnia bona insunt. Rectè quidem hæc dicta sunt, verum si diligenter considerabimus, cuncta inueniemus ad charitatē tendere, & sic eam ex omni constare virtute non dubitabimus. Ideo primum mandatum est, ex tota mente atq; animo Deum diligere: alterum verò ei proximum, quod lex adimpletur, dilectio proximi, ad quod beatus ille Paulus omnia legis mandata reducit. Cū enim dicitur, non occides, non mœchaberis, non peierabis, cæteraq; huiusmodi, in omnibus certè dilectio proximi repetitur: finis igitur legis, charitas est. Quod autem etiam cæteras omnes virtutes ipsa cōplectitur, ac omnia in se bona continet, ipse rursus Paulus testatur, clamans: Charitas non agit perperam, nō inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt: sed longū esset vniuersas charitatis laudes perstringere. Præterea oportere contenderim, non alia corona, non alio torque atque signaculo discipulos Christi cognosci oportere, quàm à vinculo charitatis. Quamobrē: quia quemadmodum qui fabrilem aliquam artem didicit, vt ferrarius, verbigratia, aut argentarius faber, operibus suis ab argentario aut ferrario didicisse se artem clamat. Eodem arbitror pacto, qui charitate inter se continentur, re ipsa clamare charitatis ipsius, id est, Christi, qui supremam habet charitatem, se discipulos esse. Sic enim mundum amauit, vt etiam animā suam pro nobis posuerit: & Iudaicorum atrocitatem morū subierit, qua quidem charitate nemo, vt ipse ait, maiorem habet, vt aliquis animam ponat pro amicis suis. Nam quoniam Deus charitas est, non disciplina, non studio, non sudore aut exercitatione perfectionem hanc consecutus est. Nullus enim mentis compos susceptiuā esse bonorum diuinam naturam audebit dicere. Nulla enim bonitatis forma aduentitia seu forinseca, vt aliud in alio, in deitatis substantia est. Nō enim vt in homine, aliud est scientia, aliud est homo susceptiuus scientiæ: sed ipsum bonum est, quicquid esse creditur. Ipsum dico bonum, ineffabilem naturā esse adserimus, fontem quasi aliquem, in quo virtutis species omnis insit, & vnde scaturiat. Verissimè igitur charitatis ipse fructus est: & ideo etiam ipse charitas est, sicut etiā pater, ex quo est: propterea per charitatē maximè in animo nostro signatur. Itaq; impressa in nobis charitas, qua inuicem diligimus, syncerum atq; integrum suæ coniunctionis vestigiū est. Ad hæc, si Christus pax nostra est, vt Paulus ait (in ipso enim inferiora superioribus coniuncta sunt, & per ipsum Deo patri reconciliati sumus, qui olim lōgè ab eo propter impietate diuidebamur, in duos præcipue populos diuisi, gentes & Israel) si in vnum hominem nouum in ipso edificati sumus, media muri soluta ma-

ceria,

Aceria, & inimicitiarū viper Euangelicā doctrinā destructa, vmbriam transactis, & lege tacente, quō cognosci poterat pacis fuisse ipsos discipulos, si pacē inter se nō habuissent: Quid enim aliud est dilectionem non habere, q̄ origo belli, pacis euersio, & duplicitas animi: Nam veluti vinculo charitatis bona pacis cōseruantur, eodem modo per dilectionis (vt ita dicā) rupturam mala belli oriuntur: vnde cōtentiones, æmulationes, cōtumeliæ, detractio, ira, inuidia, & omne vitium nascitur. Cū igitur omnis virtutis numerus in dilectione contineatur ac perficiatur, nemo in diam atq; ieiunium, nemo quia humi se prosternat, nemo cæteris virtutū exercitationibus magnum quid se consequi putet, nisi rectè fratres diligit: nō enim ad calcem, sed aliò fertur. Sicut imperitus auriga, & sicut gubernator, qui nunq̄ nauigauit clauum retinens, ad saxa & scopulos nauē dirigit. Idcirco Paulus, si experimentum, inquit, Christi loquentis in me quæritis: nec in sequēdo simpliciter, sed in re-^{1. Cori. 13}ctè ac ex intentione sequendo, experimentū istud ponebat: hic certè sciuit charitatem, quasi auream quandā coronam cunctis impositam esse virtutibus. Audi q̄ optimè de ipsa philosophetur: Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meū ita, vt ardeam, charitatem aut non habuero, nihil mihi prodest. Si linguis hominū loquar & angelorum, charitatem aut non habuero, factus sum velut æsonans, aut cymbalum tinniens. Facies ergo atque imago Christi nobis insculpta, qua sui esse cognoscimur, charitatis gloria est.

Caput XXV.

Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Nō intellexit Petrus quid verba illa significabant, quō ego vado, venire vos nō potestis. Propterea ex cupiditate sequendi Christi rogat, quō vellet ire. Miranda est discipulorum modestia. Non enim cæteri, quia intellexerunt, idcirco tacent, sed quia maiori hoc committebant. Laude quoq; non parua mihi Petrus dignus videtur, qui tarditatis pudorem interrogantibus sapius incumbentem nihil existimans scire cupit, sciendiq; vtilitatē omni tarditatis præponit dedecori. Ita exemplo posterioribus factus est, ne docentis orationem, si obscurior est, prætermittamus: neue committamus, vt silētio nostro & intelligere & approbare videamur. Neminem ergo interrogare pudeat, quum multo maior interrogandi atq; discendi vtilitas sit, quàm falsa sciendi opinio, existimatioq; inanis.

Caput XXVI.

Respondit Iesus: Quo ego vado, non potes me sequi modo, sequeris autem postea. Quum sciret non paruo se mœrere discipulos affecturum, si manifestè cœlos petere dixisset, & corporali sua præsentia ipsos denudare, occultius totam rem, vt lateret, significauit. Solent quippe omnes, qui sapientes sunt, vmbri tegere, quæ mœrori auditoribus sunt. Nam etsi primitias seipsum patri daturus in cœlum ascendebat, quod vniuerso generi hominum est vtilissimum (viam enim nobis fecit, quam prius natura consequi non poterat) non tamen ferre discipuli facilè poterant discessum eius, licet virtute spiritus cum eis semper futurus erat. Petrum igitur atq; alios simul in eisdem esse patitur: nec statim totam rem sibi aperit, quousq; alia ipsos ratione, qua respirare possint, munuerit: quod si militer etiam in sequentibus facit. Conducit vobis, inquit, vt ego abeam, nisi enim abiero, non veniet ad vos paracletus. Præuenit tamen discipulum, non ignorans vt Deus oblationem, quam faciet, quod etiam ad mortem sequetur, & ait: Quo ego vado, non potes modò tu sequi, sequeris autem postea. Duplicem hic locus sensum parturit, quorum primus, & quasi tritus atq; facilius est, quod modò non possit Christum ad cœlos euntem sequi: sequuturū autem postea, quum supernæ ciuitatis factus ciuis, cum alijs sanctis vnà cum Christo regnabit. Alter occultior ac ænigmaticus, quod nondum virtutem ex alto induti,

YY ij nec

nec spiritum corroborantem ipsos, & naturam eorum quodammodo reforman-
tem habentes, non poterant mortis pericula contemnere, & terrorem eius peni-
tus superare. Soli enim Christo inerat, vt posset vires mortis confringere; quod a-
lios ante ipsum fecisse non est credibile. Quid enim aliud est mortem non timere,
quàm mortem, quia nihil mali nobis adferat, contemnere: Propterea, vt ego arbi-
tror, etiam ipsi beati prophetae mortem perhorrescebant, quia nondum per resur-
rectionem Christi erat deiecta: quod rectè intellexit Paulus, qui verbum Dei se-
men Abraham apprehendisse ait, vt morte carnis suae mortem euacuaret, liberaret-
que omnes, qui timore mortis seruituti subijciebantur. Prima enim mortis disso-
lutio, saluatoris Christi passio fuit. Resurrectio sanè Christi, contemnendae mor-
tis origo facta est. Quum igitur vita secundum naturam mortem adhuc non de-
pressisset, nec formidinem, quam nostris animis ingererat, infregisset, imbecillio-
res non iniuria ad hæc pericula discipuli erant. Ideo suboccultè dñs noster patibulo
crucis secuturum postea Petrum significat, quãuis animum eius inuictum atq; fer-
uentem etiam subostendat, dicens: Quò ego vado, non potes modò me sequi, se-
quèris autem postea. Hic sensus verbis Christi ad vnguem adhæret: cur enim si se-
cuturum eum postea in regnum cœlorum, idq; absq; significatione mortis intel-
lexisset, illi solummodo id attribuit, quod omnibus communiter sanctis concede-
tur: Sed mortem Petri ænigmaticè significauit, quod alibi apertius dicit: Quan-
do eras iunior, cingebas te ipsum, & ambulabas quò volebas: quando autem senue-
ris, extends manus tuas, & alij te cingent, & eris vbi nolueris. Et adiecit Euangeli-
sta: Hoc autem dixit, significans qua morte clarificabit Deum. Nam etsi iucundum
est sanctis viris pro Christo pati, non tamen optanda pericula sunt, sed toleranda,
quando vi aliena inferuntur. Ideo iubet orare, ne incidamus in tentationem.

Caput XXVII.

Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? animam me-
am pro te ponam. Quid prohibere potest, ait, ne te sequar, quum eti-
am ad mortem ita paratus pro te sim, vt gloria id mihi videatur: omni-
um enim finis, mors est, quam si subire pro te paratus sum, quid me, ne
sequar, prohibebit: Magni feruoris plena est hæc pollicitatio Petri, imò verò re-
que ipsa feruor tunc suus apparebit. Sed quum saluator noster reditum suum in cœ-
los significaret, & non sequuturum modò ipsum affirmaret: sed postea tempore
opportuno, apostolatu absoluto, per patibulum crucis ad supernam ciuitatem itu-
rum, ipse aliud quasi faciens iter, nec verba saluatoris intelligens, ad subeunda se
pericula paratum pollicetur. Putans fortassis ad alia Iudeorum loca, vel ad alienige-
nas Christum esse profecturum, qui Iudeorum crudelitatem atq; furorē supe-
raturū viderentur: propterea secuturum se omnino pollicetur, neq; paratum esse so-
lummodo mori, verum et si opus esset mori, tamen non remansurum. Huic simi-
le illud: Nam quum saluator ad sedandam Iudeorum iram in Galilæa versaretur,
ac multis ibi fulgeret miraculis, Lazaro mortuo ad discipulos dixit: Lazarus ami-
cus noster dormit, & vado vt suscitem eum, ad quod discipuli ex amore respondent
Modò te Iudæi lapidare volebāt, & iterum vadis illuc: Christo autem eundem ef-
se omnino dicente, Thomas ad cōdiscipulos verso sermōe: Eamus, inquit, & nos,
vt moriamur cum ipso. Talem arbitror in verbis etiam Petri sensum latere. Putat
enim, vt iam diximus, aliò abiturum esse Iesum, vbi non minora immineant peri-
cula: propterea charitate feruens inuictū se fore pollicetur, & nihil prohibere pos-
se ostendit, ne qui tam prompto ad mortem animo sit, sequatur.

Caput XXVIII.

Respon-

Respondit Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen amen di-
co tibi, non cantabit gallus donec me ter neges. Maiora quàm ferre
posset, Petrus pollicetur, & mirabili ardore animi mouetur. Christus
autem, qui futuros tempestatis fluctus videbat, qui Iudeorum atrocita-
tem non ignorabat: Hæc te, inquit, scio ita dicere Petre, quia futuras te ferre posse
tētationes opinaris. Ignoras enim quàm magno incumbēt impetu, quo tu victus,
ter me vna nocte negabis. Mirari autem clementiam eius oportet: nam quum Pe-
tro prædixerit ad eum non responsuram sui animi magnitudinem studio suo, vt
periculorum solummodo facie superatus abneget, nec minatus tamen est, nec re-
prehendit, venia certè dignum sciebat. Infirma enim adhuc natura erat, nec mortis
poterat sustinere terrorem. Nondum enim resurrectionis mysterio mors fracta,
sola formidine humanum genus desicabat. Natura enim nostra propter peccatum
morti subiecta, vt victrici cedere solet, imò verò tunc quidem cedebat: postea ve-
rò quàm saluator noster vincula eius dirupit, quanquam sit amarissima, suavis ta-
men diligentibus Christum videtur: quum post eam æterna vita sequatur, pote-
statem interitus omnino dissolvens. Nemo autem putet propter verba Christi de-
fecisse Petrum atq; negasse. Nullam enim vim inde Petrus passus est: sed qui fu-
tura vt præsentia videt, quod futurum erat discipulo, prædixit: verum quoniam
quæ præcis acciderunt, ad doctrinam nostram scribuntur, hoc loco moneri nos ar-
bitror, non oportere quicquam Deo à nobis promitti vt certum, quasi nos domi-
ni rerū effemus: partim quia quod posse à nobis fieri credimus, vires nostras non-
nunquam excedit: partim quia non sine arrogantiæ crimine hoc nos aut illud factu-
ros dicimus. Illud enim in omnibus, quæ agere volumus, dicendum est, quod disci-
pulus Christi nos docuit: si dominus voluerit. Voluntas enim, apparatusq; animi
nobis ad benè agendū semper inesse debet. Viam autē potestatemq; agēdi, quam
non habemus, temerarium est nobis attribuere. Sic & Deo rerum omnium gu-
bernationem, vt decet, accommodabimus: & tutius faciemus non vouētes, quàm
ea vouentes, quæ reddere potestatis nostræ non est.

Caput XXIX.

Non turbetur cor vestrum. Quum vna nocte ter negaturum esse Pe-
trum dixit, tunc breuissimè magnitudinē periculorum ante oculos po-
suit. Vnde alij quoq; discipuli commoti, cogitabant, qualis quantaq; ten-
tatio illa futura esset, qua primus eorum ad eum quatiatur, vt in breuissi-
mo tempore ter in negationem lapsurus esset: quomodo ergo minores nos euade-
mus: aut quis feret Petro succumbente: frustra igitur tot sequendo labores pertu-
limus, in detrimentum exeunt sudores nostri, quos vitam nobis allaturos speraui-
mus. Hæc enim, cæteraq; huiusmodi secum illos aut cogitasse, aut cogituros, nisi
citò Christus reuocasset, crediderim: quia solus animi vulnera etiam præuenire au-
xilium & remedio suo solet. Medetur igitur, dicens: Non turbetur cor vestrum. A-
nimaduerte autem, quomodo nimium occultæ timiditatis huius veniam eis polli-
cetur: apertè nanq; fugientibus atq; negantibus veniam daturum, dicere tutum non
erat, ne offensionis crimine quasi paruo neglecto, nullius culpæ negationem & fu-
gam ab eo esse putarent. Quum autem non oportere turbari dixerit, inter spem &
metum eos collocauit, vt si quid humanum patiantur, spe veniæ respirare possint,
et formidine ab offendendo remoueantur. Nōdum enim inerat illis, ne cadere pos-
sent, quod postea superiore virtute roborati, id est, spiritus gratia muniti habue-
runt. Imperat igitur ne turbetur, tum vt doceat oportere certaturos, omni abiecto
terrore, labores & pericula pro vera libenter gloria subire (magnum enim forti-
tudinis fundamentum est mens, & animus non turbatus) tum vt si humana infir-
mitate labi accideret, veniam sibi paratam occultius ostenderet. Animus em̄ non-
YY iij dum

Philipp. 4. dum superna firmatus gratia, timidus & instabilis nimium est. Ideo & Paulus benedicens quibusdam ait: Pax Christi, quæ omnem mentem excedit, corda vestra custodiat, id quippe est, non turbetur cor vestrum.

Caput XXX.

Psal. 26. **R**editis in Deum, & in me credite. Fortes modò milites instruit, armatq; dat, quibus omnia queant aduersa superare. Per fidem namq; non aliter saluamur, secundum illud Psalmistæ: Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo: dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo: Deo enim nos protegente, quis affligere poterit: quis eò virium perueniet, vt electos sibi subiiciat, & prauitatis turpitudine maculet: quis superabit diuinis armis vndiq; cataphractus: Arma verò latusq; clypeus, qui telis hostium frangi non potest, fides est. Sed illud apprimè considerandum. Iussit enim & in Deum credere. Non quia ipse aliud à Deo vero sit, sed quia si quis dictione solummodo Dei, fidei rationem determinat, Iudaicæ opinionis est: ideo nomen quoq; filij, quod prædicationis est Evangelicæ, optimè adiecit. Nec in filium simpliciter, sed in me, inquit, credite. Recta enim fides in Deum patrem est, & in filium non simpliciter, sed incarnatum, & in spiritum sanctum. Sancta enim consubstantialisq; Trinitas nominum differentijs, id est, personarum proprietatibus, distinguitur. Pater enim pater est, & non filius: filius quoq; filius est, & non pater: & spiritus sanctus, spiritus sanctus est patris atq; filij proprius, eadem enim substantia deitatis est: quare non tres, sed vnum Deum prædicamus. Oportet igitur in Deū nos credere, sed distinctè latiusq; fidem exponentes, vt vniciq; personæ eandem glorificationem referamus. Nulla enim fidei differentia est. Non enim maior esse debet in patrem, quam in filium aut in spiritum sanctum: sed vna & eadem ratio eius & modus est, in tribus æquali mensura personis consistens, vt etiam hoc pacto vnitatē naturæ in Trinitate fateamur. Hæc firmiter in animis nostris splendere fides debet, quæ in patre & in filium est, & in filium dico, etiā postea q̄ factus homo, et in spiritum sanctū. Nec aliquis non insanus templum de virgine sumptum à Dei verbo separabit. Vnus enim est dñs Iesus Christus, vt Paulus ait. Qui autē in duos filios Christū diuidit, is fidem penitus negat. Quare diuinus Paulus hanc rem optimè nobis contexens, non nudum ad fidem vnigenitum tradidit, sed hominē factum, mortuū, & à mortuis excitatū. Quid em̄ ait: Prope te verbū est in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbū fidei, quod prædicamus, q̄ si confitearis in ore tuo dominum nostrum Iesum Christū, & in corde tuo credideris, q̄ Deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiā, ore autē confessio fit ad salutem. Si autē credimus in filium, qui surrexit, quō surrexit, si mortuus non est: patet igitur, quia mortuus secundum carnem est, & resurrexit rursus. Caro enim illa, naturalis vitæ caro & fuit & est, totam proprietatem illius, qui habitauit in illa, possidens, id est, totam viuificandi actionem. Nec iniungere quispiam nobis poterit, quod in carnem, vt impij, credamus. Qui diuidit humanitatem Christi à verbo, quod habitat in ea, & duos filios audet prædicare, is se sciat in creaturam & in carnem credere. Nos autem à scripturis docti, credimus in crucifixum, mortuum & exuscitatum à mortuis: non vt in alium à Deo verbo (neq; id substantiæ identitate dico: corpus enim corpus est, non verbum, sed corpus verbi) sed vt in vnum verè filium Dei.

Caput XXXI.

In domo patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum: & si abiero, & præparauero vobis locū, iterum veniā, & accipiā ad vos me ipsum, vt vbi sum ego, ibi & vos sitis. Quum necessariò ne turbentur, hortatus sit, & in Deum

A Deum atq; in seipsum credere iusserit, apertè modò consolatur, in mansionibus patris in primogenitorum Ecclesia cum eo æternaliter victuros affirmans. Multas enim mansiones ait in domo patris esse, capacitatem cœli ostendens, quæ tanta est, vt nulla egeat ad suscipiendos electos præparatione. Hæc multitudo mansionum, differentiam quoq; gloriæ significat: omnes enim vitæ suæ congruentē honorem suscipient: si ergo multæ, inquit, non essent mansiones, hac abirem de causa, vt locū vobis præpararē. Nunc verò cum multæ sint præparatæ iam, nō hac de causa, sed vt viam vobis faciam, & inuium iter præparē, abiturus sum. Inaccessibile namq; cœlū erat hominibus prius, nec vllus vnquam hominum ante Christum cum sancto angelorum consortio fuit: hunc ascensum postea nobis Christus præparauit, & iter fecit in cœlū carni nostræ. In primitias enim mortuorū seipsum innouando, Deoq; patri offerendo, primus homo visus in cœlo est. Vnde cœlorum virtutes incarnationis mysterium ignorantes, magno affectæ stupore, quum ascendere dominum repente vidissent, exclamabant: Quis est iste qui venit de Edom, id est, de terra: quas non dimisit indoctas spiritus sanctus, sed iussit, vt ei quasi regi ac domino cœlestes portas patefacerent, dicens per Prophetam: Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Viam ergo recentem ac viuam, vt Paulus ait, dominus noster Iesus Christus nobis innouabit: non in sancta ingressus manufacta, sed in ipsum cœlum, vt Deo pro nobis appareat. Nō enim vt ipse appareret Deo patri, ascendit in cœlos, qui & fuit & erit, imò verè est semper cum illo (ipse enim est sapientia, qua semper pater gaudet) sed ascendit nunc vt Deo patri inaudito quodā pacto quasi homo appareat. Verbum humanitate olim nudum, & nunc cum humanitate propter nos & pro nobis Deo patri apparens, vt quum sit filius Dei, verè homo etiā inuētus, audiet: Sede à dextris meis, et filiationis gloriā toti humano generi per seipsum adoptione largiatur. Vnus enim est nostrū, ac ideo patri vt homo apparuit, atq; apparet, vt nos qui propter præuaricationē à facie Dei repulsi sumus, ad faciē Dei rursus reducat. Sedet igitur apud patre vt filius, & nos per ipm filij Dei reddamur. Propterea Paulus, in quo Christus loquebatur, omnia que ipse propriè vt homo fecit, generi humano cōmunia esse docet, dicēs: Conresuscitauit nos, & confedere fecit in cœlestibus in Christo. Propriè enim vt filio secundum naturam Christo est confessus, & gloriæ dignitas, quæ illi verè ac soli conuenit. Verum quoniam quum sit Deus ex Deo, homo etiam factus est, huius dignitatis gratiam ad nos etiam modo quodam transmittit. Nam si patris cōfessum non habebimus, quomodo seruitus nostra ad æqualē cum domino ascendet vnquā honorem: scissuram tamen in sedibus discipulis pollicitus est. Quum enim, ait, in sede maiestatis suæ filius hominis sedebit, sedebitis & vos in duodecim sedibus iudicantes duodecim tribus Israel. Non ergo abibo, inquit, mansiones paraturus, quæ multæ sunt: sed viam innouaturus, quam propter peccatum amisistis, vt per eam ad angelorum consortia conscendere possitis. Quod quum fecero, & superiora inferioribus coniunxero, ac planum iter in supernam ciuitatem construxero, iterum veniam regenerationis tempore, & accipiam vos mecum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Id rectè intelligens Paulus, scripsit: Hoc vobis dicimus in verbo domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentum domini, non præueniemus dormientes, quia ipse dominus in iussu in voce archangeli, & in tuba Dei descēdet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primū: deinde nos qui viuimus, qui residui sumus, simul cū eis rapiemur in nubibus obuiam domino in aera, & sic semper cum domino erimus.

Caput XXXII.

YY iij

Et quo

ET quo ego vado scitis, & viam scitis. Præibo, inquit, ego viam vobis præparaturus in cœlum. Quod si venire volueritis, si conuersationem sanctorum plurimi facitis, & quod vado scitis, & viam nō ignoratis. Non enim per alium quàm per me hęc gratiã habere potestis. Non enim aliis præter me cœlos aperiet, nec aliis accessibile iter hoc faciet. Hęc viã hortatur Prophetam Hieremias quærere, cùm dicat: State super vias, & interrogate de semitis æternis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis purificationē animabus vestris. Viæ namq; ac semitæ dñi secundum Prophetam, sunt salutes prophetarū libri, quos si quis diligenter & pio animo vertit, Christū, qui est perfecta via, inueniet, & per quē consummata in animis nostris purificatio nascitur. Iustificamur enim per fidem, & participes diuinæ naturæ participatione sancti spiritus efficiamur. Esaias quoq; de hac viã, id est, de Christo, scripsit dicēs: Et erit ibi viã pura, & viã sancta vocabitur. Ibi certè hoc vnigeniti carnē significat: viã enim pura & sancta, per quã ad supernam ciuitatem proficisci possumus, Christus est. Psalmista quoq; ad Deum patrem clamat dicens: Legem pone mihi domine in viã tua. Cupit enim in lege Christi doceri, nō ignorans per Euangelicam doctrinam cœlorum portas aperiri. Non est necesse vniuersa modò colligere, quibus viã sancta Iesus à scriptura est appellatus. Scitis ergo viã, inquit, qua illuc peruenire poteritis: non enim per alium quàm per me hoc consequi licet. Quare si quis ab amore Christi exciderit, aut quia ineffabilem naturam eius inter creaturas connumeret, aut quodã alio modo à rectis Ecclesiæ dogmatibus deuias, ipse sciat viã sese salutis perdidisse. Propterea Paulus quoq; omnes qui disciplinã Christi aspernantur, quicquid legis vmbriis retinentur, excidisse ait à gratia Christi, quoniam per legem iustificari se credunt. Et quẽadmodum qui tritã viã relinquunt, detrimenta propter errorē patiuntur: sic qui Christi & Euangelij doctrinam contēnunt, ciuitatem Dei non aspicient. Viã enim quæ illud ducit, Christus solummodo est.

Caput XXXIII.

Dicit ei Thomas: Nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum viã, veritas & vita. Nemo venit ad patrem nisi per me. Nondum apertè, sed per ænigmata ad patrem se abiturum Christus dixerat. Et Thomas ratione quadam cogere quasi videtur, vt quod vadat, planè denotet. Nescimus, inquit, quod vadis, & quomodo poterimus viã scire? Christus verò nihil ad tantam curiositatem discipulis respondet: non enim totã rem exponit, sed ea opportuno temporì relicta, quod modò necessariū est, illud explanat. Ego enim, inquit, sum viã, ego sum veritas, ego sum vita. Hęc verè dici de domino, nullus vnquam dubitabit. Sed illud mihi quærendum videtur: cuius rei gratia, quum lux, sapientiã, virtus, alijsq; multis à scriptura nominetur nominibus, his modò tribus, quasi electis solummodo se appellauit? Profunda res est, vt arbitror, dicimus tamen, quod gratia Dei nostro commiserit ingenio. Tribus igitur rebus superiores consequemur mansiones, per actionem virtutis variã, per fidem rectã, per spem vitæ, quorum omnium nemo largitor est, nemo fons, nemo causa, præter dominū nostrū Iesum Christum. Ipse enim nobis mandata super legē dedit, ipse viã monstrauit, quam probè actionem virtutis, & contemptū mūdī propter Christū intelligere possumus. Ipse igitur viã est. Sed ipse quoque veritas est, id est, vera fidei rectitudo, atque determinatio, & rectissima regula, amussisq; optima. Credentes em̄ in filiū, verè ex ipsa substantia Dei patris natū confitemur, & in creaturas nullo pacto eū deuoluimus, & patrem, verè patre esse credimus. Nã qui credit in verè filiū, is in verè patre etiã credit, is etiã in spiritum filij credit. Ipse igitur veritas est, sed vita etiã ipse est: nullus em̄ vitam, quã speramus absq; interitu in sanctificatione atq; beatitudine futuram, nobis

A nobis præter ipsum restituet. Ipse certè nos mortuos maledictione propter peccatum suscitabit, & in cœlos adducet: omnia ergo eximia, omnia optima per ipsum & adfuerunt nobis & aderūt. Sed inspice quæso, quàm accommodatissimè ad propositum ista pertinent. Quum enim ambigeret Thomas, ac diceret, quomodo possumus viã scire: breuiter omnium bonorum se largitorem atq; dominum ostendens, non posse ignorare illos viã demonstrat, qui sibi cōiuncti sunt. Verum quoniam niam additur, neminem ire ad patrem, nisi per Christum, age de hoc quoque aliquid dicamus, si prius explanabimus, quomodo ad patrem proficiscimur. Duobus igitur modis id fit, aut enim secundum humanæ naturæ mensuram sanctificationi sancto Deo coniungimur (estote namq; inquit, sancti, quoniã ego sanctus sum) aut ad cognitionem patris in fide, vt in speculo & ænigmate gradimur. Sanctus autem nemo erit vnquam, nec recta viuendī disciplina sanctificabitur, nisi ope atque patrocinio Christi. Sed nec ipsi patri vnquam coniungi quisquam poterit, non mediante Christo: mediator enim est Dei ac hominum, per seipsum & in seipso naturam Deo coniungens humanam. In quantum enim à substantia Dei patris, vt splendor effulsit, vnum est cum patre, & totus ipse in patre est, & pater totus in ipso: in quantum verò factus est homo absq; peccato, hominibus coniungitur. Medius ergo quidam terminus est, perfectè in seipso vtrinq; naturam continens. Nemo igitur accedet ad patrem, id est, nemo diuinæ naturæ aliter particeps erit, nisi per Christum. Nam nisi factus homo ille mediasset, in tãtam beatitudinem nemo vnquam hominum perueniret: sed speculatione etiã quæ in fide est, & cognitione quæ est secundum pietatem, nemo rursus ibit ad patrem nisi per Christum: quod quamuis paulo antè planum factum sit, iterum tamen exponere non grauabimur. Qui em̄ filium vt verè filium suscipit, is ad cognitionem patris conscendit: nunquam enim filius esse intelligitur, non intellecto patre. Nam vt ad cognitionē filij cognitio patris facit, sic ad cognitionem patris, filij concurrat cognitio. Verè igitur nemo vadit ad patrem nisi per Christum. Naturalis enim, substantialisq; imago Dei patris filius est, nec, vt quibusdam visum est, secundum substantiam alienus, externis atq; aduentitijs dignitatibus decoratur.

Caput XXXIII.

I cognouissetis me, & patrem meum vtiq; cognouissetis. Separatum hoc à superioribus quisquam ita putabit, vt Christum id secum dicere arbitretur, quod non modò separatum non est (nihil enim frustra, nihil superuacaneum Christus vnquam diceret, quamuis non intelligentibus nonnunquam sic videatur) verum etiã ad eū coniunctum, vt propter audientium vtilitatem idē repetatur. Nam quoniam Thomas rogabat, quomodo poterimus viã scire, quum nesciamus quod vadat: necessariò dixit: Ego sum viã & veritas & vita: & nemo venit ad patrem nisi per me vt si quis viã scire velit qua peruenitur ad vitam, Christum cognoscere studeat. Verum quoniam multi Iudaicam potius quàm Euangelicam doctrinã sequentes, sufficere putant vnus Dei confessionem atq; cognitionem, & Trinitatis fidem hac de causa negligunt, prauam horum opinionē modò apertius excludit. Per filium em̄ accedendum ad patre est: filij namq; speculatione atq; cognitione patre cognoscimus. Non em̄ possumus ambigere, quin si quis subsistere filium credat, & ex substantia Dei patris verè nasci eum fateatur, is in patre quoq; verè credit, & hęc quidem simplicior, & absq; temeraria cura cognitio est. Si quis autē subtilius quærat, & probationē rerū desiderat, vera hęc omnia esse inueniet. Sed nullus naturæ deitatis capax intellectus est, ac ideo furiosus est, qui audet temeraria scrutatione rimari, quid nam Deus secundum naturam est: vmbriis tamen & ænigmatibus, vt in speculo, catalogum dignitatum filij perspicere possumus, quæ nãq; ab ipso facta sunt, & ante incarnationē & post incarnationē

Ioannis 10 onis dignationem, diligenter cognoscentes proportionaliter ad patris cognitionē ascēdimus. Nam qui mirabili potestate ac gloria & ante incarnationem est, & post **C** mirabilia fecit, is ego, inquit, & pater vnum sumus: qui me videt, videt & patrē, ab imagine igitur ad exemplar, & à figura ad primitiuum nobis procedendū est. Non enim externis dignitatibus cōformari ad patrem filium credimus, nec imaginem Dei patris appellamus, quia natura quidem ab illo alienus sit, gloriam verò, virtutem & sapientiam eius habeat (hæc enim impiorum nugæ sunt, ad euerfionē cōsubstantialitatis filij, quod posse facere, per insaniam crediderunt diabolica suggestione cogitare) sed character & imago & splendor patris filius est, vt ex substantia eius verè atq; ineffabiliter natus, & ideo proprietatem substantiæ patris, & naturalium perfectionum pulchritudinem naturaliter habet: non enim ita vecordes erimus, nec eò insanie incidemus, vt non natura Deo similē arbitremur vt non ex substantia Dei nato, gloriam Dei attribuamus: vt quod factum ex nihilo est, id virtutis ac sapientiæ Dei, quæ infinita est, capax esse posse concedamus: vt se sic habere creaturam vnq; puteimus, sicut Dei patris ineffabilis natura se habeat. Quid em̄ esset, quo creatura à creatore differret: aut quid à creatoris identitate creaturā separaret? Nam si omnino gloriam, virtutē, sapientiam Dei patris equaliter filius habet, quid maius est in patre: aut cur ipse maior nobis est, si creatura est: Ego quidē nō video, & illos errare non dubito. Nō ergo aduentitijs ad æqualitatem patris dignitatibus filius conformatur, nec quasi colorum varietate in tabula falsò depingitur, sed character & imago verè genitoris est, proprijs & naturalibus bonis naturam manifestas. Hac de causa dixit, neminem posse cognoscere patrem, nisi prius ipsum, id est, filium cognouerit.

Caput XXXV.

ET amodo cognoscetis eum, & vidistis eum. Mirari oportet incredibilem huius sermonis dispensationem. Nam cum dixerit, si cognouissetis me, patrem quoq; meum cognouissetis: ne videatur ignorantia tantæ rei discipulos crimine accusare, ilicò intulit, amodò cognoscetis eum, & vidistis eum. Nam quoniam omnium futuri erāt Ecclesiarum pastores, ab ipso saluatore ad omnes gentes instituendas missi, hac de causa, vt ego arbitror, quum vniuersaliter, si quis cognouit filium, patrem quoque ab eo cognosci dixerit, discipulis postea fidei cognitionem attestatur: nihil enim non verum Christus dixisset. Nec, si quis diligenter Euangelium rimatur (nisi mente captus sit) dubitabit filium Dei fuisse dominum discipulos credidisse. Quomodo enim Nathanael quum audierat, antequam Philippus te vocasset, sub sicu te vidi, confessionem ilicò fidei attulisset dicens: Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel: nisi hoc in discipulorum animos incidisset: præterea post sedatos fluctus clamabant dicentes: Verè filius Dei tu es. An fortè ignorasse illos vim huius verbi quisquam opponeret: sed quomodo qui hæc opponet, ignorare non videbitur, quum apud Cæsaream Philippi à Christo discipuli rogarentur, quem dicunt homines esse filium hominis, aliorum falsis opinionibus dictis, de sua interrogati, per principem consortij sui non dubitasse illos exclamare, tu es Christus filius Dei viui: quādo igitur dicitur à Christo: si cognouissetis me, patrem quoq; meum cognouissetis: non omnino ipsis discipulis, sed per eos generaliter omnibus dictum esse illud putemus: qui enim diligenter cuncta obseruat, inueniet eos non penitus ignorasse Deum & Dei filiū Christū fuisse. Verū cum viam seipsum appellaret ænigmaticè, hoc dictum non intellexerunt. Præterea verso ad ipsos sermone, docuit nō posse illū cognoscere patrem, qui filium ignoret: inde cognitionem fidei eis attestatur dicens, amodò cognoscetis eum & vidistis eum. Amodò autem non ab illa hora significat, in qua hæc verba faciebat, sed à præcis temporibus aduentus Christi tēpus distinguit, in q̄ patris cognitione

Ioannis 1
Matth. 14
Matth. 16

Agnitio in vniuerso terrarum orbe per filium rutilauit. Ideo in Psalmis quasi ad Deum patrem dicitur: Mirabilis facta est scientia tua ex me. Nam quum splendentem miraculis filium, & potestate supremam quæcunq; velit, peragentē videamus, cognitionem patris summa cum admiratione retinemus, amodò ergo cognoscetis eum, Cognouimus enim in filio, vt sæpe iam dictū est, quis pater sit: nec cognouimus solum, sed etiam vidimus. Cognitione enim, mentis speculationem significat, quā mēs humana de natura diuina, & quæ super omnia & per omnia in omnibus est, habere potest. Visus autem, miraculorum certitudinem denotat. Non enim tantummodo nuda mentis agnitione vitam esse patrem cognouimus, mortuos viuificantem in filio, & corruptos ad esse iterum reducentem: sed vidimus ipsum in filio vitam naturaliter esse, & omnia illi esse subiecta, quando mari & ventis cum suprema potestate increpans dicebat: Tace, obmutesce. Quoniam ergo diciturus erat, non cognouisse solummodo illos patrem, sed etiam vidisse, necessariò illud, amodò, anteposuit. Quamobrem? Quia lex per Moysen ad Iudæos clamabat: Dominus Deus tuus, dominus vnus est, nomenq; filij non exprimebat. Sufficiebat enim tunc, si à multorum cultu deorum ad vnū Deum homines euocarentur: dominus verò noster Iesus Christus multis signis in seipso patrem nobis manifestauit, & vnus Dei naturā in tribus esse personis demonstrauit. Rectè igitur amodò dicitur, propter imperfectionem cognitionis eorum, qui disciplinam legis obseruabant. Quum autem dicat se pro patre visum esse, non negat in propria verè persona Deum patrem, ex quo est, subsistere, nec se patrē esse affirmat, quantum ad personæ dico significationem. Nam quoniam cōsubstantialis patri est, idcirco in seipso patrem videri adserit, vt si quis nostrum quum patris sui naturam ante oculos ponere velit, seipsum ostendat, vt in se pater suus cernatur, quamuis Deus omnium vim exemplorum excedat.

Marci 4
Deuce. 6

Caput XXXVI.

Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Studiosus quidem Philippus fuit, sed nō aded acutus, vt commodè atq; aptè quæ sit visio Dei, posset intelligere. Propterea putabat oculis huius corporis diuinam posse videre naturam, sed manifestè à Deo dicitur: Nemo videbit faciem meam, & viuet. Nam etsi visus à multis sanctis à scriptura dicatur, nullus tamen rectè intelligens, suspicabitur ipsam Dei naturam visam fuisse: propterea & aliter alius vidit. Aliter enim Esaias, aliter Ezechiel, aliter alij viderunt. Vnde oportebat intellexisse Philippum, impossibile omnino homini oculis corporis substantiam Dei aspicere, nec valde prudenter, quum imago & character patris verus adesset, primitiuū quasi non adesset, desiderare. Sufficientissimè nanque, qui Christum videt, patrem videt: probè enim à fructu arbor cognoscitur, vt saluator ait. Quum ergo visio atq; cognitio filij perfectè sufficiat ad naturam patris cognoscendam, superuacaneus forsā Philippi sermo videtur. Non tamen laude sua priuandus est, admiratione nanque commotum dixisse arbitrari Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Ac si diceret, omnes nos gaudij plenos profitebimur, nec deesse ad beatitudinem quicquam nobis arbitrabimur, si (quod maximè optamus) Deum patrem videbimus. Laudandus ergo est, qui visionem patris cæteris omnibus rebus anteposuit. Hæc quidē simpliciora, expressioraq; sunt, curiosius aut atq; occultius illud addemus. Nō ignoramus Scribas ac Phariseos, cæterosq; Iudæorū principes innumeris Christi signis cōmotos, sic inuidia exarsisse, vt cum prohibere ne miraculosè ageret, nō possent, ad detrahendū illi verfos, multa ad diminuendā illius gloriā prædicasse, modò in princlpe demoniorū signa fieri ab illo clamātes, modò turbas reprehēdentes, qm̄ illū audirent. Dicebant em̄, demoniū habet ac furit, cur eū auditis: glorię igitur Christi summope inuidētes, persuas-

Exodi 33
Matth. 14
Luce 11
Ioannis 10

Exodi 16

Ioannis 9

persuadebant turbis, præuarcationem legis Christum odisse, & Mosi toto animo inhærere. Mosen enim dicebant, obuiam Deo populū ab Aegypto ad Sina montem eduxisse, ac ostendisse eis Deum in cacumine montis, & fecisse vt auribus suis verba Dei audirent, ita certiores omnes factos esse, verbis Dei legem esse dictam: hunc autem præstigiatorē nihil tale vnquam fecisse. Hæc illos ita dicere ac facere inde maximè patet, quòd ad cæcum à natiuitate, cui virtute ineffabili saluator visum largitus est, cum a maritudine dicebant; Tu illius discipulis es, nos autē Mosi sumus discipuli. Nos scimus quia Mosi locutus est Deus, hunc verò nescimus unde sit. Hanc rationem non facilè, imò nullo modo cõfutari posse omnes credebant, qui ludæis fauebant. Hæc vbiq; clamantes, multos decipiebant, & turbatione cuncta replebant. Cogitauit ergo secum Philippus, omnem ludæorum posse contradictionem dissolui, si Christus quoq; credentibus in eum patrem ostenderet. Quapropter obsecrat, dicens: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Multis, inquit, modis ò domine ad fidē tuam nos attraxisti, innumerisq; signis ludæorum impudentia repelli potest: sed nihil omnino deerit, si etiam ipse Deum patrem nobis ostendes: hoc enim maximè faciet, vt ludæorum ora consuere possimus. Non arbitror lōgè à mente Philippi occultiore hoc sensu nos aberrare. Ipse certè ad hæc excogitanda nos inuiauit, quum dicat sufficere sibi Deum patrē videre: quali hoc solum credētib; deesse videretur, ipse quoq; saluator in sequētibus hoc ferè subaperit dicens: Verba quæ ego dico vobis, non à me loquor, sed pater in me manēs, ipse facit opera, quod loco suolatius exponemus.

Caput XXXVII.

Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem. Inexcusabilem imperitiam discipuli ostēdit: difficilia enim sublimiaq; theoremata, etsi breui tempore nequeant exquisitius intelligi, in longis tamen tēporibus à studiosis percipiuntur: quæ verò facilia cognita sunt, ea sine labore statim quum audiamus, consequimur. Quid igitur, ò Philippe, impedimento tibi fuit ad exquisitam meicognitionem, qui quum tanto tempore mecum sis, vt perfectè iam me cognoscere deberes, ambigis adhuc? Imò verò ignorare omnino videris, quia natura sum, & vnde sum, quo modo nō cognouisti, quia qui me videt, videt & patrem: & ludæos quidē putas diuinam olim naturam in mōte aspexisse, ab eaq; quid faciundum sit, quid non faciundum, audiuisse. Tu verò nōdum credis per me & in me patrem vidisse, nescis quia qui videt me, videt & patrem? Nō est opus lōgavti oratione ad demonstrandum non intelligi visionem hic eam, qua oculis cernimus (nemo enim nō furiosus naturam Dei oculis subijciet, quam vix in speculo videmus & in ænigmate) illud tamen aduersus inimicos veritatis, qui lingua nos impudenti, imò vnigeniti substantiam lacerant, dicendum videtur. Nam si ex Dei patris substantia per generationem filius (vt illi putant) non emanauit, sed solis exterioribus, nō naturalibus dignitatibus fulget, quibus patrem in se vt imago figurat, primum nō erit naturaliter filius, nec genimè verè. Erit ergo creatura vt nos, aut aliquid tale: quo cōcesso aut credito, illud confiteri necesse erat, patrem verè ac naturaliter patrem non esse, sed voluntate quadam vt nostri apparentia patrem nuncupari. Hinc porrò necessario sequetur, non esse Trinitatem vnum Deum, sed tres potius deos: quum alius in alio substantialiter non insit, sed vnusquisque vt nomine, ita naturæ ratione omnino disseparetur. Cogimur hæc nephanda vi rerum rudius dicere, sed tamē prosequemur. Si ergo natura separentur, & alienus naturaliter à patre filius est, quomodo qui natura Deus non est, patrem qui natura Deus est, in seipso nobis ostendit? Quomodo in re creata incretam conspiciemus: quomodo in eo, qui aliquando non fuit, eum qui semper est, speculabimur? Nec mihi aliquis dicat, quoniā virtutem patris, sapientiam

A sapientiam, bonitatem, producendi omnia vim habeat, idcirco imaginem eius esse: sed prius ostendat non natura Deum, incommutabiliter ac perfectissimè, vt nihil omnino desit, natura Dei posse imaginem esse, quæ in seipsa primitiuū absolutissimè ostendat: quod quoniam ostendere nunquam poterit, rogabimus secundo, vt illud demonstret, qua ratione, si natura Deus non est, vt ipsi dicunt, veri Dei opera potest facere. Hoc enim est patris imaginem esse. Nam si non habet virtutem à se filius ad peragenda omnia sufficientem, mutuo autem à patre ac forinsecus accipit & sapientiam & vires, vt ea possit facere, quæ solus pater natura facere potest: mentitur scriptura, quæ imaginem & charactèrē patris appellat. Sin verò non mentitur, in ipsam patris gloriam eorum iniuria conscendit: quoniam modo dicam repetens breuiter. Aut enim si à se idem naturaliter non habeat ad facienda omnia virtutem, sed ab alio extrinsecus accipiat, falsò imago patris appellatur. Non enim aliundè, sed à se naturaliter habet omnia primitiuum. Aut si verax scriptura est & ipse saluator, qui patrem in seipso cōspici adserit, ita vt nihil prorsus desit, nihil superfluat, nihil diminutum mancumq; sit, sed summa sit incommutabilitas: necesse erit cōcedere ipsum quoq; primitiuum, id est, patrē, non à se, sed ab alio hanc virtutem mutuari, quippe qui se talem in imagine naturæ suæ nobis ostenderit. Nōne igitur videtis, ad illos qui spiam dixerit, longè à recta via in perditionis barathrū vos decidisse? Sed potest, inquit, filius quamuis creatura sit, diuinæ naturæ opera facere: quoniā ita Deus pater instituit. Ego verò nescio, si quid magis impiè dici potest: nihil enim maius erit in Deo, quàm in creatura. Non ergo præcipuum quid filio attribueri credant, quia super alias creaturas creatum existiment. Non enim vtrum eximæ naturæ creatura sit, sed vtrum factus sit, quæritur. Quumq; factus esse ab eis dicatur, gloria eius statim deprimitur: frustra igitur quali remediū adferunt, quòd optima creaturarum sit, quum creata omnis natura, in infinitum à non creata disseparetur & distet. Sed ipsi quoq; naturæ patris summa infertur iniuria, si eadem omnino filius, quæ ipse, quum creatura sit, operetur. Nequaquam igitur ferendi sunt, quum prædicent diuinæ naturæ opera posse à creatura secundum naturam fieri. Nulla enim sanctorum voce potest id confirmari: quare quum ex animo suo falsas effundant rationes, non iniuria dicemus: Væ ijs, qui prophetant à corde suo. Nihil enim præter illa patrem velle concedimus, quæ gloriam eius conseruant, & rectitudinem dogmatum stabiliunt. Nugis igitur illorum omissis, veram prosequemur rationem, ex substantia Dei patris secundum naturam natus est filius. Sic enim verè, quum character similitudoq; illius sit, dicere potest: Qui videt me, videt & patrem. Quomodo igitur ò Philippe, patrem tibi petis ostendi, quum patrem in eo videre possit, qui totam naturam patris, vt verus character eius & imago incommutabilis verè habet? Cave ne altiora in specie ignis vidisse antiquissimos in monte putes: meliora enim sublimioraq; sunt hæc miracula Christi, & exquisitiorem Dei patris cognitionem efficiunt, quàm illa cognitio fuit, quæ in cacumine montis à priscis habita est. Quòd breuiter ostendemus, vt clarè appareat non necessariò illam priscam à Philippo cognitionem fuisse quæsitam, qua in specie ignis populo vidente descendisse dicitur Deus. Quomodo igitur ad rectam de Deo opinionem per speciem ignis quispiam perueniet: aut qua similitudine ignis ad primitiuum, id est, ad patrem, ascendet? Bonus natura Deus est, creator est, ex nihilo cuncta produxit, & quæ produxit, continet atq; viuificat. Sapientia præterea & virtus est, iustus, misericors, & cætera huiusmodi, quorum omnium nihil vnquam in igne conspicias. Cur ergo, inquit, in specie ignis Deus apparuit: quia tunc primum disciplina legis ad pietatem populus instituebatur: qui cum esset duræ ceruicis, opus erat, vt q̄ maximè terribilis Deus eis videretur, vt cum scirent magna præuarcatoribus imminere supplicia, quia ignem quasi vrentem offenderent, aliquatulum sibisipsi moderarentur. Propterea Moses quoq; illis dicebat: Ignis consumens Deus

Hebræo. 1

Ezech. 19

Deuter. 4

Bonus.

Potens.

Vita.

III, scilicet propheta.

Psal. 49

noſter eſt. Nec Dei naturam tantus vir igni conferebat; ſed oſtendere volebat, ignis more à Deo tranſgreſſores conſumi. Non ergo quia igne Deus cognoſci poſſit, ſed quia vtile tunc populo fuerat, in ſpecie ignis Deus apparuit. Nunc exquisitiſſimam patris imaginem à perfectionibus eius conſideremus. Bonus ſecundum naturam Deus pater eſt, quid filius; nonne ſummè bonus, qui venit in mundum, vt peccatores ſaluaret; qui ſe humiliavit, & animã ſuam pro peccatoribus poſuit: Potens pater eſt, filius quoque ſimiliter, qui elementis imperabat, elata maria deprimens, & ventorum ſtatus deponens, qui naturam rerum penitus vicit. Leproſum enim curauit imperio, & ſumma cæcos poteſtate videre iuſſit. Vita naturaliter pater eſt, filius quoque ſimiliter vita eſt; mortis enim vires euertit, quum multos è morte ſuſcitauerit. Iure igitur ad Philippum ait: Qui videt me, videt & patrẽ. Cur igitur, inquit, d Philippe, quum multo melius in me patrem videre poſſis, quàm in igne antiquiores viderunt, alium quendam modum videndi patris deſideras? non credis quia ego in patre, & pater in me eſt? Ego, inquit, d Philippe genitoris naturam, vt imago ſubſtantiaẽ ſuaẽ perfectiſſimè ad illam formatus, in me totam exprimo, non exterioribus neque aduentitijs dignitatibus, ſed naturalibus naturaẽ patris perfectionibus ſplendens; id enim ſum verè, quod pater eſt, identitatis ſubſtantiaẽ ratione. Tu autem videre patrem petis, quia non penitus adhuc credidiſti, quod ego in patre ſum, & pater ruruſ in me. Quæ igitur ego dixi, pater dixit: & quæ operatus ſum, pater operatus eſt. Hæc Chriſtus non vt propheta dicit, qui certa menſura & ordine, non ſua, ſed quæ Deus illis inſpirauerat, loquebantur. Patri autem miraculorum poteſtatem attribuit; non quia ipſe quali forinſeca uſus ſit, vt illi dicebant; Nolite nobis attendere tanquam propria poteſtate id fecerimus. Non enim ſua, ſed Dei virtute vt miniſtri miracula ſancti peragebant. Non igitur, quia Dei poteſtate vt exteriore vteretur, verum quia cum patri conſubſtantialis ſit, idẽ cum eo natura penitus eſt. Et verba ſua patris eſſe verba dicit; quia non alijs quàm filius verbis pater, ſi loqui vellet, vteretur. Opera quoque ſua patris eſſe ſimiliter dicit; quia non aliter filius, quàm pater operari poteſt.

Caput XXXVIII.

Verba quæ ego loquor vobis, a me ipſo non loquor: pater autem in me manens, ipſe facit opera. Non aliter, inquit, pater (ſi vobis cum verba facere vellet) quàm ego, locutus eſſet; tanta enim inter nos identitas eſt, vt voces meæ illius ſint, & quæ facio, illius opera ſint. Ipſe enim propter incommutabilitatem ſubſtantiaẽ in me manens facit opera. Nam quum vna in patre & filio & ſpiritu deitas ſit, omnis ſermo patris, & omnia opera patris per filium in ſpiritu ſunt, aguntur tamen quali à patre. Non enim eſt extra genitoris ſubſtantiam filius, ſed nec ſpiritus ſanctus. Sed alium quoque ſenſum incarnationis diſpenſationi accommodatum dicere poſſumus. Non loquor, ait, à me ipſo; id eſt, non alie na neq; incongrua Deo patri loquor. Nam quoniam in humana forma cernebatur, ſermones & opera ſua naturaẽ deitatis in perſona patris attribuit, ac ſi diceret: Cauete ne humana hæc figura & habitus longè vos à conuenienti de me opinione ſeducat. Cauete ne hominis nudi verba mea putetis, ſed diuina & ipſi patri congruentia ducite: operatur autem in me manens, ſum enim in ipſo, & ipſe in me. Nolite igitur credere maius excellentiuſq; aliquid priſcis datum fuiſſe, qui Deum in ſpecie ignis viderunt, & vocem audiuerunt: vos enim multo verius in me, & per me patrem vididiſtis. Deus enim natura quum ſim, veni manifeſtè (vt Pſalmiſta canit) homo propter vos factus. Verba igitur mea, patris verba ſunt, & opera mea ſimiliter. Quare vos, qui hæc audiuiſtis & vididiſtis, verba patris audiuiſtis, & opera patris & virtutem vididiſtis: per me nanq; ille vt per verbum ſuum loquitur, per me vt per virtutem ſuam miracula peragit. Nullus autem, niſi mente captus, verbum & virtu-

A & virtutem patris naturaliter ſubſtantiaẽ patris in eſſe poteſt negare.

Caput XXXIX.



Redite, quia ego in patre, & pater in me eſt. Apertè nunc dicit, imò imperat non aliter nos credere oportere, quàm ipſe velit, qui veritas eſt. Conſubſtantialis enim patri eſt, nulla re penitus interpoſita, nec intermedio villo intellectu, quod ſubſtantiam à ſubſtantia, & naturam à natura diſſeparet; vnum enim cum ipſo eſt. Propterea ſubſtantia & natura alterius in altero conſpicitur: quod noſtro etiam exemplo videre licet. Nam etſi corporibus diſtemus, non ſumus tamen alij natura patres à filijs, & filij à parentibus. Abraham igitur naturam conſpexit, qui filium eius conſpexit. Sed in hominibus quidem magna videtur eſſe diſſeparatio: ſeorſim enim vnusquique formatus, quumuis vna ſubſtantia atq; natura ratio in omnibus communiter ſit, tamen alter in altero non in eſt: in Deo autem non ita eſſe intelligemus, ſed propriè quidem pater, pater eſt, & non filius: & qui ex eo eſt, filius eſt, & non pater: & ſpiritus ſanctus, ſpiritus propriè eſt: in vnam autem deitatis naturam ſic Trinitas ſancta colligitur, vt vnus ſit Deus, nec aliqua Trinitatis perſona diſſeparet ab alia. Sed ſubſiſtere quidem trium perſonarum propriè ac verè quamlibet credimus, & filium ex patre ineffabiliter natum eſſe, & in ipſo manere intelligimus, eodem modo de ſpiritu ſancto. Eit em ex Deo verè, non diſſeparatus à ſubſtantia eius: ſed procedens potius ex eo, & in eo ſemper manens, præbetur ſanctis per Chriſtum. Omnia em per filium in ſpiritu ſancto ſunt. Hanc dogmatum rectitudinem atq; veritatem ſancti patres nobis tradiderunt, ſic & loqui & ſapere à ſanctis literis docti ſumus, ad quã fidem dominus etiam hortatur dicens: Credite, quia ego in patre, & pater in me eſt.

Caput XL.



Aloqui propter opera ipſa credite. Palam iſtis verbis, nihil ſe mirũ, diuinæq; naturaẽ conueniens potuiſſe facere oſtendit, niſi natura Deus eſſet: & vide quanta cum autoritate & veritate. Nam etſi mētiri non poſſit, non petit tamen vt om̄ino verbis ſuis credamus. Quare ſic: Non ignorabat poſſe ſibi furioſos verba huiuſmodi accommodare, deõsque ſe verbis facere, operibus autem diuinæ naturaẽ congruentibus nulla vnquam creatura vteretur. Nec enim Deus minimè capaci creaturæ, faciendi omnia poteſtatem donabit. Nõ ergo magis à verbis ſuis, quàm ab operibus credere cogit, ſe quidem in patre, patrem autem ruruſ in ipſo eſſe id eſt, non aliã eſſe naturam ſuam q̄ patris. Et Eccleſia quidẽ Chriſti, quæ rectitudine dogmatum gloria tur, hæc in vnigenitum habet fidem: Deiaũt inimici non parua rabie cõcitati, alius alium in maiore impietate impellunt. Nam cum vinum Sodomæ bibant, & vñ Gomorrhæ vindemient, nec à ſpiritu ſancti reuelatione, ſed acerrimi draconis ſuggeſtione loquũtur: & nec probe ſentiunt, & ea dicunt, quibus audiẽtium animas ad inferos detrudunt; libris quoq; has nugas ſuas tradere auſi, quali publice in tabulis malignitatem ſuam pingentes, perpetuitati (quantum in eis ſitum eſt) commendarunt. Vnde ſit, vt quamuis multis iam hac de re dictis, pro poſitum ad vtilitatem fidelium opus proſequendum breuius videatur, nugis eorum neglectis, cogamur tamen, ne ſimpliciorum aliquis laqueis eorum capiatur, veritatis dogmatibus vt ſcutis venenofa illorum tela repellere, ac friuolas oſtendere calumnias ſuas, quibus filio miſeri, imò verò toti deitati conantur detrudere. Legi enim modò librum quendam à duerſariorum, in quo de propoſito Euangelij loco ſic poſt nonnulla breuiter ſcribebatur: Filius ergo ſubſtantialiter à patre continente contentus, habet in ſe patrem loquentem verba, & ſigna facientem, quod ipſe filius expoſuit dicens: Quæ ego loquor vobis, a me ipſo non loquor: pater autem in me manens, ipſe facit opera. Quid velit dicere, quum ſubſtantialiter à patre contineri filium adſerat, non probe (vt veritatem fatear) aſſe-

Deuter. 35

Arlano rum conſutatio.

quor tanta in oratione inest obscuritas, & quemadmodum qui malè agit, odit lucem, & nō venit ad lucem (vt saluator ait) ne redarguatur: sic oratio improba, cum non audeat in lucem exire, ne redarguatur, obscuritate gaudet. Quid igitur sit substantialiter à patre filium contineri, quibuscunq; potero modis exponam, vt obscure dictum in lucem protractum, reprehendatur. Si ergo significat, in patris substantia, sicut consubstantialem filium esse, ita vt pater rursus in ipsa filij natura perfulgeat, quamuis continentia nomen alienissimum sit, laudabimus tamen & comprobabimus. Sin verò non id (nō enim ex substantia patris natura esse filium fatetur, qui hæc euomuit) sed vt corpus quoddam finitum, sic naturam filij terminatam ab infinito patre contineri arbitratur: quomodo insanus non est, qui ita blasphemate. Aut quomodo, quum filium Deum esse modo quodam concedant, proprietates corporum ei accomodant: quod enim mensura aut termino circūscribitur, cum dimensiones suscipere necessariò intelligatur, id prima & vltima, & locum & quantitatem & figuram habeat: necesse est, quæ omnia corporum propria sunt. Quomodo igitur corporeus esse credetur, qui super omnia est: Aut quomodo alijs creaturis similis nō erit, si ipse quoq; similiter finitus est: quod si ita est, cur falsò nos terrebatur dicēs: Vos de ijs, quæ deorsum sunt, estis, ego desuper sum. Et rursus: Vos ex hoc mūdo estis, ego non sum ex hoc mundo. Nam cum desuper esse adserat, non cœlū significat, nec locum aliquem (sic enim etiam angeli desuper sunt) sed à suprema se substantia emanare demonstrat. Quomodo igitur id verè dicebat, si quemadmodum, quæ ex nihilo producta sunt corpora, sic terminis continetur magis, quam cætera contineat: aut quomodo ipsum nusquam abesse Psalmista dicit, incorpoream, incircumscribibilemque naturā, vt Deo attribuens: Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam: Si ascendero in cœlum, tu illuc es, si descendero in infernū, ades. Si sumptero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etem illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Hæc per Psalmistā spiritus cecinit. Sed isti, spiritus quoq; voces continentes, terminis et circūscriptionibus vnigenitū Dei filium subiiciunt: quod fieri qui poterit, si cœlos simul & vltima terræ facile replet: Sed non venit eis in mentem: quia si filij facies, id est, spiritus (facies enim filij spiritus sanctus est) vniversa replet: quomodo ipse continentia terminis comprehendatur: Ita, inquit, sed non à corpore, neq; à loco, sed à Deo patre filij contineri dicimus. Non potestis impietatem effugere, si vt corpus rem incorpoream circumscribatis, et finem attribuat is infinito. Nam quum à patre contineri dicatis, quid aliud, quàm quòd finitus sit, significatis: sicut creature omnes, quæ ab ipso productæ, contineri etiam ab ipso dicuntur. Præterea si quid, quod aliquo modo continetur, ea ratione, qua continetur, minus continente est: quomodo non erubescitis, minorem patre filium sicuti potestate, virtutēque illius inclusum, & præsentibus & posteris occultius continentia verbo tradentes: Ad hæc, quum se imaginem patris perfectam adserat (qui enim videt me, inquit, is & patrem videt: & ego in patre, & pater in me est) si substantialiter à patre continetur, ipse quoque pater erit finitus. Talem enim esse patrem vult, qualis ipse est, & apertè dicit patrem in se esse: ipse igitur aduersarius quærat alium, qui sit maior patre, qui est in filio: mihi enim nefas videtur talia cogitare. Non est autem filius ex parte patris imago, sed totus totius imago est, neque aliquid penitus intercidit, quod summam similitudinem, imò identitatem imminuere videatur. Illud summopere miror, mirarique non desinam, quomodo aut si sunt dicere ita patrem in filio loqui & signa facere, quemadmodum ipse Christus in Paulo & loquebatur & operabatur: Hac enim de causa dictum esse contendunt: Ego in patre sum, & pater in me. quis talia de Christo sentientes, Christianos appellabit: Ecce manifestè non Deum, sed capacem Deo, & Dei participem, magis creaturam, quam Deum ex Deo natum prædicant. Patet igitur vndique, quòd illa sit intentio eorum, vt longè à substantia Dei patris propellant filium, & deita-

A tis natura omnino priuent. Quomodo igitur quasi mortuos impietate, largo lachrymarum fluuio non plorabimus, dicentes: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & Hebo noctu & inter diu hunc populum: Sed zelo si dei concitati, ne simpliciores seducantur, de beato Paulo dicimus, quòd & ille & quisquis sanctorum diuinitus & loquebatur & faciebat, Christum in corde suo habitantem per spiritum habebat. Propterea & miracula faciebant, & quæ Deo placebant, loquebantur. Quos omnes natura homines, & aliud secundum substantiam, quam spiritus Christi, qui habitabat in eis, & Dei cultores, & gratia eius rutilantes, etiam inuiti concedetis: nec negabitis destitutos fuisse gratia illos, anteq̃ vocati fuissent: possibile quoque fuisse postea, quam gratiam habuerunt, delictis prauisq; cogitationibus eam illos amittere. Nam quod deforis allatum est, quamuis re ipsa nequaquam auferatur, auferri tamen posse nemo ibit inficias. Si ergo secundum impietatem & imperitiam vestram ita patrē credemus esse in filio, sicut Christus erat in Paulo, loquens in eo, & miracula peragens: quomodo non erit aliud, quam pater, qui in eo est: pater autem Deus est, filius ergo non erit Deus. Quare instrumentum quoddam, & vt vas aliquod patris, vnigenitus erit: nec à tibia vel lyra distabit, quum illud refonet, quod inspiratione aut pulsatione iubeatur: ad peragenda verò miracula quasi ferra aut bipennis adhibebitur. Sic alienus omnino à natura patris erit, nec vilo modo natura Deus credetur. Quomodo igitur creaturis non connumerabitur, qui ministri locum possidet: Quomodo filius Dei appellabitur, & confessum patris habebit: imò verò quis hoc dicere dignabitur, qui veram esse illud putabit: Vos autem quamuis hæc dicatis, præ pudor, filium tamen appellatis. Instrumentum ergo artificij atque sapientia suæ pater genuit, & aliud præter se ipsum peperit. Hæc qui dicunt, ipsius genitoris gloriae detrahunt. Non enim erit verè pater, qui talem filium natura non cognouit, qualis ipse est. Impiè igitur et falsò in Trinitatem credimus. Nam neque pater, verè pater erit: nec filius naturaliter filius, nec filij spiritus, Deus erit. Decepti ergo sumus, inanis fides nostra est, scriptura etiam falsa est, quæ Deum patrem appellat: nec soli nos fallimur, sed superna etiam ciuitas non minus seducta est, quæ filium creaturarum vnā non Deum, sed vas instrumentūque Dei cum patre simul adorat & glorificat. Quòd si pater inhabitare in filio noluerit (d impietatis magnitudinem, sed consequentia dicere cogor) non distabit filius ab illis, qui à principio suo lapsi ceciderunt. Cur autem si gratia Dei sicuti nos corroboratur, nec genitorem in seipso naturaliter habet, sed filiationis nomine vt creatura decoratur: cur inquam ipse quoq; vt nos, naturam suam nō profitetur: Cur ille dominus, & nos serui: qui etsi filij Dei vocitemur, propriam tamen naturam non ignoramus. Quare igit ipse quoq; si natura Deus non est, si inter creaturas collocat, vt vobis videtur, seruū se esse nō profitetur: sed congruentem deitatis honorè & gloriam sibi attribuit, dicēs: Vos me vocatis domine & magister, & benè dicitis, sum etem. Hæc boni isti doctores laudant, & verè dominum appellari concedunt: deinde à naturali veraq; dominatione, quia non esse natura ex Deo patre contendunt, turpiter (quantum in eis situm est) ejicere non verentur. Verum quod seruitutis abneget nomen, & creaturis connumerari nolit, liberam, dominantemque sui naturā etiam factus seruus respiciēs, inde quoq; intelliges. Accessisse namq; ad Petrū exactores didrachmī scribuntur, dixisseq; magister vester nō soluit didrachmū: ad quod Christus quid Petro dixerit, operæ precij est cōsiderare. Reges, inquit, terræ à quibus cēsum aut tributū accipiunt: à filijs ne suis, an ab alienis: Cū autem Petrus non filios regis, sed alios tributis subiectos prudenter dixerit, cōfestim deitatis sibi testimoniū Christus perhibēs, illud adiecit: Liberi ergo sunt filij. Cur igit, si conseruus, & non à patris substantia natus est, cæteris seruitutē, soli sibi libertatem attribuit: Per abusionem em de nobis, que propriè ac verè Deo accomodantur, dicta esse inueniemus, quæ illi verè ac naturaliter insunt. Quare &

nomen & res seruitutis, secundū naturam inest creaturæ, quā libertatis honore ac gloria per gratiam Dei decoreremur. Libenter ergo eos interrogarim, vtrum Theophorum, id est, virum, in quo Deus habitet, Pauli appellent, an non: Si enim negant illum Theophorū fuisse, manifestè mentiuntur: in autem orbis terrarū autoritate victi Theophorū fateantur, patet quia Christus Deus est. Sic enim Paulus appellatur, quia Christus in eo per spiritū suum habitabat. Quod si & Paulum Theophorum appellant, & filiū alienū à patris substantia dicunt, sibi ipsi contradicere inveniuntur. Sed erubescens nonnunquā Deum verum maligni filium appellant: non enim natum ex Deo vero concedunt. Ita Deum quidem verum esse, sed natura Deū non esse contendunt. Quod certè non magis impiè quā stultè dici contēderim. Sed cum patrem in filio esse, vt Christum in Paulo dicitis, filium certè Theophorum Paulo similiter dicitis. Quomodo igitur Theophorus aut particeps Dei, qui verè Deus est: nulla enim res se ipsa participat. Nam si verè idem est quod participat, & quod participatur, cur opus participatione est: Si autem sicut ipse in Paulo, sic pater in ipso habitat: quomodo non erit Theophorus: Et si hoc, quomodo erit Deus, qui habitante Deo indiguit: Satis de his, quare aliud illius generosi verbis suis in medium adducamus, vt pateat quantum impietatis posterioribus, scriptis suis commendare conetur, & id astutè nimium vt veterator occultare. Nanque præsentibus obsecrante hallucinari studet, vt facilius ad posteros veniat. Verba sua hæc sunt: Verūm quemadmodum nos in ipso esse dicimur, & tamen substantia nostra illi non communicatur: eodem modo filius quum in patre sit, separatam tamen ab ingenito habet substantiam. O audaciam, o quanta plenam impietate orationem. Nam si hominem nudum Christum esse credit, nihil prohibet dicere, sic ipsum esse in Deo patre, veluti & nos. Sin verò Deum esse secundum naturam non negat, & adorabilem esse fatetur: cur veretur concedere in patre ipsum esse, & patrem in ipso habere, ita vt Deum decet: Sin autem impudenter contendit ita esse filium in patre, sicut singulos hominū, qui de nihilo & de terra per ipsum facti sunt: cur vniciquē nostrū non licet dicere, qui videt me, videt & patrē: & ego in patre, & pater in me est: Sed amentia plena hæc sunt. Nullus enim sanctorum tali voce vnus inuenitur: sed omnes vnigenito, vt natura Deo & domino, summam omnium potestatem attribunt. Ideo clamant dicentes: Quis similis erit domino in filijs Dei: Quomodo ergo sicuti nos in patre vnigenitus est, si nullus alius ei similis est: quā si vt nos in Deo est, mentiuntur sancti tam magna de illo clamantes, qui non plus habet, quā filij adoptione habeant. Verūm quoniam ad probationem verborum suorum illud Pauli adducit: Quia in Deo viuimus, & mouemur & sumus, & sic in patre filium esse adserit: age à re ipsa sensum scripturæ, vt sua muniat, corrumpere ipsum ostendamus. Cū Athenienses (qui sapientes credebantur) ab errore ad pietatē traducere Paulus studeret, vt ad credendum vnum esse Deum illos induceret, in eo inquit nos viuere & moueri & esse. Omnia enim viuificat filius: quia cū vita secundum naturam sit, omnibus à se creatis virtutem suam ineffabiliter immittit: non enim quæ ex nihilo producta sunt, aliter conseruari possent, sed ad pristinam statim conditionem, id est, ad non esse laborerent, nisi habitudine quadam ab eo, qui est, imbecillitas sua vinceretur. Rectè igitur Paulus vitam omnium Deum esse adserit, cū in eo viuamus, & moueamur & simus: nec significare illud voluit, quod ipsi malignè interpretantur, ad falsam omnia suam opinionem trahentes ac corrumpentes. Noluit, inquam, significare, quia quamuis simus homines, in substantia tamen patris (vt isti nugantur) siti simus: sed in Deo viuimus & mouemur & sumus, quia ex eo sumus & in eo conseruamur. Ideo enim, viuimus, preposuit, deinde, mouemur, subiunxit, & demum intulit, sumus, vt hoc tertium in præcedentium sensu computaret. Puto iam aduersarijs Ecclesiæ me per ista satisfecisse. Quod si adhuc reclamare parati sint, & illud, in Deo, vt sibi videtur, exponendum esse contendant, scripturæ

A scripturæ vsu ostendemus, quæ solet in Deo, pro eo quod est per Deū, plerumque dicere. Clamat enim Psalmista, dicens: In Deo faciemus virtutē. Et rursus ad ipsum Deum verso sermone: In te, inquit, inimicos nostros cornu ventilabimus. Non enim in substantia patris virtutem se facturum pollicetur, nec in ipsa inimicos suos inuenturum atque cornu ventilaturum dicit: sed in Deo, pro eo quod est per Deum, & in te, id est, per te posuit. Et Paulus ad Corinthios: Gratias ago Deo meo pro vobis in data vobis in Christo Iesu gratia. Et rursus: Ex eo autē vos estis in Christo Iesu, qui natus est sapientia nobis à patre, iustitia, sanctificatio & redemptio. Num enim gratiam in ipsa substantia Christi datam fuisse adserit: sed furor est hoc modo ista intelligere. Cur igitur & scripturæ consuetudinē contemnis, & beati Pauli consiliū negligis, & in substantia patris nos esse, illum intellexisse calumniaris, quia in Deo nos viuere & moueri & esse adserit: Sed insultat rursus aduersarius. Et quoniam rectè, inquit, dixisti in Deo solere scripturam dicere, pro eo quod est per Deum: cur, inquit, falsò nos criminaris, qui per patrem factum filium esse dicimus: Ecce nanque ipse filius, in patre sum, inquit, id est, per patrem. Ego autem admiror, quomodo tam libenter in Deo, pro eo quod est per Deum, audierunt: atque hinc illic magnum (vt ipsi putant) gradum fecerunt, quod ad demonstrandum creaturam patris esse filium (quoniam in Deo est, & hoc per Deū significare plerumque diximus) peruenire possint, ad stulti, acutiq; nimium esse videntur propter audaciam. Nam re ipsa nihil penitus effecerunt: quid enim prohibet, si hoc modo in proposito hic accipiatur, ad ipsum quoque patrem vniū argumenti conuertere: quumq; apertè dicatur, quia pater in me est, per me intelligere, vt ipse quoque pater, creatura filij videatur: Eodem enim pacto patrem in seipso, & ipsum in patre filius esse affirmat. Si ergo in patre, per patrem intelligitur: necesse est & in filio, per filium intelligitur. Sed auertat Deus à nobis hanc tantam insaniam: nec enim per patrem filius, nec pater ex quo vniuersa sunt, per filium factus est. Sed diuinæ scripturæ consuetudinē in singulis, personæ, temporis, rebusque accommodantes, syncerum atque incriminabilem in omnibus sensum cōteximus. Ea ergo quæ ex nihilo facta per Deum sunt, quum in Deo esse dicantur, per Deū esse intelligentes, nequaquam errabimus. Filio autem Dei, domino & Deo & creatori vniuersorum, nullo id modo conuenit: sed est in patre naturaliter, & habet in se patrē similiter propter identitatē substantiæ. Hæc, vt puto, faciliè quæ edificari, non vincere quæerunt, libenter suscipient. Christi autē aduersarius quæ dixi criminans, non aliter clamabit filium esse in patre, quàm nos in ipso simus. Sed nos quoque prima repetentes, aduersus hæc friuola penitus atque inania maiore voce dicemus. Cur igitur naturæ nostræ mensura non patitur, vt eisdem quibus Christus verbis gloriemur: Christus enim, quia in patre est, quia patrē habet in seipso, & imago characterque incommutabilis propter hæc eius est: Qui me videt, inquit, videt & patrē: & ego & pater vnum sumus. Nos autē qui similiter in eo sumus, vt vos dicitis, & eum in nobis habemus vt & ipse patrē: nescio cur non elatis ceruicibus, occurrentibus faciem ostentantes, ac audacter caput quassantes, quisque dicimus, ego in Christo, & Christus in me: qui videt me, videt Christum: ego & Christus vnū sumus. Sed nemo ita vnquam insanit, vt hæc dicere auderet. Nam si habitudine, non natura filius in patre est, & pater in filio, sicut nos in Christo, & Christus in nobis, primū in ordine cōditio neque nostra Christus collocabitur. Deinde quid prohibebit Christo prætermisso ad ipsum patrem ascendere, & illius nos similes dicere, adeò vt nihil ab eo nos differre credamus: Nam quod vnū cum aliquo est, iure ab eo non distare videtur. Videtis ne quod impietatis atque furoris deuentū est: Quæ igitur causa horum inanum est verborum: nulla profecto alia, nisi quia longè à patris substantia filium pellere student. Quod ita esse, ipsorum verbis percipitur. Non enim grauabor repetere blasphemiam suam, vt omnibus facilius pateat verum, quemadmodum nos, ait, in ipso esse

dicimur, & tamē substantia nostra illi non cōmunicatur; eodem modo filius cū in patre sit, separatam tamen ab ingenito habet substantiam. Quid ais, d'attonite atq; stupide; tu sic apertē in filium blasphemās: Cur igitur falsa vos à nobis calumnia exceptos esse dicitis? Ecce em̄, ecce manifestē nihil maius filio attribuitis quā creaturis, quas creauit ipse. Ego verò (non enim ferre possum, intentionem scripturæ sequēs diligēter) quoniam filium negant, ipsum quoq; patrem negari ab eis adseroracita ipsos nullo modo Deū colere, & ideo sine spe viuere, nequaquam dicere vereor. Grauem autē testem hunc ipsum Euangelistam citabo. Qui patrē, inquit, negat, negat & filiū; & q̄ filium negat, is nec patrē quidem tenet. Qui autē filium confitetur, is & patrem confitetur, rectē inquam atq; sanē. Nam qui non solum nomine, sed re ipsa & dici & esse naturaliter patrē nouit, necessariò alterum cum altero negari & affirmari similiter dicit. Concurrunt enim semper ad verē naturā; patrē significatio & cognitio eius, qui ex eo natus est: similiter cum verē filio persona parturientis cointelligitur. Qui enim nnuū quia pater est, intellexit quia filium peperit. Et qui filium animo voluit, is illud vnā voluit, quod ex aliquo natus est. Ex alterutro igitur, alterutrius in auditorum animo cognitio generatur. Quare qui Deum negat verē patrē esse, is generationem filij abstulit. Et qui filium ex patre natum non confitetur, is patrem nullo modo cognoscit. Quum igitur distinctam tu substantiam naturāq; filij ab ingenito Deo esse clamas, nec filium quidem Dei eum fateris. Si verò filius non est, quomodo pater verē pater erit; cuius enim erit pater, si non peperit? Distingui autē à patre filium, etiam ipsi profiteamur, nō natura neq; substantiā, vt vobis improbē videtur: sed quia in propria persona esse intelligitur, & verē subsistit: filius enim est, & non pater. Substantialiter verò distingui, nō modò non dicimus, verū & omnes qui dicunt, à consortio fratrum depellimus. Distinguntur enim personæ nō natura, sed personalibus proprietatibus. Petrus enim Petrus est, & nō Paulus; & Paulus, Paulus est, & non Petrus. Indistincti tamen natura sunt. Vna enim in vtriusq; substantiæ ratio est, & quæ naturalia sunt, eadē in vtriusq; sunt. Quorsum hæc; vt ostendamus, impiē illos à natura deitatis filium pellere, qui nihil aliud quā coniunctionē habitudinis ei attribuunt. Cur enim nostro exemplo vsi, quæ admodum separatam nos à Deo substantiam habemus, quamuis in ipso simus: sic filium quāq; in patre sit, distinctam tamen ab eo habere substantiam dicitis? Nōne in mediū protracta versutia eius est; nōne iure vnum de illis illusoribus istum aliquis dixerit, q̄ spū futuri prædicebantur? Audi qd ludas discipulus Christi ad nos scribit: Vos autē charissimi, memores estote verborū, quæ prædicta sunt ab apostolis domini nostri Iesu Christi; q̄ dicebant vobis, qm̄ in nouissimis temporibus venient illusores, secundum desideria sua ambulantes, nō in pietate. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Nullus enim spū sancto loquens, aduersus vnigeniti gloriā quicquam dicit; hoc enim nihil aliud est dicere, nisi anathema Iesu. Animales viri ac miseri, desolata à spū sancto corda possidentes, filium à patre exterminant, substantialiter patrē à filio differre putantes, quæ admodum quæ ab ipso producta sunt; & filiū nō aliter, quā nos in ipso, in patre esse contententes. Quod longē falsum esse, ab ipsa scriptura demonstrare conabimur. Filius enim tum idētitate substantiæ, tum quia imago & character patris est, in patre esse dicitur. Nos autē in filio sumus, fide atq; virtute ad ipsum reformati. Quod ita esse sapientissimus iste Ioannes in epistola testatur: Communicatio, inquit, nostra cum patre & cum filio eius Iesu Christo. Nam si nō similitudinē voluntatis ratio hæc communicationis respicit, sed propterea in patre ac filio sumus, q̄ natura suę substantiam nostram misceamus; quomodo cum patre atq; filio substantialiter erimus, si nō erit patri filius cōsubstantialis? Necessē em̄ erit secundum eos ridiculosum illud dicere, quia partē naturæ nostræ patri, partem filio adferamus: ideo in ipsis

1. Ioan. 2

1. Corin. 12

1. Ioan. 1

A ipsis esse intelligimur. Quod quoniam furoris plenum est, voluntatis ardore, fideq; feruenti, ac omni virtutis genere ad diuinam pulchritudinem animos nostros reformari dicimus, & hoc pacto communionis gratiam acquiri à nobis affirmamus: filius autē non per hanc habitudinē, & studio habitam communē, sed per naturalem identitatem in patre est. Quod autē per virtutem in Deo esse dicimus, idem rursus Ioannes testatur, dicens: In hoc cognouimus, quia in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, ipse quoq; ambulare. Et iterum: Quod ab initio audistis, in vobis maneat: si em̄ in vobis manebit, & vos in filio & in patre manebitis. Quid autem sit quod ab initio audiuius, ipse declarat dicens: Et hoc est mandatum quod ab initio audistis, vt diligatis inuicē. Audis ne nos esse in Deo, si charitatem inter nos habemus, si saluatoris virtutem (vt nobis possibile est) imitabimur? Saluatoris autem virtutem, modò dico non eam qua cœlos creauit, nec eam qua mare increpabat, mortuos suscitabat, leprosos mundabat: sed illam de qua ipse dicit: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Ita ducem virtutis eum sequentes, in patre & in ipso manere dicimus. Filius autē per ea quæ summa potestate vt Deus faciebat, discipulos inducebat, vt crederent ipsum in patre & patrem in ipso esse. Sed forsā dicet, ideo filiū sic esse in patre, sicuti nos in filio: quia quæ admodum virtutis studio nos in filio esse dicimus, ita & ipse filius virtutibus ad patrem conformatur. Quare igitur quum Philippus dixisset, domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis, non cœnes apostolos ad imaginem patris accipit: nec dixit, tanto tempore alteri cum alteris sumus, & non cognouisti patrē? Sed ceteris omnibus prætermittis, quia nullam exquisitam Dei adferrebat imaginem, sibi soli supremam similitudinē, imò identitatem attribuit dicens: Qui videt me, videt & patrem, & statim subiicit: crede quia ego in patre, & pater in me est. Vbi em̄ summa identitas est, quomodo alius in alio non erit? Considera hoc etiam de hominibus dici posse. Rectē namq; Abrahæ filius naturam patris in se ostendēs, dixisset: Ego in patre meo & pater in me est. Rectēq; hoc ab operibus probasset, dicens: Propter opera credite id ita esse. Omnia em̄ quæ naturaliter pater meus facit, ego quoq; facio. Quare igitur rectam atq; regiam viam negligētes, ad aspera inuia proficiscuntur, & ceteros, quantum in eis situm est, compellunt? Sed nos sacrarum literarū autoritate muniti per regiam viam ambulantes, cōsubstantialē esse Deo patri filium credimus, atq; ideo ipsum in patre, & patrem in ipso confitemur.

1. Ioan. 2
Ibidem.

Math. 15

Capitulum XII.



Men amen dico vobis, opera quæ facio & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem vado: & quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur pater in filio. Magna est huius sermonis profunditas, sed ad vtilitatem legentium breuiter sensum suum proponemus. Quum cōsubstantialē se patri, & exactissimum characterem demonstrare voluerit, vt in patre tanquam in primitiuo, & pater in ipso tanquam in characterē suo, non figura quadam corporali, sed naturaliter ac substantialiter esse credatur: ego, inquit, in patre, & pater in me est. Deinde vt incommutabilem hanc æqualitatem nullo alio modo, quā in natura & naturæ perfectionibus esse intelligeremus: alioqui, intulit, propter opera ipsa credite. Quippe qui eisdem operibus, quibus pater, summa cum potestate pollere ipsum considerauerit, is intelliget naturalem characterem atq; imaginem patris filium esse. Nunquam em̄ qui ex Deo natura non est, æqualiter operabitur Deo: nunq; creatura, quæ infinitæ virtutis sunt, suscipiet nunquam bona eius naturæ, quæ semp̄ est, ijs quæ sunt producta ex nihilo, propriè attribui poterūt. Demū ne ansa daretur improbis hominibus, qui omnia peruertere cupiunt, ne q̄

eorum

eorum dicere posset, non à sua virtute filium miracula fecisse, sed quoniam habebat patrem in ipso manentem, qui opera faciebat: ne inquam his falsis cogitationibus leuior es seducerentur, seipsum apertè largiturum cuncta pollicetur, quæ in nomine suo fideles peterent. Quomodo igitur, o amentes atq; cæci, diceret aliquis, nihil à seipso tale posse filium contenditis, qui se maiora istis largiturum credentibus pollicetur? Animaduertendum enim diligenter est, quia non dixit hic patrem aliquid facturum, sed quicquid petieritis in nomine meo, faciam. Qui ergo alijs à seipso maiora præbet, quomodo faciendi virtutem mutuabatur? Frustrà igitur aduersus filij virtutem nugantur: quæ quum infinita sit, à creatura capi non potest, datur tamen dono credentibus. Nullus tamē putet, quoniam cælos, solem & lunam, angelorumq; multitudinem produxit, maiora his fidelibus per gratiam concessurum: non enim ad hæc intentio dicentis extenditur, sed quæ ad utilitatem hominum & sanctificationis humanæ mensuram respiciebant, ea solum obtulit. Propterea quæ ego facio, dixit: ut ad ea quæ coram apostolis fecit, oratio solūmodo tenderetur: vnè simul etiam ostenditur non fecisse ipsum maiora, quia nihil maius occasio attulit. Sed ordine totum hunc locum cōsideremus. Amen, inquit, dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ille faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem vado. Quid est hoc, dicit aliquis, quia ipse ad patrem vadit? Idcirco ne credentes in eum maiora facient: absque omnino atq; inconcinna ista videntur. Sed latet altior sensus. Sic enim intellige ipsum dicere: Sciatis vos, qui mei ministri fuistis, quia quousq; vobiscum in terris vt homo conuersabar, nō apertè omnino vobis deitatis meæ potestatem ostendi, sed & dixi humiliter, & feci minora per humilitatē humanam, quam adsumpsi. Quibus iam dictis, factisq; adimpletum est ferè incarnationis mysterium. Parum enim abest, & moriar, & à mortere surgam, & tunc similia maioraq; vobis largiar: vado enim ad patrem confessus conregnaturusq; cum eo, vt Deus ex Deo: ac ideo potestatem virtutemq; naturæ meæ, gratia quam vobis donabo, magis declarabo, quodcunq; petieritis in nomine meo, hoc faciam. Exacto iam, inquit, tempore humilitatis, in quo humiliter me gessi propter dispensationem, apertius vt Deus ea quæ sunt Dei faciam, nō expellens patrem ab hac gloria, se vt pater glorificetur. Nam quum Deus natura filius sit, idq; multis iam demonstratum sit, non minus etiam hoc modo demonstratur: quia orationes sanctorum suscipit, & largitur eis quæ petunt: quomodo igitur pater in ipso non glorificatur? Nempe si Deus natura filius non esset, quia à patre natus est, aliquo ipse pater de decore adficeretur. Nunc verò iure glorificatur pater, qui substantiæ suæ fructum adidit Deum verum omnipotentē, & cæterisq; vult, inaudita miracula largientem. Quod si ita est, sicuti certè est: quibus supplicis digni non sunt, qui dignitatem filij deprimere non perhorrescunt: Nam si orantes à filio petimus, & quæ petimus, daturum se proficitur: quomodo non erit natura Deus, qui ex Deo natura natus est? Nam si creatura est, vt ipsi adserunt, quid inter nos & illos intererit, qui solem aut lunam, aut aliam creaturam vt Deū vocabant? Nam etsi erubescens cæteris creaturis ipsum præponant, nihilo tamen minus gloriam patris, id est, filij deprimunt, dum inter creaturas eum collocant. Non enim quæritur, vtrum excellens creatura, vel contrà sit: sed an omnino creatura sit. Quod dato, Deum ipsum secundum naturam esse, impossibile penitus est.

Caput XLII.

I quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Liquidò hic Deum se verum esse ostendit. Susceptorum enim orationes suorum se dicit, omniāque concessurum eis quæ petant, spirituales scilicet petitiones, & à superna maiestate non alienas: neque id vt minister facturum erat, non enim aliena, sed sua se daturum pollicetur: omnia enim per ipsum ex patre sunt.

A sunt. Idcirco Paulus quoque semper sanctis coniunctim bona petit, dicens: Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Nec aliquis mentis compos, seorsum quicquam à patre dari, & seorsum à filio putabit. Vna enim eademq; gratia est, quæ ab vtriusq; proficitur: gratiarum quippe distributio, sicuti cætera omnia, ex patre per filium est: per filium autem non vt ministrum, vt iam sæpe diximus, sed vt per coautorem (vt ita dicam) & verè collargitorem. Vna enim deitatis natura est, quæ in patre & filio & spiritu sancto verè atq; catholicè ita creditur esse, vt nullam omnino diuisionem, nullam (vt sic dixerim) dilacerationem patiat. Rectè igitur sentientes, dicimus ex patre & in patre naturaliter esse filij, spiritum quoque sanctum (qui patris & filij proprius est) ex ipso & in ipso esse. Quumq; nemo veniat ad patrem nisi per Christum, vt ipse ait, ianua & via reconciliationis hominū ad patrem filius factus est, & gratiam vnā cum patre ipse distribuit. Ab vna enim natura, & ab vno principio hæc fluunt: quod quidem principij in persona patris & filij & spiritus sancti esse intelligimus. Itaq; quoniam ante Christi tempora inconsuetum erat quicquam à filio peti, & per eum ad patrem accedere: huius etiam rei fundamenta fecit, & per discipulos tam orationis modū, quam consequendæ gratiæ spem ad nos transmisit. Ipse nempe quæq; peturi orando sumus, daturum se pollicetur: id etiam ad alia multa regiæ potestatis suæ, omnipotentisq; naturæ argumentum nobis relinquens.

Caput XLIII.

I diligitis me, mandata mea seruate. Quum petiturus omnia se largiturum pollicitus sit, ne falsò hæc sibi dicta esse videantur (multi enim in eius nomine petunt & non accipiunt) paucissimis statim verbis exposuit, quibus hæc facta pollicitatio est. Diligentibus ergo se ipsum, & præcepta sua seruantibus gratia solummodo spiritaliū bonorum conceditur. Nam quòd non omnibus simpliciter ista parata sint, discipulus Christi alibi ostendit, dicens: Petitis & non accipitis, quia malè petitis, vt in voluptatibus vestris consumatis. Et rursus de duplicibus animo viris: Non ergo æstimet homo ille quòd accipiet aliquid à domino: vir enim duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis. Omnibus enim qui non ad studiosè agendum, sed ad replendas cupiditates, carnalēsque voluptates suas quicquam à Deo petunt, aures Deus penitus obstruxit. Nam quæ ipse odit, quoniam turpia sunt, ea quomodo cæteris largietur: quomodo dulcedinis fons amarum aliquid scaturire poterit? Quòd vero spiritalium gratiarum cupidis larga manu omnia præbeat, Esaias quoque ostendit, dicens: Adhuc te loquente dicam, quid est. Psalmista etiam similiter: Oculi domini super iustos, inquit, & aures eius ad preces eorum. Quum igitur diligentibus hæc bona futura dixerit, quæ per ipsum ex patre profunduntur, confestim quomodo hæc dilectio habeatur, & quis sit modus eius, aperuit. Non enim quicunq; dixerit Deū se diligere, verè dicere videbitur, nec in verbis nudis virtutis vires consistunt, nec pietatis fulgentissimū decus verbo confirmatur: sed bonis operibus, & animo probè affecto cognoscitur: ita diuinorū observatio mandatorū, charitatē nostram erga Deū ostendit, & viuam veramq; virtutem constituit, quæ non solum verbo, sed multo magis opere constat: quod ipse quoq; dominus demonstrat, dicens: Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnū cælorum: sed qui facit voluntatem patris mei. Non enim in verborum adsentatiunculis, sed in affectu agentis fides esse probatur. Quare mortuam ipsam esse sine operibus scriptura docet. Non enim homines solum, verum etiam impuri demones virtutem creatoris horrescentes, vnitatem Dei fatentur. Opera verò fidei congruentia facere, eorū solūmodo est, qui Deū diligunt. Perfectissimus ergo fidei terminus, & dilectiōis Dei demonstratio est, Evangelicorū præceptorum observatio atq; custodia. Multa possent hac de re dici, sed longius aberrare nō placet. Si diligitis me, inquit,

Ioannis 7
Ioannis 13

Ioannis 14

quit, mandata mea seruate. Animaduerte quæso, memoriaq; retine diligenter! quia sæpius tum discipulis, tum etiam communius ad ludæos dixisse inuenitur: Verba quæ ego loquor, mea non sunt, sed eius qui misit me. Et rursus: Ego à meipso non loquor, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Et rursus: Quæ ego loquor, non sunt mea, sed eius qui misit me. Nunc verò quæ patris dicebat esse, sua esse mandata manifestè affirmat. Nec erit Christianus, qui leuiter aut falsò dicta hæc cogitabit. Ipse enim veritas est. Quare: quia non vt prophetarum aliquis, nec ministriloco sermonem patris nobis exposuit, sed vt consubstantialis & idem natura cum patre, sicut filius à substantia patris natus, sicut verbum & substantia & consilium patris, verba nobis patris & sua locutus est: mandatum tamen dicit habuisse à patre, quid dicat & quid loquatur. Sic enim etiam in nobis esse percipimus, quum intelligamus sermoni, qui profertur solet, à mente quasi mandata dari, quæ foras progrediens explanet. Non ignoramus enim esse virtutem exempli, sed tamen quia quum à rebus, quas intelligimus, similitudinem, quamuis exiguam supernaturalibus accommodamus, quasi in ænigmate atq; speculo profunda Dei mysteria quodammodo intelligimus, prætermittendum non fuit.

Caput XLIII.



T ego rogabo patrem, & alium paraclatum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum: spiritum veritatis, quem mundus non potest capere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.

Coniungit rursus hęc, quæ Deo digna sunt, ad humanitatem suam pertinentia. Ita nec solam deitatis gloriam humilitate naturæ nostræ abiecta retinet, nec rursus humanitatis tantummodo mensuram sibi attribuit. Sed quoniam simul Deus atq; homo verè syncerèq; est, vtraq; mirabiliter coniungit, & vt Deus atq; homo ad discipulos loquitur: oportebat sanè in dispensatione huiusmodi incarnationis comòde verbis vti. Illud igitur huius loci sensum inuestigantes dicimus, quòd necessarium etiam nunc ad ædificationem fidei dominus noster de patre mentionem fecit. Nam quoniam inconsuetū orandi modū introduxit, in nomineq; suo (quod priscis inauditum fuit) petere iussit, & quæ petentur, se daturum pollicitus est: ne personam patris hinc pellere, aut potestatem eius aliquo modo minuere videatur, collargitorem condatoremq; paraclati illum fore affirmat. Rogabo autem, rursus sicut homo dixit, diuinæ ac ineffabili naturæ, quæ illi conueniunt in persona patris attribuens. Quam rem ab eo solere ita fieri sæpius diximus. Alium autem paraclatum, spiritum appellat: non quia consubstantialis patri & sibi non sit, sed quia in propria persona esse intelligitur. Spiritus enim nec pater, nec filius est: sed patris atq; filij. Alium autem paraclatum dicit, quia & ipse paraclatus est: nec tamen aliud quicquam in sanctis spiritus operatur, quàm ipse filius, cuius & est & appellatur spiritus. Quòd autem etiam filius paraclatus & est & vocatur, Ioannes testatur scribens: Hoc dico vobis, vt non peccetis. Si quis autem peccet, paraclatum habemus ad patrem Iesum Christum, & ipse propiciatio est pro peccatis nostris. Alium ergo paraclatum vocat, quia in propria substantia est. Operatur tamen non aliter quàm ipse filius, omnipotensq; est vt ipse: spiritus enim eius est. Veritatis enim spiritum eum nuncupauit, & veritatem seipsum esse iam affirmauit. Quomodo ergo, si alienus à substantia patris filius est, vt isti dicunt, pater veritatis, id est, filij spiritum, non vt alienum, sed vt proprium largitur? Nullus enim ambigit, quin filij spiritus sit. Quomodo rursus si alienus à substantia patris filius est, patris spiritum vt suū præbet? scribitur enim, quia sufflauit discipulis, dicens: Accipite spiritum sanctum. Nonne igitur dicendum est, imò autem omnino credendum: quia vnà cum patre natu-

C

D

Alium paraclatum.

1. Ioan. 2

Ioannis 20

A naturalibus deitatis bonis substantialiter filius communicet, eodem modo spiritum habet, quo pater habere intelligitur: non aduentitium, neq; de foris. Stultū enim, atq; furiosum est ita sentire: sed quemadmodum vnusquisq; nostrum, proprium in seipso spiritum continet, & ab intimis visceribus ad exteriora profundit: propterea corporaliter Christus sufflauit, ostendens hoc signo, quia quemadmodū ab ore humano corporaliter humanus spiritus procedit, sic ex diuina substantia deitati congruenter spiritus, qui ab ea est, profunditur. Quando igitur ipse spiritus patris & filij est, quomodo pater atq; filius vnā potestatem distinctè simul atq; coniunctim non habebunt? Pater enim, pater est, & non filius: & filius non pater, sed filius: & tamen pater in filio, & filius in patre est: & paraclatum, id est, spiritum sanctum, non seorsum pater, & seorsum filius præbet: sed quum filius dare dicatur, pater etiam, ex quo vnuerfa sunt, dare intelligitur. Quòd verò eiusdem cum patre atque filio substantiæ spiritus est, quamuis nemo rectè sentiens ambigat, ratione tamen etiam comprobatur. Nam si spiritus substantialiter Deus non est, quomodo creatura eo accepto, Dei patris particeps efficitur: aut quomodo templa Dei erimus, creatum spiritum, ac non potius eum qui ex Deo est, accipientes: Quomodo diuinæ naturæ (vt sancti viri testantur) participes fiunt, qui spiritum acceperunt, si creaturis spiritus connumeratur, nec à natura diuina procedit? Non igitur vt alienus inde ad nos venit, sed vt patri ac filio consubstantialis. Quare qui mundana sapiunt, & hæc terrena præponunt, capaces eius esse non possunt: sancti autem eius capaces sunt. Quamobrem: quia illi sordibus inuoluti, & quasi lippitudine oculorum animi laborantes, naturæ diuinæ splendorem non aspiciunt, & gratiam spiritus suscipere nequeunt, cupiditatibus carnis omnino deuicti: probi autem viri, quum mundum possideant cor, paraclati receptacula effecti (vt in hac vita hominibus possibile est) magna, inauditaq; consecuturos se præmia intelligunt. Sanctificabuntur enim à spiritu, & omnium bonorum participes efficientur, ac turpitudine seruitutis abiecta, dignitate adoptionis filiorum Dei decorabuntur: quod Paulus ostendit dicens: Quando autem estis filij, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem, abba pater.

Caput XLV.



On relinquam vos orphanos: veniam ad vos. Necessariò etiam nunc dominus noster sanctæ Trinitatis consubstantialitatem ostendit: quod & in superioribus fecit, tam verbis quàm rebus à Deo patre natum se naturaliter, earundemq; virium atq; voluntatis demonstrans. Hac enim de causa modò dicebat: quia ego à meipso non loquor: modò, si non facio patris mei opera, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non creditis, operibus meis credite. Oportebat autem ad hæc rectam etiam nobis de spiritu fidem tradere, vt Christiani dogmatis integritas haberetur: quomodo igitur id facit, breuiter exponam. Alium à Deo patre paraclatum ad nos venturum mox dixit: verum ne quoniam aliud dixit, de substantia naturaq; spiritus id intelligeretur, vt liquidò monstraret in sola personali substantia à patre ac à filio spiritum aliud esse (spiritus enim est, non pater nec filius) quum venturum paraclatum adferat, seipsum venturum pollicetur. Ita ostendit spiritum sanctum non esse aliud quàm ipse sit. Spiritus enim patris est, & ipsius etiam filij spiritus esse intelligitur, & mens eius idcirco nuncupatur. Quod Paulus quoq; denotauit dicens: Nos autem mentem Christi habemus. Rectè igitur sentientes, & diuinam sequentes scripturam, non aliud à filio substantia & natura spiritum esse prædicamus, in propria tamen subsistere persona profitemur: propterea etiam Paulus (vt arbitror) spiritum filio adiungit plerumq;. Si quis, ait, spiritum Christi non habet, non est eius. Et rursus: Si Christus in vobis, corpus quidem mortuum propter peccati, spiritus verò vita

Stultū est sentire.

Interpretatio Trinitatis.

1. Corin. 3

Galat. 4

Interpretatio.

1. Corin. 7

Roman. 8
Ephesi. 3

AAA pro-

propter iustitiam. Audis quomodo manifestè haberi ab eis Christum dicit, qui spiritum acceperunt: Sæpenumero etiam optat, ut Christus in nobis per fidem habitet, quum tamen spiritum sanctum suscipiamus. Nec putet quispiam, personarum distinctionem à nobis confundi, non ita confitemur, nec ista erat intentio Pauli. Cognouit enim rectissimè diuinus ille vir sanctæ Trinitatis enumerationem: ac ideo singulas personas propriè atq; distinctè subsistere docet, & tamè incommutabilem identitatem Trinitatis apertè prædicat. Aliter em̄ quomodo spiritus & esset & nominaretur Deus: Nescitis, ait, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis: Sin autè templa Dei efficiamur, quia spiritus in nobis habitat: quomodo spiritus ex Deo, id est, ex substantia Dei non est, quum ipso habitante in nobis, Deus in nobis habitet: Vt ergo non alienum à natura deitatis spiritum ostenderet, à patre mitti ad sanctos paraclatum dixit, & ipse venturū se pollicetur, ne tanquam parentum orbi, diaboli laqueis & huius mundi furiosis tentationibus capiantur. Clypeus ergo infractus nostris animis à patre spiritus Christi datur, qui gratiam, præsentiam, & virtutē patris atq; filij implet in nobis. Impossibile enim est quicquam boni à nobis peragi, nec perturbationes animi superari, nec acres diaboli laqueos euitari, nisi gratia spiritus muniti, ipsum hac de causa in nobis habeamus. Huius rei causa grauissimè ad Deum Psalmista clamabat: Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Bonæ voluntatis scutum nihil aliud appellans, q̄ protegentem nos spiritum, & ineffabili sua virtute ad id nos conuertentem, atq; in eo conseruantem, quod Deo penitus placet. Quāuis ergo in cælos, postq̄ ex mortuis resurrexit, dominus ascenderit, ut Deo pro nobis (iuxta Paulum) appareat, adesse tamen semper per spiritum suum fidelibus pollicetur.

Caput XLVI.

ADhuc modicum, & mundus iam me non videt: vos autem videtis me, quia & ego viuo, & vos viuetis. Quum in ianuis iam passio instaret, quam adsumptio consecuta est, inuisibilem se mundo futurum dicit, id est, omnibus qui temporalia perpetuis, & terrena cœlestibus anteponunt. Superioribus igitur consequentiā texentes, dicimus paraclatum, id est, spiritum sanctum, à patre per filium dari: omnia enim ex patre per filium sunt. Quem quidem spiritum, quantum ad locupletissimam dantis munificentiam atque gratiam pertinet, omnes accepissent (effundam enim, propheta quidam ait, de spiritu meo super omnem carnem) quisque autem sibi causa est, ne diuinitus hoc donum habeat. Nam qui mentem suam à prauitate non mundant, qui huius mundi sponte capiuntur illecebris, ij diuina gratia nudi, Christum in seipsis non videbunt. Corda enim spiritu habentes vacua, & propterea orphanorum protectore priuati, ab omni dæmonio aut turbatione animi, aut quauis alia cupiditate facillè rapiuntur, & ad peccandum impelluntur: sanctis autem qui se, quantum fieri potest, ad suscipiendum spiritum præparant, meritò Christus dicebat: Non dimittam vos orphanos, venio ad vos. Inuisibilis ergo, postquam hinc abiit, terrena sapientibus est, visibilis autem sanctis: diuinum enim & intellectualem fulgorem, & cognitionem congruam in animis eorum spiritus inserit, & oculos cordis mirum in modum illuminat. Aut igitur hoc modo loci istum intelligemus: aut maximè, quoniam istud adiungitur, quia ego viuo, & vos viuetis: sic exponemus. Quum per resurrectionem suam immortalitatem naturæ nostræ in corpore suo primùm reparauerit, ascendit in cœlos ad patrem, & post aliqua tēpora descendet rursus ad nos cum angelis in maiestate patris, quādo proportionaliter unicuiq; iuxta viuendi modū merita reddens, ijs qui à sinistris erūt, id est, qui terrena hæc concupierunt, dicit: Recedite à me maledicti in ignē æternum, diabolo & angelis eius præparatum: ijs verò qui à dextris erunt, id est, sanctis & probis viris: Venite

Anite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Congregaturi enim cum Christo, cœlestibus bonis fruuntur, conformesq; facti resurrectionis eius, & ab interitu omnino liberati, semper victuri cum domino sunt. Quod autem fideles, qui Christum secuti sunt, cum Christo erunt, ineffabilem illam pulchritudinem perspicientes, Paulus ostendit, dicens: Quia ipse dominus in iussione, in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo: & mortui in Christo resurgent primi, deinde nos viui qui residui sumus, simul cum eis rapiemur in nubibus obuiam domino in aera, & sic semper cū domino erimus. Et rursus ad eos qui affectus carnis extinguere studuerunt: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quum autem Christus apparuerit vita vestra, tūc & vos apparebitis cum Christo in gloria. Vt ergo breuiter repetamus, improbi quidem à vultu domini deiectioni, inferni loca perpetuò habitabunt. Qui verò arrabonem spiritus intemeratum conseruarunt, viuent semper cū Christo, ineffabile decus deitatis eius inspiciētes. Dominus em̄ erit tibi, ait, lux æterna, & Deus gloria tua. Non videbitur incongruum hanc rem dominum significare voluisse, quum dixerit: Adhuc modicum, & mundus me iam non videt: vos autè videtis me, quia ego viuo, & vos viuetis. Nec id falsum videbitur: quia modicum tempus inter futurum vsq; ad reuelationem suam dixerit. Nam longissima etiam apud homines secula, nihil verè inueniuntur, si ad Deum qui semper est, cōferas. Quòd ostendit Psalmista, dicens: Mille anni ante oculos tuos domine, sicut dies hesternæ quæ præterijt, & custodia in nocte.

Caput XLVII.

In illo die vos cognoscetis, quia ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Difficilis mihi videtur inuentu textus propositi sensus, ac ideo maiore vigilantia quærendus est. Credo em̄, quia Christus qui veritas est, ad verum nos sensum diriget. Nonnulli eorum etiam qui præesse videntur, à substantia patris filium impiè depellentes, habitudinalem, non naturalem coniunctionem significari adserunt, quum in patre filius esse dicatur. Itaq; à seipsis, non à spū sancto scribes: quoniam, aiunt, pater diligit filiū, & rursus ab eo diligitur, propterea scribitur in eo esse. Cuius impietatis suæ quasi demonstrationem hoc ex loco sumere credunt. Dicunt em̄ arundineo se baculo defendentes: quòd si nos in ipso sumus, & ipsum habemus in nobis, non substantiæ ratione coniuncti, sed amoris affectione, quum amemus & redamemur sic filius quoq; quum in patre hoc modo sit, ratione naturæ à patre disseparatur. Nos verò, quoniam latius iam demonstraui in patre filium naturaliter esse, ac substantialiter illi coniungit: breuius nunc malignam eorum cauillationem redarguemus. Si solummodo, quia diligit & diligitur, in patre filius est, eadē ratione, qua nos in ipso, & ipse in nobis, nec aliud vinculum latet, quo aut patri filius, aut nos in filio coniungamur: quam obrem, dic quæso, in illa die, ait, hoc mysteriū cognoscetis: his enim verbis ostendit nondum nos illum probè cognoscere. An forte ignoramus, quia pater diligit filium, & ab eo rursus diligitur: quis autem non dicet nos ab eo amari, qui pro nobis acerbissimam pertulit passionem: Maiorem autem charitatē nemo habet, quàm vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Cur autem diligi à nobis manifestè petebat, dicens: Si diligitis me, mandata mea seruate: Diligit igitur eum, qui mandata sua (quantū in eo situm est) seruat. Si ergo non ignoramus amari à patre filium, nosq; ab ipso filio diligi, diligereq; quum mandata eius seruemus: necesse est alium quendam modum non dilectionis ratione nos intelligere. Alium ergo modum manifestè induxit, dicens: In illo die cognoscetis, quia ego in patre, & vos in me, & ego in vobis. Sed dicent fortassis, ante passionis diem hæc à Christo dicta fuisse: nos autem post passionem resurrectionis

AAA ij nemq;

nemq; ipsius, quoniam vincula mortis effregit, à patre ipsum amari cognouimus: & nos ab eo, quoniam pro nobis passus est. Itaq; certiores hac dilectionis habitudine post resurrectionē facti sumus: quia ipse in patre, & nos in eo. Friuola hæc omnino atq; inania sunt. Considerate namq; ò generosi vos, non fuisse opus nobis post resurrectionem discere, quod verè vel ante resurrectionem sciebamus. Nam si minus credebamus diligì à patre filium, & patrē à filio, resurrectio erat expectanda, vt inde cognitionis consummationē consequeremur. Sin verò etiam ante resurrectionē grauissimus testis pater fuerit, ipse est, dicens, filius meus dilectus: & ipsa quoq; veritas dixerit, pater diligit filium: nec aliter quàm perfectè diligere ipsum credere debeamus: cur falsis nos rationibus terretis? cur veritatē asperramini, à substantia patris filium detrudētes? Quum igitur certiores essent discipuli, perfectè filium à patre, & patrē à filio diligì, nec dubitarēt se ab ipso diligì, ipsiq; sibi essent conscij, quòd eum diligerēt: quomodo in aliud tēpus huius rei cognitionē differt, dicēs: In illo die cognoscetis, quia ego in patre, & vos in me, & ego in vobis? Valeant ergo, valeant qui hæc nugantur. Nos autē spiritus sancti gratiam inuocantes, ea dicamus, quæ rectæ sunt expositionis. Quum ergo prædixerit, quia ego vivo, & ipsi viuetis, statim subiicit: In illo die cognoscetis, qui: ego in patre meo, & ego in vobis. Quis igitur apertè non videt diē cognitionis illum determinari, in quo reformati ad ipsum ad vitam æternam conuadēdemus, maledictione mortis omnino fugata? Quando enim (vt ait Paulus) Christus nostra vita apparebit, tunc & nos apparebimus cum eo in gloria. Reformabit enim humilitatis nostræ corpus: hoc inquam, non aliud corpus ad gloriam suam reformabit, ad pristinum ineffabili sua virtute restituēs. Omnia enim facillimè peragit quæ vult, quum sit Deus verus. Illo igitur die, ac illo tēpore, quo etiam vos viuetis (vivo enim ego, quamuis homo factus, mortale secundum naturam corpus adsumpserim) illo inquam tēpore cognoscetis, quia ego in patre, & vos in me, & ego in vobis. Credimus igitur hæc à domino dicta fuisse, non vt dilectionis ratione in patre ipsum esse credamus, vt aduersarij Christi contendunt: sed quadam profundè virtute mysterij, quod & intelligere difficile, & explanare arduum est: conabimur tamē pro viribus. Nam quamuis longè humanam mētem à clara expositione huius rei abesse credamus, feruore tamē charitatis commoti, non nihil fortassis dicemus. Age igitur, vt facilius postea in profunditatē mysterij descēdamus, cognoscamusq; quomodo filius in patre naturaliter, non dilectionis ratione ac habitudine, vt illi contēdunt, & nos in ipso rursus eodē modo, & ipse in nobis, causam videamus, propter quam Dei filius & Deus ipse, quum esset in Dei forma, non rapinam arbitratus est se æqualē Deo. Vnam igitur veram & generalē incarnationis causam Paulus nobis exposuit, dicēs: Secundum bonum placitum eius restaurata omnia in Christo restaurare autē, omnino & res & nomē significat restituere rursus, quæ ad diuersum atq; dissimilē exitum tēdebant, ad eam conditionē ac statum, ad quē à principio facta fuerunt. Huius restorationis viam ac modum carptim declarans, modò dicebat: Nam quod iupossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnē, Deus filium suum mittēs in similitudinē carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis: qui non secundum carnē ambulamus, sed secundum spiritum. Modò: Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdē, vt per mortē destrueret eum, qui habebat mortis imperium, diabolum, & liberaret omnes, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Hos duos modos restorationis, rationē incarnationis continētes, Paulus nobis exposuit, sed ad hos tertium nobis Euangelista proposuit, quum ita de Christo scribat: In propria venit, & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius, qui non

A ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. His ergo maximè de causis vnigenitus Dei filius homo factus est, vt peccatum in carne sua damnaret, & mortem propria morte destrueret, & nos Dei filios faceret, à nostra mortalitate ad hanc dignitatem spiritu regeneratos: hoc enim modo probè humanum genus ad pristinum habitum reparatur. Sed singulis rursus propositis causis, non nihil de ipsis dicamus, quæramusq; primùm, quomodo illud intelligendum est, quòd damnauerit peccatum in carne. Quum enim Deus natura vnigenitus sit, quumq; ex substantia patris natus naturaliter incommutabilis sit, atq; ideo nullo modo mutari labiq; potest, descendere voluit, vt caro sua facta, & ad proprietatem suam transformata, labi peccareq; non posset: neq; id tēplo suo solummodo facturum, hominem adsumpsit. Quæ namq; magnitudo beneficiorū erga nos esset, si hominē solummodo quē adsumpsit, seruasset: Credimus igitur hominē factum esse, vt vniuerso generi nostro, in suo corpore tanquam in primitijs, supremum bonum acquireret. Nam quemadmodum non mortis solum, sed omnibus carnis passionibus afficimur propter transgressionem, maledictioneq; primi hominis à Deo lapsi: eodem modo Christum omnes sequemur ob salutem in seipso carnis naturam atq; sanctificantem. Ideo Paulus quoq; dicebat: Et si cut portauimus imaginē terreni, portemus & imaginem cœlestis. Imago em̄ terreni hominis, id est, Adæ, passiones & interitus sunt: cœlestis autem hominis, id est, Christi, impassibilitas & incorruptibilitas imago est. Peccatum igitur in propria carne vnigenitus Dei filius destruxit, carnemq; fecit non propria voluntate, sed vt Deo placet, mouerit: ita corpus animale, spiritale consecutum est. Primus igitur restorationis modus hic est: alter autem qui proposito theoremati maximè conuenit, modò in medium veniat. Dicemus autem de vita æterna, & de mortis interitu, quomodo à genere nostro ab vnigenito depulsa corruptio est. Quoniam igitur carni & sanguini pueri communicauerunt, & ipse similiter participauit eisdem, vt mortem interimeret. Nam qui omnia ad immortalitatem creauit, ad pristinam rursus figuram rerum transfigurabit. Curiosius forsitan, quàm oporteret, ista scrutamur. Sed qui rectitudinem dogmatis sequitur, desidiæ crimen nō iniuria euitabit. Factus igitur homo ab initio ad imaginem creatoris est, vt scribitur. Quumq; multis modis imago dicatur, ille modus præcipuus est, ad imaginē Dei, id est, ad similitudinem incorruptionis & immortalitatis factum esse: quod nunquam per rationem naturæ suæ poterat possidere. Quomodo em̄, quod à terra factum est, sua natura perpetuum erit: nisi qui naturaliter immortalis est Deus, qui eodē modo semper se habet, hoc donum ei præbuerit? Verum em̄ illud Pauli est: Quid em̄ habes, quod non accepisti? Ne igitur quod ex nihilo creatum est, ad nihilum rursus redeat, sed perpetuò conseruetur (id em̄ creator intendebat) naturæ diuinæ particeps efficitur. Inspirauit em̄ in faciem eius spiraculum vitæ, id est, sp̄m filij. Filius em̄ vita est, in esse omnia continens. In eo namq; vitæ susceptibilia & mouentur & viuunt, vt Paulus ait. Nec quisquam putet diuinum spiraculum animam homini factum fuisse. Nō em̄ id dicimus: & eos qui dicunt, libenter rogauerimus, vtrum à sua natura mutatum Dei spiraculum hominis anima facta sit, an in identitate sua permanserit: Nam si primū dicent, impietatis crimine cōdemnabuntur, incommutabilem naturam mutatam fuisse adserentes: sin autem permanserit quod fuit, quomodo ad peccatum lapsū, passionum receptaculum factum est, quum impossibile penitus sit diuinæ naturæ delinquere? Non est igitur factum diuinæ substantiæ spiraculum anima hominis: sed animato potius homini & proprietati naturæ, vtriusq; (anima dico atq; corpore) consummata quasi si gillum naturæ suæ creator spiraculum vitæ, id est, sp̄m sanctum infixit, quo ad primitiuam homo pulchritudinem reformabatur, & ad imaginem creatoris reducebatur, ad omnia virtutis genera inhabitantis in eo sp̄s gratia se accommodās.

Verum quoniam quum suæ voluntatis habenas homo teneret (pars enim imagi
 nis libertas etiam est, liberæ namq; potestatis Deus est) decidit immutatus (cuius
 immutationis & casus modum scriptura liquidè docet) reducere ad pristinum sta
 tum naturam humanam Deus voluit. Quomodo autem reduxit, nunc consequen
 ter inspiciamus. Non erat possibile aliter corruptibilem secundum naturam ho
 minem mortem effugere, nisi primam adeptus gratiam, rursus particeps Dei fie
 ret, quia omnia per filium in spiritu viuificat. Carni ergo & sanguini communica
 uit, id est, qui secundum naturam vita est, vnigenitus Dei patris filius, homo factus
 est, mediator Dei atq; hominum, vt scribitur, natura Deo coniunctus, ex quo est,
 & hominibus rursus vt homo. Habet enim in se patrem, & ipse rursus in patre est
 character & fulgor substantiæ eius. Nos autem etiam in seipso habet, quoniam
 naturam nostram adsumpsit, & corpus nostrum corpus verbi factum est; propter
 eam diuinæ naturæ facti participes sumus, & filij iam nominamur, ipsum patrem in
 nobis per filium habentes, cui grauissimus testis Paulus est: Quando, inquit, estis
 filij, misit Deus spiritum filij eius in corde vestra clamantem, abba pater. Non est
 enim, alia res secundum substantiam spiritus. Hæc quum ita se habeant, ad verba
 saluatoris modò accommodentur. In illa, inquit, die cognoscetis, quia ego in pa
 tre, & vos in me, & ego in vobis. Ego enim viuo, quum vita sim secundum natu
 ram, & templum meum vita repletum viuit. Quando igitur & vos etiam ipsi qui
 corruptibiles natura estis, viuere vos ad similitudinem meam videbitis, tunc cog
 noscetis aperte, quia quum ego naturaliter vita sim, Deo patri qui etiam substan
 tialiter vita est, per me vos coniunxi, ac immortalitatis eius participes effeci. Ita e
 go naturaliter in patre sum, quia ex ipso natus; vos autem in me, & ego in vobis, eti
 am naturaliter, ea ratione qua homo factus sum. Et sic vos diuinæ feci naturæ par
 ticipes, quum spiritum meum habitare in vobis effecerim. Christus enim in no
 bis per spiritum est, corruptibilitatem nostram ad incorruptibilitatem permu
 tans, idcirco Paulus ait: Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, is corpora ve
 stra mortua viuificabit per spiritum suum, qui habitat in vobis. Nam si ex patre
 spiritus sanctus procedit, venit tamen per filium, & proprius eius est; omnia enim
 per filium à patre sunt. Quod autem per spiritum in vitam æternam reformati su
 mus, Psalmista testatur clamans ad Deum: Aperiente te manum tuam, omnia im
 plebuntur vbertate; auertente autem te faciem, turbabuntur. Auferes spiritum
 eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emitte spiritum tuum &
 creabuntur, & renouabis faciem terræ. Vides quomodo ablatio spiritus propter
 peccatum ad interitum nos reduxit. Quando autem misit Deus spiritum suum,
 ac nos naturæ suæ participes effecit, facies terræ per spiritum renouata est. Re
 formati enim in nouam vitam sumus, corruptionem, ad quam propter pec
 catum deferebamur, longè abijcientes, & vitam æternam gratia do
 mini nostri Iesu Christi adepti: quo cum, & per quem Deo pa
 tris sit gloria cum spiritu sancto in secula
 seculorum, Amen.

Noni Libri FINIS;

D. CY.

A **D. CYRILLI AR**
 CHIEPISCOPI ALEXANDRINI
 Commentariorum in Euangelium diui
 Ioannis Theologi Lib. X.

Caput I.



Vi habet mandata mea, et seruat ea, ille est, qui diligit me.
 Qui autè diligit me, diligitur a patre meo: et ego diligam
 eum, & manifestabo ei meipsum. Manifestissimè quidem
 tunc in nobis mysteriū reuelabitur, quando ad similitudinem
 eius nos viuos videbimus. Viuo em̄ ego, ait, & vos viuetis. Tūc
 em̄ mens nostra non per ea, quæ audiuius & credidimus so
 lum, verum etiam per exitum repromissionis, quem consum
 matè habebimus, rerum ipsarum periculo certior erit. Verum ne omnibus sim
 pliciter tale munus contingere posse credamus, ilicò diligentium mentione facta,
 ostendit non alijs hanc gratiam esse depositam, nisi ijs, qui mandata eius seruāt. Ili
 enim sunt, qui diligitur eum. Nam et si omnes probi atq; improbi, Christi virtute
 resurgent: non tamen omnes ad gloriam reuiuiscunt, sed a.ij vitam omni morte cru
 deliorem peragent, alij beatè viuent in Christo. Quod autem, qui ad pœnam resur
 gent, nunq̄ beatitudinis dulcedinem degustaturi sunt, ostendit dicens: Qui credit
 in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus filio est, non videbit vitam,
 sed ira Dei manebit super ipsum. Animaduerte diligenter, quia quamuis omnes re
 surgent, improbos tamen nec viuos quidem vitam adferit, vitam illam solum mo
 do appellans, quæ in requie & delitijs & gloria est. Delitias autem spiritaliter intel
 ligimus cognitionem Dei perfectam, & exquisitam mysteriorum Dei reuelationem,
 non in speculo & ænigmate, vt modò, sed aperte, perfectè, & (vt ita dicam) to
 taliter. Euacuabitur em̄, quod ex parte est, vt Paulus ait. Cū igitur dominus nos
 ter Iesus Christus diligentibus se, & mandata sua seruantibus, non improbis, fu
 turam perfectæ cognitionis gratiam ostendere vellet, commodissimè intulit: Qui
 habet mandata mea & seruat ea, ille est, qui diligit me. Habet autè mandata, qui cum
 que fidem suscepit, & tenaci memoria candidam Euangelicorum præceptorum
 cognitionem retinet. Seruat autem, si secundum ea viuit. Ita perfectus est pietatis
 alumnus, qui fide atq; operatione sanctè in Christo viuere cognoscitur. In ore em̄
 duorum aut trium testium omne verbum stabit, vt scribitur. Hunc Deus pater &
 filius etiam non minus amabit. Vnius enim substantiæ, vnus voluntatis, vnus in
 tentiois in omnibus sunt. Iis verò, qui diuinitus diliguntur, fulgentissima præmia
 & fulgentissimam coronam pollicetur. Manifestabo, inquit, meipsum ei. Mundis
 certè visio Dei summum præmium est, in quibus Christus per spiritum fulgebit,
 singula illuminans, & ineffabili splendore mentem eorum ad cognitionem erigēs
 suam. Ad hæc qui peruenient, verè beati erunt. Ex quibus se futurum, vt mihi vi
 detur, propheta præcinebat dicens: Audiam quid loquatur in me dominus Deus.
 Paulus quoq; dicit: An experimentum queritis Christi loquentis in me? Loquitur
 enim in sanctis per spiritum mysteria reuelando, quæ rectè intellexerunt, non iniu
 ria prædicant: modò, quia nobis reuelauit Deus per spiritum: modò, nos verò Chri
 sti mentem habemus. Mentem autem Christi, spiritum appellant.

Caput II.

Dicit ei Iudas, non ille Iscariotis: Domine quid factum est, quia no
 bis manifestaturus es teipsum, & non mundo? Ex charitate qui
 dem

AAA iij dem

dem discipulus interrogat, sed non rectè Christi verba intellexit. Dominus enim noster Iesus Christus præcipuam sanctis cognitionem pollicitus est, in quibus expressius mysteriorum cognitio fulget. Nam in ijs, qui non eò probitatis peruenerunt, ut donè spiritus supernaturalium rerum possint cognitionem consequi, simplicior atque rudior cognitio est: ut puta quia Christus est veri Dei filius. Quum igitur tantum inter sit inter cognitionem sanctorum, & ruditatem improborum; nullam inter hæc differentiam discipulus faciens, ex amore interrogat, quam ob rem non omnibus, sed solummodo sanctis manifestaturus seipsum est. Quid autem factum est: inquit, ac si diceret, intentio aduentus tui domine est, non ut pars hominum te cognoscat & pars ignoret (audiuimus enim, quia videbit omnis caro salutare Dei) & tu ipse magna voce prædixisti: Lætare & gaude filia Sion, quia ecce venio, & habitabo in medio tui, dicit dominus: & resurgent gentes multæ ad dominum in die domini, & erunt sibi in populum. Ex te quoque audiuimus: Quia quando exaltatus à terra fuero, omnia traham ad meipsum. Et ad ludæos dicebas: Quia & alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me congregare, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Cùm igitur ad omnes cognitio tua tam voce prophetarum, quam tua transitura prædicetur: quid factum est, id est, cur huius promissionis mutata est intentio, nec omnibus, sed solis nobis manifestaturus te ipsum es: Hæc discipuli mens fuit, ut arbitror. Sed non est abs re breuiter ostendere, quid eum à vera huius rei comprehensione abduxerit. Dixit paulo antè dominus: Modicum & mundus me iam non videt, vos autem videtis me. Vbi non omnes, qui degunt in orbe terrarum, sed improbos solummodo, qui vanitati mundi huius animos subiecerunt, mundum appellauit. Quod quum non rectè discipulus intellexerit, putauit nulli aliorum hominum spiritalibus oculis, sed tantum discipulis cognitionem Christi proponi, ac ideo interrogat, dicens: Domine quid factum est, quia nobis manifestaturus es te ipsum, & non mundo? Deductus autem ad hunc sensum est à consueta & trita nominis potestate. Mundum enim, omnes homines, qui in mundo sunt, appellare solemus: quemadmodum qui ciuitatem habitant, nominamus ciuitatem. Laude tamen dignus est, ista dicēs, quippe qui solis more per totum terrarum orbem Christi gloriam splendere desiderat: nec sibi sufficit, si cum paucis ipse Christum cognosceret. Sed quoniam pius & charitate fratrum plenus erat, extendi saluatoris gloriam, & omnibus fratribus, id est, hominibus, cognitionem hanc & gratiam Dei communiter optat.

Caput III.

Respondit Iesus & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quum non rectè à discipulo intellecta verba sua Christus videret, petit rursus quod dixit, dilucidè que docet non solum cognitione ista communiamicis se suis manifestaturum, sed excellentiore quodam fulgoris modo. Nam rudiores, ab impio idolorum cultu ad cognitionem Dei vocati, solummodo per fidem discunt, quod vnus Deus, qui nos creauit, colendus sit. Qui verò omni virtute mentem suam purgarunt, apti iam ad maiora facti, spiritus illuminatione recepta, oculis animi habitantem in ipsis Deum videbunt. Non est ergo communis sanctorum cognitio, sed eximia & certa, longè que à communiore illa differens. Ita vndique verbis Christi ad fidem & virtutem iuuamur. Primum enim breuiter definiuit à quibus distinguitur, ut ostenderet (ut ego arbitror) non omnibus concedi virtutem huius gratiæ, sed eis tantummodo, qui sic eum diligunt, ut mandata eius seruent. Deinde quò in ipsis fulgebit, & quomodo inhabitabit, declarat dicens: pater meus diliget eum. Qui enim opere, filij mandata seruando, patrè, ex quo filius naturaliter est, honorabit, huius operationis

Esaiæ 40
Zachar. 2.

Ioannis 12
Ioann. 10

Mundus.

Cognitio.

Ationis fructum dilectionem patris habet. Vnde vide quæso, quàm eximia sequitur utilitas: ego enim, inquit, & pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quum enim in nobis Christus per spiritum sanctum habitauerit, ibi & ipse pater necessariò erit: spiritus enim Christi, etiã spiritus patris est. Quapropter Paulus nunc patris, nunc filij spiritum proprium appellat: nec sibi ipsi repugnat, quum vtrunque verissimum sit. Qui enim, inquit, Iesum Christum è mortuis suscitauit, is mortalia etiã corpora vestra per spiritum suum, qui habitat in vobis, viuificabit. Et rursus: Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem, abba pater. Vides quia idè est spiritus patris ac filij. Quum igitur vnigenitus in cordibus nostris habitet, non a best inde pater, qui est in filio, & in quo filius naturaliter est. Sed fidei quidem vera rectaq; definitio hæc est. Libenter autem interrogauerim eos, qui aduersus gloriam spiritus linguam impiè armant, quomodo si spiritus creatura est, & à substantia Dei (ut illi dicunt) alienus, per ipsum in nobis Deus habitet: quomodo Dei particeps, qui spiritum accipit, efficitur: Nam si possibile aliquo modo est, ut per creaturam Deo participemus, quid prohibebit non per spiritum, sed per aliam creaturam nos sanctificari: Quod quia impossibile omnino est (Dei enim particeps effici nemo potest, nisi per spiritum) Deus omnino et ex Deo spiritus est, nec villo modo est inter creaturas cõnumerabilis. Præterea quod aliquo ut meliore secundum substantiam, & excellentiore secundum naturam participat, aliud est naturaliter, quàm sit ipsum participatũ. Si ergo spiritus creatura est, quomodo eo creatura participabit: Creati autem nos, spiritu tanquàm alio secundum naturam quàm nos sumus, participamus. Quare cùm nihil præter Deum, increatũ sit, spiritus Deus est, qui increatus est. Quoniam cùm à creatura participetur, increatũ ipsum esse necesse est. Procedit verò ineffabiliter ex Deo, & habitat in nobis, sicut & Deus vnde est: proprius enim est substantiæ eius. Sed de his quidem satis. Ad eos autem, qui aduersus filium insaniunt, illud necessariò dicendum est: Si quis me diligit, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quid igitur o generosi vos diceris, si quis hoc modo interroget, vtrũ duos deos in nobis habemus habitantes, patrè scilicet atque filiũ, an vnum solummodo: Nam si aliud natura filius quàm pater est, quomodo non duo dii in seruantibus mandata habitabunt: sin verò patre ac filio in nobis habitante, vnus Dei templum sumus: qua ratione duæ personæ vnus erunt Deus, si substantiæ identitas locum non habeat: nisi coacti necessariò dicatis verba Christi non esse vera, sed aut patrè aut filium solum in nobis per spiritũ habitare. Sed hæc omnino absurda & impia sunt. Nõ est ergo alienus à substantia patris, qui ex eo & in eo est vnigenitus, sicut in luce splendor lucis. Quare diuinus etiã ille Paulus, non duorum deorum, sed vnus templum vocauit, dicens: Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis: Perspicis quia nõ deorum, sed Dei templum hominem nuncupauit, identitate substantiæ Trinitatem personarum vnum Deum appellans. Quare ergo friuolis rationibus veritatem euertitis, & impietatis vestræ venenum imperitiõibus immittere non veremini?

Caput IIII.

Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Quum breuiter, quoniam ipsum diligunt, definiert, & præmia eorum, quæ sint, aperuerit, transitum modò ad illos facit, qui eum non diligunt. Vniuersaliter enim intelligitur, quod sic de vno dici videtur. Consequenter autem valde ista connectuntur. Nam si seruare mandata, diligere est: non seruasse mandata, odisse necessariò est. Signum enim non diligendi, est mandata parui pendere, & præcepta, quasi iniuriam inferant, contemnere. Quemadmodum igitur in seruantibus mandata cum patre habitat, eodè certè modo à non seruantibus deuolat. Verè namque Solomon

Eximia
utilitas.

Roman. 8

Galat. 4

Quod spi-
ritus san-
ctus est
Deus.

1. Corin. 3

Seruare
mandata
quid sit.

Sapient. 1 Iomon dixit: Quia non ingreditur in malignam animam sapientia, nec habitat in corpore peccatis addicto. Natura verò id fieri à nobis quoque ipsis videbis. Cum consentientibus enim & idem volentibus atque nolentibus, libentius vnusquisque cohabitatur: imò verò simile sibi omne animal diligit, vt scriptum est. Quæ quum ita se habeant, quomodo multo magis sic in Deo fieri non putabimus: Nam cum bonus natura, & fons atque origo virtutis sit, virtutis amatores amplectitur, & impuros atque sordidos depellit. Sic cum nos quoque ipsi ab omni sordide mundâ habitare domum studemus: quomodo igitur Deus, qui sanctissimus est, sordibus deuolutam animam non abiiciet: quomodo peccatis inuolutam non aspernabitur: Quod autem, qui mandata non seruat, impurus atque sordidus sit, ipsa theorematis vis apertissime docet.

Eccl. 13 Peccatum enim à contemptu mandatorum originem trahit. Nam quemadmodum lucis priuatio contrarium, id est, tenebras efficit: sic improbitas à non operandi probè voluntate originem habet. Nunquam enim in vno eodemque subiecto contraria simul conspici possunt, virtus autem atque vitium maxime inter se distant: quare cum vnum à nobis absit (alterutri enim necessarium semper subiecti sumus) alterutrum certè adest. Quare si seruare mandata virtus est, patet, quia ex non seruando improbitas oritur: & sicut in seruante pater & filius habitat, quæ res origo & fundamentum supremæ gloriæ ac beatitudinis est: sic in non seruante, natura diuina nunquam habitabit, quod nihil aliud est, quam nullo vnquam bono participare. Quas ob res si cui gloriosa & optima res participatio Dei videtur, si quis optat patrem per filium in spiritu in abditi cordis habitare, is studeat iugiter omnem prauitatis maculam bene agendo detergere. Sic enim templum Dei constituetur, requiescetque in ipso Deus: & mansioem faciet, vt scribitur. Nec erit similis illi legis doctori, qui saluatoris gratia non expectata: Magister, inquit, sequar te quocumque vadas. Ad quem dominus ænigmaticè atque in parabola: Vulpes foueas habet, & volucres cœli nidus, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet suum. Vulpeculas enim & volucres cœli, inimicos & malignos demones appellauit, & spiritus hos **D** aerios atque mundanos, qui libidinosorum hominum corda inhabitantes, voluntatem suam consequuntur ac implent, & miserorum animas sic exagitant, vt nullum in eis locum Deus inueniat. Id enim est: Non habet vbi caput suum reclinet. Mundemus igitur ab omni sordide animas nostras, vt Deus in nobis habitet, & superiores omnium suggestionem diabolica faciat, & diuinæ naturæ participes ac beatos constituat.

Caput V.

Math. 8 **I**termonem quem audistis, non est meus: sed eius, qui misit me, patris. Firmamentum rursus adfert in medium, quod mentem audientium inuictò confirmet robore: vt ludæorum imperitia sprete, Euangelicam magno animo doctrinam sequantur. Quod autem volo dicere, latius aperiendum videtur. Vmbra quandam atque figuram vsque ad emendationis tempora, iuxta Paulum, legalis continens disciplina, ad Christum & ad veram pietatem nos præparabat. Nec errabit quisquam, si veri & spiritalis cultus præmeditationem, Mosaicam legem appellabit: idcirco à lege nihil consummatum. Dominus autem noster Iesus Christus non figuram, sed ipsam veritatem, consummatamque nobis virtutem descripsit. Disciplina ergo Christi, figurarum in veritatem est transformatio. Quoniam igitur veritas splendere iam incipiebat, & umbræ imminuebantur, nec legali disciplina viuere Christus fideles volebat: idcirco molestè hanc rem ludæi ferebant, quum putarent ad soluendam legem Christum venisse, quem tamem dicentem audiebant: Non veni soluere legem, sed adimplere. Dico enim vobis, quia tota vnus, aut vnus apex non auferetur à lege, quousque omnia fiant. Adimpletio enim umbræ legalis, vera spiritalisque Christi doctrina est, vt modò dicebamus. Quoniam igitur furore, non ratione legem defendentes, incredulitate sua Christum pellebant: propterea ne quisquam putet contra voluntatem

Atatem Dei patris mandata, legesque statuere, necessarium subiunxit: quia sermonem quem audistis, non est meus: sed eius, qui misit me, patris. Nullus ergo vestrum æstimet, inquit, aliquid à me dici, quod Deo patri non placeat. Ipsius enim patris nec alterius hæc Euangelica est prædicatio: quæ non nuper inuenta est, sed in tempore opportuno ab inuolucris figurarum euoluitur. Qui enim per me patris locutus est, is etiam nunc ad vos hæc per me loquitur. Verbum enim Dei patris viuum sum, ineffabilis voluntatis eius interpretatum: propterea magni consilij angelus appellor. Et hic quidem vnus modus exponendi huius loci est, quem aliter etiam intelligere possumus. Dei enim patris sermonem hunc esse adserit, vt sciant seruantes mandata sua, Deum quia sibi crediderunt, honorare: contra etiam non seruantes intelligant, in ipsum se Deum peccare. Vnde dupliciter, qui hæc audiunt, firmantur. Aut enim honorare Deum volentes, aut offendere timetes, mandata Christi seruabunt. Quum autem dixerit non esse suum sermonem: non in quantum verbum ac Deus, sed in quantum serui formam habebat, hoc dictum est. Non enim humanum vult hunc sermonem videri, sed diuinum certè ac regium. Idcirco personæ patris illum attribuit, ne si diuinitati suæ attribuisset, in duos se filios distinguere videretur, qui vnus & ante & post incarnationem est. Vnus enim Christus est, non duo, vt nonnulli improbè opinantur. Verbum enim caro factum est: non mutatum in carnem, sed templo naturæ nostræ à virgine assumpto. Ne igitur humanitas traditam Euangelij doctrinam arbitremur, neue à Deo hanc disciplinam separemus, sed Deo eam attribuamus: optimo dispensationis modo, quia in serui habitu cernebatur, diuinæ naturæ per personam patris sermonem attribuit, ex quo & in quo secundum naturam est vt verbum & splendor eius, & substantiæ suæ perfectissimus character.

Caput VI.

Bæc locutus sum vobis, apud vos manens: paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixerò vobis. Habet rursus hic sermo expressiorem humanitatis suæ significationem. Quando enim nobiscum Christus ratione deitatis non manet, qui omnia replet, & à nulla re abest, qui terram, cœlum, & ipsos abyssi recessus ineffabili sua virtute gubernat & continet: vt ab homine igitur dictum est: quia hæc loquutus sum vobis, apud vos manens. Iam enim hinc ad cœlos secundum carnem abiturus erat. Verum exquisitam reuelationem mysterij per spiritum sanctum à patre missum futuram nobis affirmat. In nomine autem suo, id est, per seipsum. Spiritus enim filij est. **D**eo ait, quia ille vos docebit omnia, in memoriamque reducet, quæcunque ego vobis dixi. Spiritus enim & mens eius quum sit, vt scribitur, non est aliud secundum naturam, quamuis in propria persona subsistat: propterea omnia scit, quæ filij sunt. Nullus enim, ait, ea, quæ sunt Dei nouit, nisi spiritus Dei. Omnia igitur quæ vnigeniti sunt, nouit: non disciplina quadam, ne minister filij esse intelligatur, sed vt spiritus eius, sicuti modò dictum est. Sine disciplina igitur omnia sciens, quæ sunt eius, ex quo & in quo est, sanctis reuelat sicuti vult. Quemadmodum mens omnia cognoscit, quæ in animo sunt, & prolatione sermonis ad exterius, quæcunque vult, profundit: nec est aliud natura, quam anima sit, sed pars quædam eius, ex ipsa & in ipsa. Longè abest exemplum: nihil enim ad illam naturam accedere potest. Perfecta ergo, quantum capere possumus, cognitio per spiritum in sanctis immittitur. Vnde Paulus quoque ait: Propterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Christo Iesu, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, vt Deus domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in cognitione eius, illuminatos oculos cordis vestri: vt sciatis, quæ sit spes vocatio-

Esaiæ 9
Alia interpretatio.

Spiritus
Roman. 8
1. Corin. 2

Cognitio:
Ephesio. 1

nis

nis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis; & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credidimus, secundum operationem potentie virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dextram suam in cœlestibus, supra omnem principatum & potestatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Harum enim rerum reuelatione, quæ per spiritum in nobis ineffabiliter fit, incarnationis profunditatem, & abditi virtutem mysterij speculamur. Quod autem Christi præsentiam spiritus in sanctis habitans implet, & omnia docet, quæ ille locutus est, Paulus rursus declarat, dicens: Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ, & virtutem corroborari per spiritum eius in interiorem hominem, habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati: vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo & latitudo, & sublimitas & profundum. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Quum igitur spiritus doctrinæ sanctos committat, non alij tradidit eos doctore, quàm sibi ipsi: quum in spiritu suo, animi oculus esse perspicitur.

Caput VII.

Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Quum de suo recessu mentionem fecerit (dixit enim, quia hæc locutus sum vobis, apud vos manens) vidit vt Deus, non parua formidine ac dolore animos illorum turbatos fuisse. Quid enim maior est potest inferre dolorem, quàm iucundissimarum, amicissimarumq; rerum non sperata ablutio? Ad tranquillitatem ergo animos eorum reducit, dicens: Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. Sæpius iam, inquit, dixi: quia non dimittam vos orphanos, nec ope mea priuati terram habitabitis: nam etsi corpore abfuero, præsens tamen ero vt Deus, ab omnibus malis vos liberans, vt nullo modo possit fortitudinem vestram hostium peruicacia superare. Ita timor à vobis aberit, & diuina proteget virtus, quæ supra, quàm mens hominum intelligere potest, tranquillo animo vestro mysteria reuelabit. Nunc verò pacem non simpliciter, neq; quamlibet, sed meam do vobis. Id autem nihil aliud est, quàm spiritum eis dare, & per eum in eis habitare. Pax enim Christi, spiritus eius est: quod etsi longa oratione vt probetur non egeat, illud tamen liquidò patet, ipsum filium Dei pacem esse: quomodo igitur spiritus eius pax non erit? Beatus etiam Paulus ait: Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras. Nec certè de hac pace, quam vulgò intelligere solemus, ista dicuntur. Qualitas enim quædam est in animo habitu firmata, & non subsistens aliqua res, tranquillitas huiusmodi animæ, quæ pacem appellamus. Quomodo igitur talis pax, quæ per se nihil est (nō enim ipsa subsistit, sed secundum habitum animo accidit) omnem mentem atq; intellectum, nō dico hominum, verum etiam angelorum (quos & mentes & intelligentias appellamus) excedere ac superare videbitur? Pax ergo, quæ principatus, quæ dominationes, quæ thronos, quæ Cherubin & Seraphin excedit, Christi spiritus est: in quo Deo patri vniversa filius reconciliauit, q nihil aliud vult, nihil aliud intelligit, nihil aliud operatur, nisi quæ filius. Nam quemadmodum vita, virtus, sapientia, secundum naturam filius est, ac ideo spiritus eius vita, virtus & sapientia nuncupatur: sic quoniam ipse vera & propria pax est, meritò spiritus quoq; eius pax nominabitur. Hac de causa sibi ipsi propriam pacem, id est, spiritum suum attribuit, dicens: Pacem meam do vobis. Sed pacem appellare spiritum etiā prophetas inuenimus.

Dominus

A Dominus enim Deus noster (inquit Esaias) pacem dat nobis: omnia enim reddidit nobis. Quoniam enim nihil per legem perfectum est (nam eius iustitia non potuit perfectè ad pietatem humanum genus reducere) idcirco spiritum sanctum dari deprecamur, per quem reuocati à seruitute, ad quam transfugimus propter peccatum, Deo patri reconciliemur: omnia enim reddidit nobis, id est, omnia tunc habebimus, nihil nobis tunc deerit, quando nobis plenitudinē Christi spiritum præbebit. Quoniam igitur spiritus omnem formidinem atq; turbationem mentis sedare maximè potest, propterea eum se discipulis daturum pollicetur, dicens: Pacem meam relinquo vobis. Vado & venio ad vos, non turbetur cor vestrum neq; formidet.

Caput VIII.



Vdistis quia ego dixi vobis, vado & venio ad vos. Non ab alio, inquit, sed à me ipso qui mentiri nescio, audistis, quia vado & venio ad vos. Quod si nunquam rediturum me dixissem, non iniuria ingenti dolore atq; formidine perculsi essetis. Quoniam autem nō abiturum solum, sed rediturum me affirmauit: cur quod mœrorem adferre potest, animo voluitis, & quod lætitiæ causa est, non recordamini? Opponite dolori gaudium, non enim solum ascensurum me ad patrem nunciaui, sed rediturum rursus pollicitus sum. Hoc modo tanquā filiorum studiosissimus atq; amantissimus pater, si quum abire quopiam cogatur, dolorem & lachrymas conspexerit, recessus emolumenta mœstitiæ ac dolori opponens, turbatos discipulorum animos in tranquillitatem reducit. Non enim ignorabat, quamuis per spiritum semper in eis habiturus esset, molestissimam tamen absentiam eius illis futuram. Quod & charitatis & sanctitatis magnæ non contemnendum est argumentum. Decet enim sanctos viros præsentiam Christi desiderare. Quod Paulus ostendit, dicens cupere se resolui, & esse cum Christo.

B Quod nullo modo filius minor, sed æqualis secundum naturam patri est.

Caput IX.



Idiligeretis me, gauderetis vtiq; quia vado ad patrem: quia pater maior me est. Reprehendere videtur, quia non gaudent, quum ad patrem vadat, & quod illi dolebant, id lætitiæ causam magis esse affirmat, & simul docet oportere illos qui verè aliquem diligunt, non solum modo suum, verū etiam amici cōmodum quærere. Propterea & Paulus ait: Charitas non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærīt quæ sua sunt. Et rursus: Non sua quærētes, sed ea quæ sunt aliorum. Dilectionis enim verè opus est, non solum sibi, verū etiam dilectis prouidere, quod modò discipulis faciundū esse Christus adserit. Sed age, in nobis tanquā in tabula, theorematis vprimū descripta, ad Christi mysteriū deinde gradu factò conscendamus. Exempla em̄ & similitudines huiuscemodi quamuis minimæ sint, sæpenumero tamen maximas, supernaturalesq; res clariores quodā modo faciunt. Lucundū, verbī gratia, fuit discipulis Pauli, vt cum eo semper viuerent, sed Paulo melius erat resolui & esse secum Christo, erat igitur officium eorū, si doctorem suum amabant, non cōmodum suum semper considerare, sed doctoris sui etiam cōducibilia perspicere. Hac obumbratio theorematis est, quam varijs Christi mysterij coloribus depingentes, ipsam veritatem conspiciamus. Quum enim in forma Dei esset vnigenitus, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo: sed suo erga nos amore exinaniuit se ipsum formā serui accipiens. Quod facere voluit, vt omnes ad verā pietatem & virtutē conduceret, vt miraculorū suorū splendore & gloria potentiā deitatis suæ ostēderet. Sic em̄ lapsis persuadere poterat, à dementia cultorū idolorū ad adorandum

BBB dum

Ephesio. 3

Pax Christi.

Philip. 4

Esaias 26

Philip. 5

1. Corin. 2
Philip. 3
Opus dilectionis.

Philip. 5

Lucæ 10 dum vnum Deum transilire. Nec isto tantum pacto, sed multis etiam alijs modis, nobis homo factus opitulatus est. Imperium enim mortis evertit, vim peccati destruxit, effecitq; vt supra serpentes & scorpiones, & supra omnem hostis virtutem ambulemus. Erat igitur iucundissimum nobis aut sanctis discipulis, simul semper esse cum tantorum largitore Christo, & presentem semper, conuiuentemq; aspice re. Sed non videbatur illi commodum esse, qui propter nos humiliatus est, in hac humilitate longioribus temporibus vivere. Oportebat enim potius, dispensatione incarnationis ad exitum iam adducta, ad gloriam cum homine, quæ assumptis, & ad æqualitatem patris ascendere: quam non rapuit, sed vt proprium bonum natura possidebat. Sed quum ad humanam (vt ita dicam) in gloriam descenderit, ad gloriam rursus rediit suam. Nam donec in terris vt homo erat, etsi Deus verus ac dominus omnium esset; qui tamen gloriam eius ignorabant, non meliorem cæteris hominibus arbitrabantur. Ita sputis de decoratus, cæsus & crucifixus, & à scelestis Iudæis impiè derisus est, vah, dicentibus, qui destruis templum Dei, salua te ipsum. Sed post exitum horum omnium, humilitatis tempore iam exacto, in cælos ad patrem ascendens, à superioribus virtutibus vt Deus adorabatur. Non enim ignorauerunt angeli dominum suum, sed alius alium hortabantur, cum carne ascendentem suscipere, & principibus portarum iubebant dicentes: Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ, dominus fortis & potens, dominus potens in prælio, dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Innotuit enim principibus ac potestatibus varia admodum sapientia Dei, quam fecit in Christo, vt ait Paulus. Quum enim ad patrem redierit, qui maior ideo ipso est, quia in eisdem semper mansit: ipse verò sponte serui accepta forma, se ipsum exinanivit ad suam rursus gloriam ascendit, audiuitq;: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Nam ne quasi nolente patre honorem rapuisse videatur, ipse pater introducit, dicens: Sede à dextris meis. Nec propter hoc, quia in dextris filius est, putare quisquam poterit minorem esse honorem patris. Sed illud vnusquisq; non demens cogitabit, oportuisse magis dexterum & nullius imminutionis suspectum locum non patri, sed filio propter exinanitionem attribui, ne qui minor humanitate est, minor etiam deitate ipsius videretur, qui mysterium incarnationis intelligere nequeunt. Ideo ergo à dextris sedet eius, quem nullus vnquam tanquam minorem inculcavit, vt æqualis ei omnino esse credatur. Sed rursus totum huius loci sensum ab initio reperentes dicamus, iucundissimum atq; optatissimum esse cum Christo semper conuersari, qui propter nos ad seruilem habitum, & humanæ naturæ in gloriam descendit. Sed non est ipsi hoc eodem modo, sed illud potius gloriosum, vt ad dignitatem, potestatem ac gloriam deitatis apertè redeat, & à dextris patris sedeat: ipso quoq; patre ita volente, qui proprium filium vt substantiæ suæ fructum diligit. Propterea si diligeretis me, inquit, gauderetis vtiq; quia vado ad patrem. Et certè argumentum amoris discipulorum erga Christum fuisset, non dolere ipso abeunte, sed meminisse potius à Iudæorum turba ad deitatis gloriam illum redire, ac ideo cū Psalmista gaudere, qui quum spiritus gratia hæc præuideret, magna voce ad lætitiã genus humanum hortatur dicens: Omnes gentes plaudite manibus. Et causam exultationis huius ac plausus, assumptionem in cælos saluatoris fore ostendit. Ascendit Deus, inquit, in iubilatione, & dominus in voce tubæ. Iubilatione & tubã, altisonam spiritus vocem nominans, qua superioribus iubebat virtutibus vt portas tollerent, & dominum gaudentes susciperent. Et rursus de hoc ipso nunc ait: Lætetur terra, quia dominus regnavit. nunc Dominus regnavit decorem indutus est, indutus est dominus fortitudinẽ & præcinxit se. Homo enim ille qui ante crucem nobiscum conuersabatur, quando ad patrem ascendit, tunc decorem proprium indutus, virtute se pristina cinxit, vnã cum patre sedens ac regnans. Quare gaudendum discipulis, amicisq; suis magnoperè est. Maiorem autem pa-

A tem patrem appellat, non in quantum à dextris eius vt Deus sedet, sed in quantum adhuc nobiscum erat, id est, secundum nos factus est. Non aderat tempus, in quo deitatis dignitatẽ assumere debebat. Vnde quum acetum & fel sitienti daretur in cruce, dixit postquam gustauit: Consummatum est. Tunc enim finem humilitatis tempus accepit. Crucifixus enim vt homo fuit, sed imperium mortis non vt homo, sed vt Deus defecit. Maior igitur pater, quoniam adhuc in seruitute filius erat. Propterea Deum quoq; suum patrem appellabat, humanitati suæ id etiam attribuens. Patet enim quod à suprema excellentia ad seruilem descendit naturã, & ab æqualitate patris ad nostrum habitum, quorum nihil à patre factum esse credimus. Quare hac ratione maior est filio qui se humiliavit, donec ad primam gloriam humilitatẽ suam rediret. Sed par esset, quum multa de æqualitate patris ac filij dicta nobis in superioribus sint, expositionem Euangelij istis relictis prosequi. Verum quoniam quidam hæreticorum etiam apud Iudæos sacrarum peritia literarum illustris, hunc locum exponens, intolerabiles in vnigenitum scripsit blasphemias, mei officij putauit falsitatem orationis eius arguere. Sed quædam de suis prius mihi transcribenda esse arbitror. Maiorem verò patrem, inquit, appellat: non solum ingratiudinis crimen effugiens, verum etiam falsam eorum opinionem arguens, qui eadẽ vtrique in se arbitrantur, & Sabellij simul opinionem exterminans. Et post pauca, ad hoc arrogantiam quidam processerunt, inquit, vt nullo modo audire patiantur patrem, filij deitate maiorem esse, sed sola humanitate naturam patris excedere arbitrentur. Qui nequeunt intelligere, non posse quæ diuersorum generum sunt, inter se comparari. Nemo quippe prudentiorem hominem dicit iumento, nec velociorẽ equum testudine, sed hominem homini, & equum equo conferunt omnes. Quæ quum ita sint, necesse est ipsos vel nolentes concedere patrem filio deitate maiorem esse. Nam qui ad humanitatem vnigeniti hoc ferri arbitrantur, quantum in eis est, dignitatẽ patris diminuunt. Hæ nugæ illius sunt. Et considera quæso, quomodo si nihil aliud, secum tamen pugnet oratio. Laudat filium, quia gratus erga patrem esse videatur, quum se minorem profiteatur: sed non considerauit quamnam ob re theologicas modò sententiã Christus tetigit. Non enim parum est congruo vniuersa tempore dicere. Quid igitur oportebat modò mæstis hæc discipulis dicere? Quam enim consolationem dolentibus hæc potuissent adferre? Quare autem quasi acerbè increpans, ait: Si diligeretis me, gauderetis vtiq; quia vado ad patrem: quia pater maior me est? An putas turbationem illos animi potuisse abijcere, quoniam eos relinqueret, & maiorem peteret? Quis in hoc sensu, consolationis modus? Et certè quando Philippus rogabat, dicens: Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis: tunc opportunè patrem in se, & seipsum rursus in patre esse affirmans, æqualitẽ summã ostendebat. Non cognouisti adhuc Philippe, inquit, quod qui videt me, videt & patrem: Non credis quia ego in patre, & pater in me est: ego & pater vnus sumus. Sed tunc quidẽ opportunè, vt diximus, æqualẽ se patri esse aperuimus: nunc verò qua ratione cum discipulorum mœrorẽ lenire vellet, hoc remediũ accommodari potest, gaudendum sibi potius esse, quia vadit ad patrem: nonne omnibus conspiciuissimè, vt propter hoc gaudeant: sed hæc modò prætermittantur. Quod autem putant, naturæ deitatis humanitatẽ nos Christi conferentes, quum exinanitum filium propter humanitatẽ fuisse dicamus, vana vti cõparatione, vehementer errant. Minorẽ enim patre filium, in quantum factus est homo, credimus, & ad æqualitatẽ patris postea, quàm in cælos ascendit, rediisse fatemur: non vt ad nouã aut aduentitiã æqualitatẽ ac gloriã, sed ad illã, in qua semp fuit vt Deus, vnde doctor ille gentium Paulus, post resurrectionem assumptionemq; conuenientem homini humilitatem non amplius ipsi attribuit. Si enim cognouimus Christum secundum carnem, inquit, sed modò non amplius cognoscimus. & de seipso: Paulus, inquit, apostolus Iesu Christi, non

Ioannis 19

Blasphemiam cuiusdam hæretici.

Ioannis 16

2. Corin. 5 Galat. 1

BBB ij sti, non

Phlip. 3 **sti**, non ex hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum. Cū nam cū nos reformatum iri ad corpus gloriæ ipsius prædicaret, qui certè homines sumus, negat se ab homine, & à Iesu Christo concedit in apostolatus dignitatem fuisse assumptum: Cur ne cognoscere quidem nunc ipsum ait secundum carnem; an putas dominum à se negari: nequaquam, sed exacto iam tempore ex inanitionis atq; humilitatis vnigeniti, non à natura, qua se humiliavit, sed à dignitate ac gloria, qua secundum naturam Deus est, & cognoscere & prædicare Christum oportet. Cū enim cognitum, creditumq; fuerit quia homo factus est, illud oportet credentibus itidem inculcare, quia Deus etiam secundum naturam est. Hac de causa oratione utitur, Deo magis quàm homini conueniente. Valde autem miror, quomodo non erubescit, deitate filio maiorem esse patrem dicere, idcirco quòd confiteri nobis necesse est, quia sola quæ sunt eiusdem generis, alterum alteri possit cōparari. Nec sentit quàm valde sibi repugnet oratio. Respondeat enim nobis quæso, vndenam eorum quæ vnus speciei sunt, comparationes sumantur: vtrum ab ijs, quæ ratione naturæ cōmuniter insunt, an ab ijs, quæ accedunt & abeunt, ac esse & non esse propter alias causas possunt: Sed quod dico, exemplo suo clarius faciam. Homini homo confertur. Si ergo communem substantiæ rationem aspicias, nullam inuenies differentiam. Vna enim & eadem in omnibus est. Nunquam enim homo distabit ab homine, in quantum animal rationale, morale ac disciplinæ capax est. Sed nec equus ab equo, ea ratione qua equus est: differt autem homo ab homine, quia hic grammaticus, ille grāmaticus non est. Sed hæc substantialia nō sunt. Equus etiam equo velocior, aut corpore maior est. Sed hæc in ratione substantialia nō continentur. Acqualiter igitur omnibus naturalia insunt: quæ verò forinsecus accidunt, diuersitatem suscipiunt. Quoniam ergo sola, quæ generis eiusdē sunt, inter se comparari possunt: confiteatur primū eiusdem generis, id est, eiusdem naturæ atque substantiæ (sic enim genus hic intelligitur, quod exemplis suis patet) patrem & filium esse. Deinde doceat, quam obrem deitate filij pater maior est. Substantialiter enim ac naturaliter maior esse non potest. Non enim perfectius in vno quàm in alio ratio naturæ vnquam inuenitur, sed æqualiter de omnibus indiuiduis prædicatur. Quæ tamen accidentibus, quæ accedunt & abeunt, propter alias causas inter se comparantur. Nulla enim inter hominem & hominem, in quātum homines sunt, differentia est: sed alius pius, alius impius, & hic robustus, ille imbecillus est. Quorum omnium si quis causas rimari voluerit, nunquam naturæ rationem in medium adferet, sed corporis quibusdā aut animæ passionibus causam attribuet. Cū igitur deitatis ratio (vel quomodo cunq; placet dicere, dū modo sciamus ab ijs inferioribus de superioribus verba fieri) vna & eadem in patre & filio sit (comparatur enim, vt etiam ipse fatetur, sola quæ generis eiusdem, id est, substantiæ atq; naturæ sunt) doceat oro quid effecit, vt filius patre minor esse videatur: quæ passio, quæ negligentia, quid aliud eorū, quæ generalibus accidere solent: sed quis ita delirus est, vt hæc audire patiatur? Quoniam igitur eiusdem cum patre vnigenitus est naturæ: & hæc quæ diuersitatē faciunt, accidere illi substantiæ non possint, certè quum patri conferatur, æqualitatis collatione comparatur. Verū quoniam ausus est deitate filij patrem aperte maiorem profiteri, age (ratione incarnationis silentio tradita) deitatē filij deitati patris, vt illi dicunt, conferamus. Illud ergo primū ab eo petimus, vtrum quum Deum dicat vnigenitum, natura Deum intelligat, an nomine solo deitatis honorari opinetur, sicut multi dicuntur in cœlo, multi etiā in terris dii ac domini: Si em̄ vltimū dicet: cur ergo (exclamabimus) si natura Deus non est, creaturā adoramus: nec solū nos id facimus, verū etiam virtutes cœlorū, & sancti omnes, qui Deū verū esse prædicarunt, hoc crimine accusandi sunt, & præcipue Ioannes Euāgelista, qui de ipso ait: Scimus quia filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt verū Deū cognoscamus, & simus in vero filio eius Iesu Christo, hic est verus Deus, &

A us, & vita æterna. Sin autem vniuersam scripturam veritus, Deum secundum naturam profitetur, quomodo minor erit quàm pater: aut quomodo aliū omnino Deum naturali habitudine à patre penitus disseparatum prædicare non videbitur: Si quidem quum in propria subsistentia esse ipsum credat, alienum à patris substantia putet. Nam si nihil prorsus maius aut minus seipso est: sed minus ad aliud maius minus, & maius ad aliud minus maius est, quomodo non erit necesse duos deos secundum naturam, & deos veros ita confiteri, vt alter maior, alter minor esse credatur: Nulla igitur est fides Ecclesiæ, quum non vnus Deus natura, sed duo sint. Cuius ergo templa sumus: an eius qui spiritum suum in animos nostros immittit: sed quum à sacra scriptura didicerimus patris & filij spiritū esse: quid dicemus: quem depellemus: aut quem suscipiemus: Nam si vtroq; minorem scilicet atq; maiorem in nobis per spiritus suos habitare dicamus: non Dei, sed deorum templa erimus. Quis hæc audiens non euomet: Sed fortè ne duos deos fateri cogatur, ad illud cōsuetum sibi atq; tritum confugiet, dicitq; naturam filij huiusmodi esse, vt nec à creaturis omnino aliena sit, nec à Dei patris natura omnino excidat. Sic enim qui creaturam esse filium contendunt, ad has fictas fabulas confugiunt. Quum igitur ita se habere naturam filij dicāt, vt quasi media inter creatam & incretam sit, interrogabimus, à quonam sanctorum ita didicerunt: Nam si à sacris literis id non acceperunt, confundantur proprias in fidem sententias adferentes. Sed ab eo quod ipse proposuit, hanc falsitatem redarguamus. Nam si sola quæ speciei eiusdem sunt, inter se comparantur, comparatur autem filius patri: Pater, inquit, maior me est: quomodo eius naturæ filius esse negabitur, cuius pater est: quòd si eiusdem nature est, quomodo erit medius: quum nulla natura maior eo, vt Deo, esse inueniatur. Si verò, vt ipse vnigenitus dicit, patri comparatur (pater enim, inquit, maior me est) comparantur autem solummodo, quæcunq; eiusdē generis, id est, naturæ sunt: quomodo filius patri consubstantialis nō erit: Hæc absurda, inaudita & impia quum sequi à blasphemia & ex cogitationibus vestris videatis, date hoc vnigenito, vt æqualem patri esse cōfiteamini. Sic enim vnuserit Deus, à vobis & nobis, & sanctis angelis in Trinitate personarum adoratus.

Caput X.

E T nunc dixi vobis priusquam fiat, vt quum factum fuerit, credatis. Stabile, firmumq; deitatis suæ pignus, futurorum prædictio est, quod discipulorum animos inducit, vt ascensurum in cœlos, sicuti natura Deū, & ex Deo natum non dubitēt. Nolite enim, inquit, in prophetarū conditionē me ponere. Nam illi, quoniam nudi homines erant, à morte detenti sunt: ego verò, cū Deus sim secundum naturam, detineri à morte nequeo. Viuo enim semper, & vita naturaliter sum. Mittam igitur paraclatum, & pacē meā dabo vobis, qua illuminati rerum periculo in horum memoriam verborum venietis, vt cum patre me in cœlis sedere firmiter credatis. Quomodo enim hæc facere potero, quæ vobis pollicitus sum, nisi vnā cum eo regnē: Hæc, vt prædixit, secuta, re ipsa firmiorem credentium fidem effecerunt.

Caput XI.

N AM non multa loquar vobiscum, venit enim princeps mūdi huius, & in me non habet quicquam. Sed vt cognoscat mundus, quæ ego diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Quoniam impia ludæorū caterua cum principe suo, qui traditurus eum erat, ventura iam iam fuit, eum ad crucem tandem actura: idcirco breuitate temporis non multa cum discipulis loqui se posse adferit. Nam venit, inquit, mundi princeps, & in me non habet quicq; moriar tamē libēter pro om̄ibus, quoniam voluntatē patris

libenter facio. Hic quidem sensus perspicue patet, quem subtilius enodantes dicimus, primum quidem Adam, quoniam precepta Dei contempsit, iure morti subiectum fuisse; secundum autem Adam, id est, dominum nostrum Christum, quoniam peccatum non fecit, nec inuentus est in eius ore dolus, nullam penitus causam mortis habuisse. Sed ut voluntatem patris ageret (diligit enim eum, & diligitur ab eo) pro redimenda vita omnium seipsum morti tradidit. Voluit enim pater proprium filium pro nobis hominem fieri, & pro vita nostra mortem non erubescere, ut interitus imperium destrueret, & nos ad vitam reduceret. Idcirco ait, breue modum reliquum esse tempus. Venit enim princeps mundi huius, & non habet in me quicquam, id est, nulla mei causa moriar, nec quicquam de suis diabolus poterit in me inuenire. Peccatum enim, & peccati origo, diaboli sunt; Christus vero natura Deus, naturamque immutabilis, peccare non poterat. Sed ab historia etiam ipsa passionis hoc verum esse percepimus. Ego enim, dicebat Pilatus, nullam in eo inuenio causam. Sic enim Ioannes scriptum reliquit. Matthaeus vero innocentiam Christi a Deo miratum fuisse Pilatum ostendit, ut coram Iudaeis lauaret manus, ac diceret: Innocens ego sum a sanguine iusti huius. Et quum ad pontifices fuit delatus: Pontifices, inquit, & omnem concilium querebant aduersus Christum falsa testimonia, ut eum morti traderent, & non inuenerunt. Quumque multi testes falsi accessissent, tamen non inuenerunt. Quae omnia etsi ab hominibus querebantur, tamen diabolus hominum ministerio usus, falsum saltem aliquid inuenire in Christo conabatur. Nihil ergo de suo diabolus in Christo habebat. Quem non ideo principem mundi appellat, quia eius verum dominus sit; sed quia tyrannice decepit, & rapuit eos qui sui non erant. Subiecit enim sibi delictis hominem, & ab oculi diuino distractum, ut detinebat. Quare non iniuria a tyrannide sua deiectus est. Regnat enim iam in nobis Christus. Nunc enim, ait, princeps huius mundi foras eijcietur. Et rursus: Si exaltatus fuero a terra, omnes traham ad meipsum.

Caput XII.

Vrgite, eamus hinc. Trita quidem expositio illud habet; quoniam Iudaeorum furor ad summum iam peruenit, illud cum discipulis Christum festinare, ubi traditus captusque fuit. Sed possumus etiam spiritale quoddam intelligere. Credo enim a peioribus ad meliora recursum, qui per eum omnibus datus est, his verbis significari. Surgite, inquit, eamus hinc, id est, a morte ad vitam, ab interitu ad incorruptibilitatem, quasi de loco ad locum recedamus. Aut etiam alio quodam modo intelligemus. Transferebamur enim ab idolorum cultu ad vnius Dei cognitionem, a seruitute ad dignitatem adoptionis filiorum Dei, a terra in coelum, a peccato ad iustitiam, ab impuritate in sanctificationem spiritus, quasi de loco ad locum. Nec mirandum est, si seipsum etiam nobiscum connumerauerit. Solet enim hoc honorandi gratia facere. Sic enim alibi etiam ad discipulos dicit: Oportet nos operari, donec dies est, opera eius qui misit nos; venit nox, quando nemo potest operari. Audis quia oportere nos operari ait; quamuis oportere ipsum operari nemo dicet. Sed hic dicendi modus apud homines etiam vltimatissimus est. Scribit enim Paulus ad Corinthios: Haec autem fratres transfigurauit in me & Apollo, ut in nobis discatis; nec supra quam scriptum est quisquam infletur. Quod vero & nulla in culpa ipse fuit, & dux & fuit & est viae, quae nos a peioribus ad meliora gradimur, perspicuum est. Quando igitur quasi nobiscum sit, ut a prauitate ad virtutem redeamus, hortatur, dicens: Surgite, eamus hinc. Non quasi peccato subiectus sic dicit, sed ut princeps & dux ad incorruptibilitatem hortatur ad vitam, quae in sanctificatione & Dei charitate consistit.

Quod

Quod substantialis patri est filius. Caput XIII.

Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. Ut quantum oportet at inhaerere sibi, & ab eo pendere, & quantum nobis hoc prodest, ostenderet, vitem seipsum exempli ratione, & palmites affixos in eo credentes appellauit, qui participatione spiritus, per quem saluatori coniungimur, naturam suam communicamus. Conglutinatio enim sicut palmitum ad vitam accedentium ad Christum, ut a nobis est, voluntaria est; ut autem a vite ad nos colligandos esse intelligitur, habitualis est. Proba enim voluntate nos per fidem accedimus. Efficimur autem (ut ita dicam) de genere suo, dignitatem adoptionis filiorum Dei ab eo consequuti. Qui enim domino, ut ait Paulus, adharet, vnus spiritus est cum eo. Quemadmodum igitur voce prophetica basis & fundamentum appellatur (in ipso enim aedificamur viui lapides, spiritualesque facti ad habitaculum Dei in spiritu, & sacerdotium sanctum, nec aedificari nisi per Christum possumus) sic vitis appellatur, ut mater & nutrix palmitum. Regenerati enim ex Christo, & per ipsum in spiritu sumus ad ferendum fructum vitam non illius praesca, sed huius nouae, quae est per fidem & charitatem erga ipsum. Conseruamur autem in hoc statu, & ad hoc (ut ita dixerim) inserti quodammodo ipsi sumus, id est, firmiter retinentes tradita nobis ab ipso mandata, studentesque huius nobilitatis bonum seruare. Quod fit, si spiritum sanctum, per quem in nobis Deus habitat, non offendamus. Ioannes enim ostendit aperte, quomodo in Christo sumus. In hoc, inquit, cognoscimus, quoniam in eo sumus, & ipse in nobis; quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et rursus: Qui dicit se in eo manere, debet ut ille ambulauit, ipse quoque ambulare. & alibi clarius: Qui mandata eius seruat, in ipso manet, & ipse in eo. Nam si mandatorum seruatio charitatem erga eum efficit, & per charitatem ei coniungimur: quomodo verum non est, mandata seruantes in eo manere? Sed quemadmodum radix qualitatem suam palmitibus immittit; sic vnigenitus Dei filius, patris & suae naturae affinitatem (ut ita dicam) spiritu dato sanctis largitur, per fidem & sanctitatem ei coniunctis, ad pietatem & ad omne virtutis genus ipsos nutries. Agricolam autem patrem appellat, ne a solo filio fieri hoc videatur, quod totius Trinitatis mirabile opus est. Non modum enim salus nostra, verum etiam omnia, quae a Deo fiunt, vna voluntate ac potestate supremae naturae fiunt. Ac ideo gratias agentes Deo, quoniam nostri misertus est, saluatorem appellamus: non patri, aut filio, aut spiritui sancto, sed deitati simpliciter hoc attribuentes. Pater igitur nos ad pietatem & fidem per filium in spiritu nutrit, & agricolae opera facit: aspiciens & fouens, & omni ad virtutem redigens cura per filium similiter in spiritu. Sic enim, iudicio meo, rectius hoc intelligemus. Nam si alia patri, alia filio seorsim accommodabimus; quoniam vitis filius nuncupatur, pater vero agricola: a solo filio contineri & nutriri videbimur, a patre autem nuda solummodo visitatione coli. Vitis enim palmites suos nutrit, agricola vero visitat solummodo vitam, & colit. Quare nec illud a patre, nec hoc a filio, nec vtrumque a spiritu separandum. Omnia enim a patre per filium in spiritu sunt. Idcirco enim patrem cultorem vitis appellauit, ne quis vnigenito soli salutem nostram attribuat: & ad haec, ut discamus visitatione nos diuina indigere. Commodissime igitur, quum vitem & palmites nominauerit, cultoris quoque fecit mentionem, cura, prouidentia gubernationeque Dei adduci ad virtutem, contineri que nos demonstrans. Si vero credimus filium in patre, & patrem in filio naturaliter esse, & ex ipsis esse omnia in spiritu, ut ab vna deitate: nec pater ab alēdis nobis separabitur, nec filius a cultura erit alienus: & iure id quidem. Vbi enim summa naturae identitas est, ibi quis multis, variisque modis fieri nonnulla videantur, vna tamen est operatio nullo modo distincta. Vna vero natura in patre, filio & spiritu sancto est. Quomodo igitur, quicquid diuinitus fit, vnus deitatis opus non erit.

BBB iij Quare

Ioannis 10
Ioannis 5
Cauillus
impiorū.

Quare dominus etiam noster Iesus Christus cooperari se cum patre ostendere volens, ad impios Iudæos dicebat: Multa & bona opera ostendi vobis ex patre meo, cuius eorum gratia me lapidatis: Et rursus: Pater meus usque modò operatur, & ego operor. Nemo enim (vt puto) seorsim patrem à filio operari quicquam putabit. Nam quoniam sapientia & virtus patris est, per quem pater omnia facit: ideo dicit nihil à se facere, sed patrem, qui in eo manet, ipsum agere opera. Vitis igitur locum Christus tenet, nos verò palmitum: qui ab eo pendentes, virtutem & gratiā spiritus in alimoniam nostram, & ad fructum trahimus spiritalem. Sed ne quo propositum opus mihi ita sequi, vt negligam, quæ quidam ex hoc Euangelij loco aduersus veritatem contexit. Rectè namque, inquit, vnigenitus deridendo ostendit omnes, qui se patri consubstantiali opinantur. Ecce enim ecce vitē seipsum nuncupauit, patrem verò agricolam. Quemadmodū ergo vitis atque agricola vnus naturæ non sunt (illa enim lignum, hic homo: quæ diuersa genere penitus sunt) sic filius consubstantialis patri non est, sed naturaliter, & longè ab eo separatus. Si quidem alter quasi agricola, alter quasi vitis est, Nec rationabiliter quidē ad humanitatem Christi id conferunt. Non enim caro eius, sed deitas, vitis ab eo nuncupata est. Patet enim, quia corpora nostra non dependent à carne Christi, vt palmites à vite: nec sanctorum fructus corporeus est, sed potius spiritalis: deitas ergo filij, vitis est, vnde per fidem pendemus. Hæc ille astutè simul atque impiè, aliāque huiusmodi euouit. Nos autē patrum, & Ecclesiæ fidem sequentes (quantum in nobis situm fuit) loci huius sensum rimati sumus: nunc ne si silentio transeamus, magnum deliramenta huius hominis detrimentum simplicioribus adferant, age spiritus armis freti, primū illud dicamus, longè ab omni ratione remotum esse, ad naturæ substantiæque significationem illud traducere, quod per similitudinem dictum est. Ego enim arbitror, si volumus rectè, quæ dicuntur, intelligere, intētionem semper nobis esse considerandam, & ad quod Christus propositum verba faciebat. Considerate igitur diligenter, oro, qui lecturi estis. Non intendebat Christus modò aliū se à patre natura ostendere, neque hac de causa vitem se, illum verò agricolam nominauit. Cur enim, si hoc sibi propositum fuit, nihil aliud attulit: Aut cur similitudine omnino vsus est, quum multo breuius atque clarius solis nominibus patris ac filij facere illud potuisset: Non igitur, quod isti à seipsis excogitarunt, sed istud ostendere voluit: quemadmodum ramis arborum à radice qualitas nutrimentūque præbetur, sic spiritalium virtutem fructuum ab eo nobis cōcedi. Omne namque bonum, nō à nobis, sed diuinitus datum habemus: Deo autem nihil datur. Ipse enim origo omnium est, ideo radix, & quasi vitis est Christus, nos autem palmites. Si verò pater agricola est, non tamen propter eā alienæ naturæ intelligitur, neque hoc significare voluit: sed radicem & originem, supremam naturam omnium honorū ostendens, charitatis visitationē, qua nos vt agricola visitat, ei attribuit. Verū quoniam nulla nos ratione humanitati Christi posse ista attribuire arbitratur: quoniam fide atque dilectione, non carne illi coniungimur, age pauca de hoc dicamus, ac peruersè ab eo sacrarum literarum sensum exponi ostendamus. Non tamē negamus recta nos fide, charitateque sincera Christo spiritaliter cōiungi. Sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profectò pernegamus, idque à diuinis scripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitauit Christum etiam sic vitem esse, nos verò palmites, qui vitā inde nobis acquirimus: audi Paulum dicentem: Quia omnes vnum corpus sumus in Christo. Quia est multi sumus, vnum tamen in eo sumus. Omnes enim vno pane participamus. An fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ quum in nobis fiat, nōne corporaliter quoque facit cōmunicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare: Cur enim membra fidelium membra Christi sunt: Nescitis, inquit, quia membra vestra membra sunt Christi: membra igitur Christi, mem-

A retricis faciam membra: absit. Saluator etiam: Qui manducat carnem meam, ait, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Vnde considerandum est, non habitudine solum, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam & participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram, aliæ ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtrisque factum videatur, sic cōmunicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur. Non credis mihi hæc dicenti: Christo (te obsecro) fidem præbe. Amen amen, inquit, dico vobis: nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Audis apertè clamantem nō habituros nos vitam, nisi sanguinem eius biberimus, & carnem manducauerimus. In vobis autem ipsis dicit, id est, in corpore vestro. Vita autem iure, ipsa vitæ caro intelligi potest: hæc enim nos in nouissimo die suscitabit. Et quomodo dicere non grauabor: Caro vitæ facta vnigeniti caro, ad virtutem vitæ traducta est: non potest igitur morte superari. Propter eā in nobis facta, interitum à nobis expellit. Non enim abest ab ea vnigenitus Dei filius. Vnde quia vnus est cum carne sua: ego, inquit, suscitabo eum. Cur igitur secundum carnem palmites nos dici pernegat: An non conuenienter dici potest vitem, humanitatem eius esse, & nos palmites propter identitatem naturæ: eiusdem enim naturæ vitis & palmites sunt. Ita & spiritaliter & corporaliter nos palmites, & Christus vitis est. Aduersarius autem Christi, deitatis solum modo ratione vitem dici Christum cōtendit: vt quoniam agricola pater dicitur, substantiæ diuersitatem aduersus Ecclesiæ dogmata possit ostendere. Sed miror, si alium à natura patris filium putat, quomodo patris & filij nominibus vititur. Quomodo enim erit verè filius, si à substantia eius natus non est: Qui negat filium, patrem quoque negat: & qui cōfitemur filium, patrem quoque cōfitemur, Ioannes ait. Et certè ita est. Alterutro enim ablato aut posito, alterum tollitur aut ponitur. Nec erit pater nisi sit filius, nec intelligetur filius nisi pater intelligatur. Qui verò diuersum substantia vnigenitum à patre opinatur, is filium esse negat, patrem igitur etiam esse negat. Et vbi Ecclesiæ fides est: vbi Trinitatis gloria in nudis nominibus: non vides omnia deduci, quæ à scripturis de suprema natura dicta sunt: Sed forsitan huius impietatis magnitudinem veritus, diuersum quidem natura filium dicit: sed tantum natum ex patre intelligit. Nam si vt aliquam creaturarum per habitudinem, quæ est in dilectione secundum voluntatem, eo pacto, quo vniuersa ex Deo esse dicuntur, quod si in eadem impietate affixus, nō sentit. Sin autem verè natum ex patre dicit, nec tamen ei cō substantiali, in ipsum quoque patrē impius erit, cum quod creaturarum natura patris nō potest, solus ipse perpeffus est. Quodque peius est, ad creaturas ipse pater deducetur. Vitem enim vnigenitum, non secundum carnem, sed solum modo secundum deitatem dicit. Dicat igitur, vtrum verum Deum filium putet, an adulterinum, & solo nomine. Si tantum modo nomine, nec secundum naturam audiat quid saluator clamet: Ego sum veritas. Veritas autē nullo modo inania suscipit nomina. Audiat etiam quid Ioannes iste alibi clamet: Et simus in Deo vero Iesu Christo. Hic est verus Deus & vita æterna. Si ergo verus Deus vnigenitus est, & ab eo pater distat natura, vt homo à ligno, erit pater creatura. Nec erit filius solum modo Deus, sed nos etiam, quoniam palmites cum vite vnus naturæ sunt, veri dii secundum naturam erimus: quæ omnia extremæ impietatis sunt. Præter eā quoniam filius ego & pater, inquit, vnus sumus, aut nos ad naturam patris cōscendemus, aut pater ad nostram detrudetur. Vnus enim sumus cum filio: quoniam & palmites cum vite vnus naturæ sunt. Vide quæ so quæ absurda & impia peruersa hæc expositio peperit. Quare ea omnino neglecta,

Ioannis 6

Ibidem.

1. Ioann. 2

Ioannis 14

1. Ioann. 5

Ioannis 10

spre-

spretaq; vitem dici filium, & patrē agricolam modo, quo diximus, nō dubitemus.

Caput XIII.



Mnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus adferat. Voluntaria est nostra cum Christo conglutinatio, & charitate ac fide perficitur. Et fides quidem in animo nostro consistit, veram Dei cogni-

tionem efficiens; charitas verò mandatum eius seruare facit. Qui enim me diligit, is, inquit, mandata mea seruabit. Qui ergo per fidem Christo solummodo coniunguntur, sola illi confessione inhærentes, nec charitatis vimine se colligantes; palmitemes quidem sunt, sed nō fructuosi. Nam fides absq; operibus, mortua quædam res est. Huiusmodi autem palmitemes, agricolæ falx seuerissimè amputat, & igni tradit. Hoc enim modo de infructuosis arboribus solet fieri. Exciduntur enim, ne terram frustra occupent, vt de ficu per parabolam dicitur. Voluit ergo, vt ipse arbitror, hac similitudine, quantum sit detrimentum eius animæ, ostendere, quæ ab eo decisa est; inutilis enim quum sit, quumq; nullum ædat fructum probitatis, & æternæ punitioni tradita, igne cruciabitur. Hoc ipsum per prophetam Ezechielè clarius exposuit, dicens: Fili hominis, quid fiet ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna sylvarum; nūquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt depēdeat in eo quodcunq; vas: Ecce quod in annos amputatur de ea, igni datum est in escam. Nūquid vtile erit ad opus? Ita quod semel decisum est, ad nullam penitus rem conferre potest, nisi fortè ad ignem. Nihil ergo nobis conducet à sculptilibus ad Christum translatis, si mandata contemnimus. Trademur enim omnino igni, si qualitatem viuificam atq; humorē vitis, id est, spiritum sanctum probis operibus non retinebimus. Nam quod Christus de illo dicit, qui talentum obruit, id in eis quoq; inspicitur, qui decisi sunt. Vt enim ab illo talentum auferetur, sic à palmite humor vitis, quo alebatur, auferetur autem ab illis humor, id est, spiritus domini, antequam igni tradantur. Nam si honoribus huius seculi præditi, quando aduersus regem aliquid commiserunt, non prius puniuntur, quàm magistratu se abdicauerint: quomodo non erit necesse, vt antequam igni anima infructuosa tradatur, penitus à gratia spiritus decidatur: Sed hæc quidem infructuosi palmitemes iure subituri sunt: fructuosi autem cura & cultu agricolæ maiorem producent fructum. Qui enim benè viuere malunt, qui quàm maximè possunt, virtuti studēt, ijs per spiritus gratiam, quasi per falcem, modò voluptates, modò alias turbationes animi, quibus mens à statu suo deijcitur, Deus incidens est ac amputans. Hæc est illa non manu, sed spiritu intellecta circūcisio. Non enim, vt ait Paulus, qui manifestè Iudæus est, & circūcisio cordis in spiritu, nō in litera. Et rursus: In quo credentes, circūcisio non manu estis. Hæc spiritalis purgatio absq; dolore non fit: dolere nanq; sanctos, cū à Deo castigantur, Esaias quoque subaperit, dicens: Quum abluerit dominus sordem filiorum Sion, & sanguinem Hierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij & spiritu ardoris. Et ipse Paulus: Si in disciplina perseueratis tanquam filij, vobis offert se Deus: quis est enim filius, quem non corripiat pater? Nec multitudo ipsa sanctorum hanc castigationem renuit, imò potius optat, dicens: Castiga nos domine, in iudicio tamen, nō in furore. Nanq; decisio infructuosorum palmitum in furore fit: in iudicio autem, id est, in consideratione atq; mensura fructuosi palmitemes depurgantur. Vnde aiunt in tribulatione parua domine disciplina tua nobis. Parua enim purgatoria est tribulatio, quæ per superiorem disciplinā beatos homines efficit, quod benè David ille intellexit: Beatus, inquit, homo, quē tu corripueris domine, & de lege tua docueris eum: vt mitiges ei à diebus malis. Dies enim certè nefasti ac prauis decisis palmitibus illi sunt, in quibus in ignem mittuntur æternum, quando correptis & ca-

& castigatis mitem se reddit Deus: non enim absolute tales damnantur, quoniam non omnino infructuosi palmitemes fuerunt. Ad confessionem igitur fidei feruens virtutis accedat operatio: nec verbis solum, sed multo magis etiam re Christo adhareamus, si volumus decisionis euitare periculum. Hæc dicta sunt, quoniam spiritaliter Christus hæc intellexisse videtur, quàmuis & aliter hæc interpretari piè possimus. Palmes quidem, qui à communicatione Christi paterna falce deciditur, sterilem Iudæorum significat populū, cuius radicibus securim inhære Baptista dicebat. Palmitemes autem, qui purgantur, tam ex Iudæis, quàm ex gentilibus fideles sunt. Quibus vna purgatio spiritus est, cuius tamen modi differunt: à Iudæis enim Mosaicæ legis ruditas tollitur, à gentilibus autem impuritas morum, & colendæ creaturæ voluntas. Hæc fiunt vt Evangelicæ doctrinæ fructum possint ferre mirabilem. Hæc Paulus ita esse confirmat: modò ad Iudæos, qui rursus ab Euāgelio ad vmbra delapsi fuerant, scribens: Ab alienati estis à Christo: quicumque in lege iustificamini, à gratia excidistis. Et rursus: Dico enim vobis, quia si circūcisio mini, non proderit vobis Christus. Si verò à Christo abalienantur, qui lege studēt iustificari, patet depositionem legis accessum esse ad Christum. Modò ad gentes: Si quum inimici essemus, inquit, Deo, per mortem filij eius reconciliati sumus: multo magis iam reconciliati saluabimur in vita eius. Et alibi ad eos, qui ad pristinum vomitum redibant: Nunc autem, inquit, quum cognouissetis Deum, imò verò cogniti sitis à Deo, quomodo rursus ad infirma mundi elementa reuertimini? Quando ergo, qui elementis & creaturæ seruiunt, à Christo resiliunt: qui facere id non patiuntur, Christo certè coniunguntur. Purgatio igitur gentium, est erroris idolorum abiectio, multa bona hominibus adferens. Vitij enim spretis, pulchritudo virtutis accipitur: nam quum sordes detergantur, nitor statim apparet. Quum autem hæc circūcisio, qua purgamur, per spiritum fit, & spiritus largitor filius esse verè credatur, à cuius plenitudine omnes accepimus, qui ad nos dixit: Accipite spiritum sanctum: ex patre per filium in spiritu hæc purgatio & circūcisio spiritalis in nobis fit. Et sic aduersariorum argumēta, friuola omnino inueniuntur, qui dicere ausi sunt, non esse consubstantialē patri filium, quia nec agricola & vitis vnus naturæ sunt. Non enim pater solum, verum etiam filius in spiritali circūcisione agricola esse conspiciuntur.

Caput XV.



Am vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis. Certiores argumentis purgatiuæ artis suæ discipulos facit. Iam enim mundos esse adserit propter sermonem eius, id est, propter Evangelicam doctrinam, quam acceperunt. Quis igitur non amens non videbit facile, manum patris colentis agrum, Christum dominum nostrum esse: Nā quāuis patri vitis culturam attribuit, sed tamen omnia ex patre per filium sunt, vt per virtutem eius. Ipse enim est viuum & efficax eius verbum, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsq; ad diuisionem animæ ac spiritus, compagū quoq; & medullarum, & discretiuū cogitationum & intentionū cordis. Nam cū vsq; ad profunda cordis penetret nostri, vanis quidē cogitationibus, atq; studijs nostris acutā spiritus falcem immittit, quam purgationē esse intelligimus: cogitationes autē nostras, quæ ad virtutem tendunt, & multiplicat, & ad ferendum vsq; fructū corroborat. Iacet ergo aduersarij ratio, qui diuersitatē propter vitis & agricolæ vocabula in deitatis natura excogitauit. Nam cū mundos esse discipulos dixerit, nullam mentionē patris fecit: sed suo ipse sermone purgatos esse affirmat. Quæ admodū ergo per filium & in filio pater viuificat: eodē certè pacto nobis per filium prouidens agricola est. His Christi hostes persuasos esse velim, vt omni cōtentione abiecta, catholicæ nobiscū veritati adhareant. Sed nolunt vilo modo id facere. Clamant enim

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

enim non posse vitem & agricolam eiusdem se naturæ confiteri. Quam audaciam si nos quoque imitabimur, quid prohibebit eos interrogare, vtrum paternus iste cultus palmitibus solummodo, an toti potius conferat viti: non dubito, quin toti prodesse viti culturam respondeant. Quoniam igitur vitem seipsum Christus appellavit; vitis autem nisi colatur, non minus quàm palmites, perit, quur non putamus non minus, quàm nos, ope ipsum diuina indigere: ita si quis intentionem dicentis non considerat, longè aberrat, necesse est. Sed valeant omnes huiusmodi nugæ, & verba Christi rursus considerentur. Vos, inquit, mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis. Spiritalis, inquit, purgationis atque culturæ modus, propter sermonem meum in primis vobis apparet: à mundi enim sceditate iam separati, ad ferendum fructum parati estis. Eiecit ab animo vestro vanas ludæorum obseruationes doctrina mea, ruditatem literæ iam contemnitis.

Hebræ. 9 Non cibo & potu, non asperione brutorum sanguinis, sed fide atque virtute (in quibus spiritalis cultus conspicitur) sanctificationem quaritis. Qui ergo purgari voluerint, vos sequantur. Sic enim excussa ex animo suo prima immundicia, fide ac charitate vt palmites mihi inhærebunt. Vnde gratia spiritus ad pietatem nutriuntur. Spiritus enim Deus est: & adorantes eum, in spiritu & veritate adorare oportet. Ita & eorum, qui credituri sunt discipulorum exemplo, purgationem ante oculos ponit, & ipsos ad maiora hortatur: quum non frustra inhæsisse sibi, & sermonem suum audisse ostendat: sermonem dico Evangelicum, quo vniuersum orbem ad imitationem sui traducturi erant. Ita enim omnes hortabantur vivere, & ita credere, vt ipsi & vivebant, & credebant. Vnde Paulus quoque ad imitationem sui sapius fideles inuitat.

Caput XVI.

MAnete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Manifestius iam ex hoc loco discimus, syncera fide palmites infertos viti fideles fieri. Sed non est minoris curæ iugiter per charitatem, id est, mandati seruationem Christo inhære, illud Psalmistæ clamantes: Inhæsit anima mea post te. Nō igitur sufficit ad perfectionem, id est, ad sanctificationem, quæ per Christum in spiritu est, in numero palmitum recipi: sed oportet ardentem charitate, atque continud immaculatè Christum sequi. Quia in re maximè spiritalis coniunctionis virtus seruat. Quoniam igitur dictum est mundos illos fuisse propter sermonem Christi: ne quis putet nequaquam se posse, si semel purgatus fuerit, ad peiora delabi, in eo permanere imperauit. Quod nihil aliud est, vt mihi videtur, quàm illud Pauli: Qui putat se stare, videat ne cadat. Mille namq; pericula, nisi vigilanter studeamus, etiam stantibus imminet. Quare oportet omni cura, opera, studio, ad maiora semper nitì. Quàm magnum enim detrimentū patiat, qui per negligentiam à Christo decidit, subiicit, dicens non posse illos fructum ferre, nisi in se manentes: sicut palmites à vite, sic inde humorē trahant, quo mirabiles alant botriones. Vt enim palmes decusus à vite nunquam fructum feret, sic nos à Christo decisi, nunquam secundum virtutem germinabimus. Christus enim est, qui nos per gratiā spiritus, quasi per aquā irrigat & nutrit, vt possimus facile pietatis adere fructus. Si quis sitit, veniat, inquit, ad me & bibat. Quod ipse nobis Euāgelista optimè interpretatur, dicens id à Christo dictum esse de spiritu, quem accipituri fideles erant. Ideo David quoq; ad Deum patrem clamabat: Quoniam apud te est fons vitæ. Et deliciarum torrens spiritalium ipse filius est, qui gratia spiritus per charitatem & fidem animas nostras irrigat.

Caput XVII.

Ego

IN EVANG. B. IOAN. LIBER X.

286.

Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arefcet, & colligēt eū, & in ignem mittēt, & ardet. Hinc ea de causa vitem se appellasse manifestè ostendit, vt quasi oculis hoc exemplo cerneremus, manentes in eo vt palmites, ex vite humore tracto, spiritalem posse fructum adferre. Resilientes verò ab eo, vel quia in fide, vel quia in seruatione mandati deficiant: non modò nihil fructus producturos, sed æternum etiam ignem passuros. Qui enim à pietate vel charitate Christi decidit, supplicijs seipsum tradidit: sicut decusus palmes ad nihil aliud, quàm ad ignem utilis est. Optimo nobis ipsi apostoli exemplo sunt, qui quoniam manserunt in Christo, nec vlla vi ab eo separari potuerunt, æternas laudes consequuti, fructum suæ virtutis conuersionem orbis attulerunt. Vnde in marcescibiles apud Deum habituros coronas non dubitamus. At auaritiæ seruus Iudas, à vitæ spiritali decusus, gratia spiritus amissa, foras eiectus, igni, vt inutile famentum, traditus est. Dupliciter igitur ad manendum secum Christus nos inducit: partim cupiditate gloriæ, quam fructuosi palmites consequentur: partim formidine ignis, cui tradentur, qui ab eo se separant. Agricolam autem patrem nominat, diuinæ id naturæ attribuens, vt diximus. Nam ipse manus est patris, per quem omnia facta sunt. Manus mea, inquit, hæc omnia fecit, & per filium facta esse omnia scripturæ testantur. Quare manus patris filius dicitur. Hanc incisionem, quæ hic intelligitur, Paulus quoq; intellexit, dicens: Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in nos quidem, qui ceciderunt, seueritatem; in te autem bonitatem, si permaneris in bonitate, alioqui & tu excideris.

Caput XVIII.

Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis, petetis, & fiet vobis. Radicem supernæ benevolentiae ac firmamentum esse ait, quasi spiritale depositum Euangelicæ disciplinæ dogmata & mandata seruauerint. Seruantibus autem sine mora, petita bona pollicetur ad futura: Si manseritis, inquit, in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis, petetis, & fiet vobis. Fieri enim potest, vt in Christo maneat, & verba eius in te non habeas. Duplex enim via est, vt modò diximus, per fidem & per charitatem, propter quam mandata seruantur. Quæ cum ita sint, qui verbis nudis Christum confitentur, sed mandatorum obseruatione, id est, charitate ad perfectionem non conformantur, quàmuis Christo fide inhærent, inq; eo hac ratione maneant, verba tamen eius non habent. Non oblitus quidem illi prædicationis Euangelicæ: sed illecebris voluptatum capti, spiritus gratiam abijciunt. De quibus ipse saluator ait: Nō omnis, qui dicit mihi, Domine, domine, introibit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Quod autem fides ad salutem non sufficiat, Christi etiam discipulus ostendit, scribens: Tu credis, quia vnus Deus est: demonia etiam credunt & horrescunt. Si ergo fides sola sufficeret, multitudo dæmonum perire non posset. Quare oportet ad fidem opera charitatis accedere. Nam qui sic facit, is & in Christo per fidem manet, & in corde suo verba eius conseruat, vt in Psalmis dicitur: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Nam veluti qui ignem in æreo vase recōdit, caliditate ignis non caret: sic qui verba diuina in animo retinet, & ea seruare conatur, virtutis semper ardet amore. Scriptum est enim: Ignitum est eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Qui ergo syncera fide in Christo manet, & mandata eius seruat, ei, quicquid petit, cōfestim concedetur. Num ergo, inquires, si quicquā malī petierit, impetrabit; minimè, minimè inquā. Non est tamen par, vt qui manet in

CCC Chri-

Christo, & mandata eius seruat, is quicquam petat, quod Deo non placeat. Propterea ihs, qui doctrinam suam in animo retinet atq; seruant, istud pollicetur. Quare si accipere volumus quum petamus, recte viuamus; & quicquid petierimus, absq; mora nobis Christus prestabit.

Caput XIX.

In hoc clarificatus est pater meus, ut fructum plurimum adferatis, & efficiamini mei discipuli. Clarificatum patrem suum esse dicit, quonia ineffabilis eius bonitas atq; misericordia nota omnibus, coronam quasi gloriae illi attulit. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium eius unigenitum dederit: in quem qui crediderit, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Vita igitur omnium patris opus est, quod per Christum est factum. Propterea dicebat ad patrem: Ego te clarificauit, opus consummaui, quod dedisti mihi ut faciam. Ipse namq; salutem nobis ex patre attulit: non ut minister, sed ut sapientia & virtus patris, absq; qua nihil omnino fieri potest. Omnia enim per ipsum sunt. Vnde nostrae quoq; salutis dispensationem ut virtuti & sapientiae patris filio tradidit: summo opere Dauid orans dicit ad patrem: Manda Deus virtuti tuae, confirma Deus hoc, quod operatus es in nobis. Et rursus: Deus iudicium tuum regi da. Solius enim eius opus est, qui cum patre regnat, ut vniuersam hominis naturam reformare ad pristinum possit. Clarificatus igitur pater est, proprio filio pro redemptione hominum dato, quem voluit hominem fieri, non ut quicumq; boni sibi acquirat, qui semper perfectissimus est: sed ut homines plurimum ferant fructum, & Christi efficiantur discipuli. Nisi filius Dei homo factus esset, nunquam nos ut palmites illi quasi vitae haerentes, participatione spiritus fructum adderemus, quem plurimum, comparatione legalis fructus appellat. Nihil enim lex perfecit, ut ait Paulus. Idcirco ad discipulos, imò verò ad omnes fideles dicebat: Amen amen dico vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisaorum, non intrabitis in regnum caelorum. Et rursus: Scriba doctus in regno caelorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Qui enim Euangelicam colit doctrinam, dupliciter spiritualibus pollet diuitiis, noua & vetera proponens, & vmbra legis ad Euangelicam vitam transformans. Nam quae figuris lex significabat, haec Christus aperte in veritate docuit. Propterea dicebat: Non veni soluere legem, sed adimplere. Et rursus: Iota vnum aut vnus apex non transibit a lege, donec omnia fiunt. Plurimus ergo fructus in spiritu & veritate Euangelij virtus est, qua effectus est, ut amici Christi fiant discipuli. Nam & priscis per prophetas loquebatur, & erunt, dicens, omnes docibiles Dei. Non enim alius quasi mediator, ut Moses inter Deum & ludaeos: sed ipse Christus nos docuit. Quare Dei docibiles sumus. Quia penon essemus discipuli eius, nec fructum & hunc plurimum adderemus, nisi pater per misericordiam suam esset clarificatus, qui voluit filium suum propter nos hominem fieri, tradiditq; eum pro nobis, id est, placuit ei, ut Christus pro nobis moreretur.

Caput XX.

Sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos: manete in dilectione mea. Si praecepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego praecepta patris mei seruauit, & maneo in eius dilectione. Attentiore animo haec profunda inspicere oportet: breuiter enim totius ferè incarnationis ratio aperitur. Diligi enim se a patre adserit, nec minus vos a seipso, sed eodem modo diligi affirmat. Et subiicit, oportere nos in dilectione sua manere, causamq; attulit, quare ipse iure a patre diligatur: quia mandata eius seruauit, ut nos quoq; si volumus in dilectione sua manere, mandata sua diligenter seruemus. Summatim igitur iste sensus est. Sed ne simpliciores turbare possit, latius nobis exponen-

Anendus est. Dominus igitur noster Iesus Christus exemplo se nobis proposuit. Non enim fuit paupertatem nostram aspernatus, ut nobiscum conuersatus, inaudita vitae se nobis ducem praeberet. Vbi ergo, aut quae patris mandata seruauit, & quomodo diligi se ab illo dicit, quarendum videtur. Adsit igitur Paulus, & dicat de ipso: Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse aequali Deo: sed seipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus ut homo: humiliavit seipsum, factus obediens usque ad ad mortem: propterea Deus ipsum exaltauit, & donauit ei nomen super omne nomen. Audisti quia quum verus Deus filius sit, humiliavit seipsum, factus obediens usq; ad mortem. Nam quum saluare humanum genus Deus pater voluerit, neq; id creatura posset aliqua efficere: ipse, qui voluntate patris opportunè nouit, filius huiusmodi dispensationem suscepit: sicq; obsecutus genitori est, ut mortem etiam turpissimam subierit: propterea, inquit, Deus eum exaltauit. Habes in obediencia ista voluntaria, paterni consummationem consilij, quod mandati loco tradi sibi filius dicit. Nam etsi ut verbum patris profunda Dei scrutetur, imò verò ipse sit sapientia & verbum patris: omnia tamen, quae patri videntur, peragit, & mandata ut homo appellat. Exaltatus autem a Deo dicitur, quamuis consubstantialis ei sit, & dominus gloriae a scripturis nuncupetur: quia in serui forma factus, id est, homo secundum nos: rediit rursus cum carne, ut vnà cum patre etiam homo factus conglorificetur. A quo diligi non incipit tunc primum, quando voluntariam subiectionem aut suscepit, aut perfecit. Sed quemadmodum, quamuis exaltatus semper est, & gloriae plenus secundum naturam, exaltari tamen & glorificari dicitur factus homo, qui naturaliter gloriae inops est: sic quamuis semper diligatur ut filius, diligi tamen etiam cum carne scribitur. Qui propterea homo factus est, ut genus hominum, quod propter preuaricationis crimen Deus oderat, ad dilectionem ipsius reduceret. Idcirco origo, ianua & via omnium bonorum generi nostro fuit. Nonne igitur iure seipsum diligi dicit, quia mandata patris seruauit? Num tibi durus mysterij sermo visus est, & huius dispensationis profunditas? Sed aequa sunt omnia intelligentibus, & recta ihs, qui habent cognitionem, ut scribitur: Manete, inquit, in dilectione mea, id est, omni studio, cura, opera, sic a me diligi conari debetis, ut ego a patre diligor. Sic autem diligemini, quando mea mandata seruabitis, veluti & ego patris mandata seruauit. Non erit inutilis vobis hic labor. Exaltauit me pater, & dedit mihi nomen super omne nomen: ego verò vos, qui estis homines, deos & filios Dei, regni mei participes, conformes corporis gloriae meae per gratiam spiritus efficiam. Sed haec quidem futura sunt. Quantum verò ad praesentem pertinet vitam, nonne magnum honorem meo nomine consecuti estis, quum daemones increparetis, quum omnem morbum, & omnem debilitatem curaretis: quum vobis pollicitus sim, dicens: Qui credit in me, opera, quae ego facio, ipse quoq; faciet, & maiora horum faciet: Haec discipulis paucioribus verbis dicta intelligimus: vbiq; autem dogmata veritatis sequentes, ad utilitatem legentium cuncta praescribimus, diligenterq; cauemus, ne cuiquam scandalum faciamus. Scribitur enim in Psalmis: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.

Caput XXI.

Haec loquutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Vitis & palmitum, qui abscinduntur, & in ignem mittuntur, exemplo non paruum discipulis immisit formidinem. Solent enim, qui mala fore audiunt, praesertim si auctoritate dicentis commoti non aliter futurum credunt, non mediocriter conturbari. Et quemadmodum qui procellosum nauigaturus est pelagus, quamuis tempestate nulla exagitetur, horrescit tamen cogitans: non aliter arbitror discipulos Christi tunc fuisse CCC ij affe-

affectos. Quas ob res, qui omnia nouit, à mœrore ad lætitiã reuocat. Non enim, inquit, d discipuli, vt metu exagitemini, hæc à me dicta sunt; sed vt gaudium meum habeatis. Consideratius igitur videamus quid est, quod his verbis Christus significauit. Duplex igitur esse mihi sensus videtur: aut enim nihil curiosius hic locus adfert, sed hoc planè dicit, vt gaudium in me habeatis, & sic ipsi quoq; gaudeatis, superne beatitudinis atq; gloriæ magnitudinem intelligētes. Alius est, in quo altius quiddam latet, quod enodare non recusabimus. Quid igitur illud est, aut quid significat, vt gaudium meum in vobis sit: Homo, factus vnigenitus Dei filius absq; peccato, omnia sustinuit, quæ Iudæorum excogitare per uicacia potuit, nec vnquam sputis dedecoratus, verbis derisus, verberibus cæsus, & tandem patibulo affixus, vilo mœrore affectus fuit; sed dicenti semper ipse gaudio plenus (quoniã voluntatem patris consummari videbat, & homines hinc salutem habituros non ignorabat) illa opprobria delicias sibi esse putabat. Exultauit enim spiritu, instantiam cruciatu, & dixit: Confiteor tibi pater, domine cœli & terræ, quia occultasti hæc à sapientibus & prudētibus, & reuelasti ea paruulis. Vides quia gaudet spiritu, quum dementes olim homines ad sapientiam reuocentur, & gratias hæc de re patri agit. Eodem modo, quum labore confectus super Iacob puteum sederet, Samaritanorum salutem lætatus, vel necessaria corporis alimenta contempsit. Nam quum rogaretur à discipulis, vt mādudaret: meus cibus est, inquit, vt patris mei voluntatem faciã, & opus eius perficiam. Quis ergo dubitabit delicias illi fuisse salutem hominum: hanc enim voluntatem patris appellat. Hæc, inquit, vobis locutus sum, vt gaudiū meum in vobis sit, id est, vt illis solūmodo lætari rebus velitis, quibus ego gaudeo. Sic enim fortes ad certamina eritis, & spe saluandorū hominum pericula libenter subibitis: non parum gaudentes, quoniã voluntas patris (qui vult omnes ad cognitionem veritatis peruenire) pro virili parte vestra perficiatur. Hæc ergo elegi lætitiã. Hæc etiam si vos habebitis, sincero ac integro afficiemini gaudio. Veram etiam solidamq; lætitiã, illam tantummodo, quæ in Deo est, appellamus, qua etiam gauisus est. Hæc verò mundana vmbra solūmodo est, more semini de uolans. Sic solidum etiam odium, verumq; nūcupamus, quod iuste ac rectè aduersus veritatis hostes habetur. Sicut beatus ille Dauid aduersus eos, qui gloriæ diuinæ resistebāt, ait: Perfecto odio oderam illos. Dilectionē similiter perfectam nominamus, qua non terrenis, ac nulla re dignis, sed Deo propter Deū afficimur.

Caput XXII.

Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: maiorem hac dilectione nemo habet, quam vt animam suã ponat quis pro amicis suis. Apertius modò ante oculos ponit superioris loci sensum, quem diximus, iubens talem inter se dilectionem habere, qualē ipse reatq; opere consummauit: quæ mensuram non habet, cū suprema cumulataq; sit. Maiorē enim hac, inquit, nemo habere potest: nulla enim maior est. Per hæc omnia discipulis præcipit, ad eò non esse fugienda pro salute hominum certamina & dolores, vt ipsa quoq; mors carnis abijcienda non sit: ad hanc enim vsq; charitas peruenit. Ita his verbis tum ad eximiam fortitudinem, tum ad mirabilē charitatem hortatur, talesq; facere studet, vt nec mortis quidē periculo Christum deserere velint. Talem se Paulus nobis ostendit, dicens: Mihi enim & viuere Christus est, & mori lucrum. Et rursus: Charitas enim Christi vrget nos, æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt. Et ad hæc: Quis nos separabit à charitate Christi: tribulatio: an angustia: an fames: an nuditas: an periculū: an gladius: Audis q; nihil affirmat se posse à dilectione Christi se iungere: q; si oues & agnos Christi pascere nihil aliud est, q̄ ipsum diligere, patet quia omnis persecutio, omneq; periculū pro prædicatione veritatis subeundū est. Et vt summatim atq;

Matth. 21

Ioannis 4

1. Timo. 2

Psal. 138

Philipp. 1

2. Corin. 5

Roman. 8

A atq; breuiter dicam, absq; formidine iubet Christus discipulis Euangelium orbi prædicare. Quod etiam Esaiæ quondam voce similiter iussit: Super excelsum, dicens, montem ascende, qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Hierusalem. Quod posse facere, iugi oratione petiisse ipsos videmus. Dicebant enim orantes: Et nunc domine respice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum. Multi enim certè sunt, qui Euangelium Christi prædicantibus impiè aduersantur: qui etsi quasi fluctus insurgant, nihilo tamen minus veris Christi discipulis incumbendum est, quousq; charitatis opus perficiant. Charitatis, inquam, talis, qualē erga nos saluator ostendit, qui summo cum gaudio cruci affigi non erubuit, vt peccatoribus salutem adferret. Nam si noluisset pro nobis pati, mortui adhuc essemus, cæci ac stulti, omni bono indigentes: diaboli, peccati, voluptatisq; serui, sine aliqua spe in profundo impietatis iacentes. Nunc autem quum animam suam ex dilectione saluator pro nobis posuerit, & misericordiæ suæ magnitudinē aperuit, & nos beatos effecit, nullo penitus bono indigentes. Ita hic sensus diuinis discipulorum capitibus conuenit. Si verò hæc verba ad omnes transeunt, vt omnibus sic dici credamus: hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: ingens certè cunctis adhibenda cura & studium est. Nam si præceptorum Christi consummationem dilectio fratrum operatur: quomodo non erit huic virtuti summoperè incumbendum, quæ cæterarum omnium origo & caput est: Hæc enim fratrum dilectio alterū immediatè locum post Dei dilectionem obtinet. Nempe in illo vniuersa erga Deum pietas breuiter concluditur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Caput XXIII.

Os amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunq; audiui a patre meo, nota feci vobis. Amicitiam suam futuris opponit periculis, vt eius magnitudine atq; gloria nihil penitus pericula videantur. Dulces enim admodum labores sunt, quum merces copiosa proponitur. Quid autem maius, quid clarus, q̄ Christi amicum & esse & appellari: Excedit hæc certè dignitas, naturæ humanæ terminos. Omnia enim seruiunt creatori, vt ait Psalmista. Nec quicquam est, quod iugo seruitutis eius non subijciatur. Quod quum ita sit, ad supernaturalem gloriam seruantes mandata sua dominus redigit, non seruos, sed amicos appellans, & vt amicos in omnibus tractans. Magna & splendida ista præmia sunt. Sed illud nō abs re dixerim. Si enim amicitia filij, qui serui natura sunt, ad liberam amicorum dignitatem perducit, quomodo ipse vt creatura seruus erit, vt quidam ex imperitia dicunt: An alijs poterit libertatem largiri, eius ipse natura expers? Minimè. Sed sanctis quidem apostolis, cæterisq; fidelibus, qui ad amicitiam suam ascendunt, extrinsecus honoris gratia libertatis accedit dignitas: ipse verò naturaliter liber est: quod enim aduentitium est, ab insito & naturali distinguitur. Libertas verò nostra cū aduentitia sit per gratiã habita, alia est certè ab eius libertate. Sed immorari in hoc loco paululum iuuat. Dicimus igitur, legali iustitia multo antiquiorem illam esse, quæ per fidem Christi habetur: & ad hæc addimus, quia credentibus & obsequentibus Christo, diuinorum reuelatur mysteriorum cognitio, & consiliū patris à filio, qui probè illud nouit, exponitur, incredulis autē minimè. Hæc autoritate scripturæ nobis confirmanda sunt. Scribitur ergo in Genesi, credidisse Abraham illum Deo, & computatam ei fuisse fidem ad iustitiam, amicumq; Dei hac de causa vocatum. Quomodo autem amicus Dei credens, appellatus est: Dicitur ei fuisse: Exeas de terra cognationeq; tua, & veni in terram, quam ego monstrabo tibi. Cūq; filium suum in figuram immolare Christi iubebatur, tunc intentionē Dei abditam docet CCC iij batur.

Esaiæ 40

Act. 4

Roman. 13

Matth. 22

Psal. 118

Genesis 15

Genesis 12

Genesis 22

Ioannis 8 batur. Vnde Christus ad Iudæos de ipso dicebat: Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, & vidit, & gauisus est. Obediētia ergo & immolatione amicitiam Dei consequutus est, & consilium eius in nouissimis tēporibus futurum cognouit. Sed considera quæso, quomodo similia fiunt in ijs, qui ad amicitiam Christi conscendunt. Audiuerunt & ipsi, exeatis de terra vestra quod quàm libenter fecerint, Paulum audi: Non enim habemus hic ciuitatem stabilem, sed futuram inquirimus, cuius artifex & cōditor est Deus. Peregrini enim & aduenæ sunt in terris, qui ciuitatis Dei ciues esse cupiunt, quam saluator monstrauit, dicens: Vadam & præparabo vobis locum: quum autem venero, accipiam vos mecum, ut vbi ego sum, ibi & vos sitis. Sed à cognatione quoq; sua exire sibi dictum est. Vbi hoc scribitur: Christum audi: Qui diligit patrem aut matrē super me, nō est me dignus. Nec ambiget vnquam aliquis præpositum omni cognationi carnali Christum à discipulis fuisse, & nunc quoq; præponi ab omnibus, qui diligunt eum. Et beatus quidem Abraham proprium filium in odorem suauitatis Deo adducere iubebatur: fideles autem, nō alios, sed seipsos. Exhibeatis enim, inquit Paulus, corpora vestra hostiam viuētem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Sed Christi quoq; mysterium etiam isti cognouerunt. Non enim ignorant futura, sed certiores sunt, quia laborum præmia, & mercedem pro pietate Christi suscipient: iusti ergo sunt, & amici Dei non aliter, quàm Abraham. Antiquior autē nimirum Evangelica disciplina, quàm legalis est. Per fidem enim & amicitiam Dei cōsistit, quæ priscis temporibus in Abraham figurata, à figura modò ad veritatem peruenit: in discipulis primùm consummata, qui acquisitionis populi origo fuerunt.

1. Petri 2 Quem quidem populum, gentem sanctam, regale sacerdotium scriptura solet appellare. Quapropter ad Iudæorum matrem, id est, ad synagogam Psalmistæ verbis dicitur: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Nam etsi filij Iudæorum discipuli fuerint, & legi Mosaicæ dediti, patres tamen facti sunt, ac Abrahæ locum obtinuerunt, spiritualium Iudæorum origo constituti, principesq; totius orbis ordinati, Euangelium Christi prædicantes, & ipsum Christum mysticè immolantes, ut in figura Christi Abraham filium suum. Hæc dicimus, non quia minorem gloria Abrahæ illum velimus ostendere, sed ut quæ nobis in his temporibus per Christum dispensata sunt, in illo figuris & obumbrata fuisse ostendamus, utq; amicitiam Dei, libertati, quæ per fidē est, hære probemus. Hæc nos diuinus Paulus docuit, qui Iudæis per suadebat antiquiorem esse fidem iustitiæ legalis. Nam cum de circumcissione verba faceret, ideo Abrahæ datam fuisse adserit, ut signum eius fidei esset, quam in præputio Abraham habuit. Quod si præputium ante legem fuit, si fides cum præputio fuit, circumcisio post legem, gloriam fidei non habuit, si Abraham deniq; in præputio credidit, quomodo disciplina legalis iustitiæ fidei non erit antiquior: quæ per amicitiam Dei iustificat homines atq; liberat, sicuti Abraham fuit iustificatus. Sic enim pater multarum gentium, non secundum carnem, sed ex repromissione esse comperitur. Hæc aptè crediderim dicta, quia dominus dixit: Non dico vos seruos, sed amicos, quia quæcunq; audiui à patre meo, nunciaui vobis.

Caput XXIII.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: & posui vos, ut eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat, ut quæcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis. Nec duro admodum sermone discipulos onerat, ne imbecillitate humani animi demergantur, nec læto nimium effundi permittit, morbus enim etiam hic est, & non est tenendus: sed mediocritatem ex vtriusq; commixtam tenens, ad cognitionem optimæ disciplinæ inducit. Quum igitur consolatus dolentes fuerit, & charitatis vicissitudinem necessariam eis ostenderit, hortatur iterum atq; iterū, ut omni cura reducere ad pietatem homines

homines studeant: ac huius rei exemplum seipsum proponit, dicens: Nos vos me elegistis, sed ego elegi vos. Ac si diceret: Quum imitari me debeatis o discipuli, quæ ipse in vobis feci, ea in alijs faciunda vobis sunt. Ego elegi vos, non vos me: ego me notum vobis ignorantibus feci, humanitate clementiaq; commotus. Ego vos ad ed roboravi, ut procedere progrediq; ad tantam cum Deo fidutiam possitis, ut quodcunq; petieritis in nomine meo, vobis concedatur. Quare non debetis vos, qui mei discipuli estis, sedentes expectare, ut vltro ad fidē homines veniant. Sed errantibus manus porrigenda, & audire nolentibus salutaris sermo à vobis est prædicandus, etiam si vos acerbissimè persequantur. Sic enim tandem ipsi quoq; vos imitati, ac ad meliora progressi, immarcescibilem ædent fructum, & quodcunq; petierint in nomine meo, consequentur. Talem igitur (ut breuiter repetamus) dilectionem habere persuadet, & ita diligentes ad reducidos in fidem ceteros esse, qualē ipse in nobis ostendit. Quod autem à Christo discipuli electi fuerint, omnibus apertissimum est. Hunc huius loci sensum esse, à sequentibus etiam perdiscemus.

Caput XXV.

Hæc mando vobis, ut diligatis inuicem. Quis vnquam ambiget, supremæ dilectionis esse, omni studio atq; opera ad cognitionem veritatis, & obsequiū Dei errantes homines conuocare: hoc Paulus faciebat: Pro Christo, inquit, legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, recōcilia mini Deo. Petrus quoq; ad Iudæos dicit: Et nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri: penitentiam igitur agite, & baptizentur singuli vestrū in nomine domini nostri Iesu Christi. Vides quomodo doctrinam nolentibus adferunt: Sed videamus, quid significet, ut eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat. Fructū igitur arbitror esse manentem non legalis, sed Evangelicæ disciplinæ iustitiam. Antiquata enim illa nihil perfecit. Pro ea verò noua iam floret, & verum ac permanentem fructum producit. Quare non iniuria Paulus legalis se iustitiæ iacturam dicit fecisse, ut Christum lucrifaceret, id est, ut in Christo fide adhærens, iustitiam & Evangelicum fructū produceret, qui animam hominis cumulatâ pietate perficiens, perpetuus est. Per nullā enim aliam disciplinam Evangelica prædicatio antiquabitur, sicut Mosaica per Euangelium antiquata est: sed saluatoris sermo durabit in seculum, ut ipse dicit: Cœlum & terra transibit, verba autem mea non transient.

Caput XXVI.

Mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Mirabili quodam atq; diuino in conformandis firmadisq; animis vtitur artificio. Nam quemadmodum periti medici futuris nonnunquā remedium præparatione morbis se opponunt: sic ipse discipulorum, ac omni no fidelium animos non à præsentibus solum liberat, verum etiam à futuris malis doctrina & mandatis suis præseruat. Nam quoniam non ciuitatis aut regionis vnus, sed totius orbis terrarum doctores futuri erant, ad Evangelicam vitā homines traducentes, quos vbiq; omnes quasi Euangelij legem ac regulā imitaturi erāt, necessariò nullā curā sibi faciundā esse monet, ne à mundo, id est, ab hominibus voluptati impietatiq; deditis odio habeantur. Sed num, dicit quispiam, ad acquirenda odia hæc oratio nos hortatur: Nequaquā. Non enim simpliciter, sed pro salutari doctrina contēnendum esse odiū dicit. Quod autē benè consulentibus atq; docētibus improborum odium immineat, atq; ideo corroborandi apostoli fuerant, facillè perspicias, si naturā huius rei considerabis. Solent enim, qui mundanis sordibus inhærent, ut licentius voluptates suas persequantur, ad probitatē reducentes acerbius inuadere. Nā et Iudæi, legis literę toto animo affixi, reuocātes ad spiritū hostes ducunt.

& gentes à cultu creaturarum abduci propter consuetudinē iniquo animo ferunt. Quæ cum ita se habeant, futurum erat ut tam à ludæis, quam à gētibus odio discipuli haberētur. Quare monēdi fuerunt, ne molestū id putantes, aut morē vnicuiq; gerere studentes, prædicandi libertatē amitterēt. Monēdi enim sunt homines propter charitatem, hortandiq; ut ad veritatem conuertantur, etiā si hac de causa odio nos persecuturi sint. Vnde Paulus de seipso dicebat: Si placere hominibus vellem, Christi seruus non essem. Et ad Corinthios: Si em̄ ego vos contristo, & quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me: Patet ergo non prodesse, sed adulari auditoribus eum, qui non ad vtilitatem, sed ad voluptatem loquitur. Qui verò saluatoris doctrinam sequitur, saluatori solummodo gratus esse studebit: & odio haberi à vitiosis hominibus, spiritales diuitias nec paruas arbitrabitur. Cum ergo, inquit, mūdi odium vobis opponitur, cum salutaria verba multitudo nō feret, nō turbabimini, si mundi honores penitus cōtemnetis, si hoc mihi ipsi (qui & dominus & magister sum) accidisse memoria tenebitis. Quod autē Christus odio fuerit mundo, verbis non eget, sed ipse quoq; ait: Nō potest mundus odisse vos, me autē odit, quia ego testimonium perhibeo de ipso, quod opera eius mala sunt. Exemplum igitur etiam in hoc seipsum præbuit. Alibi quoq; ait: Beati estis, quum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos, mentientes propter me: gaudete in illa die & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Sic enim etiam prophetas multo ante vos persecuti sunt.

Caput XXVII.

SI de mundo essetis, mundus quod suum est, diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mūdo, propterea odit vos mundus. Facile, imò verò iucundum esse ostendit, quod natura sui molestissimum est. Quid enim acerbius, & plerunq; damnosius, quam odio haberi: suauē tamen id efficitur propter Deum. Et quando gratia pietatis accidit, argumento est non inhære rebus caducis eum, qui odio habetur. Ut enim corporū, ita morum cognatio quædam est, quorum similitudo longè sanguinis vincit cognationes. Omne namq; animal simile sibi diligit, ut scribitur: & simili sibi homini homo adhæret. Sic sanctus cum sancto, & peruersus cum peruerso iucundè conuersantur. Idcirco longè à sancto prophanum distinguitur, & mores probi conuersatione improba peruertuntur. Alterutri enim suis inhærētes studijs, mores alterius accusant. Quas ob res necesse est ut studiosus (qui viuendi probitate turpitudinē improborum collatione morum denudat) minimè à vitiosis diligatur, vnde non dolendum, sed gaudendum potius nobis esse Christus adserit. Nam etsi detrimentum in rebus caducis multorum odium adferat, maximo tamen apud Deum est emolumento: imò verò velut qui odio habetur à mundo, extra mundum est, sic qui à mundo diligitur, malis mundi subijcitur. Efficitur autem à Christo his verbis, ut liberè & absq; odij formidine discipuli prædicatione vtantur, quum nihil dilectioni Dei præponendum esse doceantur. Non quæro placere hominibus, Paulus ait: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Non enim possunt, qui prauitatem eligunt, Deo placere. Quare qui Deo seruire vult, ab eo mundum offendi necesse est, maxime quum à sordibus mundi alios reuocare conetur: quod sic amarū est voluptuosus, quemadmodum morbo affectis corporibus, quæ vtilissima remedia sunt, acerbissima videntur.

Caput XXVIII.

Memēte sermonis, quem ego dixi vobis: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Quum etiam odio

A odio haberi propter Deum, & Euangelicam prædicationem, bonum atque iucundum esse ostenderit: modò quod ex odio sequitur, exemplo sui breuiter mitigat. Paratos enim esse iubet ad ferendas persequutiones, quibus increduli eos vexaturi erant. Prædicat autem hæc, & exemplo sui animos roborat, ne maiora desiderantes confundantur, sed quasi necessariò domini vestigia sequentes, nihil plus appetant. Futuras autem omnino persequutiones ideo ostendit, quia non esse maiorem seruum domino suo confirmat. Vidistis igitur, inquit, atq; audistis, quomodo me persequuti sunt, quomodo furiosa, infreniq; oratione dæmoniacum, temulentum, Samaritanum, cæteraq; huiusmodi me vocabant & vocant. Sed nunquam ego vices reddidi, nec salubri sermone illos alloqui desiui. Quare nec vobis aliter in persequutionibus faciendum est, nec maior quædam conditio quærenda. Ita eos superiores omni odio, & omni persequutione reddit. Hæc Hieremias exercitatus vidit. Vires enim meæ, inquit, defecerunt me in maledicentibus mihi. Et Paulus similiter: Maledicti benedicimus, inquit, persequutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur & obsecramus. Etcertè magni animi atq; probi est, clementer omnia ferre. Nam qui nullam patiuntur iniuriam, pusillanimes sunt, & huius mundi gloriæ cupidi. Humilem enim contumelia non mordet, & contemptorem mundanæ gloriæ vituperatio non offendit. Quare non iniuria super omnem inanem gloriam mentes apostolorum euehere studet, ut vestigia sua sequentes, dilectionē fratrum non deserant, & semper errantes reducere studeant. Si me, inquit, persequuti sunt, & vos persequentur. Iuncta hæc superioribus sunt, lucundas em̄ potius persequutiones illis facit, recordantibus non aliter dominum suum persequutionibus exagitatū fuisse. Si ergo creator omnium, qui omnia nutupossit, non refrenauit persequentium impetum, inquit, sed permisi ut liberè vnusquisq; voluntatem suam sequerentur: nōne quando vos persequentur, ad imitationem meam ferendum est: ita certè. Nam similia pati debetis, si regnare mecū desideratis. Cum verò tertium quoddam addat: Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt: æquo animo esse monet, quando sermo docentis contēnitur. Putaret enim quispiam amissum esse prædicationis laborē, si auditoribus non persuasit, quod ita non est. Nā qui probè consuluit, & cōsulere non desinit, fecit quod potuit, & præmio non carebit. Credere autem aut non credere, non in ipso, sed in audientiū voluntate positū est. Non ergo in seminando verbo Dei desperare debemus, sed quæ nobis possibiliana sunt, diuinæ maiestati relinquenda sunt. Quod probè figura talentorū didicimus. Alius enim quinq; alius duo acceperunt, alius vnum: qui mercaturæ, commutationiq; dare operam renuens, in terram domini sui pecuniam obruit, & idcirco audiuit: Nequā serue accipiger, oportuit te nummularijs talentū meum commendare, & ego veniens cum vsura exegissem. Et certè, quemadmodum qui agrum colunt, terram aratro scindunt, semina deponunt, nihil quod suum est, non faciunt, Dei autem gratiæ relinquunt, ut inde fructus veniat: sic prædicantibus verbum Dei diligenter seminandū est: vtrum aut fructus sequatur nec ne, quamuis optandum sit, diuinæ tamen gratiæ relinquendum, præsertim quum agri sterilitas detrimentum agricolis adferat: prædicantes autem, laboris & propositi mercedem amissuri non sint. Quare quamuis etiam, inquit, sermo vester contemnatur, memores tamen quia meus etiā contemnitur, nolite maiorem vos gloriam quærere. Talibus apostolos muniuit saluator, quos doctores orbis cōstituit. Quæ omnia beatus quoq; Paulus ad apostolatū à Christo missus, apprime seruauit: Vos, inquit, prudētes estis in Christo, nos autem fatui propter Christum: nos infirmi, vos autē fortes: nos ignobiles, vos nobiles: vsq; in hanc horam esurimus & sitimus & nudi sumus. Vides quō gloriā mūdi calcauerat propter Christū. Robur etiā animi ostēdēs dicit: Quis nos separabit à charitate Christi: tribulatio: an angustia: an fames: an nuditas: an periculū: an gladius: et alibi: Eadē, inquit, dicere, nec mihi molestum

Galat. 1
1. Corin. 2

Ioannis 7

Matth. 5

Eccli 17

Galat. 1

Hiere. 20
1. Corin. 4

Matth. 25

1. Corin. 4

Roman. 8
Philip. 3

& vo-

Galat. 4 & vobis tutum. Et ad Galatas: Filioli quos iterū parturio, quousq; Christus in vobis formetur. Vides quum non admissus primū penitus sermo fuerat, quomodo eadem reuolueret nequaquam eum pigebat, sed omnem laborem & dolorem ferebat, quousq; Christus in eis formaretur.

Caput XXIX.



Ed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me. Non aliam ad persequendos apostolos, quam nomen Christi, futuram impijs causam adferit. Hoc enim crimē & hæc culpa credentibus ab incredulis datur: sed retributionis spe non incerta, magno cuncta toleranda sunt animo, quæ propter Christi nomen nobis inferuntur: hoc enim solum, vel auditu terribilia, iucunda credentibus reddit. Vnde cum à ludæis apostoli cæli fuissent, exhibant (vt scribitur) gaudentes, quia pro nomine Iesu Christi digni habiti sunt contumeliam pati. Idcirco nobis quoq; similiter consulebāt: Nullus vestrū, dicentes, quasi homicida, quasi fur, quasi malignus vexetur: si verò vt Christianus, non confundatur, sed Deū hoc in nomine glorificet. Suave igitur nimium est periculum, quod pro Christo suscipitur, quādo ex dilectione Dei procedit. Considerandum autē diligenter est, quomodo etiam hic in vnam se naturam cum patre constringens, ignorari patrem à persecutoribus ait: Qui enim filium vituperat, filium ignorat: & qui filium ignorat, is profectò patrē quoq; ignorat, propter identitatem substantiæ. Et contrā, qui nō ignorat quid pater re ipsa sit, is filium ignorare non potest. Ignorari ergo à persecutoribus patrem, argumento est, quia in filium delinquunt. Verū quoniam non dicit, patrem meum, sed eum qui misit me, duplicem persecutorum iniquitatem esse subostendit. Non enim solummodo eum ignorant, ex quo est, nec huius tantum impietatis damnabuntur: sed ipsam quoq; sapientiam & bonam Dei voluntatē incusant. Nam quum Deus proprium filium ad suscitandos lapsos, ad restituendos corruptos, ad vitam mundo dandam miserit, omnibus illi viribus, huius dispensationis ministris opponere se non dubitarunt. Ita mittendi verbo, totum incarnationis mysterium significauit. Qui autem eum qui misit, ignorauit, simul & Deum ignorauit: & mittendi, id est, incarnationis contemnit mysterium.

Caput XXX.



I non venissem & locutus fuissim eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Dupliciter intelligendum hoc est: nam si ad gentes & Iudæos pertinere arbitrāmur, nisi omnibus, dicemus, Evangelica esset audita prædicatio, viam iustitiæ atq; salutis vnicuiq; ostendens, satis firma ratio forsā ad deprecandum impijs hominibus ignorantia esset. Verū quoniam ad vniuersos doctrinæ huius fama peruenit, quæ ratio satisfactionis relinquitur, aut quibus rebus à p̄scato iudice veniam petemus, turpiter post veritatis cognitionem viuentes: Sin verò Iudæos solummodo respicere sermo videbitur, qui quamuis sapius Christum audissent, nihilo tamen meliores effecti sunt, hoc modo intelligemus. Sp̄nent, ait, vestram doctrinam, & omni modo vos cruciabunt, iniquo in vos odio inflammati. Quippe qui nihil aliud crimini vobis dabunt, nisi quod me nimium diligatis. In defensionem verò suæ crudelitatis Mosen & Mosi legem vlcisci clamabunt. Quod si ego non venissem, & meliora perfectioraq; quam Mosaica sint, docuissem: si multas tā signis quam verbis non ostendissem, tempus iam esse vt figuræ transeant & veritas rutilet: si hoc auctoritate Mosi non firmassem, cui si credidissent, mihi quoq; credidissent, de quo ille scripsit: si prophetarum testimonijs doctrinam & aduentum meū non approbassem, haberent sanè causam tā in me, quam contra vos insurgere.

Sin

A Sin verò nihil relictū est, sed omnia dicta factaq; sunt, quibus moneri debeant, nulla sibi tam manifesti peccati relinquatur excusatio. Hunc loco huic accommodari oportere sensum contenderim. Cum verò absq; venia suos persequi & vexari ab illis dicat, mœrorē audientiū minuit: qui facilius iniurias nonnunq̄ perferunt, quando certiores sunt non impunē iniuriātes euasuros. Ideo dicitur: Mihi vindicta, ego retribuam, dicit dominus. Beatus quoq; Paulus à pontifice quodam cæsus, hanc habuit consolationē. Quid enim dixit: Cædet te Deus mure dealbate. Humanæ igitur imbecillitatis hæc etiā cura est, vt credas nō vitaturos supplicia iniuriantes. Sed humana pusillanimitate præstantior dominus: qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non cōminabatur, & cæsus non minatus quidē fuit cædenti, sed clementer admodū atq; mansuetē: Si malē, inquit, locutus sum, testimonium perhibe de malo: sin autem benē, cur me cædis? Vera igitur prophetæ oratio est: Quis in nubibus æquabitur domino, aut quis domino similis erit in filijs Dei? Deute. 32 Actor. 23 1. Petri 2 Ioannis 18 Psalm. 88

Caput XXXI.



Vi me oderit, & patrem meum odit. Impietatis crimen odio habetibus eum inurit. Non enim possunt in patrem non delinquere, qui filiū odisse comperiuntur. Et quæadmodum qui solis radios flocci pendunt, solem ipsum omnino vituperant, & qui odorem floris aspernantur, florem ipsum contemnunt, eodē modo qui vnigenitum despiciunt, genitorem eius non suscipiunt: non enim possibile est, non est inquam possibile, si germen vituperas, illud abs te laudari ex quo germen est. Idcirco Christus Iudæis dicebat, non posse arborem bonam prauos fructus facere, nec contrā. Aut igitur arborem & fructum eius malum putate, aut contrā. Quod enim de altero dicitur, de vtroq; dicendum est. Nam quæ identitate naturæ vniuntur, eadē laude aut vituperatione afficiuntur. Propterea inquit, qui me oderit, odit & patrem meum. Ita certiores nos facit, idē se natura esse cum patre. Vehementerq; terret attentē audiētes, cum ostendat delinquentes in eū, nec eum adorantes, in ipsam patris personam delinquere, qui nullo modo patitur filiū suum secum non adorari. Hac etiam re confirmatiores fieri discipulos quis non viderit? Sed ad hæc illud quoq; etiam sublime subapparet, quod modò dicam. Tanta mentis insania nonnulli tenebantur, vt putarent, si saluatori resisterent, legis conditorē Deum non paruo afficere gaudio. Nam Mosaicam literam defendentes, diligētiā patre opinabantur. Hunc igitur illorum tumorē deprimit, orbē terrarum per apostolos docens, contemptum filij in ipsam deitatis naturā ascendere. Non autem qui Christum tantummodo contemnit, Deum contemnit, verū etiam qui prædicantes Euangeliū negligit. Impius ergo ille quoq; inuenitur, & delictum suum in ipsum Deum ascendit, qui discipulis Christi veritatem prædicantibus aduersatur. Non enim se ipsos, sed Deum verum & dominum nostrum Iesum Christum magna cura & studio prædicant.

Caput XXXII.



I opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me & patrem meum. Nullam satisfactionis rationem, nullam veniam relinqui Iudæis, per hæc etiam demonstrat. Nihil enim prætermisum fuit, quo possent ad fidem adduci. Nā & verbis monuit, & miraculis (quæ nullus vnquam sanctorum tanta fecit) cum potestate ad fidem trahebat: illi autem tantum à diligendo eum aberant, vt etiam odio persequerentur. Quomodo igitur acerba supplicia eis non imminēt? Melius sanè illis esset, si neque doctrinam eius audissent, nec tam miranda signa vidissent: fortassis enim hac de causa verisimilem quandam excusationem inuenissent. Nunc autem quid dicent: qui nec prophetarū prædicatione, nec Christi

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND.

Christi doctrina vel miraculis persuasi sunt: quodque peius est, tam filium, quam patrem odisse inveniuntur. Nam quum doctrinam patris per filium eis propositam non receperint, & miraculis quae non ab alio, quam à Deo fieri poterant, aperte detraxerint: nonne aduersus naturam Dei fecisse cõperiuntur: Ingratitudinis ergo magno crimine puniuntur, saluatoris prædicationem spernentes, & præclara facinora, quae à patre per filium gerebantur, non admirantes. Adimpletus igitur sermo legis eorum est. Scribitur enim, quia oderunt me gratis. Et in Psalmis: Iniusto me, inquit, odio oderunt. Quam enim causam odij habuerunt, nunquam dicere quispam poterit. Quid enim odio dignum fecit: ab interitu eripuit, à diaboli tyrannide liberauit, peccati vires extinxit, à seruitute humani genus ad adoptionem filiorum Dei adduxit, spiritus sancti participes homines effecit, caelum nobis in domiciliu largitus est. Quomodo ergo non dico odio non habendus, sed iugi ab hominibus oratione laudandus non est: Sed nihil horum mouere Iudaeos potest: gratis enim oderunt, quae admirari & amare summoperè debent. Quam ingratitude eorum, quamuis dominus præuiderit, ac per prophetas futuram prædixerit, clementia tamen sua vsus, omni pacto illis consuluit. Discunt igitur etiã hinc discipuli clementer tractare iniuriantes exemplo Christi, in quo primo omne bonum est, deinde ad nos ex eo deriuatur.

Caput

XXXIII.

Quam autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis a patre spiritum veritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibete, quia mecum ab initio estis. Quum odio tam se quam patrem ab impietate Iudaeorum gratis haberi dixerit, spiritus modò sancti mentionem facit, vt & personarum Trinitatem sermo adimpleat, & spiritus vnã cum patre ac filio negligi doceatur. Ita Iudaeorum delictum in naturam deitatis simpliciter ascendit. Quid enim tibi voluisti o Iudae, quispiam dicet: opera vidisti à Christo geri quae nullus alius fecit, vt & ipse dicit, & res docuit: deinde tu Moysen (qui minister, non autor miraculorum fuit) laudibus in caelum effers, & tantorum autorem miraculorum parui pèdere non erubescis, praesertim scriptis Moysi praenunciatum. Spiritus igitur mentionem fecit, in dignitate patris & sua eum collocans, & verum esse ostendens, diligi patrem non posse ab eo qui filium oderit. Quomodo autem, attende quae so diligenter. Nam quum spiritum veritatis, id est, suum (ipse enim veritas est) paracletum appellauerit, ex patre ipsum procedere ait. Nam sicut filij spiritus est naturaliter in ipso manens, & per ipsum procedens: sic certè patris quoque spiritus est. Quibus autem spiritus communis est, ij profectò substantialiter disseparari non possunt. Nemo enim impiorum nos ad ea, quae intelligere nefas est, verbis suis impellere conetur. Nemo inquam spiritum patris per filium vt per ministrum mitti ad creaturas credat. Nam etiã id nonnulli dicere ausi sunt. Credere namque debemus, quoniam spiritus sic proprius filij est, sicut sanè ipsius quoque Dei patris, idcirco ad sanctificationem suorum discipulorum ab eo mitti. Si verò non erubescunt ministrum mittendi spiritus à patre filium dicere, non erit incongruum ad eos dicere: fatui ac caeci, non sentitis ad quana praecipitia ruitis, vnigeniti gloriam minuentes, & friuolas rationes per imperitiam excogitantes: Si enim vt minister, spiritum à patre filius largitur, quomodo non erit necesse alienum à substantia filij spiritum confiteri: Nam si ex patre, id est, ex substantia patris, spūs secundum vos procedit, & filius ab eo alienus est, quia minister superior natura filio spiritus videbitur. Quid igitur respondebimus, quum filius clarè dicat: ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis: Praeterea si ministerio filij, patris & non filij spiritus mittitur, quum spiritus natura sanctus sit, non secundum naturam, sed participatione vt nos, filius sanctus erit. Dicunt enim

ex im-

IN EVANG. B. IOAN. LIBER X. 292.

A ex imperitia impij, alienum esse à patris substantia filium, ex qua spiritus procedit, qui per eum praebetur. Possibile igitur erit, si proprius filius spiritus non est, sed forinsecus etiam ipse sicut creatura sanctificatur, hanc eum sanctificationem amittere. Quod enim exterius acquiritur, quomodo abesse non poterit: Sed quis hanc per ueritatem dogmatum non effugiet: Nos ergo, quibus veritas & Ecclesiae dogmata sequenda sunt, omnibus his contemptis, sanctorum patrum sequamur fidem, et spiritum sanctum proprium filij non extrinsecus aduenientem, neque aduentitium in ipso, sicut in ijs, qui sanctitatis susceptibiles sunt, & ex nihilo producti, sed substantialem ei (sicut certè ipsi etiam patri) confiteamur: Hoc enim modo non in multorum fabulas deorum veritas Ecclesiastici dogmatis excidet, sed in vnã rationem deitatis Trinitas constringetur. Identitatem ergo substantiae filij ac patris ostendens, quum veritatis spiritum dixerit, à patre illum procedere adseruit: ita Christi hostem, Dei esse hostem comprobauit. Qui enim in filium insultat, illum non veneratur unde filius est. Quando igitur venerit paracletus, ait, spiritus veritatis, id est, meus, qui ex patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Quomodo autem perhibebit: magna in vobis & per vos miracula faciens, diuinæ meae potestatis atque virtutis testis erit grauissimus. Spiritus enim meus est, qui operabitur in vobis: sed sicut meus est, sic & Dei patris. Necesse autem est intelligere, omnes etiam qui in persona Christi (in quo habitauit corporaliter plenitudo deitatis, secundum Paulum) miracula per spiritum ad probationem fidei fecerunt, non minus in futuris contemptu praedicationis affici. Sed ad testificationem spiritus, ait: Vos quoque qui mecum semper fuistis, & signa oculis vestris vidistis, testimonium perhibete.

Caput

XXXIII.

Haec locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Iudaeorum superbiam discipulis saluator exponens, plerumque siluit. Poterat enim aperte ad tantam illos impietatem venturos dicere, vt auribus penitus obstructis nec quamuis duplici testimonio, diuino scilicet atque humano veritas comprobet, velint attendere. Sed etsi lex clamet, in ore duorum aut trium testium stare oëverbum oportere, resiliunt tamen atque deridebunt. Sed haec particularius dicere omisit, ne in desperationem discipuli caderent, & tam se, quam paracletum contemptum iri audientes, nec minus patrem simul ac filium, quamuis multa mirabiliter per spiritum agant, frustra se laboraturos putarent, & silentium praedicationi praepoherent. Particularioribus igitur silentio traditis, ad ea orationem conuertit, quae animose eorum poterant roborare. Nam quod non expectatum, praeter opinionem subito irruit, magnos etiam plerumque animos turbat: quod autem prauidimus, quamuis grauius inferatur, leuius tamen propter praemeditationem videtur. Sed illud puto etiam significari occultius. Si enim, inquit, vobis testibus tot tantaque mirabilia feci, si paracletus quoque in vobis similia faciet, nec tamen Iudaei ad meliora reducuntur: nolite conturbari, si oratione vestra conuertere illos non poteritis, sed mementote ubique sermonis mei, non esse discipulum super magistrum, sed nec seruum domino suo maiorem.

Caput

XXXV.



Aisque synagogis facient vos. Sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo. Summum periculorum omnium praedixit: non vt formidine ad ignauiam discipulorum reduceret animos (alienum enim hoc est ab eo, qui ad liberam praedicationem audientes hortabatur) sed vt maximus mortis pavor (quoniam praesciretur) contemptus, fortiores ad subeunda pericula redderet. Nam qui manus contemnunt, ij quomodo minora timebunt: Vt ergo ad ferenda omnia paratiores sint, nec praesentem corporis interitum timeant, minoribus praetermissis, ad tantam

DDD

crudeli-

Psal. 34
Psal. 24

Nota.

Ioannis 16

Coloss. 2

Caput Io
an. XVI.

Deuter. 19

Duritia
Iudaeorum.

Ioannis 12 crudelitatem Iudæos deventuros prænunciat, vt gratos se Deo cæde illorum fieri arbitrentur. Quod autem etiam à synagoga diligentes Christum eiciebantur, Euangelista docuit, dicens multos ex principibus credidisse in Christum; sed Phariseorum metu confessos non fuisse, ne à synagoga pellerentur. Et rursus: iam enim sanxerant Scribæ ac Pharisei, ait, vt si quis ipsum Christum esse confiteretur, à synagoga detruderetur. Sed non hæc, inquit, aduersus vos solummodo facient, verum etiam ad tantum atrocitatis prorumpent, vt sacrificij vim in cæde vestra politam putent; quod duobus, Stephano dico atque Paulo, verum fuisse, satis erit ostendere. Stephanum enim lapidibus, quasi quippiam Deo gratum peragerent, temerario feruore interfecerunt. Paulum autem trementes dentibus persequerentur, ad eum vt nonnulli iurauerint, non prius comedere atq; bibere, quam eum interimerent: sic enim in Actis legimus. Vtilis ergo hæc prædictio fuit, formidinem malorum extenuans, & ad fortitudinem discipulos roborans. Magnitudo enim timoris periculis, quum præsciamus, mirum quendam in modum imminuitur.

Caput XXXVI.

Roma. 10 **Ioannis 12** **Matth. 3** **1. Regū 8**
Hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem neque me. Iudæorum zelum non fuisse per cognitionem (vt etiam Paulus dicebat) ostendit: nimium enim à recta via errarunt, licet putarent Mosaicæ legis defensione legis largitorē Deum lætari: idcirco em̄ in prædicatores Euangelij acerbè insurgent. Sed nesciebant patrem nimium offendi, quando negligitur filius. Imò verò quid pater sit, & quid filius, qui ab eo natus est, penitus ignorabant. Vnde Moysen quidem, qui legis minister fuit, ad astra laudibus extollebant: dominum verò nostrum Iesum Christum (qui patris ineffabile consilium interpretabatur, qui nihil à se facere, sed à patre mandatum accepisse, quid dicat & quid loquatur, affirmabat) turpissima morte occidere non dubitarunt: nec miracula patris, aut sensibilem vocem, qua desuper testificabatur dilectum sibi filium illum esse, veriti illo modo fuerunt. Quare non est ambiguum, si quis Deum verbum prædicantes inuadit, eum in magna ignorantia sanctæ ac consubstantialis Trinitatis conuersari. Nullus enim naturam rerum attentius examinans, vnquam negabit cuncta per filium, qui consubstantialis patri est, ex voluntate patris & dici & geri: & vt cōglorificatio vna est vtriusq; ita negligi alter non potest, altero non contempto. Sed apostolorum quoque vexatio in eum ascendit, qui illos in apostolatibus apicem euexit. Sic enim etiam ad Samuelem de filiis Israel dictum esse didicimus: Non te, inquit, sed me contempserunt. Periculosum igitur nimium est, conuenientem honorem sanctis non attribuere, quum eorum contemptus in illum transeat, à quo missi sunt.

Caput XXXVII.

Psal. 118
Hæc locutus sum vobis, vt quum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Non illa hæc, ait, causa dixi, vt vigor vestræ mentis enervaretur, & antequam pericula veniant, formideteris: sed primū vt recordati hæc à me vobis prædicta fuisse, magis admiremini, & in ipso tempore periculis certior ab euentu rerum, stabiliorque in me fides efficiatur. Quomodo enim Deus natura non est, qui futura vt præsentia nouit: Deinde, vt futura pericula præmeditatione molliantur, & mens diutina magis cogitatione formetur (acerba enim valde repentina videri solent. Vnde Psalmista quoque dicebat: Paratus sum, & non sum turbatus) reminisci ergo iubet prædicta sibi omnia fuisse: vt etiam hinc verum esse Deum firmiter credant, ac facile posse à periculis per eum liberari non dubitent.

Caput XXXVIII.

Hæc

A



Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Alia quadam ratione perutili animos nunc discipulorum confirmat. Nam quum longo tempore cum illo vixissent, & omnipotentiam eius in multis perspexissent, dubitare non poterant omnia se pericula virtute illius superaturos. Verum quoniam præter spem modò magnos sibi futuros audierunt dolores, ne turbati cogitent secum, & dicant: Fefellit ergo nos spes nostra, qui ad bona fuisse vocatos credidimus, & nunc calamitates ac erumæ imminere prædicantur: necessariò causam adfert, quare ista sibi ab initio non exposuerit. Hæc non dixi, ait, quia vobiscum eram: sufficiebat quippe præsentia eius ab omni tentatione ipsos eripere. Verum quoniam nunc ad patrem vadit, opportunè omnia illis explicauit. Antea verò silentij tempus erat, quum nihil opus esset, vt hæc cognoscerent. Quomodo igitur, diceret quispiam, pollicitus est, cum eis se futurum vsq; ad consummationem seculi: nunc autem prædicatione futurorum ideo illos munire ait, quia secum futurus non est: Nullus ambigit, quum ad cælos ascenderit, quamuis virtute spiritus semper adfuerit, præsentia tamen carnis ipsum adfuisse. Quæ res magno mœrore corda discipulorum afficiebat, nec eum interrogant, qua de causa ita faciet, intelligentes sic illum iam determinasse. Veniam igitur illis, quibus non opportunè tacerent, vltro concedit: interrogantes enim potuissent causam latius discere, qua ex re plurimum utilitatis consequerentur.

Caput XXXIX.

B



Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Magno vos dolore, inquit, moueri sentio: quia ego adire omnino cōstitui. Nec id iniuria, præsertim cum magnas vobis futuras rationes audieritis. Verum quoniam iucundis vtilitas præponenda est, veritatem vobis aperiam: expedit vobis, vt ego vadam. Sed turbati simpliciorum quispiam poterit. Nam si melius erat Christum abire, præsentia sua non nihil obfuisse videretur: cur ergo tanto, inquit, tempore præsens fuit? Nos autem etsi omnia huiusmodi cognitioni saluatoris meritò relinquimus, videri tamen aliquid dici concedimus. Si quis tamen diligentius considerat, nullo modo turbabitur, recordatus tempus cuique rei commodum esse, & omnia esse bona in tempore suo. Aderat igitur dominus in hoc mundo corporaliter tempore opportuno. Et rursus, quando vt ille nouit, oportebat, ad patrem corpore redijt. Nec omnino negamus non expedisse semper discipulis præsentiam Christi, nec quia præsentia sua utilis fuerat, recessus maximum commodum erat contemnendum: vtrunque enim in tempore suo vtilissimè adhibebatur. Sed age ad vtilitatem legentium, breuiter incarnationis vnigeniti causam, & recessus sui ad patrem grandem vtilitatem perstringamus. Homo igitur factus est, vt ab interitu, quem prisca maledictio intulerat, nos liberaret: & quoniam nulla diuinæ naturæ ad peccandum inclinatio est, omnes nos per ipsam carnem assumpsit: in ipso enim omnes sumus ea ratione, qua homo est. Assumpsit igitur nos, vt terrena hæc vmbra, id est, carnis passiones & peccati legem, quæ in membra hominum irruerat, extingueret: & ad hæc, vt naturam nostram sanctificaret, & dux ad pietatem, & optimæ disciplinæ viuendi humano generi fieret: & hæc quidem homo factus effecit. Sed non solum voluit ab interitu & peccato nos liberare, verum etiam ad ipsos cælos reducere, ac summi boni participes facere, in angelorum consortio numeratos. Et quemadmodum per resurrectionem suam mortem destruxit, sic coram ipso patre collocaret. Quæ rectè intelligēs Paulus di-

Matth. 28

Terrena hæc vmbra carnis assumpta a Christo.

DDD ij lus di-

Hebrgo. 9 Ius dicit: Non enim in sancta manu facta Christus introiuit, nec in exemplaria veterum: sed in ipsum cœlum, ut appareat vultui Dei pro nobis. Audis quia quum sit semper cum patre propter identitatem substantiæ; non pro seipso, sed pro nobis patri apparet. Ita quum ipse sit primitiæ generis nostri, quando in cœlum cum carne ascendit, coram patre (ut modò dixi) nos constituit. Et sicut, quamuis secundum naturam vita sit, mortuus tamen propter nos fuit. Ita et si patrem semper ipse videat, ab eoq; videatur: nunc tamen, id est, posteaq; homo factus est, apparuisse illi, non propter se, sed propter nos ut homo dicitur. Quasi ergo deficere hoc dispensationi videbatur, ut in ipsos etiam cœlos ascenderemus, in Christo primo ut in primitiis. **Hebrgo. 6** Præcursor enim ille ascendit, ut Paulus dicit. Et sic, in quantum homo, pontifex & intercedens pro nobis, & paracletus, & propiciatio pro peccatis nostris; in quantum verò Deus ac dominus natura, cum patre simul sedet. Quæ tamen gloria etiam ad nos transit secundum Paulum, qui de patre scribit; quia & conresuscitauit, & confedere fecit nos in cœlestibus in Christo. Quum omnia ergo, quæ in terris, ut ab homine faciunda fuerunt, perfecit, restabat iam ut ad patrem ascenderet. idcirco ait: Expedi vobis ut ego vadam; nam nisi abiero, paracletus non veniet ad vos. Opus enim erat participes nos naturæ suæ fieri, & in nouam inauditamque vitam transtornari, quod aliter quam participatione spiritus sancti fieri non poterat. Cōmodissima verò aduentus spiritus opportunitas post Christi ad cœlos reditum fuit. Oportebat autem spiritum venire, ut illum habentes, liberè clamemus: Abba pater, & ad virtutem redacti, tam aduersus diabolum, quam aduersus persecutiones hominum fortes efficeremur. Quod autem præsentia spiritus ad nouam vitam omnes, in quibus habitat, transformantur, non est difficile à scripturis ostendere. Dicit enim Samuel ad Saulem: Et insiliet in te spiritus domini, & conuerteris in alium virum. Et Paulus: Nos verò, inquit, omnes reuelata facie gloriæ domini specularantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam domini à spiritu. Vides quia ad aliam, sicuti vult, spiritus imaginē nos, ut domini, reformant: nempe qui facile à terrenis ad cœlestia nostros transternit animos; quod in discipulis factum fuisse inuenimus. Per spiritum sanè ad eam fortitudinem ab humana ignauia reducti sunt, ut nec vlla pericula timerent, & Christo inseparabiliter inhærent. Expediebat igitur verè discipulis, ut saluator dicit, in cœlos ipsum abire. Tempus enim iam aduentus spiritus erat.

Caput XL.

T quum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me: de iustitia vero, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me: de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Cùm tempus esse ostenderit reditus sui ad patrem, & aduentus sancti spiritus, atque hoc pacto ingentem discipulorum mœstitiā mitigasset: ea modò breuiter enumerat, quæ per aduentum paracleti efficientur. Nam quum ille venerit, arguet mundum, inquit, de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Quæ singula, quanquam ab ipso absolutissimè explicentur, tamen quia non omnes assequi facile possent, quæ breuiter dicuntur, latius exponamus. Primum igitur de peccato, inquit, mundus à spiritu arguetur. Nam quum in diligentibus Christum, ut in hominibus dignis atque fidelibus habitauerit, tunc, tūc inquam, infideles & voluptatibus inuolutos homines ipsa re arguet, condemnabitq; ut peccati reos, & in turpitudine sua morituros. Nam ut Deus nullo pacto personas accipiet, sed in hominibus dignis tantummodo habitabit, qui sincera fide filium Dei accipientes, creatorem omnium confessi sunt. Quod igitur iudæis saluator dicebat: Nisi credatis, in peccato vestro moriemini, hoc verum esse, re ipsa paracletus ostendet. Secundo, inquit, mundus de iustitia

1. Reg. 10
2. Corin. 3

Galat. 4

Ephesio. 2

Hebrgo. 6

Hebrgo. 9

C

D

Ioannis 8

A stitia arguetur: Quia vado ad patrem, & iam non videbitis me. Credentes enim in Christum, ut iure iustificatos defendet; quia ut Deum verum susceperunt, quem non viderunt, credideruntq; ipsum cum patre in cœlis confessum habere. Quod autem, qui sic in Christum credunt, beati sint, ipse saluator his verbis ad Thomam discipulum ostendit: Quia vidisti me, credidisti, ait: beati, qui non viderunt, & crediderunt, iure igitur iustificantur, qui ita credunt: à qua iustificatione mundus excidit, in turpitudine sua perfixus. Hæc non ad iudæos tantum, sed generaliter ad omnes incredulos & peccatores dicuntur. Mundi enim vocabulum tum omnes homines significat, tum voluptati ac turpitudini deditos denotare solet. Generaliter igitur ad omnes hæc duplex de peccato ac de iustitia redargutio pertinet. Non enim iudæos solum ad salutem (et si primum) sed totum humanum genus postea vocauit. Ita nō in partem orbis, sed in vniuersam terram fidei bonum effusum est. Tertia redargutio, iusta condemnatio huius mundi principis est. Quomodo autem, modò narrabo. Testimonium em̄ perhibebit spiritus gloriæ Christi, quumq; demonstrauerit ipsum rerum omnium dominum esse, magni erroris crimine mundum arguet, qui verum & natura Deum omisit, et diabolum in creaturis adorauit, qui iam condemnatus cecidit, quod passus non esset, si verè Deus fuisset; nunc autem in tantum abest, ne cultum suum possit defendere, ut sub pedibus etiam fidelium iaceat, qui eum tentantem & repugnantem calcant. Quando igitur impuri dæmones virtute spiritus sancti per orationem credentium fugantur: quomodo non dicemus Satanam iam condemnatum esse? Condemnatus enim est, quia non potest iam sancto spiritu ad iustitiam & sanctificationem per fidem Christi signatos superare: ita omnes vires eius fidelium pedibus premuntur. Leonem, inquit, atque draconem calcabitis. Quum igitur in animis sanctorum per fidem spiritus habitauerit, tunc mundus peccati ab eo reus ostenditur. Expers ideo gratiæ suæ, quia saluatorem non recepit. Sed arguetur à spiritu mundus iterum, quia non iure, peccati crimine credentes accusat: qui quamuis Christum non viderint, iustificantur tamen filium honorantes. Tale quid arbitror illis Paulum verbis intellexisse: Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est, qui condemnet? obstruxit enim iniquitas os suum, ut Psalmista canit. Nec accusare potest eos, qui fidei iustitia gloriantur. Redarguet autem mundum etiam ut seductum, & in condemnato, ac omni gloria priuato spem habentem. Vilipendi enim certè debent à credentibus in Deum verum, qui creaturis inhærent. Principem autem huius seculi, non quia ita verè sit, aut quia natura dominandi dignitatem habeat, appellauit: sed quia per deceptionem atq; rapinam hanc gloriam habuit. Et nunc in errantibus propter turpem eorum vitam dominatur. Nam errore vinciti effugere à captiuitate nequeunt: licet in potestate sua situm sit, per fidem Christi ad verum Deum venire, ac diaboli vincula rumpere. Adulterinum igitur principatus nomen diabolo est, non natura, sed errantium prauitate perdurans.

Caput XLI.



Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nō potestis portare modo: quum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso: sed quæcunque audierit, loquetur: & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Cupientes futurorum habere cognitionem iam videns, non reprehendit, sed congruo tempore à paracletō id eos habituros pollicetur. Fortassis autem, quia imbecilles ad suscipienda maiora sine spiritu cognoscebat: nondum enim (inquit Euangelista) spiritus sanctus venerat, quia Christus nondum fuit clarificatus: quia inquam imbecilles ad altiora videbat, hæc dicit. Multa verò dicenda sibi restare profunda, & vltra quàm humanus animus ferre posset, affirmat. Quæ silentio, inquit, tra do, quia nondum à spiritu

Ioannis 10

Psalm. 90

Roman. 8
Psalm. 106

Ioannis 7

tu meo reformati estis. Nam quādo ab illo in alios viros euadetis, quando legales si-
 guras illius patrociniō aspernabimini, quando spiritalis cultus pulchritudinem il-
 lius ope vmbri anteponetis: tunc, tunc inquam mysterij de me vim omnem cog-
 noscetis. Hæc arbitror per hūc locum intelligi oportere, quæ similitudine quadam
 alibi etiam saluator significauit, dicens: Nemo committit commissuram panni ru-
 dis in vestimentum vetus: neq; mittunt vinum nouum in veteres vtres, alioqui rū-
 puntur vtres, & vinum effunditur: sed vinum nouum in vtres novos mittendum.
 Qui enim nondum noua viuendi norma, nouaq; doctrina per spiritum. reformati
 sunt, ijs prædicatio Euangelij recens, & mysterium Trinitatis sublime tradendum
 non est. Iure igitur renouationi per spiritum futuræ, altiorum rerum interpretatio
 referuatur. Quod autem ante resurrectionem saluatoris, & ante spiritus aduētum,
 Iudaicè discipuli vivebant, facillimum est probare. Beatus enim Petrus discipulo-
 rum omnium princeps narranti, quæ passurus erat, saluatori resistebat clamans:
 Propicius tibi esto domine, ne fiat tibi hoc. Nec quamuis prophetæ apertè omnia
 prædixerint, intelligere illa potuit. In Actis etiam scribitur, quia quum famescens
 gustare aliquid vellet, vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor in itijs sub-
 mitti de cælo vidit, in quo vniuersa terrestria, aëria & aquatica videbantur anima-
 to, non dubitauit respondere: Nequaquam domine: nunquam enim comedi omne
 commune aut impurum. Iure igitur illi fuerat increpatum his verbis: Quod Deus
 purificauit, tu commune ne dixeris. Et certè oportebat eum recordari verborum
 domini dicētis, non inquinari hominem ab eo, quod in os ingreditur. Vides quia
 reformari lumine spiritus ad meliorem eos habitum oportebat. Idcirco quādo per
 gratiam meliores facti fuerant, liberè dicentes audimus. Nos verò Christi mētem
 habemus, saluatoris mentem nullam rem aliam, quàm spiritum sanctum appellan-
 tes, qui quæ scire opus erat, apertè reuelabat. Quando veniet, inquit, ille spiritus ver-
 ritatis. Vide quā exquiritè singula conscribuntur. Quum enim prædixerit para-
 cletum ad eos vēturum, spiritum veritatis eum nominauit (ipse autem est veritas)
 vt discipuli scirent non alienam se virtutem missurum: idcirco alio quodam modo
 se ipsum eis pollicetur, veritatis spiritum, id est, suum missurus. Non enim est alie-
 nus à substantiā filij spiritus, sed ex ea naturaliter procedit, natura omnino idem, in
 persona verò propria subsistens. Hic ergo veritatis spiritus ad omnem vos verita-
 tem deducet. Nouit enim exactè veritatem, cuius spiritus est, & eam non ex parte,
 sed integrè reuelabit. Nam etsi ex parte in hac vita cognoscimus, vt ait Paulus, non
 manca tamen, sed integra veritas in hac parua cognitione nobis refulsit. Vt igitur
 nullus scit, quæ hominis sunt, nisi hominis spiritus, qui est in eo: sic neque quæ Dei
 sunt, nisi spiritus, qui est in eo. Quum autem venerit, ait, nō loquetur à seipso quic-
 quam: id est, non aliam, quàm ego docui, disciplinam sequetur, nec alias leges feret
 sed quum quasi mens mea sit, ea quæ mea sunt, reuelabit. Hæc à saluatore dicun-
 tur, non vt ministri locum habere spiritus videatur, vt imperitè à nonnullis prædi-
 catur: sed vt eiusdem esse cum filio substantiæ confirmetur. Propterea præmisi
 quia etiam ventura annunciabit vobis, ac si diceret: Id signum vobis sit, ex
 mea illum substantia esse, & mentem esse quasi meam, quia futura
 vt ego vobis prædicet. Quod facere minimè posset, nisi in
 me esset: & quum per me procedat, eiusdem
 mecum substantiæ sit.

Decimi Libri FINIS.

D. CYR-



ILL E me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunci-
 abit vobis. Quia mysterium Christi reuelaturus dignis spiri-
 tus erat, vt scirent quis natura Christus est, & quanta sit virtus
 eius atq; potestas, idcirco ait: quia ille me clarificabit. Ita parua
 de ipso terrestriaq; secundū Iudæos opinari nos non patitur. Il-
 li enim hominem nudum parū prophetis maiorem, aut eti-
 am minorem putabant. Varia enim, multaq; Iudæorum prin-
 cipes de ipso dicebant. Modò quidem, quis tu es? clamantes. Abraham & prophe-
 tæ mortui sunt, & tu dicere audes: Si quis sermonem meum seruabit, is mortem
 non videbit: quem te ipsum facis? Modò humilitatē generis eius exprobrantes,
 nōne hic est, dicebant, Ioseph filius, cuius nos & patrē & matrem cognouimus?
 cur ergo dicit, quia de cælo descendit? Perspicis Iudaicarum ratiocinationum mise-
 riam. Sic igitur multis propter carnem domini affectis, quanta sit gloria mea, spi-
 ritus, inquit, meus docebit. Nec rationibus solum modo veris persuadebit, sed de
 monstratione rerum animos eorum firmabit, quia Deus sim, & fructus substan-
 tiæ Dei patris. Quæ igitur demonstratio est, qua Christum clarificabit: cogni-
 tionem exquisitam totius mysterij in mente hominum faciens, clarificationem
 atq; gloriam illi acquirit. Facile namq; diuina natura, quum vniuersa in oculis eius
 nuda apertaq; sint, absq; verbis docere potest, quos vult. Clarificatur igitur à para-
 cletto, id est, à proprio spiritu filius. Clarificatur autem: qui quum spiritus eius om-
 nia scire, posseq; perspicitur, quomodo nescire ipse quicquā, aut minus posse cre-
 detur: & si de ipso accipit spiritus, qui omnia potest, quomodo ipse non erit omni-
 potens? Minimè autē alicuius rei spiritus indiget naturaliter, vt accipere illi quod
 non habeat, opus sit: hoc enim credere, impium est. Verum quoniam consubstan-
 tialis filio est, proceditq; per eum, omnem eius habens virtutem: ideo ait, quia de
 meo accipiet. Subsistere namq; per se spiritum credimus, & id esse verè quod dici-
 tur. Verum quum insit in substantiā Dei, & ex ea procedat, omnia quæ Dei sunt,
 in seipso naturaliter habet. Non enim participatione, aut habitudine, nec vt alius
 à substantiā Dei: sed quemadmodum floris odor qualitatem eius naturalem olfa-
 ctui offert, ita de Deo & de spiritu sancto intelliges, sublimius vim exempli acci-
 piens: nihil igitur detrahitur spiritui, quum accipere à filio credatur. Nam quum
 per filium naturaliter procedat, vt proprius eius, cum omnibus, quæ absolutè ha-
 bet, accipere dicit, quæ ipsius sunt. Hæc si non ita significantibus verbis dicta sunt,
 conturbari non decet, imbecillitatis humanæ memores, quæ diuina hæc dicere, vt
 oportet, non potest. Annunciabit ergo, inquit, vobis de meo accipiens, id est, non
 aliud, quàm ego velim, exponet. Quumq; spiritus meus sit, ea dicet quæ mea sunt.

Caput II.



Mnia quæcunq; habet pater, mea sunt: propterea dixi quia de
 meo accipiet, & annunciabit vobis. Charactērem rursus exactum
 atq; syncerum hypostaseos patris his se verbis filius ostēdit. Intelligere
 nanque facit, quia quum sit fructus substantiæ patris, omnia quæ eius
 sunt secundum naturam, attrahit, ita vt propria sua meritò & sint & appellentur.
 DDD iij Quum

Ioannis 3

Ioannis 6

Hebræo. 4

NOTA

Quum enim nihil à patre penitus filius differat, præterquam quod pater non est, quumq; in vtroq; eadem substantia eodẽ modo perfulgeat, quomodo non erunt cõmunia, imò verò eadem in vtriscq; vt quæcunq; in patre sunt, eadem etiam in filio sint; & quæcunq; in filio, in patre quoq; similiter. Ideo (vt ego puto) exquisitissima est vsus oratione: non enim dixit, quia quæcunq; pater habet, & ego habeo: ne imago quædam exterior ad primitiuum formata, quemadmodum homines qui ad imaginem Dei facti sumus, esse videatur; sed mea sunt, ait: identitatem substantiæ vltimam in proprietatibus incommutabilibus in vtriscq; ostendens: quod alibi etiam ad patrem apertissimè dicit. Omnia em̄ mea, tua sunt, inquit, & tua mea. In quibus enim nulla differentia est, sed substantiæ identitas maxima, quomodo illis eadem omnia natura non erunt: Habet ergo Deus pater ex sese, & in sese propriũ spiritum, quo in sanctis habitat, per quem mysteria reuelare solet, non per ministrum (nihil enim tale recordari oportet) sed vt per eum, qui in se substantialiter sit, & ex se inseparabiliter procedat. Ac ideo vt propria interpretatur ea, quæ sunt eius in quo est; non enim aliter creaturis pater inhabitat, quàm per filium in spiritu. Sed hic spiritus, vnigeniti etiam proprius est. Consubstantialis enim patri filius est. Quoniam ergo, inquit, Deus pater in spiritu proprio sanctis reuelatur, & p eum quæcunq; vult operatur, & hic ipse spiritus mihi etiam naturaliter inest, hac de causa dixi, quia de meo accipiet. Nullus verò turbetur accipiendi verbo, sed recordetur nos quidem vt homines ea de Deo loqui, quæ non vt verba sonant, sed sublimius intelliguntur. Accipere namq; dicimus spiritum ex patre & filio, quæ illorum sunt; non quia non habuerit aliquando, & tunc solum habuerit, quando accepit (semper enim sapiens & omnipotens spiritus est, imò verò re ipsa, sapietia & virtus, non participatione, sed naturaliter) sed quæadmodum aromatum odor ex ipsis in olfactum prodit, virtutem illorum naturaliter ac semper habens: tale quid, imò verò etiam super hoc de Deo & de spiritu sancto intelliges. Quasi enim odor substantiæ Dei est viuens, atq; actiuus à Deo ad creaturas quæ Dei sunt, transportans, ac participationẽ eius immittens. Nam si aromatum odor propriam virtutẽ eorum vestibus relinquit, & transmittit quodam ad seipsum modo ea, in quibus adhæsit: quomodo spiritus sanctus, qui ex Deo naturaliter est, participes diuinæ naturæ eos non efficiet, in quibus habitabit: Fructus ergo & character hypostaseos patris, filius cum sit, diuina quæ illius sunt secundũ naturam attrahit: ideo ait, quæcunq; habet pater, mea sunt. Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis, spiritus videlicet sanctus, qui per eum & in eo est, per quẽ in sanctis vt & pater habitat. Non enim aliud præter eũ spiritus eius est, licet in propria persona subsistat: spiritus enim sanctus, & non filius est.

Caput III.

Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem. Quum per spiritum suam, quæ opus erant, reuelaturum se dixerit, passionis suæ occultius mentionẽ fecit. Post em̄ illam in cœlum ascendens, spiritum immisit: non enim conuersari cõ apostolis carne poterat, quum ad patrem ascenderit. Aenigmatica verò vtitur oratione, ne discipulorum mœrorem augeat, multa propter eius absentiam & grauissima pericula timentium. Quamobrem apertissimè resurrectionis consolationẽ adiecit dicens: Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Mors enim in ianuis iam erat, propter quam discipuli videre ipsum non poterant, quousq; inferis spoliatis & vmbrae portis perfractis templum suum suscitasset: tunc enim rursus ad discipulos redijt, & esse cum eis semper pollicitus est. Nam etsi abest corpore, patri pro nobis apparens, ac à dextris eius sedens, habitat tamen in sanctis per spiritum: neque patitur (vt dixit) illos orphanos esse. Paruo igitur

A igitur admodum iam interiecto ad passionem tempore: modicum, inquit, & non videbitis me. Debat em̄ morte parũper occultari. Et rursus, modicum, & videbitis me: triduum em̄ reuixit, cum etiam spiritibus prædicasset. Sic enim plena misericordia ostenditur, si non solũ viuus, in hoc mundo, verũ etiam morte oppressis, & in tenebrosis recessibus abyssi sedẽtibus dimissionẽ prædicauerit. Anima duertendum autẽ est, quia de passione, modicum & non videbitis me, dixit: & de resurrectione rursus, & iterũ modicum, & videbitis me. Quum verò, quia vado ad patrem, subiecerit, tacuit quod sequebatur. Non enim quanto tẽpore ibi manebit, aut quando rursus descendet, significauit. Quamobrem: non est nostrum cognoscere tempora vel momenta, quæ pater (vt ipse alibi dixit) in sua posuit potestate.

Caput III.

Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem: Quid est hoc quod dicit nobis, modicum & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me? & quia vado ad patrem? quid est hoc quod dicit, modicum? nescimus quid loquitur. Non intelligentes discipuli inter se colloquuntur, quid illud modicum sit dubitantes. Preuenit tñ Christus interrogationem eorum opportunissimè, ostendens corda se hominum vt Deum cognoscere. Quid enim latere potest eum, cui omnia nuda sunt: qui ad quendam sanctorum dicit: Quis est iste qui me consilium cœlat: quumq; verba in corde continent, cœlare me arbitratur: ita vndiq; ad fidem eos corroborat.

Caput V.

Bognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc queritis inter vos, quia dixi, modicum & non videbitis me. Amen amẽ dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Curiosius querere volentibus præueniens, ex posuit verborum suorum sensum: quæq; illis imminebant, vt præ meditatione molliora fierent, apertius dixit. Quando ergo dixit, vos à Iudæis me captũ, cœsum, & crucifixũ videbitis, tunc plorabitis, flebitisq; amarem: mundus autẽ, id est, mundi voluptatibus inhiantes gaudebunt. Significat autẽ hic sordidam Iudæorum multitudinem, & Scribarũ, Phariseorumq; impias cateruas, qui aduersus caput suũ crucifixum deridentes, modò dicebant: Si filius Dei es, descende de cruce nunc, & credimus. Modò: Qui destruis tẽplum Dei, & in tribus diebus restituis, salua te ipsum. Sic ergo mundo faciẽte atq; dicente, inquit: Magna vos mœstitia exagita bimini, sed non longo hic mœror tẽpore perdurabit: ad gaudium em̄ conuertetur tristitia vestra. Nam quum triduum resurrexero, omnem vestram abstergam lachrymam, & gaudium sempiternum reducam. Viuit enim semper Christus, & mors per eũ destructa est: contraria verò mundus omnia patietur, perpetuos cruciatus subiturus. Nam sicut Christo secundum carnẽ mortuo, mœrore sancti, mundus autẽ lætitia est affectus: sic consequenter destructa morte, suscitatoq; saluatore, mœror sanctorum in gaudium, & lætitia mundi in tristitiam conuertetur.

Caput VI.

Mulier quum parit, tristitiã habet, quia venit hora eius: quum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundo. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Cõsolationis vim varia oratione

tionem ante oculos ponit, perspicuaque similitudine ad ferēdos illos hortatur dolores, quorum exitus ingēs & perpetuū erit gaudiū. Fructus igitur acerbæ, inquit, amaræque pressuræ puer est: sed si dolorē partus mulier fugeret, ac ideo nuptias recusaret, nūq̄ eo animū gaudiō adficeretur, quod procreatione oritur filiorū. Similiter, ait, vobis quoque accidet. Gaudēbitis enim, quum mirabilem mundo atque incorruptibilem natū cōspexeritis puerū, & hoc gaudiū nullus vnq̄ à vobis auferet. Semel enim mortuus (vt ait Paulus) non amplius moritur. Stabile igitur & perpetuum gaudiū est, nec id iniuria. Nam si Christi mors inuestitiā credentibus attulit, quis gaudiū tollet nostrum, quum sciamus viuere illum semper, & spiritalia nobis bona largiri. Sed à sanctis quidē gaudiū auferri non potest. Ablatum autē ab ijs statim post resurrectionē fuit, qui crucifixi erunt eum. Nam qui morte illius gaudebant, illis necessario per resurrectionem mæror infertur.

Caput VII.



T in illo die me non interrogabitis quicquam. Amen amen dico vobis, vsq̄ modo non petistis quicquam in nomine meo: petite & accipietis, vt gaudiū vestrum sit plenum. Virtutem ex alto accepturos ac doctrina spiritus prudentiores futuros discipulos dicit: adē vt omnia etiam absente ipso intelligant. Non enim quia lumine suo non indigebunt, non interrogaturos dicit: sed quia spiritum eius in cordibus suis habentes, omni perfecta scientia pleni erunt. Perfectam autē scientiam dicimus, rectam atque integram, per quam rectē de sancta Trinitate opinamur. Nam et si per speculum in ænigmate ac ex parte cognoscamus: veris tamen Ecclesiæ dogmatibus inhaerentes, & sensum scripturæ syncerē sequentes, perfectam scientiam habemus: quam consequi nemo potest, nisi fulgore spiritus sancti. Præterea ad petendum cum fiducia impellens eos, amen amen affirmans dixit, impetrabitis à patre, quicquid in nomine meo petieritis. In nomine autem meo, addidit, vt mediator se & collargitorem ostendat. Nullus enim accedit ad patrem nisi per filiū, per quem adductionem habemus ad patrem in spiritu, vt scriptum est: ideo se portam & viam appellat. Quia, inquit, nemo venit ad patrem nisi per me. Nam in quantum filius & Deus est, vnā cum patre nobis bona largitur, quod ostendēs Paulus dicebat: Gratia vobis & pax à Deo patre, & domino Iesu Christo. In quantum verò mediator est, & pontifex, & paraclētus, nostras preces ad patrem adducit: ipse enim nobis libertatem atque fiduciam ad patrem largitur. Orandum igitur est in nomine saluatoris, si exaudiri à patre volumus: vt accipientes quæ petierimus, spiritali gratia repleti, & prudentiores per spiritum facti, aduersus fordidas possimus voluptates militare, & ita amore virtutis indies ardentiores & fortiores ad opera sanctificationis facti, retributionis spe gaudeamus: & inuestitiā conscientie criminum depulsa, gaudiō Christi mentes nostras repleamus. Hic orandi modus priscis omnino fuit ignotus: constituitur autem modò à Christo, quando emendationis tempora effulserunt, & omne nobis bonum per ipsum absolutē concessum est. Nam sicut nihil à lege consummatum fuit, sicut iustitia eius imperfecta, sic & orandi modus mancus in ea inueniebatur.

Caput VIII.



Hæc in prouerbis locutus sum vobis: venit hora, cum iam non in prouerbis loquar vobis, sed palam de patre annūcibo vobis. Prouerbiū modò occultiores & obumbratum sermonem appellauit: qui cum obscuritate tegatur, non facillē ab audientibus capitur. Tali enim dicendi modo, prouerbiorum pacto ad vos dixit veniet hora & tēpus, in

A in quo palam vobis de gloria patris loquar, & cognitionem supra mentem humanam largiar. Quod autem tempus hoc sit, ipse quidem apertē non dixit: nos autem putamus aut illud forsan significari, in quo spiritum suum accepimus, aut futurum illum diem post, quando huius mundi figura transibit, quando gloria Dei apertē conspiciemus, & scientiam eius absolutē habebimus, quando prophetia omnis euacuabitur, & omnis cessabit cognitio (vt ait Paulus) omnis ea scilicet, quæ nunc ex parte & in speculo videmus. Euacuatur enim quod est ex parte, quum perfectio venerit. Quo modo inquit, dicam rursus. Nam quemadmodum in nocte serena, stellarum splendor & pulchritudo apparet, sole autem oriente particularis stellarum splendor euacuatur: eodem, arbitror, modo cognitio ista presens, tempore illo desinet, quum perfecta cognoscendi lux nobis infusa fuerit. Tūc igitur liberē capacibus nobis de patre suo Christus nunciabit. Nam modò per exempla nonnunquam atque similitudines quasi per vmbas propter imbecillitatē mentis nostræ docemur. Tunc autem non ita, sed nuda (vt ita dicam) facie ac mēte nullo modo impedita, naturæ deitatis patris pulchritudinem intelligemus, gloriā vniuersi geniti eius conspicientes. Videbimus enim ipsum sicuti est, vt Ioannes ait. Nunc enim gloriam eius propter naturam humanam, & imbecillitatem nostram, integre aspiciere nequimus, tempore autem illo in propria patris gloria apparebit. Cū enim Deus sit secundum naturam, atque ideo patri consubstantialis, in æquali dignitate atque gloria fulgere conspicietur.

Caput IX.



N illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis: ipse enim pater amat vos, quia me amatis, & credidistis, quia a Deo exiui. Petere aliquid per orationē à patre nullo modo permittit, nisi in nomine suo, patremque facillimē daturum pollicetur, non solum meditatione sui, sed vltro ad hoc præparatum, quasi debitum redder et ijs, qui Christum per amant. Nec vllus putet propter tantā patris benevolentiam non indigere nos Christo: omnia enim per ipsum ex patre in spiritu sunt. Paraclētus enim est non solum pro peccatis nostris, sed etiam pro vniuerso mundo: ita ostendit gratissimum esse patri, vt ipse honoretur atque ametur. Quod quum non intellexerint Iudæi, non dubitarunt omni eū modo vexare, quia credentium animos à ruditate legali in Euangelicam spiritualitatem traducebat: iniuicquas enim in ipsum linguas mouentes dicebant: Si à Deo esset hic homo, non vti que solueret sabbatum. Facillimē igitur patris benevolentiam habituros affirmat, absque ambiguitate credentes à Deo patre ipsum exiuisse. Qui benedictione, inquit, spiritali mentes eorum illuminabit, qui rectam de me habent opinionem. Exiuisse autem à Deo nihil aliud est, nisi natum esse, effulsiſſeq̄ ex substantia patris, eo processu quo est, & in propria intelligitur subsistentia. Quamuis non omnino disseparetur à patre: in filio enim pater, & in patre filius secundum naturam est. Aut exiuisse à patre dicit, id est, homo factus sum, & ad vestram naturam descendi. Quasi enim locus omnium rerum, sua natura est: à qua exire videntur, quum aliud quid, quod non habeant, assumunt. Nec dicimus ipsum, quia homo factus est, à natura deitatis mutatum fuisse: idē enim est in secula. Sed quoniam, quamuis naturam suam semper seruauerit atque seruet, assumpsit tamen in se, quod non erat, propterea exiuisse à patre dicitur. Sed alio quodam etiam pacto exiuisse à patre intelligi potest. Nam quum Phariseorum imperitia putaret non à Deo missum, sed à seipso ad soluendam legem venisse, atque ita legi voluntatem Dei patris se propugnare: & ipsum vt Deo inimicū pellere, à Deo exiuisse affirmat. Quod qui crediderint & amauerint eum, hac de causa (vt paulo antē dicebamus) vicissim à patre amantur. Quod si Deo amici sunt, quia à patre missum crediderunt: & si amantes filium

Perfecta scientia. 1. Cor. 13

Ephesi. 2
Ioannis 10
Ioannis 14

Roman. 1

Prouerbi- um quid.

1. Cori. 12

1. Ioann. 3

1. Ioann. 1

Ioannis 9

Quid est exiuisse a Deo.

Hebra. 13

Esaias

filium pater exaudit, eorum qui non amant, orationes nequaquam suscipiet. Quod Esaias Iudæis prædixit: Quum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & quum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestre sanguine plenæ sunt.

Caput X.



Xiui a patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. His firmiter non pseudopphetam esse, nec aliam quam pater vellet doctrinam tradere (vt Iudæi putabant) demonstratur. Nam si verè Christus non esset d Iudæi, quispiam diceret, si præter voluntatē patris Euangelicam prædicaret doctrinam, mandata legis non sufficere ad perfectam pietatem ostendens. Si sabbatum patre nolente solueret, si in dæmoniorum principe eijceret dæmonia, vt vos dicebatis: quomodo postea in ipsos cælos ascendit: quomodo pater ad confessum suum libenter rebellem accepit: An fortè clam ascendit: Magna multitudo aderat, quibus ab angelo dictum est: Viri Galilæi cur statis respicientes in cælum: Hic Iesus qui adsumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Quid dicitis Iudæi, non recipitis angeli testimonium: quumq; lex vestra iubeat, in ore duorum aut trium testium omne verbum stare vos tantæ multitudinis eorum, qui viderunt, testimonium repudiabitis: Quomodo ergo pseudoppheta erat, qui cum summa potestate in cælos ferebatur: aut potius quomodo negare poteritis, non esse ipsum ex Deo patre, quem lex & prophetæ prædixerunt: Venisse autem in hunc mundum ait, & nunc ex mundo ad patrem redire, qui nec à patre aberat homo factus, nec quum ad cælos cum carne redierit, à terris absit. Deus enim verus est, ineffabili virtute omnia replens.

Lucas 11

Actos. 1

Deuter. 19

Caput XI.

Icunt ei discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbia nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non est opus tibi, vt quis te interroget. In hoc credimus, quia a Deo existi. Admirantur demonstrationis vires perspicuas. Apertè namq; ac breuis facta oratio est. Quare lætantur, quia penitus intellexerunt, nec prouerbij, id est, obscuritatis quicquam impedimento sibi fuit. Illud etiam addunt: Quoniam enim, inquit, præuenisti modò antequam interrogauerimus, propterea credimus quia ex Deo existi. Corda em̄ hominū noscere solius Dei esse rectissimè creditur. Quoniam igitur omnia nosti, quomodo perspicuum non est, ex Deo qui omnia scit, te processisse: Fidem, ergo discipulorum hoc quoq; auxit signo. Dicunt autem nunc, non quòd credere cœperint, quando hæc audientes omnia scire dominum perspexerunt: sed quia tunc ampliores fidei radices iacere cœperunt.

2. Para. 6

Caput XII.



Espondit eis Iesus: Modo creditis. Ecce venit hora & iam venit, vt dispergamini vnusquisq; in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia pater mecum est. Breuiter etiam nunc saluator nondum tempus firmitatis fidei adesse ostēdit, quod futurum erat, quando virtutem ex alto adueniente spiritu sancto acceperunt. Tunc em̄, tunc inuictis viribus tam aduersus Iudæos, q̄ aduersus gentes pro veritate fulserunt, Deo, clamantes, q̄ hominibus obsequi potius oportere; nec posse villo modo se quæ viderunt & audierunt, non prædicare. Nondum igitur perfecta fide firmatos, ex futura modò formidine ipsorū ostēdit, & hac etiā prædictione non parū illis adfert utilitatis, quum se ostendat nihil futurorū vt Deū ignorasse. Nō em̄ longè abest, inquit, tēpus, imò iam adest, quādo me solo derelicto, vnusquisq; propria

Actos. 5
Actos. 4

A

pria petetis, id est, ingenti metu perculsi, & amore magistri posthabito, saluti suæ vnusquisq; consulat. Quòd autem proditore cum cohorte veniente, formidine victi fugerunt Christo solo relicto, perspicuum est: solum autem dicimus, quia discipuli (vt solebant) eum non sequebantur. Nam solus non erat, qui Deus & ex Deo, & in Deo naturaliter est. Humano autē more id sibi dictum est, vt nos moneat, quādo tentatio aut persecutio ad gloriosa pro pietate vocat certamina, non oportere cadere animo, etiam si nulla societate amicorum consolamur. Nam quis omnes fugere se dederint, credere tamen oportet Deum semper nobis adesse, qui solus amicos suos potest saluare. Non enim sumus soli, etiam si non cernamus oculis defensorē ac protectorem nostrum vndiq; nos munientem, vt Psalmista canit: Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Hæc dicimus, vt maiore animo etiam à nostris propter ignauia eorum relicti, certamina pro pietate suscipere nō dubitemus.

Psalm. 5

Caput XIII.



Aec locutus sum vobis, vt in me pacē habeatis, in mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum. Quæcunq; superioris dicta latius sunt, breuiter modò repetuntur. His enim paucis verbis superiorum virtus concepta, vtilitatem Christi discipulis aperit. Dissertui enim, inquit, multa vobiscum, vt in me pacem habeatis, vtq; sciatis pressuram vos in mundo non paruam propter me habituros. Sed non superabit mundus, nā à me victus est. Verum vt liquidius hæc intelligantur, age dicamus, quid sit pacē habere in Christo. Mundus quidem, id est, caducarum rerum cupidi, paci suæ non nunquam consulunt, sed non in Christo. Nam qui voluptate corporis defluunt, alter alteri iucundissimi sunt: vt verbī causa, fur furi, & latro latroni amicissimus est. Diligit enim vnusquisq; sibi similem, vt dicitur. Sed in omnibus his sanctissimum pacis nomen cauponationi subijcitur. Sancti autem non ira faciunt. Nam in eis vinculum pacis non est peccatum, sed fides, spes, charitas, ius pietatis in Deum: & hoc est in Christo pacem habere, quæ omnium bonorum origo & radix est. Quæ secum quasi sororem charitatem (quæ in alterutros est) adducit, quam diuinæ legis impletionem Paulus appellauit. Non enim est dubium, quin si vicissim charitas in hominibus rectè inest, antea in Deum habeatur: nam qui fratrem diligit, ipsum certè (vt Ioannes ait) diligit Deū. Sed aliud quoddam ex hoc loco intelligi potest. In mundo, inquit, pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum. Omni enim peccato, & omni mundana vexatione superior factus est Christus. Quumq; ipse vicerit, etiam illis, qui propter eum tentantur, insignem largitur victoriā. Illud quoque poterit quispiam dicere, quemadmodum interitum & mortem Christus superauit, quum propter nos mortuus surrexerit: sic & nos virtute illius è morte resurretuos, peccatum quoq; victuros: quoniam in illo primo victū fuit, & ab eo ad nos, tanq̄ ad genus suum (homo enim verè factus est) hoc bonum transfunditur. Ita cōfidere oportet, à nobis quoq; mundum posse vinci, quum à Christo vt ab homine victus sit, qui via generi humano ad hoc factus est: nam qui olim vincebamur, modò propter Christum vincimus. Nec mirum: si enim vt Deus vicisset, nihil ad nos: cum autem vt homo id fecerit, nos quoq; in ipso id facimus. Alter enim Adam nobis de cælo apparuit. Vt igitur terrestris imaginem induti ad eius similitudinem peccati iugo subiecti sumus: ita si cœlestis quoq; imaginem induemur, tyrānidem peccati & omnem pressuram mundi contemnemus.

Ecclesi 13

Roma. 15

1. Ioann. 3

Caput XIII.



Aec locutus est Iesus: & subleuatis oculis in cælum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuū, vt & filius tuus clarificet te. Cū quasi viaticum ad salutem, veritatem dogmatis apostolis suis Christus tradidit.

Caput 10
an. XVII.

BEE tradi-

tradiderit, & fortiores ad tentationes reddiderit, continuò ab hac collocutione in orandi habitum se conuertit. Nec vllum tempus inter sermonem ad discipulos, & Deum patrem interuenire passus est, præcipuè viuendi disciplinæ regulam se nobis in hoc etiam constituens. Opus enim est non ignorare, si quis piè ac sanctè viuere velit, aut ad fratres vtiliter loqui oportere, aut in orandi opere sermonis vsu adhibere, ne inanis verbositas locum habere videatur. Hoc enim modo linguæ honestas seruabitur; vana enim oratio vituperatione non caret. Et à multiloquio (quidã Sapiens dixit) peccatum non triri non potest. Sapiens autem est, qui labijs parcit. Illud verò etiam ad hæc mirabile, nobisq; vtilissimum. Orandi em̄ initium à clarificatione sua et patris facit, deinde nostram etiam coniunxit. Cur ita; orandi quoddã officium nobis tradit. Nam quemadmodum benè agere, non ad nostram, sed ad Dei gloriam debemus (luceat enim, inquit, lux vestra coram hominibus, vt videant bona opera vestra, & glorificent patrem vestrum, qui in coelis est) sic quum orandi tempus adsit, gloria primò Dei petenda est. Hoc enim pacto orare nos docuit, dicere namq; iussit: Pater noster qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum; adueniat regnum tuum; fiat voluntas tua sicut in coelo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Hoc ipsum opere quoq; nunc instituit. Oportebat certè vt nobis dux ad omne bonum ipse fieret. Sed consideremus diligētius, quid ad patrem dicat, & minuta obseruatione verborum, veritatem dogmatū inspiciamus. Pater, inquit, venit hora, clarifica filium tuum, vt & filius tuus clarificet te. Putabit forsitan aliquis, clarificationis ac gloriæ illum indigere, à quo hæc dicuntur. Sed si vnigeniti oblitus dignitatis non sit, facillè inanes has cogitationes ex animo eijciet. Stultum enim, egenum gloriæ illum dicere, qui gloriæ dominus est, & sic à scriptura vocitatur. Vnde alibi à patre illam gloriã petere legitur: Quã apud te, inquit, habebam, antequam mundus esset. Sic perspicuum fit, quòd nemo nisi mente captus egenum gloriæ, & gloriæ Deo congruentis vnigenitum sit dicturus. Verum quoniam cum esset in forma æqualitateq; Dei patris, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed ex inaniuit se ipsum, humano assumpto corpusculo, & paruitatem nostram absolutè indutus, opportuno iam tempore præsentē, quo incarnationis mysterio consummato, & humano genere ad vitam & cognitionem Dei vocato, ad pristinam gloriam rediret; vt omnino harum rerum patrem quoq; autorem ostenderet, sic eum alloquitur: tempus iam esse demonstrans, vt ad naturę suę dignitatem cum carne ascendat. Ascendat autem non alterius ministerio, sed vt sapientia Dei patris & virtus. Sic enim & non aliter summa cum potestate deitatis opera peragit: omnia enim à patre sunt, sed non absq; filio. Quomodo enim quicq; Deus pater operabitur, non cooperante naturali sapientia sua atq; virtute? Omnia enim per ipsum facta sunt, inquit, et sine ipso factum est nihil. Quoniam ergo identitatis substantiæ ratio, omnia ex patre per filium in spiritu esse persuadet, propter eã mortem & diaboli tyrannidem depositurus, quia vniversus terrarum orbis spiritus doctrina illuminatus, secundum naturam & verum Deum esse Christum erat cogniturus, idcirco ait: Pater clarifica filium tuum, vt & filius tuus te clarificet. Nec mentis quisq; non expers dicet clarificari à patre filium velle, quasi hominem ex homine accipere reddereq; vicissim (stultum enim omnino est talia opinari de Deo) sed clarificationem à patre petit, & simile patri redditurum pollicetur, vt æqualitas & identitas naturæ appareat. Nam sicut in honorari pater videtur, nisi talem genuisse filium credatur, qualis ipse est: sic gloria ei est, similem sibi omnino filium produxisse. Glorificatur igitur pater in gloria filij, quia vt modò dicebamus, dum intelligitur à quo patre natus est, tam patri quàm filio gloria redditur. Gloria igitur à patre, qui talem genuit, ad filium, & à filio, qui patri similis est, ad patrem omnino redundat. Si quis autem humilius propter assumptum hominem id quoque à saluatore dici opinatur, rectè quidem dicet, nò tamen ita exquisitè vim theomatis

Lingua honestas. Vana oratio.

Proue. 10 Iacobi 3 Initium orandi. Matthei 5

Matth. 6

1. Corin. 2

Philipp. 2

1. Corin. 1

Ioannis 1

Interpretatio.

Gloria patris & filij.

C

D

A rematis huius exponet. Nam si Christus solum clarificari à patre peteret, humanitati hoc attribueremus. Verum quoniam vicissim clarificaturum se quoq; pollicetur, necesse est ita locum interpretari, vt dictum est.

Caput XV.



Icut dedisti ei potestatem omnis carnis: vt omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Latius ad nostram vtilitatem his verbis clarificationis aperit modum: quo à Deo patre filius, & à filio pater glorificabitur. Non enim erat opus patri cuncta scienti petitionis huc modum subaperire: sed quoniam pontifex, in quantum homo est, quamuis Deus etiam natura sit, tamen vt pontifex pro nobis patrem alloquitur: vt credamus eum & nunc paracietum ac propiciationem esse pro peccatis nostris, iuxta Ioannem. Ita nos credere Paulus etiam persuadet, dicens: Non habemus pontificem, qui nò possit communi infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Quoniam igitur vt homo, pōtifex est, & simul immaculata etiam hostia, se ipsum redemptionem pro vita hominum, quasi humani generis primitias, Deo patri obtulit, vt in omnibus primus sit, iuxta diuinum Paulum. Offerit autem etiam genus nostrum rebelle, sanguine suo reconciliatum, & ad nouam vitam spiritu sancto reformatum. Verum quoniam (vt sæpius dictum est) omnia ex patre per filium in spiritu efficiuntur, quamuis cum patre simul spiritalia dona largiatur (quibus em̄ vult, summa cum potestate spiritum distribuit) vt mediator tamen & pontifex bona pro nobis petit. Sed hæc quidem sic se habeant. Consideremus autē rursus, quid petitio ista velit. Pater, inquit, clarifica filium tuum, vt & filius tuus clarificet te. Quomodo autem id fiet: volo, inquit, vt quemadmodum potestatem mihi omnis carnis dedisti: sic omne, quod mihi dedisti, habeat vitam æternam. Clarificat quidem filium suum pater vniverso terrarum orbe illi subiecto: sed filius quoq; patrem clarificauit, partim quoniam iam creditur filius ex substantia patris natus esse, partim verò quoniam omnipotentia filij cognita, huius virtutis gloria in patrem etiã transit. Sicut igitur & glorificasti & glorificatus es modo, quo diximus: sic volo, inquit, vt nihil eorum, quæ mihi data sunt, perdatur: nam hinc etiam gloria à patre ad filium, & à filio ad patrem redundabit. Congruum enim est, quicquid verbo Dei subiectum est, quum semel saluatum sit, vt in perpetuis bonis permaneat, vt non possit ab interitu amplius superari. Verum quoniam vniversæ carnis potestatem datam sibi dicit: nò grauabimur, ne simpliciores turbentur (quamuis nulla oratione assequi hæc possimus) pauca tamen & breuiter super hoc dicere. Humanæ igitur id mensuræ, humilitatisq; figuræ conuenire non dubitamus. Si enim nos puderet serui naturam illum assumpsisse confiteri, & quoniam seruus factus sit, regem super Sion montem sanctum eius constitutum esse, non consequenter diceremus quicquam à patre illum recipere: sed quum sponte obsecutus patri homo factus sit, qui omnia possidet vt Deus, omnia recipit vt homo. Cui regnare, aduentitium est, id est, non naturale: creaturæ nanque rectè dicitur, quid habes quod non receperis: Creatura etiam verè Christus est, in quantum homo, quamuis increatus secundum naturam deitatis, in qua omnia bona verè ac naturaliter esse intelliguntur: vnde ad nos per gratiam effunduntur. Quando igitur vt homo, princeps noster constitutus, omnis carnis potestatem accepisse dicit: non turbabitur qui dispensationē incarnationis tenaci memoria tenet. Quòd si etiam sublimius hæc intelligere, ac de Christo vt Deo, placet: in mentem tibi veniat illius, quod dominus ad Iudeos dixit: Amen amen dico vobis, nullus potest ad me venire, nisi pater, qui me misit, traxerit eum. Nam quos pater viuificare vult, eos viuificæ suæ virtuti, id est, filio adducit, per quem corroborat, sapientior esq; facit, quoscunque etiam sub iugo sui principatus facere vult, non aliter id facit, q̄ per viuam omnipotentemq; sui virtutē, per

1. Ioannis 1 Hebræ. 4

Coloss. 1 Christus pontifex.

Psal. 2

1. Corin. 4 Christus creatura.

Ioannis 6

BEE ij quam

quam omnibus dominatur, id est, per filium suum. Et homines quidem à Deo accipiunt, vt alijs possint dominari. Per eum enim reges regnant, & terræ tyranni dominantur, vt scribitur. Deus verò rebelle genus, non per aliam, sed per propriam virtutem ad se reducit. Animaduertendum autem est, non de ludæis solum, sed de omni humano genere omnis carnis dixisse.

Caput XVI.

Aec autem est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum,



& quem misisti Iesum Christum. Radicem atq; originem æternæ vitæ fidem & veræ pietatis virtutem esse affirmati veram autem pietatē illam esse adserimus, cui alieni, falsiq; cultus crimē inuri non potest. Multi enim creaturam prætermisso creatore coluerunt, nec veriti sunt ligno dicere: Pater meus es tu. Et lapidi: Tu genuisti me. Eò enim imperitiæ præ dolor multi, imò ferè omnes delapsi sunt, vt sensu experti materiæ ineffabilem deitatis gloriam attribuerint. Quas ob res patrem à falsis & solo nomine dñs distinguens, solum verumq; Deum appellat. Vtilissimè autem quum solum patrem, Deum verum appellauerit, suæ quoq; gloriæ meminit, dicens: & quem misisti Iesum Christum. Nō enim aliter rectè pater cognoscitur, quàm si filius quoq; vna cognoscatur. Quum igitur solum Deum verum, patrem appellauerit, ab hac gloria seipsum non separauit: in patre enim est, & ex patre. Quare verus & secundum naturam Deus, & solus in solo est: nullus enim Deus verus est præter Trinitatem, quum dñs gētium dæmonia sint, cūm creatura omnis seruituti subijciatur, quam, nescio quomodo, multi ad improbum delapsi sensum, adorant. Multi ergo sunt in hoc mundo falsò ab hominibus dñs appellati, sed vnus solus verus Deus est pater, & qui in ipso & ex ipso secundum naturam est, distinctè simul atq; coniunctè cōiunctione naturali. Distinctè quidem, quia in propria subsistentia esse intelligitur. Filius enim est, & nō pater. Coniunctè verò, quia simul est pater et filius. Propterea em̄ pater est, quia filium adidit. Hæc ergo est, inquit, vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Sed si Dei cognitio vita æterna est, quomodo (dicet quispiam) alia quadam re indigebimus? Quòd si nulla realia indigeamus, quomodo fides absq; operibus mortua esse perhibetur? Fides autem quid aliud est, q̄ vera de Deo cognitio? Per fidem enim cognitio fit. Testatur id Esaias, dicens: Si em̄ non credetis, non intelligetis. Quòd autem nuda perspicendi cognitio inutilis sit, sanctorum virorum voces confirmant. Dicit enim quidam discipulorum dominus: Tu credis quia vnus Deus est, & probè facis: dæmonia etiam & credunt & horrescunt. Quid igitur ad hæc dicemus? aut quomodo verus hic sermo domini erit? Sed verus est absq; vlla penitus hæsitacione. Cognitio enim vita est, quia totam mysterij virtutem parturit, & mysticæ benedictionis adfert participationem, per quam viuifico verbo coniungimur. Ea enim de causa (vt puto) participes Christi, ac (vt ita dicam) concorporales, aut concorporales gētes scribit Paulus, quia sanctissime carnis eius & sanguinis participes factæ sunt: sic & mēbra Christi, membra nostra dicuntur. Cognitio igitur vita est, spiritalem nobis benedictionem adducens, per quam spiritus in cordibus nostris habitat, in adoptionem filiorum Dei, & veram pietatem per Euangelicam vitam & incorruptibilitatem reformans. Cūm igitur origo, & quasi pronuba dictorum omnium bonorum cognitio Dei veri esse inueniatur, rectè à domino nostro Iesu Christo vita æterna est appellata, quasi mater et radix virtute, naturaq; sua vitam æternam pariens. Sed considera diligenter, quomodo solius Dei veri cognitio efficiatur. Non enim absq; cognitione filij, quare nec absq; cognitione spiritus sancti: hæc enim Dei vnitas, in Trinitate intelligitur atq; creditur secundum scripturas. Sed Iudæi quidē præceptis Mosi ad verum Deū reducebantur. Dominum enim, inquit, Deum tuum adorabis, et ipsi soli seruias. Sed

Prouer. 8
Rebelle
genus.

Psal. 95

Ibidem.

Iacobi 2
Fides qd.
Esaiæ 7

Iacobi 2

Cognitio
fidei vita
est.

Ephesio. 3

Deuter. 6

D

quan-

A quanquam solum & verum Deum colerent, nondum tamen perfectam eius habebant cognitionem, ad quam modò saluatoris doctrina conuocantur, discentes nō modò vnum esse verum Deum creatorem, verum etiam quia pariter & filius creator est, in quo vt in charactere atq; imagine incommutabili, primitiuum, id est, pater inspicitur. Necessariò ergo non sufficere ad æternam vitam solummodo scire ait, quia vnus solus verus Deus est, sed quia & pater est. Cuius autem pater est, exposuit, eius videlicet, qui propter nos caro factus est, qui ad saluandum humanum genus à patre ad nos missus est.

Iudæi non
habebant
perfectā
cognitio-
nem Dei.

Caput XVII.



Go te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam: & nunc clarifica me tu pater apud te ipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus fieret, apud te. Complicata sunt humana diuinis, & composita quodam modo ex vtriusq; oratio est. Nā nec ad potestatem & gloriam deitatis puram dicentis personam extollit, nec in mē suram naturæ humanæ omnino deprimit: sed inter vtrunq; gradiens vnum ex vtriusq; componit. Non enim solum Deum se verum esse, sed etiam hominē verum propter nos factum, vt sanguine suo genus humanum redimeret, diligenter nos docet. Age igitur duplici hac via, vt ab homine scilicet atq; Deo dicta hæc esse, consideremus: & primūm quasi ab homine dicantur, videamus. Origo nobis & exemplum diuinæ disciplinæ Christus constitutus, quomodo rectè viuendum sit, opere simul ac verbo docuit. Idcirco diligentius & facta & dicta eius Euangelistæ conscripserunt. Docet igitur nos istis verbis: quia quum vnusquisq; nostrum datum sibi diuinitus ministerium consummauerit, perfeceritq; quæ sibi à Deo commissa sunt, tunc, tunc inquam operibus suis Deum glorificat: non quia gloriā adfert non habenti (plena em̄ gloriæ deitas) sed quia operibus suis alios ad glorificandū adduxit. Luceat em̄ lux vestra corā hominibus, vt videant bona opera vestra, & glorificent patrē vestrū, qui in cœlis est. Viriliter em̄ ac probè propter Deū facientes, nostrorū operū gloriā nō nobis, sed Deo acquirimus. Nam quemadmodū cūm sordidè, turpiterq; viuamus, iure plectimur: quia nomē eius (vt ait Propheta) in gētibus propter nos blasphematur: eodem certè modo glorificatur à nobis, quando rectè viuentes præcepta eius seruamus. Opere igitur nostro cōsummato, ad libertatem filiorum Dei perducti, à glorificato Deo gloriā repetere audebimus. Viuo enim ego, dicit dominus, quia clarificantes me clarificabo: & spernam, quicumque me spernit. Vt ergo nobis ostendat Christus, congruè tunc gloriā futuri seculi nos petituros, quando ministerium nostrum absq; culpa consummauerimus, glorificatum esse patrem à se ait, quia opus quod sibi dederat, in terra consummauerit. Petiq; ipse glorificari rursus à patre, non aduētitiā quadam gloriā, vt nobis petendū est: sed propria sua & naturali. Animaduerte autē, quomodo vtriusq; rei per se ipsum naturæ nostræ fidutiā donauit. In ipso em̄ primo, & per ipsum factum est, vt & quæ nobis diuinitus commissa sunt, ministeria possimus peragere, & non vereamur debitum rectè agentibus honorem liberè petere. Nam olim propter imperium peccati, nec probè quicquam efficere poteramus: & liberè à Deo aliquid petere propter rebellionem naturæ factam in Adam, nequaquam audebamus. Ad quam nos libertatem Deus reducens, per prophetam consolatur: Non timeas, ait, quia confusus es: neque confundaris, quia opprobrium passus es. Ita vt in alijs bonis omnibus, sic in hoc quoque, origo, ianua, & via dominus, propriam gloriā, quam vel ante creationem rerum omnium habuit, modò vt homo repetit seculis antiquiorem, quasi debitam sibi gloriā ad imitationem Christi petendam quispian putet. Optimè nanq; dicuntur, quæ vniciq; conueniunt: quare creatura creaturis congrua loquatur, & hominis mensuram non transeat. Christus autem cūm

Matthæi 5

Esaiæ 52

1. Regū 2

Petimus
congrue
futuri se-
culi glori-
am.

Hiere. 46

Psalm. 67

Deus & homo sit, quoniam Deo congruentia loquitur, non ut imitemur, sed ut credamus, ita loquitur. Hæc quidem dicta sint, humilitati Christi conuenientia; dignitatem verò deitatis suæ respicientes, sic intelligemus. Clarificatum igitur patrem à se dicit, opere consummato, quod ab eo pater accipit: non ut à ministro, ne creatura videatur, sed ut à virtute ac sapientia genitoris, per quam nostra salus ei tradita consummata est. Sic sanè Psalmista quoque virtutem exponens mysterij dicit: *Manda Deus virtuti tuæ, confirma Deus hoc, quod operatus es in nobis.* Nam ut liquidò demonstraret virtutem patris filium esse, nec aliud identitate substantiæ atque naturæ, quum prius dixisset, manda Deus virtuti tuæ, & personarum dualitatem ostendisset, mandantis & cui mandatur; ilicò in vnitate naturali coniungit, ineffabili naturæ totum rei exitum attribuens, quum dicat: *Confirma Deus hoc, quod operatus es in nobis.* Datur igitur à patre salutis nostræ opus filio. Quomodo autem mandat virtuti suæ Deus? Considerandum quidem altius est, & dicendum non ut res postulat, sed ut quæ super mentem humanam sunt, ab hominibus possunt explicari. Intelligatur ergo in fingendis statuis peritissimus quidam adesse opifex, qui statuam aut ab integro fundere velit, aut mancam & contritam refingere. Quo pacto igitur id faciet? non aliter videlicet, quàm suarum robore manuum, & artificij sui sapientia. Quæ quamuis alia præter ipsum esse videantur, non sunt tamen alia præter eum virtus & sapientia sua, quum in ratione artificis hæc quoque contineantur. Tale quid sanè de Deo intelligendum est, licet non in omnibus ad vnguem similitudinem ac exemplorum vis ad Deum referenda sit: vniuersa enim Deus excellit. Similiter solis & ignis similitudine hoc ipsum conspiciemus. Nam sol quoque profuso à se lumini mādare quasi videtur, ut vniuersum orbem illustret, & calefaciendū virtutem suis radijs tradit, ut ipsi susceptibilibus eam immittant. Ignis quoque naturæ suæ proprietati eodem modo committit, ut quæ sibi conueniunt, faciat. Nec tamen idcirco aut radij & lux solaris, aut perurens proprietas ignis, ministri loco adhiberi dicentur, cum vtrunque naturaliter opus suum efficiat. Nam etsi videantur non ipsa id facere, non tamen alia ipsa sunt natura quæ illa, quæ ex eis sunt. Hoc modo de patre ac de filio intelligere debemus, quando à patre quicquid filio dari dicitur. Clarificatus est igitur in terra pater à sapientia & virtute sua, id est, à Christo, dato opere consummato: quo absoluto, opportunè iam priscam semper gloriam repetit. Sed quod nunc opus, dices, consummauit, quo à se pater glorificatus est? Homo factus est volente patre, ut ad veram pietatem, & ad vitam perpetuam lapsus ad inferos hominum genus restitueret. Hoc iam potestate Christi factum est: mortem destruxit, diaboli tyrannidem euertit, peccati vires extinxit, ineffabilem charitatem erga nos habuit, peccata nostra dimisit, errantes illuminauit, & ad verum Deum reduxit. Quæ vniuersa virtute Christi consummata, faciunt ut ab omnibus pater glorificetur. Omnes enim, qui in terris sunt, sapientiam & virtutem, & misericordiam Dei hoc pacto intellexerunt. Effulserunt enim hæc in Christo, ut in imagine patris ac charactere: & arbor à fructu cognita est, ut scribitur. Quibus probè consummatis, ad suam gloriam Christus rediit, quam tamen ut homo, quasi non habens petiit. Cuncta enim homo à Deo habet. Nam etsi ut Deus ex Deo, gloriæ patris expers nunquam fuit, homo tamen factus, ac in honoratissimo hominis assumpto corpusculo, tanquam verè non habens, ut homo gloriæ petiit. hoc intellexit Paulus, dicens: *Hoc sentite in vobis fratres, quod & in Christo Iesu, qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualē Deo: sed seipsum exinanīuit formam serui accipiens, & habitu inuentus ut homo, humiliāuit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autē crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu Christi omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum: & omnis lingua cōfiteatur, quia dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei patris.*

Matth. 12

Philipp. 2

A tris. Sublimè enim filium suum & Deum verum ac dominum, non minus ut hominem exaltasse scribitur. Homo enim propter naturæ humilitatem, exaltationis naturaliter indiget. Gloriam igitur suam, quam semper habet ut Deus, ut homo petiit. Nec quia gloriæ vnquam propriæ expers fuit, hæc ab eo dicuntur (nuncquam enim Dei verbum, ac Deus verus dignitate caruit sua) sed quia in gloriam quæ sibi semper adest ut Deo, proprium templum reducere volebat: imò verò ipse cum propria carne, propter quam non nihil, de decoris in hac accidisse vita videbatur, in cœlos, & in gloriam suam rediit. Quare ne alienam & inconuetam petere videretur, ante creationem mundi apud patrem ipsum sibi adfuisse illam testatur: qua nunquam ut Deus caruit, qui cum patre semper regnat, qui cum patre semper glorificatur, qui cum patre semper adoratur Deus, & ex Deo, & in Deo, & cum Deo, quod hic ipse docet ut Euangelista, dicens: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum.*

Caput XVIII.



Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruaerunt, & nunc cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt. Quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt

& cognouerunt vere, quia a te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti. Dixi iam in superioribus, vtroque modo, id est, & quasi Deum, & quasi hominem Christum esse loquutum. Quæ dicendi figura nihilo minus hic quoque seruaata est. Nam ut Deus natura, & ut character patris, manifestasse nomen eius hominibus ait. Nomen autem pro gloria posuit, quod trita consuetudine comprobatum est. **B** Nam & Salomon: *Bonum, inquit, nomen potius quàm diuitiæ sunt eligendæ, id est, existimatio nominis atque gloria, quàm diuitiarum superbia melior est.* Et Deus ipse apud Esaiam: *Non dicat, inquit, eunuchus, quia lignum aridum ego sim.* Hæc dicit dominus ad eunuchos: *Qui custodiunt sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius super filios & filias, nomen sempiternum dabo eis. Nemo enim nudi nominis retributionem probis eunuchis, qui corporis cupiditates superarunt, & diuinam secuti sunt legem, promitti opinabitur: sed nomē pro gloria positum est. Cùm igitur nomē Dei patris manifestasse adserat, clarissimam in orbe terrarum gloriam suam fecisse confirmat. Cuius rei argumētum seipsum præbuit. Glorificatur enim pater in filio, ut in imagine suæ formæ atque figura, in quibus primitiuorum pulchritudo semper elucet. Nam quum vnigenitus sapientia & vita substantialiter, creatorque omnium, ac interitu & morte superior, sanctus, immaculatus, bonus denique esse non dubitetur: eodē se modo naturaliter habere, qui eum genuit, creditur. Ita in gloria imaginis suæ pater effulsit. Nam etsi apud priscos talis esse diceretur, non sic tamē illis ut nobis res apertissimè patuit. Hic sensus non alienus mihi videtur, sed alia quoque semita gradiendum: manifestaui enim patris nomē filius, non solum quia certiores nos fecit de perfectionibus Dei, quæ vel apud priscos prædicabantur: verum etiam quia verè patrē esse Deum, nec falso ita nomine appellari nobis aperuit. Genuit enim non in tēpore creatorē seculorum filium, consubstantialē sibi ac coæternum. Nomen autē patris magis ei conuenit quàm nomē Dei: hoc enim dignitatis, illud substantialis significatiuum est proprietatis. Deum enim si dixeris, rerū omnium dominū ostēdisti: patrē verò si appellaueris, proprietatē tetigisti. Manifestaui igitur Christus, quia pater filium genuit. Quare patris nomē verius ipse quoque vnigenitus Deo attribuens, non dicebat, ego & Deus: sed, ego & pater vnū sumus. Et alibi de seipso: *Hunc enim pater**

Ioannis 1

Prover. 22

Esaias 56

Ioannis 6

Matth. 28 signauit Deus: gentes etiam omnes non in Dei, sed in patris, & filij, & spiritus sancti nomine baptizandas iussit. Sic & Moses ille non vni personae creationem attribuit, de homine scribens: Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Quibus verbis personarum significatur Trinitas: per filium enim in spiritu omnia ex patre producta sunt. Sed haec adsequi liquidò antiquiores non poterant, quum non patris persona, nec filij apertè introduceretur. Dominus autem noster Iesus Christus patrem propriè suum Deum esse affirmabat, se autem verum naturae patris filium. Manifestauit igitur nomē patris hominibus, quum nō solum hoc fecerit, vt absolutius perfectiones Dei sciamus, verum etiam vt patrem esse Deum non ignoremus, & cuius sit pater, non dubitemus, & spūm sanctum Deum esse fateamur. Nam qui solum modo nouit Deum creatorem omnium, Iudaicae mensuram prudentiae non excedit. Nam sicut lex ad perfectam pietatis virtutem nihil effecit: sic Dei quoque cognitionē imperfectam reliquit, à falsis solum modo dijs ad adorandum vnum Deum inducens. Nō erunt tibi, inquit, dii alieni praeter me. Dominum Deū tuum adorabis, & illi soli seruiēs. Dominus autē noster Iesus Christus, mandatis Mosaicis meliora haec nostra addidit, & cognitionem pietatis perfecit. Sed haec quidem vt Deus ex Deo ad patrē suum locutus est, quibus continuò subiungit ea, quae hominem magis decet. Quos mihi dedisti de mundo, inquit, tui erant, & mihi eos dedisti. Non enim quia aliquid sit patris, & filij non sit, ista dicuntur: rex enim ante secula est, vt Psalmista canit, & regnum patris secum commune est. Propterea & Euangelista, vt subiecta sibi vnā cum patre vniuersa ostenderet: In propria, inquit, venit, & sui cum non receperunt. Propria enim appellat etiam eos, qui regni sui iugum non receperunt. Multi enim erant creaturis potius, quam Deo vero inhaerentes. Qui etsi creatorem ignorarent, proprii tamen Dei erant, in quantum creator & dominus omnium est. Quae cum ita se habeant, & Dei essent proprii, etiam qui diabolo seruiēbant, filio nunc danti sunt. Quoniam ergo pacto Emmanuel sup eos rex à Deo patre constitutus est: non quia modò super eos regnare coeperit, quum semper dominetur ac regnet vt Deus: sed quia homo factus est, pro vita omnium crucifixus, sibi omnes redemit, & per seipsum patri obtulit. Ita qui semper regnat cum patre vt Deus, vt homo rex ordinatus est: homini enim cum alijs regnum quoque datur. Non enim sicut animal rationale, mentis & disciplinae capax, naturaliter homo est, ita & rex secundum naturam est: illa enim secundum substantiae rationem insunt, hoc exterius & aduentitium est, & adest & abest, nullam subiecto, in quantum est homo, iniuriam adferēs. Qui ergo regnat super omnes semper cum patre, in quantum Deus natura est, regnum modò vt homo accipit. idcirco ait: Quia omnia quae dedisti mihi, abs te sunt. Omnia enim propriè Dei sunt, dantur autē creaturis quae ab eo sunt. Ita dominari super omnia, vniuersaque possidere, diuinæ naturae congruit, quem admodum creaturis, accipere. Verba, inquit, quae dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè, quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti. Verba Dei patris, propter identitatē substantiae suas voces appellat, & quia Deus verbum est, voluntatē patris ita enunciat, sicut nostrum secreta cordis nostri interpretatur: id eo quidam etiam propheta dixit, nomē suum magni consilij angelus esse. Sublime namque ac supernaturale consilium genitoris, Deus verbum exponit. Verbis quidem & vocatione, quando vt homo in terris conuersabatur. Spiritualia autē lumine, postquam in caelos ascendit: sanctis enim reuelare mysteria scribitur, vt ait Paulus: Si experimētum quaeritis Christi loquētis in me. Testificatur igitur quod diligētes eum acceperunt, & seruauerunt sermonē, quē pater illi dedit. Testificatur etiā cognouisse ipsos à patre se exiuisse, & à patre missum esse: vnde dicebāt aliqui: Hic homo si esset à Deo, nō utique solueret sabbatum. Et rursus: Nos Mosi discipuli sumus, nos nouimus quia Mosi locutus est Deus, hunc autē nescimus vñ sit. Vides nescire

A nescire ipsos clamare vnde sit, id est, à quo missus sit. Quod autem ineffabile quoque ipsius generationem ex patre non susceperunt, sed quasi pedes in lapide offendentes resiliēbant, Euangelista declarat, dicens idcirco caedem eius à Iudaeis quaesitam fuisse: quia non solum soluebat sabbatum, sed etiam Deum suum patrē dicebat esse. Ipsi quoque Iudaei dixisse comperiuntur. De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: quia cum sis homo, Deum te ipsum facis. Ita alij quidam verba eius seruauerunt, credideruntque ex patre ipsum effulsiisse. Hoc enim (vt arbitror) exiuisse significat. Crediderunt etiam ad nos missum esse, vt mandatum domini annunciar et, sicut in Psalmo scribitur. Alij verò vtrunque istorum negarunt. Merito igitur diligentes eum, & credentes in eum, Deo patri commendat: vt quod dixit, re ipsa vel in hac vita praestitisse cernatur. Quid porro illud est: Quicumque confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego ipsum coram patre meo, qui in caelis est: qui autē negabit me coram hominibus, negabo & ego ipsum coram patre meo. Quod etiam Deus pater olim per Esaiam facturum se pollicetur: Sitis mihi testes, inquit, & ego testis, dicit dñs Deus, & puer quē elegi. Saluator igitur, & vt homo, & vt Deus loquitur: Deus enim & homo est. Quare absque culpa, vt res postulat, modò sublimius, modò humiliter de seipso loquebatur.

Caput XIX.



Go pro eis rogo, non pro mundo, sed pro ijs quos dedisti mihi, quia tui sunt: & mea omnia, tua sunt, & tua, mea sunt. Et clarificatus sum in eis, & iam non sum in mundo. Et hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Mediatorem seipsum rursus vt hominem facit. Dei enim est & hominum reconciliator, magnus verè & sanctus pontifex noster, qui suis interpellationibus genitorem proprium placat, seipsum pro nobis offerens. Ipse namque hostia, & ipse sacerdos, ipse mediator, ipse agnus verus, qui tollit peccata mundi. Sanè figura & umbra mediationis Christi, mediatio prisca Mosi fuit: & pontifex secundum legem, pontificem qui super legem est, figurauit. Moses enim atque Aaron inter Deum & Iudaeorum multitudinem continuè mediabantur, modò iram Dei peccatis populi concitatam placantes, & superiorem gratiam imbecillibus impetrantes: modò rursus benedicentes, & secundum legem Deo sacrificia offerentes, aut pro peccatis populi, aut vt gratias Deo pro beneficijs agerent. Christus autem, qui pontifex & mediator in vltimis seculis fuit, rogat quidem pro nobis vt homo, liberaliter autem vnā cum Deo patre dona dignis distribuit. Quod Paulus apertè docuit, dicens: Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Qui ergo vt homo rogat, is vt Deus distribuit. Immaculatus enim ac sanctus pontifex quum sit, non pro infirmitate sua, vt legis pontifices solebant, sed pro salute nostra seipsum obtulit semel, paracletus & propiciatio factus pro peccatis nostris. Sed discrepare Ioannes à saluatore alicui forsitan videbitur. Saluator enim pro mundo hic rogare abnuuit. Ioannes autem non pro nostris peccatis solum propiciationem & paracletum illum esse, sed pro vniuerso affirmat mundo. Verum beatus Ioannes, quoniam erat Iudaeus, ne pro Iudaeis tantum paracletus esse dominus apud patrem videretur, non autem etiam pro alijs gentibus quae vocatae, obsecratae sunt: necessariò pro toto mundo adiecit, id est, pro omnibus, qui per fidē vocati ad iustitiam & sanctificationem perueniunt. Dominus autem noster Iesus Christus suos à non suis separans, pro eis, inquit, tantummodo qui verba mea seruant, & iugum meum acceperunt, rogo. Nam quorum mediator atque pontifex est, ipsis tantummodo mediationis bonum nō iniuria attribuit: quos etiam datos sibi fatetur, & patris esse nō negat, cum ad patrē nullus accedere queat, nisi per filium. Nemo, inquit, ad patrē venit, nisi per me. Ita & suo filio, & sibi ipsi pater fideles acquisiuit. Quod certè intelligēs sacrarum literarū ille peri-

peritissimus, inquit: Quia Deus erat in Christo, mundum sibi reconcilians. Recipiens enim Christus ut mediator omnes, qui per fidem ad eum concurrunt, & per seipsum patri offerens, Deo mundum reconciliauit. Propterea Esaias quoque Dei pacem in Christo eligendam consuluit, dicens: Faciamus pacem cum ipso. Faciamus pacem, qui venturi sumus. Nam si ab animis nostris voluptates, quae a Christo abalienant, pellemus, & impietatem totius (ut ita dicam) vitiositatis matrem ac nutricem aspernabimur, amici Christi effecti, foedus cum Deo pacis percutiemus, ipsi patri per filium coniuncti, & in spiritu clamantes, abba pater. Qui ergo Christo dati sunt, patris erant, sed a Christo propterea non fuerunt alieni: regnat enim cum patre simul: quumque vnum regnum sanctissimae consubstantialisque Trinitatis sit, ipse pater per filium in spiritu regnat. Ita quicquid filii est, gloriae patris subijcitur: & quicquid patri subijcitur, in eo filius dominatur. Idcirco ait: Omnia mea tua sunt, & tua mea. Vbi enim summa identitas naturae perfulget, ibi gloria perfectionum incommutabilis est, nec diuisa, sed vna & eadem. Nam quum perfectionum patris substantialiter filius haeres sit, omnia ipse, quae genitoris sunt, possidet, & patrem sua rursus habere omnia ostendit. Hunc credendi modum diuina nos scriptura edocuit. Verum quoniam glorificatum se in suis esse adseruit, idcirco magna retribuens, pro eis modò rogat: cur autem hoc faciat, exponit dicens: Non sum in mundo, & isti in mundo sunt, & ego ad te venio. Praesens enim atque conuiuens carne apostolis, manifesta consolatio erat illis, quum oculis cerneretur. Solet enim humanus animus, non occultis, sed manifestis confidere. Quamuis ergo dominus, quum etiam corpore absit, cuncta quae velit, possit efficere (Iesus enim Christus heri ac hodie, ipse & in secula) praesentia tamen eius priuati apostoli, non turbari non poterant, praesertim quum magno aestu mundi fluctus in eos influerent, & omnibus modis veritatem praedicantes deijcere conarentur. Quoniam ergo, inquit, ego ad te venio: citò enim tibi conregnaturus in caelos ascendam, isti verò in terris permanent: de istis rogo, tui enim iam sunt, cum mihi dati sint. Quare merito tuorum atque meorum curam non paruam habeo. Et glorificatus sum in eis, quia omnia quae dedisti mihi, tua sunt, & tua mea. Verus autem sermo est: non enim quia dati Christo sunt, ac propterea patris etiam sunt, glorificare illum desinunt, per quem Deo patri coniuncti sunt. Nam quamuis ad patrem per eum adducti, patris facti sint, permanent tamen nihilo minus sui, quum vniuersa cum deitate simul atque potestate Trinitati communia sint. Vnus enim Deus in Trinitate adoratur, cui omnes seruitutis conditione subiecti sumus.

Caput XX.

Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint vnum, sicut & nos. Diligenter considera duarum rerum in vnum complicationem: humanitatis dico humilitatem, & supremam deitatis gloriam: oratio enim vtrunque complectitur. Nam quemadmodum etiam in superioribus tetigimus, neque ad sublime omnino extollitur, neque ad nostram penitus mensuram descendit. Nam quum Deus & homo ineffabili quodam conuersu verè sit, ita quasi medium locum retinet, ut nec deitatis vnquam terminos reliquerit, & hominis naturam contineat. Vtrò enim seipsum pro nobis humiliavit ut nos quoque filii & dii, non natura ut ipse, sed per gratiam appellemur, participatio ne spiritus ad ipsum reformati. Quando ergo non nihil ab eo ita dicitur, ut deitatis gloriae humana paruitas coniungi videatur, non turberis, sed admireris magis, quod tanta orationis vis sit, mirabileque artificium, ut qui dicit, tam natura Deus quam homo esse certè videat. Neque id dicimus, quia verbi natura ad humiliter detraeta sit (summa id namque amentiae iudicamus, cum nullam deitatis natura mutationem patiatur) sed quia exinanitionis voluntariae modus semper humanitatem retinens, propter humilitatis

A litatis habitum necessariò minorè quodammodo patre videri filium facit, quae equalis, consubstantialisque ipsi est, & in ipso & ex ipso vnigenitus Deus. Noli ergo mirari, si patris gloria propter humanitatem minor videatur, cum etiam idcirco ab angelis superari Paulus eum scripserit. Eum, ait, qui modico quam angeli minoratus est, videmus lesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, quem tamen angeli adorare iubentur. Cum enim introducat primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Seraphim quoque sancti seruuili habitu adistere in elato ipso sedente folio prophetis videbantur. Quantùm ergo ad ineffabilem ex patre generationem, non est proprietatis filii naturae humanae adlumptio. Ea verò ratione, qua homo factus est, proprietatis sua est. Permanens enim, quod semper erat & est & erit, ad id quod non erat, propter nos seipsum dimisit. Pater, igitur inquit, sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint vnum sicut & nos. Deitatis ineffabili virtute, ac potestate seruari discipulos rogat: & in persona patris, unde natus est, suam quoque naturam ut homo glorificat. Conserua igitur, inquit, ipsos in nomine tuo, quos dedisti mihi, id est, in nomine deitatis. Deitatis autem nomen datum sibi a patre, ait: non quia quum non esset natura Deus, ad deitatis dignitatem vocatus sit (non enim adoptatus est ut nos, sed natura filius est) sed quia ut scripturae testatur, homo factus est, quae ut Deus naturaliter habet semper, ut homo in nouissimis accepit temporibus. Animaduerte autem diligenter, quomodo viam, subsistentemque se virtutem, per quam vniuersa producta sunt, Dei patris esse demonstraui. Cum enim dixisset, serua eos, non sibi sufficit: sed conseruandi virtutem seipsum esse ostendens, serua eos, adiecit, in nomine tuo, quos dedisti mihi. Vides quod tuto vndique sermo munitur: sic quum naturae deitatis gubernationem nostram attribuerit, datam sibi esse deitatis gloriam illicò affirmavit, propter humanitatem suam datum sibi esse dicens illud, quod sibi semper adest natura, id est, nomen quod est super omne nomen. Quod filio adesse dicimus: naturaliter quidem, ut ex patre est: datum autem, ut homo est. Homo enim natura Deus non est: Christus autem natura Deus est, licet etiam homo esse intelligatur, propter id quod a nobis adsumpsit. Seruari autem in beneuolentia & charitate discipulos vult, animo & spiritu & pacis certissimo vinculo sic ad vnum copulatos, ut haec voluntaria vnio, naturalis in filio & patre vnitatis imago quaedam esse videatur: ut nullo videlicet modo, nulla vi voluptatis aut periculi frangi debilitariue possit: sed conseruetur in pietatis atque sanctificationis vnione charitatis virtus intemerata: quod & factum esse in Actis legitur. Erat enim, inquit, credentium cor vnum, & animus vnus, in vnitatem scilicet spiritus. Hoc est quod etiam Paulus scripsit: Corpus vnum & spiritus vnus. Nam etsi multi simus, vnum tamen corpus in Christo sumus. Omnes enim vno pane participamus, & omnes vno Christi spiritu peruncti sumus. Ut igitur in vno corpore futuros, & vnus spiritus ad intemeratam pacem participes, seruari Apostolus vult. Si quis autem voluerit ideo discipulos sicut patrem & filium vniri, quoniam non solum substantia, verum etiam voluntate vniti sunt, quum vna eademque penitus Trinitas voluntatis sit, non repugnabimus: praesertim cum eandem voluntatem totius Ecclesiae, id est, verorum omnium Christianorum esse videamus: licet consubstantialitas non aequali ratione de nobis, & de patre ac filio dicatur.

Caput XXI.

Quomodo essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, & custodiui eos. Et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio. Paulatim clarior saluatoris redditur sermo, & quasi ab umbra ad solis radios, aut a fluctibus in stationem reducit. Putabant enim discipuli absentiam Christi, ut hominis dico (Deus enim vbique adest) multorum eis incommodorum causam futuram: cum non

Non sic Paulus, sed Pauli interpres iuxta lxx. Paulus enim ex Psalmo dixit: qui modico a Deo minoratus est.

Philipp. 2

Act. 4

1. Corin. 13

non adesset, qui ab omnibus eos possit malis eruere. Sed oportebat (dicam enim etiam) si luminaria orbis postea facti sunt, non solum in carnem Christi, verum etiam in deitatem respicere: quæ quamuis oculis non cernatur, adest tamen semper summa cum potestate. Nec quicquam est quod prohibere possit, quin omnia repleat, & quod velit, peragat: non enim loco aut dimensionibus circumscripibilis natura diuina est. Quare quum Deus & homo Christus verè sit, oportuit eos intellexisse, ineffabili deitatis potestate vnà cum eis semper futurum, etiam si carne ab esset. Idcirco enim ipse quoque in superioribus dicebat: Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Apertè significans deitatis ratione, non carnis presentia eos posse seruari. Quippe ipsa etiam caro non à se sancta fuit, sed coniunctione verbi ad verbi virtutem quodam modo reformata, salutis atque sanctificationis participantibus causa est. Non ergo carni vt caro est, operationis diuinæ virtutem, sed naturæ verbi attribuimus. Hoc enim & non aliud significat, in patris nomine illos fuisse seruatos. Gloria enim Dei certè seruati sunt. Desolationis ergo formidinem pellens, idem per eadem verba sæpius reuoluit: salutem illis non corporali carnis presentia, sed deitatis potestate futura ostendens. Sed animaduerte quæso, quæta in oratione ad nostram ædificationem vis recondita sit. Nam quum petierit vt à Deo patre seruentur, ipse id se fecisse affirmat, æqualis se virtutis cum patre, imò verò subsistentem patris virtutem demonstrans. Nam qui eadem facere potest, quæ Deus faciat verus, quomodo & idem natura & æqualis potestate non erit: & qui vt Deus in nomine Dei eos seruauit, deitatisque gloriam ab operibus cõsecutus est: quomodo alterius quàm pater erit naturæ: aut quomodo Deus verus non demonstrabitur? Nulla enim res, quæ propria opera Dei sunt, facere potest, nisi substantialiter Deus sit. Retinet autem rursus speculationis duplicitatē oratio. Nam quod seruari potest, quos velit, longè à natura creaturarum abest. Quod autem nominis patris id attribuit, vt homo locutus est. Ita vt homo quidem longè ab hac re quodam modo se constituit: vt verò Deus & virtus omnipotens patris, virtus non operatione producta, sed ineffabiliter ex natura patris prodiens & eã manifestas, sibi ipsi contribuit. Si verò rursus deitatis nomen sibi datum fuisse adserit, non propter hoc (vt diximus) deitatis vnquam gloria caruisse credetur, quum humanitati suæ ad vnguem id accomodari videatur. Nihil enim habet à se ipsa creatura. Cõseruasse autem ita discipulos ait, vt nullus eorum præter perditionis filium perierit: perditionis verò filium appellauit, quia prauitate perijt sua. Non enim diuino in expugnabiliq; iudicio in diaboli laqueum proditorem incidisse, credendum est. Nam si sic esset, nullo modo culparetur, quum iudicio Dei nemo resistere queat. Nunc autem ita miser factus est, vt melius secum ageretur, si nunquam natus fuisset. Nulla enim necessitate, sed proprio iudicio fecit, quod fecit. Quare meritò perditionis filius nuncupatur, qui perditionem elegit. Non enim quia scriptum de illo est quod periturus esset, propterea eò nequitia processit, vt paucis argenteis preciosum Christi sanguinem traderet. Verum quoniam malignitate sua periturus omnino erat, idcirco id omnino futurum scriptura prædixit, quam falsò quicquid dicere impossibile est. Deus enim ipse per scripturam loquitur, qui mor es & vitam omnium nouit: vnuerforum enim tã præteritorum quàm futurorum scientiam ei Psalmista tribuit, dicens: Tu intellexisti cogitationes meas de longè, semitam meam & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas præuidisti. Quare quoniam nouit omnia, qui futura quasi presentia videt, per scripturam nobis hoc etiam prædixit. Non autem omnia quæ futura Deus nouit, aut vult, aut imperat, nec prædictio malum hortatur magis quàm dehortetur. Qui enim præsciuit, multo certè facilius, cum libera fuerit potestatis, diaboli laqueum vitare potuisset. Sed diceret fortassis quispiam: Si propria voluntate potestateq; libera ceteri diaboli laqueum fugerunt, solus autem Iudas incidit, quomodo illos seruauit Christus: aut cur Iudæ non profuit hæc

Matth. 26

Psalm. 38

hæc saluatio: Sed studium atque vigilia, o generose tu, quamuis proba & laudabilis sit, non sufficit tamen ad perfectæ operationem virtutis, sed salutem quidem vigilantes attendentesque diligenter acquirimus. Non sufficit autem id nobis, quum diuina gratia, quæ difficilia, facilia faciat: & arduam iustitiæ viam, planam nobis reddat, necessariò indigeamus. Nostra enim vis, nisi diuinitus sustentur, nulla penitus est, quod Psalmista confirmat clamans: Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Quare necesse est, vt iugiter, magnoque animo ad acquirendam salutem studeamus, & opem Dei qua protegatur, orando petamus. Cuius auxilio facile diaboli vires superabimus: nisi ei obsequamur, ad voluptates, aliosque peccandi modos prouocati, nisi quoque nos nec tentati quidem, illi voluntatis nostræ habenas largiamur. Nam si ad eius laqueum, sponte ac negligentia nostra venimus, quem alium potius, quàm nos ipsos criminabimur: nonne hoc est quod Salomon scribit: Amentia viri vias eius deuastat, & Deum incusat in corde suo. Quod si proditor æqualiter alijs discipulis saluatoris auxilium non habuisset, frustra hæc à nobis diceretur. Sin autem non minus quàm ceteri diuina gratia regebatur, sed suo ipsius iudicio in profundum perditionis delapsus sit, quomodo etiam non seruauit eum Christus, qui suum patrociniū ei præstitit, qui quantum ad ferendam opem illi attinuerit, seruasset hominem, nisi vltro ille in perditionem insilisset: Gratia igitur in alijs effulsit, seruauitque omnes qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt. Sic enim salutis nostræ modus dispositus est.

Psalm. 126

Prouer. 19

Capitulum XXII.

Hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Repetenda memoriæ sunt ad huiuscemodi loci absolutam intelligentiam, quæ modò dicebamus. Nam vbiq; tam deitatis dignitatem, quàm convenientem homini mensuram personæ suæ attribuit. Non enim abiecit, neque negat quod à nobis assumpsit, quum nulla re ipse indigens, sed perfectus ex perfecto seipsum humiliauerit: non vt quicquam sibi acquireret, sed vt nobis beatitudinem præstaret. Deum igitur atque hominem verè seipsum esse ostendens, discipulis hinc intelligendum reliquit, non minus se absentem, quàm presentem salutem eis allaturum, & qua ratione, quum adesset vt homo, ea etiam absentem seruire posse: non enim circumscribitur loco Deus, nec à realiqua vnquam abest, sed omnia implens, & omnia penetrans, in omnibus & extra omnia est. Quando igitur patrem alloquebatur, quum dixerit: Serua eos pater sancte, statim in nomine quod dedisti mihi, subiunxit: vt necessariò intelligatur, quoniam in eo ipso nomine à se quoque seruatos dicit, ab vna eademque deitate (hoc enim est nomē super omne nomen, quod Christo datum est à patre) illos seruatos fuisse subaperiens. Locutus ergo, inquit, in mundo hæc sum, vt gaudium meum impletum in discipulis sit. Quomodo autem, rursus dicere non grauabimur. Nam quum præsens esset carne Christus cum illis, vniversa se facile superaturos pericula putabant. Illo verò absente, omnia extrema se passuros arbitrabantur. Hac igitur de causa dominus noster Iesus Christus, nec se hominem negans, & Deum se esse ostendens, deitatis nomen vt homini datum sibi affirmat. In se autem & per seipsum conseruari credentes à patre adserit. Ex quibus omnibus illud subtilius emergit, quod etiam quum vt homo adesset, non hac ratione, sed deitatis virtute ac gloria illos cõseruabat. Nihil ergo mali accidere vobis potest, ait, si carne abfuero, quum deitatis meæ potestas, quæ vos hucusque seruauit, in posterum etiam seruatura sit. Hæc non ideo dicimus, quia domini corpus non magni æstimemus, sed quia mirabiles hos effectus, gloriæ deitatis attribuendos putamus. Nam ipsum etiam domini corpus coniuncti virtute verbi sanctificatur, & ad benedictionem mysticam ad eò actiuum fit, vt possit sanctificationem nobis suam immittere. Vnde ipse quoque

Philip. 2

FFF salua-

Ioannis 6

saluator cum ad Iudæos multa de carne sua differeret, ac viuificum verè panem eam appellaret: Panis enim, inquit, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita: stupentibus illis, & quomodo id fieri posset, dubitantibus, dicebat: Spiritus est qui viuificat, caro nihil prodest. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus sunt & vita. Apertè namq; hic ad sanctificandum, viuificandumq; nihil prodesse carnem ostendit, in quantum scilicet naturæ humanæ caro est. Quum igitur deitatis seruatio attribuat, non debetis, inquit, carnis præsentiam propter hoc desiderare. Hæc in mundo loquor, vt gaudium meum in vobis impletum sit. Quod autem est impletum verè atq; perfectum gaudium: vt sciamus, firmiterq; credamus non solum hominem illum, sicuti nos, absq; peccato, sed verum etiam Deum esse. Hoc enim solummodo pacto etiã carne abfens seruire suos poterit, qui perfectum habebunt gaudium, quum se virtute omnipotentis protegi non dubitent.

Caput XXIII.



1. Timoc. 6

Ephes. 1

Galat. 6
1. Corin. 4

1. Corin. 1

Go dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos a malo. Opus esse nobis diuina ostendit beneuolentia, quam eis retribuit, qui propter nomen suum odio habentur. Odit enim mundus omnes, qui mandata Dei seruantes, carnales mundi voluptates contemunt, qui merito gratia & auxilio suo in bono conseruantur. Nam quomodo si propter Deum bella mundi subeunt, nec terrore villo ab eius amore mouentur, non iure ab ipso diliguntur: Propterea saluator ait: Quia ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odit, quia ex mundo non sunt, sicut ego non sum ex mundo. Libenter, inquit, sermonem tuum, id est, prædicationem Euangelicam, o pater, susceperunt, quæ longè à mundo, terrenisq; desiderijs credentes amouet. Quapropter & à mundo, id est, à voluptuosis ac sordidis hominibus odio habentur. Non enim possunt eis esse iucundi, cum terrena omnia contemnant, & huius mundi vitam abominentur, peccata eorum redarguentes, avaritiam vndiq; pellentes, inanem gloriam respuentes, & matrem malorum omnium, cupiditatem habendi exterminandam esse docentes, & demum ab errore atq; impietate ad verum Deum reuocantes: quas ob res odio, inquit, habentur in mundo. Non enim turpi quadam de causa id patitur, sed quoniam sermonem tuum eis dedi, ac ideo extra mundum facti sunt, me imitati. Longè namq; abest disciplina Christi à terrena huius mundi, & sordida disciplina. Propterea vestigia eius diligenter sequi Paulus consuluit: quæ tunc maximè sequimur, quando carnali desiderio spreto, sola cœlestia desideramus. Cum apostolis autem seipsum rursus propter humanitatem suam collocauit, cuius vt hominis imitatione, mundo contempto ad omne genus virtutis accingimur, vt modò dicebamus. Quod & Paulus confirmans dicit: Per quæ mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Et alibi: Imitatores mei sitis, sicut ego Christi. Imitabatur autem Christum Paulus, non in quantum est creator dominus rerum omnium (impossibile namque homini est, & omnino creaturæ, quicquam ex nihilo producere) sed in quantum mirabilem viuendi illius disciplinam, tanquam exemplar (vt homini possibile atq; fas est) in seipso transpungebat. Nobis igitur seipsum Christus connumerauit vt homo, imò (vt verius dicam) etiam ad hoc bonum dux & princeps humano generis fuit. Non enim alius quam ipse mundum exire nos docuit: supra mundum sanè doctrina & vita Euangelica est. Sed veluti, inquit, mundus me odit, eodem & istos etiam pacto. Odit autem mundus Christum, quia verbis Christi repugnat, & cum voluptati deditus sit, admonitionem eius non recipit. Et quia discipuli Christi imitant, ipsi quoq; similiter odio habentur, quoniam ab errore ac voluptate ad Christum reuocant. Pro Christo deprecamur, inquit Paulus, reconciliate vos Deo. Sed postq; odio haberi à mundo illos docuerit, pro eis rogat, dicens: Non rogo vt tollas eos de mundo,

A mundo, sed vt serues eos à malo. Non enim à rebus humanis, nec ab hac vita, antequam ministerij sui absoluerint, antequam virtute pietatis effulserint, tolli sanctos vult: sed postquam virtutibus rutilarint, & multos exemplo & doctrina sua re duxerint, tunc ad supernam vocat ciuitatem & in angelorum collocat choris. Quare sanctorum etiam quidam ad Deum canebat: Ne reuoces me in dimidio dierum meorum. Non enim indemne religiosis animis est, antequam præcipua disciplina viuendi confirmetur, naturæ concedere. Quare lex quoq; ipsa Mosaica in loco supplicij mortem citius dari docens, sapius consulit, ne pecces, ne ante tempus moriaris. Præterea si sancti festinantius hinc abirent, non paruo infirmiores in fide detrimento afficerentur: imò verò nullo modo ad pietatem instituerentur doctoribus carentes. Quod non ignorauit Paulus: Melius, inquit, mihi est resolui & esse cum Christo: sed propter vos permanere in carne necessarium est. Quare sine luminaribus ac sole remanere homines in mundo noluit. Ideo inquit non rogare se, vt tollantur de mundo, sed vt conseruentur à malo, virtute omnipotentis Dei tentationum impetum superantes. Illud etiam notandum, quod doctrinam Euangelicam, quæ à seipso constituta est, patris esse ait: idem enim ipse cum patre identitate substantiæ demonstratur. Quare non iniuria Iudæorum populus ipsum audiens stupebat, quod non vt Scribæ, sed cum magna potestate docebat. Illi enim vbiq; quod lex volebat, exponere atq; interpretari se prædicabant. Dominus verò noster Iesus Christus, vmbri figurisq; prætermisissis, magna cum potestate dicebat: Dicitur est veteribus, non mœchaberis: ego autem dico, non concupisces. Nam quamuis nihil addendum legi, nihil auferendum scripturæ sit, abstulit tamen & addidit Christus, à figura in veritatem transponens. Non erat ergo legi subiectus, id est, in creaturis non computatur. Qui enim creatura & seruus naturaliter est, illi conuenit vt legi subiiciatur. Sermo igitur patris, etiã Christi proprius est. Ipse namq; est patris verbum. Quod cum in patre & ex patre sit, Dei voluntatis est enunciatiuum. Deum autem quum dicimus, verum & solum Deum intelligimus, qui in patre & filio & spiritu sancto intelligitur.

Caput XXIII.

B E mundo non sunt, sicut ego non sum de mundo, sanctifica eos in veritate: verbum tuum veritas est. Ostendit rursus, perspicuumq; facit, pro quibus Deum patrem rogat, vt intelligatur, quorum mediator et pontifex in scripturis appelletur. Pro fidelibus enim & diligentibus eum, si quicquam vt homines commiserint, aut si tentationibus vexentur, patrem adit vt mediator, & vnà cum patre dona dignis collargitur. Decet enim id ab eo fieri, quia Deus secundum naturam est. Habent igitur, inquit, qui sermonem tuum receperunt, o pater, imaginem meam in ipsis fulgentem, qua tuo filio conformes facti, imitatione ipsius fluctus malignitatis mundanæ nauigant, ab omni turpitudine huius vitæ alieni. Propterea conserua eos in veritate tua. Naturalis enim in Christo ac supra humanam rationem puritas est. Nam quum Deus verus sit, peccato subiaceri non potest: imò verò fons est virtutis atq; sanctificationis. In discipulis verò cæterisq; fidelibus puritas, id est, ne terrenis rebus maculentur, non aliter inesse potest, quam per diuinam gratiam, quæ peccatorum maculas abstergens, sanctificatæ vitæ splendorē adferat, non permanet tamen nisi vigilemus. Rectè namq; Paulus ait: Qui credit se stare, caueat ne cadat. Semper enim fluctibus nostra conditio agitur. Semper diaboli malignitas vel iam probatos euertere conatur. Cibi enim eius electi sunt, vt quidam Propheta ait. Quum igitur alienam à mundo vitam discipulis attestatus sit, eis substantialis suæ puritatis conformationem per imitationem seruari à patre rogat, quasi dicens: Si vita mundi viuerent, o pater, si terrenis voluptatibus inuoluti diabolo seruirent, non aggredere ille suos, qui viuendi turpitudine malignitatē eius sequerentur: sed quoniam imitatione splendorē meum moribus eorum immittere studet, propterea diabolus

FFF ij bolus

bolus eos persequitur. Quare seruari eos volo; neq; id absq; veritate tua. Ego autē sum secundum naturam tua veritas, consubstantialis, viuēs atq; subsistens. Acriter aut animaduertere oportet in omnibus (vt vno verbo dicā) quas patri attribuit operationes, sui quoq; ipsius coniunctim mentionem fieri. Quare verū esse illud ostēditur: quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil. Mox enim in nomine dato sibi, nunc aut in veritate patris seruari eos vult. Quid porrò hæc verborum varietas sibi vult: quid aliud, quā vt operationem patris in conseruandis sanctis variam esse ostendat: Nā cum in nomine patris dicat, in gloria & virtute deitatis liberari credentes confirmat. Quod ipse aperiens, ad Petrum dicit: Simō ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret vos sicut triticum. Ego aut rogavi pro te, vt non deficiat fides tua. Nam pleraq; eorū, quæ ad nos pertinent, occultè dispensantur, cum Christus nobis provideat, vitamq; nostram omnipotentia sua protegat. Cum verò in veritate seruari sanctos roget, splendore veritatis ad cognitionem ipsius veritatis deduci fideles docet. Nemo enim absq; illuminatione spiritus veritatem cognoscere poterit, nec diuina dogmata humana virtute assequetur. Excedunt enim mentem hominis nostra mysteria, ingensq; donum est Christū cognoscere. Vnde Petrus ille qui verè filium Dei viuū Christū fuit confessus, ilicò audiuit: Beatus es tu Simon Bar lona, quia caro & sanguis nō reueiauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. Reuelat enim sanctis filiū suum. Qui cum veritas sit, non dimittit Satanā ad adulteri-nū sensum, fidelium mentem impellere. Cui diuersis tēporibus Hymeneus & Alexander adherentes, naufragio fidei, veritatis doctrinā perdidērunt. Ingens igitur donum est, in rectis cogitationibus & operatiōibus permanere, in nomine Dei & iu veritate à patre conseruatos. Sic enim nec agendo delinquemus, nec imperitia longè à veritatis dogmatibus excidemus, quod facillè fiet, si extra mundi facti, in mundo natos esse non negemus. Ex limo enim & de terra sumus, sed qualitate operum ac fide conformitatē Christi assequimur. Considerandū aut est, q̄ aptè modò sanctum appellauit patrem: ita enim sanctis eum gaudere monet. Sanctum autem est, quod à fordibus mūdi longè abest, quod similitè in Christo (sicut etiam in patre) naturaliter inest: de foris autem in sanctos aduenit, splendore vitæ sanctificationeq; gratiæ ad supernaturalem imaginem gratiæ reformatos.

Caput XXV.

Icut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundū: & ego pro eis sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Sanctum modò patrē nominauit, & seruari discipulos in veritate, id est, in spiritu suo rogauit. Veritas enim etiam spiritus secundum Ioannem est, veritatis enim, id est, vnigeniti filij spiritus est. Misisse autem eos in mundum ait, ad imitationem suæ missionis. Apostolus enim, id est, missus, & pontifex confessionis nostræ, Iesus secundum Paulum factus est. Ad apostolatū igitur discipulis constitutis, opus esse ille ait, vt à patre sanctificentur, spiritū sanctum mittente per filiū. Nunquam enim verè illō splendoris apostoli peruenissent, vt totius orbis fierent luminaria, nec tot rantasq; diaboli tētationes vicissent, nisi participatione spiritus animum armassent. Per quam ad mandatū, quod naturam hominis excedit, roborati, ad intelligēdas rectè scripturas & Ecclesiæ dogmata perducti sunt. Vnde saluator cum post resurrectionē in toto prædicare doctrinā Euangelicā orbe illos iusserit, id quoq; iussit, ne à Hierosolymis abeant, sed expectēt repromissionem patris, quam ab eo & prophetis audierunt. Effundam enim, dicit dominus, in diebus illis de spiritu meo in omnem carnem. Ipse autē saluator, multa vobis, dicebat, habeo dicere, sed non potestis ferre modò: cum autem venerit ille spiritus veritatis, deducet vos ad omnem veritatē. Et rursus: Ego rogabo patrem, & alium paraclētum dabit vobis. Spiritus enim, Dei patris proprius est: sed non minus etiam filij proprius est, nō vt alius

A vt alius atq; alius, vt diuisim in vtroq; Sed quoniā ex patre & in patre filius est, cum sit fructus substantiæ eius, proprium patris spiritum secundum naturam possidet: qui profunditur quidem ex patre, per filium autem creaturis donatur: non ministerij modo, sed sicut mox dixi, ex ipsa quidem substantia Dei patris prodiens, profusus autem ad sanctos per consubstantialē verbum, à quo est secundum emissionem adesse atq; subsistere, manetq; in ipso, & est semper coniunctim simul atq; diuisim. Subsistere enim filium dicimus, & in spiritu suo eum esse, & spiritum rursus in eo confitemur. Quod autem spiritus patris, filij quoq; spiritus est: quodq; quum à patre sanctis distribuatur, à filio quoq; propter identitatem substantiæ cum patre distribuitur, & quod omnia quæ pater agit, per filium agit, apertissimè ipse declarauit dicens: Conducit vobis vt ego abeam. Nisi enim ego abiero, paraclētus non veniet ad vos: quum verò abiero, mittam illum ad vos. Hic enim se missurum liquidò pollicitus est. Et alibi: Et ego, inquit, rogabo patrem, & alium paraclētum dabit vobis. Quoniā igitur, inquit, ad imitationem missionis meæ in mundum discipuli mei, qui meis verbis inhaerent, mittuntur: serua eos pater sancte in veritate, id est, in verbo tuo. In quo, & per quod sanctificans spiritus & est, & procedit. Sed quæ in his verbis saluatoris intentio est: sanctificationem in spiritu & per spiritum ad nos ex patre deriuabat, & quod erat in initio, quando à Deo creati fuērā, id ipsum renouat. Hæc autem dicimus, quia mediator est Christus, & harum rerum omnium vt Dei filius autor. Sed ne obscuritate ista tegantur, latius dicenda videntur. A limo igitur terræ formatum hominem à Deo, Moses scripsit. Et quomodo animatus fuit docens: inspirauit, inquit, in faciem eius spiraculum vitæ: ita non absq; sanctificatione spiritus animam homini datam significat, nec à diuina natura penitus destitutam. Nunquam enim ad supremæ naturæ imaginem humilitas nostra conscenderet, nisi à spiritu, voluntate videlicet patris pulchrè conformaretur. Quoniā enim imago exquisita vnigeniti spiritus est, vt ait Paulus (Quos enim, inquit, præsciuit, hos & prædestinauit conformes imaginis filij eius) eos, in quibus habitat, conformes reddit imaginī patris, id est, filio. Sic vniversa per filium ad patrem ex quo est, in spiritu reducuntur. Renouari ergo ac reformari quodammodo ad imaginem primam participatione spiritus naturam hominis rogat, vt primam illam gratiam induti, peccatum quod in hoc mundo regnat, superare possimus, charitati diuinæ inhaerentes, & virtuti toto animo studentes, vt carnis lege superata, pulchritudinem immissæ nobis imaginis inuolatam seruemus. Hæc enim est vita spiritualis. Hæc est Christianæ religionis virtus. Sed breuiter iterum repetamus priscum humani generis donum, id est, quomodo sanctificationem spiritus, & diuinæ naturæ participationem, vt in primitijs susipientium discipulorum Christus ad vos reuocat. Sed quoniā verum est, quod trita consuetudine dicitur, oportere agricolam primū de frugibus gustare (oportuit enim, quum ipse propter similitudinem nostrā in multis fratribus sit primogenitus, originē esse ipsum, & ianuā & viā nobis ad omne bonum) propterea necessariò subiunxit, & pro eis ego sanctifico me ipsum. Quod tam intellectu, q̄ explicatu difficile nimium est. Sed qui vniversa illuminat, & profunda de tenebris educit, hoc quoq; nobis mysteriū declarabit. Sanctificari secundum legalem cōsuetudinem dicitur, quod vt sacrum Deo ab hominibus offertur: quæ admodum & omne primogenitum vuluam aperiens in filijs Israel. Sanctifica enim, inquit, omne primogenitū, id est, tribue ac describe tanquam sacrum. Non enim audiendus est, si quis dicet sanctificationem imponere primogenitis Mosi iussum fuisse. Nulla enim creatura hoc facere potest, sed soli Deo attribuitur. Vnde cum seniores sanctificare Deus vellet, manifestè dixit ablaturum se de spiritu Mosi, & daturum electis de senioribus. Participatione nanq; spiritus sanctificare, supremæ tantummodo naturæ opus est, hanc sanctificandi secundum legem significationem, perspicuam Salomon facit, dicēs: Laqueus viro est citò sur-

Ioannis 16
Ioannis 14
Nota.
Genesis 2
Roma. 8
Spiritualis Vita.
2. Timot. 3
Roma. 8
Exodi 34
Exodi 13
Nume. 18
Prouer. 20

Sanctificauit Christus se pro nobis. Ephesi. 1
Sanctificauit Christus se pro nobis. Ephesi. 2
1. Ioann. 4 Galat. 4
Roman. 5 Roma. 4 Sanctificauit se in veritate.
Alus sensus.
Esaie 53 Coloss. 3
 orum aliquid sanctificare. Sequitur enim poenitentia plerumque post votum. Ita sanctificare, offerre quicquam Deo secundum legis consuetudinem significat. Pro nobis igitur Christus se sanctificauit: obtulit nempe seipsum Deo patri ut sanctam hostiam, mundum ei reconcilians, & lapsum genus humanum in amicitia eius restituens. Ipse enim est pax nostra, ut scribitur. Præterea reductio generis nostri ad Deum, non aliter per saluatorem Christum facta est, quam participatione atque sanctificatione spiritus. Spiritus enim est, qui nos Deo coniungit, cuius participes facti, supremæ naturæ participes reddimur, ipsum quoque patrem in filio & per filium recipientes. In hoc, inquit Ioannes, scimus quia in Christo manemus, & ipse in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis, & Paulus: Quando, inquit, filij estis, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem, abba pater. Nam si expertes sancti essemus spiritus, nunquam Deus esset in nobis: si spiritum non haberemus, per quem in filios Dei adoptamur, nullo modo essemus filij Dei: nunc autem participes supremæ naturæ, & templa Dei sumus. Pro nostris enim peccatis vnigenitus Dei filius homo factus ut sacram hostiam in odorem suauitatis Deo patri seipsum obtulit: ut quum è medio ablatum sit, quod à Deo nos separat, id est, peccatum, nihil nobis impedimento sit, quin si voluerimus, Deo adhæreamus, ac participatione ipsius per spiritum sanctum fruamur, reformantes nos ad iustitiam, ad sanctificationem, & ad imaginem primam. Nam si peccatum à Deo dissepreat, iustitia certè coniunget, ac nullo quodam modo intermedio, Deo nos adhaerere faciet. Iustificati autem sumus per fidem in Christum, qui pro peccatis nostris traditus est, ut scribitur, & resurrexit, ut nos iustificaret. Tota enim in eo, ut in primitijs, ad nouam vitam naturæ hominis reparata, ad pristinam conditionem & sanctificationem conscendit. Sanctifica igitur eos in veritate tua, id est, in me pater, ait verbum enim tuum, i. ego, veritas est. Sanctificauit autem seipsum pro nobis. i. obtulit, quum pro vniuersis mortuus sit, ut omnes ad nouam vitam reformaret, ut sancti sint in veritate, id est, in Christo. Sed iam hoc loco ita exposito, non est inutile tam nobis quam studiosis alium etiam sensum, & aliam viam ingredi. Pro nobis igitur sanctificare seipsum dicit, ut & nos sanctificati simus in veritate. Sed quomodo sanctificatur, qui naturaliter sanctus est? Age rursus dogmatibus Ecclesiæ in hæretes, ac rectam fidei regulam prætereuntes (quantum in nobis situm est) speculemur. Cum Deus natura vnigenitus sit, ex inaniuit seipsum, factus homo ex muliere. Naturam enim nostram absolutissimè absque peccato, ineffabiliter sponte sibi coniunxit: ut eam in se primò, & per seipsum ad pristinam pulchritudinem restitueret: utque cœlestis ipse homo & Adam secundus, primus omnium in noua vita, in incorruptione videlicet, in iustitia & sanctificatione spiritali constitutus, cuncta per seipsum bona generi nostro immittat. Ita quamuis secundum naturam ipse vita sit, mortuus tamen est, ut in nobis nostra morte destructa, ad suam nos vitam reformaret. Quumque ipse sit iustitia Dei patris, peccatum propter nos factus est. Ipse namque (ut ait Propheta) peccata nostra tulit, & reputatus cum iniquis, chirographo, quod aduersus nos fecimus, per crucem suam laniato, nos iustificauit. Cum igitur sanctus natura sit ut Deus, cumque ipse sanctificationem spiritus creaturis immittat, efficiatque ut creatura et sit, & duret in sancto spiritu, propter nos sanctificatur, non ab alio id acquirens, sed ipse suæ carni sanctificationem immittens. Ita spiritum sibi ipsi ut Deus præbet, & ut homo accipit: quod non propter seipsum, sed propter nos fecit, ut ex ipso, & in ipso primò recepta sanctificationis gratia, ad totum genus transiret. Nam quemadmodum præuaricatione primi hominis, ut in primitijs generis nostri, morti addicti sumus, in ipso primò audiētes, terra es, et ad terram reuerteris: eodem & arbitror modo per obedientiam & iustitiam Christi, in quantum legi seipsum subiecit, quamuis legis autor esset, benedictio ac viuificatio, quæ per spiritum est, ad totam nostram penetrauit naturam. Nam quod per peccatum corruptum est, id ipsum spiritus ad incorruptionem reformat, & ad nouam vitam restituit, quod interitum

A teritum ex negligentia passum est. Quomodo igitur, quispiam dicet fortassis, participatione sanctificatus fuit, cum sanctus secundum naturam sit: quomodo qui cœlestibus atque terrestribus spiritum suum largitur, sibi quoque largiri dicitur? Difficilia hæc sunt, & omnino insolubilia, si Dei verbum per seipsum sanctificata carne nudum consideres: sin verò ineffabilem vnionem eius cum natura nostra memoriæ habebis, omnis confestim ex animo tuo longè abibit turbatio. Nam cum credas Deum simul & hominem esse filium, quæ hominem decent, ea etiam si ad vnā eandemque personam vnigeniti confluant, absurda tamen non videbuntur. Nonne alienam penitus, quæso, à viuificante verbo mortem putabimus: passus tamen id carne creditur, quæ mortis susceptibilis est: & ipsum dicimus fuisse mortuum, quoniam ut homo mortuus fuit. Progrediaris igitur eadem via in sanctificandi rationem. An fortè putas, secundum naturam, etiam si sanctificationem diuinitus non accepisset, corpus domini sanctum fuisse? Et quoniam modo id fieri potest, aut quæ differentia esset inter carnem terrestrem, & substantiam, quæ secundum naturam sanctificatiua est? Quod si verum est, sicuti certè est, nullum, quod ex nihilo productum est, sanctificationis fructum per naturam habere, sed hanc gratiam ab eo acquirere, qui natura sanctus est: quomodo non erit absurdum non indignissime sanctificatione Dei carnem domini putare? Quoniam ergo caro Christi non natura sancta, sanctificata in Christo est à verbo Dei, quod habitat in ea, quodque templum suum per spiritum suum sanctificauit, & ad sanctificationem suæ naturæ traduxit, propterea de cœlo ad eum spiritus sanctus in specie columbæ descendit, ut Ioannes testatus est: ut discamus, in primum Christum, spiritum ut in hominē sanctificationis susceptibilem, ad nostram renouationem naturæ descendisse. Nec dicimus tunc secundum carnem sanctificatum fuisse Christum, quando Baptista in specie columbæ descendente spiritum vidit. Sanctus enim etiam in utero matris fuit. Vnde ad virginem quoque dictum est: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Sed in signum Baptistæ hoc datum fuit. Arbitramur autem carnem domini per spiritum fuisse sanctificatam, similitudine aliarum creaturarum, proprio templo à filio Dei peruncto, sicut Psalmista quoque vnigeniti personam cum humanitate considerans, clamat: Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Nam cum filius suum templum perungat, pater, qui omnia per filium facit, id quoque perungere dicitur. Ad quem omnia, quæ filius agit, referuntur: radix enim & fons filij est. Non est igitur mirum, quæ natura sanctus sit, sanctificatum tamen esse profiteri, cum scriptura (quæ natura Deus sit) Deum tamen eius nuncupet patrem: quæ omnia humanæ naturæ tribuentes, non errabimus. Nam quemadmodum ut homo mortuus est, cum sit natura Deus: quemadmodum sub iugo fuit, cum sit dominus omnium: quemadmodum patrem Deum appellat suum, cum ipse sit Deus: sic propter nos seipsum sanctificat, ut ab eo ad nos sanctificatione redundante, ipso sanctificemur in veritate, id est, in spiritu sancto, nam & spiritus veritas est, iuxta Ioannem. Non est enim aliud à filio spiritus ratione substantiæ, qui & in eo est, & per eum procedit. Missum autem se in mundum dicit, à quo nunquam abfuit. Erat enim in mundo, inquit, & mundus eum non cognouit: non aliud per missionem intelligens, quam quod homo factus, spirituque perunctus, prophetici similitudine ministerij, magni fuit consilij angelus. Ad imitationem autem suam ordinatos, missosque à se discipulos, Evangelicam & cœlestem doctrinam mundo prædicaturos indigere ait necessariò, ut in veritate sanctificentur, ut possint sui ministerij cursum absoluere.

Caput XXVI.

Non pro his tantum rogo, sed etiam pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes vnū sint, sicut tu pater in me, et ego in te: ut & ipsi in nobis vnū sint, et mundus credat, quia tu me misisti.

Initium reparandorum in nouam vitam, & primus homo cœlestis Christus fuit; secundus enim Adam, dominus est de cœlo, vt Paulus ait, idcirco dicebat: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit filius hominis. Initio autem & originis multo propinquiores, qui primò electi, sequendi Christum dignitate decorati sunt; qui gloriam eius oculis viderunt, qui ei semper inhærentes, conuenientesq; salutis præcepta in animis suis congesserunt; meritò igitur post caput omnium preciosissima ipsi corporis membra effecti sunt. Ad quos benedictionem spiritus à patre petijt per seipsum dandam, vt in superioribus dictum est. Verùm ne quis ex leuitate, aut ex malitia putaret ad discipulos solummodo Christi spiritum à domino petiuit, nihil verò de nobis, qui post illos sumus, à pontifice, mediatoreq; animarum nostrarum dictum esse; necessariò subiecit, non de illis solummodo serrogare, sed de credentibus etiam in eum per prædicationem illorum. Absurdum enim esset certè atq; incongruum, si cū vnus primi hominis peccato vniuersum genus condemnatū est, non similiter per iustitiam Christi vniuersa iustificaretur natura. Nā quemadmodū terrestris Adæ imago, peccato & sordibus, infirmitate voluptateq; carnis, interitu deniq; atq; morte cognoscitur; sic cœlestis Adæ imago, vita, incorruptibilitate & sanctificatione, cæterisq; huiusmodi perspicitur. Non erat aut possibile ad pulchritudinē nos pristinam reduci, cū semel reformati fuerimus, nisi Deo cōiungeremur; sic enim ab initio fueramus decorati. Cōiungi verò Deo nemo aliter, q̄ sancti spiritus participatione potest, propriā nobis sanctificationē immittentis, & ad vitā suam interitui subiectam naturam hominum reformatis, imago enim sincera patris filius est; naturalis aut similitudo filij, spiritus & creditur, & est. Idcirco cū in se animam hominis reformet, diuinam in eo imaginem imprimit. Dominus igitur noster Iesus Christus, non de duodecim solum discipulis, sed de omnibus, qui credituri diuersis tēporibus per doctrinam Euangelicam in eū fuerant, rogat, & petitionem hanc suā perspicuam nobis esse voluit; vt ex hoc discamus, per quā iustitiæ semitam ad seruanda præcepta eundū sit. Quis igitur est iste petitionis modus? vt, inquit, vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi vnum in nobis sint. Charitatis ergo, pacis & concordia vinculū petit, quod ad tantam spiritalem credentes vnionē perducatur, vt naturalis consubstantialisq; in patre, filio atq; spiritu, vnionis similitudinē imitetur. Nec tamen huius charitatis virtus atq; connexus efficere vnq̄ poterit, vt incommutabiliter in identitate substantiæ ita vniamur, vt modum vnitatis diuinæ adsecuti videamur. Illa enim cū naturalis et vera sit, in substantiæ ratione inspicitur; hæc verò vnitatis habitum imitatur. Quō enim veritati primitiua per imitationē nos adæquabimur? Non enim idem est veritas, & veritatis imitatio; sed quāuis proportione atq; similitudine æqualitē habere videantur, distant tamen in gentibus differentijs. Quando igitur ad euertendam naturalem Trinitatis identitatem hunc locum in medium hæreticus adfert, quemadmodum, dicens, nos non identitate absoluta corporum, nec animarum alterius in alteram cōfusione vnum sumus, sed affectu charitatis, animarumq; ad seruanda mandata Dei consensu; sic & vnum filius cū patre est; repellamus vt imperitum & impium. Quare sic; quia quæ supra nos sunt, ea conditionem nostrā sequi, & corporali necessitati subijci impossibile est. Nā si nulla inter nos & Deū differentia esset, tunc rectè illud diceretur; si verò infinitum caduca hæc natura hominū à Deo distat, non est possibile, quasi exactam regulā, quæ nostra sunt ad Deū transferre. Nec decet quæ prima sunt, posteriorum conditione honorari, nec posterioribus virtutē primorum ad vnguē attribuere. Verū ne longiores esse videamur, illud necessariò dicamus. Quum Christus per substantialē, quam cum patre habet, vnitatem, quam ad imaginem concordia, consensusq; animorum in se gerit, modo simili voluit nos quoq; inter nos consubstantialis virtute Trinitatis (quantū nostræ naturæ licet) vniri, vt duorū populorum ad vnum perfectum in Christo populum con-

A lum concursu atq; conuentu, vnum totius Ecclesiæ corpus intelligatur. Ipse namq; pax nostra est, vt ait Paulus, qui fecit vtraq; vnum, & mediū parietem maceria soluens inimicos in carne sua, legem mandatorum suorum decretis euacuans, vt duos conuertat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo, per crucē interficiēs inimicitias in semetipso, quod iam consummatum est; credentes enim in Christum, vnum animum cōsensu pietatis, & credendi obedientia possident. Hæc quidem aliena esse non arbitror; verum quoniā propositi textus vis sublimiora dicere cogit, saluator quoq; inuitat, dicens: Sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnū sint; considerandum est, si ad vnitatem consensus & voluntatis, naturalem etiam inuenire possumus, per quam nos inter nos, & omnes Deo colligemur; fortassis enim etiam corporali vnione coniungimur, licet adeò disseparati simus, vt vnusquisque seorsim & subsistat & circūscribatur. Nam si Petrus & Paulus vnum vnitate in Christo sint, Petrus tamen Paulus non est. Age igitur, quum Trinitas vnum natura sit, consideremus quomodo etiam nos ipsi inter nos corporaliter, et cum Deo spiritualiter vnum sumus. Ex Dei patris substantia vnigenitus prodiens, & totum in sua natura genitorem possidens, caro factus secundum scripturam est, seq; ipsum naturæ nostræ ineffabiliter coniunxit atq; vnuit. Qui enim natura Deus est, verè homo factus est, non theophorus, id est, Deum in se per gratiam habēs, vt mysterij vim ignorantes contendunt; sed verus Deus simul & homo est. Sic quæ inter se plurimum secundum naturam distant, in vno seipso coniunxit, & naturæ diuinæ participes nos effecit. Communicatio enim spiritus, & (vt ita dicam) mansio, primū in Christo fuit, & ab eo in nos penetrauit; quum homo factus, ipse templum suum proprio spiritu peruxit atq; sanctificauit. Origo igitur & via, qua spiritu sancto participamus, & Deo vniti sumus, Christi mysterium est. Omnes enim in illo sanctificamur. Vt igitur inter nos & Deum singulos vniret, quāuis corpore simul & anima distemus, modum tamen adinuenit, consilio patris & sapientiæ suæ congruentem: suo enim corpore credentes, per communionem mysticam benedicēs, & secum, & inter nos vnum nos corpus efficit. Quis enim eos, qui vnus sancti corporis vnione in vno Christo vniti sunt, ab hac naturali vnione alienos putabit? Nam si omnes vnum panem manducamus, vnum omnes corpus efficimur; diuidi enim atque seiungi Christus non patitur. Idcirco etiam Ecclesia corpus Christi facta est, & nos singuli membra Christi, secundum Paulum. Vni enim Christo per corpus suum coniuncti, quoniam in nobis illum, qui est indiuisibilis, accepimus, ipsi potius, quā membra nostra accommodantur. Quod autem Ecclesia corpus à singulis hominibus tanquam membris compositum, saluator verò caput sit, Paulus ostendit dicens: Vt iam non simus paruuli fluctuantes, nec circumferamur omnivento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris; veritatem autem sequentes, in charitate crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & cōnexum per omnem iuncturam subministratioem secundum operationem in mensuram vnus cuiusq; membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Quod autē corporalis hæc vnio ad Christū participatione carnis eius acquiritur, ipse rursus Paulus de mysterio pietatis differens, testatur: Quod alijs, inquit, generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis apostolis eius, & prophetis in spiritu, esse gentes cohæredes & concorporales, & participes promissionis in Christo. Si autem omnes inter nos in Christo vnum sumus corpus, nec inter nos solum, verum etiam cū eo, qui per carnē suā ad nos transiuit; quomodo vniuersi & inter nos, & in Christo vnum non erimus? Christus enim est huius vnionis vinculum, qui Deus simul & homo est. Sed de vnioe corporali satis, de spiritali autem eandem viam sequentes dicimus. Quia spiritu sancto recepto, et inter nos

Ephesi. 2

Theophorus quid.

Ephesi. 5

Ephesi. 4

Ephesi. 3

Ephel. 4 nōs quodammodo & cum Deo vnimur. Nam quāuis vniciq; nostrum patris, & suum Christus spiritum distribuit, indiuisibilis tamen spiritus est, & distribu-
tus singulis spiritus in seipso vnit, & omnes, quibus distributio facta est, vnum in
seipso efficit. Et sicut virtus sanctissimæ Christi carnis vnum corpus facit partici-
pantes: eodem arbitror pacto, in quibus indiuisibilis Dei spiritus habitauit, eos om-
nes ad vnitatem spiritalem conducit. Ideo rursum Paulus nobis scripsit: Suppor-
tantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatē spiritus in vinculo pacis: vnum
corpus, & vnus spiritus, sicut & vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus do-
minus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium, qui super oēs, &
per omnia, & in omnibus nobis. Cū enim vnus in nobis habitat spiritus, vnus
verus & pater omnium per filium suum in nobis habitat, ad inuicem & secum sui
participes spūs vniens. Quōd autē spiritui sancto sic vniamur, etiā hac ratione mo-
do quodam percipitur. Nam si animale vitā contempserimus, & legi nos spiritali
subiecimus, nostri dominum in omnibus spiritū facientes, perspicuum est ad aliā
quasi naturam nos transformari: cū viuendi animalitatis nostræ modum fugientes,
conformationē habitantis in nobis spiritus mirabilem susceperimus, non solū ho-
mines, verū etiam Dei filij, cœlestesq; homines participatione diuinæ naturæ v-
num effecti. Ergo in patre, filio, & spiritu omnes sumus vnum. Vnū autem dico
habitudine atq; affectu, vt incipientes dicebamus. Vnū pietatis consensu, vnum
sanctæ Christi carnis communionē, vnum vnus sancti spiritus participatione.

Caput XXVII.

ET ego claritatem, quam tu dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, si-
cut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consum-
mati in vnum. Et cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dile-
xisti eos, sicut & me dilexisti. Naturalem atq; consubstantialē cum patre vnige-
nitus vnionem habet, ex quo natus est verē, & in quo est. Vnum enim est cum pa-
tre identitate substantiæ, quāuis in propria subsistentia sit. Verū quoniam pro-
pter nostram salutem à sua dignitate ac claritate quasi exiuit (hoc enim significat,
exinaniuit seipsum) ideo accepit rursus cum carne claritatem ac gloriam, quā sem-
per vt Deus habet. Quoniam ergo templum, quod à virgine accepit, quāuis cō-
substantialē Deo patri nō sit, vnitum tamen ita cum verbo est, vt sua persona cum
eo sit (vnus enim Christus, & vnus filius est, etiam homo factus) idcirco vnitatem
cum Deo accepisse dicitur, quum templum suum, quod à se Deus non est, vnum
cum Deo factum sit. Et vt breuius dicam & clari⁹, quod templo suo datum est, si
bi datum esse vnigenitus ait, datum scilicet à patre per ipsum in spiritu. Non enim
aliā habet viam modus vnitatis cum Deo. Intelligitur enim in Christo vnitatem in
effabili caro sanctificata, absq; vlla confusione ad vnitatem verbi ascendere, & per
verbum ad vnitatem patris, habitudine quadam scilicet, & non naturaliter. Hanc
igitur, inquit, claritatem & gloriam, pater, quam mihi dedisti, quæ est vt tecum v-
num sim, dedi eis, vt sint vnum, sicut nos vnum sumus. Vniuntur enim inter se fi-
deles illis modis, quos iam exposuimus. Vniuntur autem etiam Deo, & modū ipse
saluator aperuit, dicens: Ego in ipsis, & tu in me, vt in vnum sint consummati. Cor-
poraliter enim filius per benedictionem mysticam nobis vt homo vnitur, spirita-
liter autem vt Deus, sui spiritus gratia, nostrum ad nouam vitam, & diuinæ na-
turæ participationem, spiritum redintegrans. Nexus igitur vnionis nostræ ad
Deum patrem Christus est, nobis quidem vt homo, Deo autē patri vt Deus natu-
raliter vnitus. Non erat em̄ possibile, corruptiōi subiectam hominis naturā ad im-
mortalitatem conscendere, nisi natura immortalis atq; incommutabilis ad eam de-
scendisset, ac communionē, participationēq; sui à mortalitatis nostræ terminis ad
suum bonum reformatos eleuaret. Consummati ergo sumus, reductiq; ad vnionē
Dei

A Dei patris mediatione saluatoris, id est, Christi. Filium enim Dei natura patri vni-
tum, corporaliter, substantialiterq; (vt dictum est) accipientes, clarificamur glorifi-
camurq; sup̄emæ facti naturæ participes. Accipi autem nos ad Dei patris vnionē
Christus vult, vt tum hanc gloriam naturæ nostræ per seipsum præbeat, tum hu-
ius gratiæ vi eos redarguat, qui eum ex Deo esse negant. Quando igitur, inquit,
per me tibi pater coniungentur, tunc mūdus cognoscat, quia tu me misisti, & quia
eos etiam, quos tibi per me coniunxisti, sicuti me ipsum amauisti. Nam qui Chri-
stum vt hominem claritate atq; gloria deitatis donauit, nobisq; potestatem fecit,
vt gratia hoc acquirere possimus, quomodo æquali nos mensura charitatis non a-
mat? Nemo autem propter hoc mentis compos turbabitur. Perspicuum enim est,
nullo pacto seruientem naturam cum domino suo posse contendere, nec æquali
mensura creaturam & filium Deus suum amabit. Veruntamen filius Dei, qui an-
te secula à patre amatur, amari cœpit vt homo, quod non sibi, sed nobis acquisiuit.
Quemadmodū ergo resurrectionis ac gloriæ suæ conformes erimus, & primū
in Christo renouati sumus; sic & amoris (vt ita dicam) conformitatem in Christo
accepimus. Mirari ergo debemus diuinæ naturæ benignitatē, quæ creaturæ, quæ
sibi propria sunt, communicare dignetur.

Caput XXVIII.

Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum;
vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me
ante constitutionem mundi. Quum pro discipulis, imò verò pro vni-
uersis orauerit, claritatemq; patris, vnionem ac sanctificationem petierit, ista sub-
iunxit, vt non alios secum futuros, gloriamq; suam visuros, quā eos ostēdat, qui
per ipsum patri coniuncti, eo amore diliguntur, quo ipse quoq; amari præcipitur.
Diligimur enim vt filij, ad similitudinem filij naturalis. Nam etsi non æquali men-
sura, tamen exquisita imitatio rei, veritati quodammodo ex æquari videtur. Volo
igitur, inquit, vt qui per illuminationem fidei mihi abs te dati sunt, mecum sint, &
gloriam meam videant. Quæ autem oratio, q̄ suaue sit esse cum Christo, explica-
bit: Ineffabilia certē sunt, nec oculus vnquam vidit, nec auris audiuit, nec in cor ho-
minis ascendit, quæ Deus præparauit diligentibus se. Quid enim maius, q̄ esse cū
Christo? melius est resolui & esse cum eo, vt Paulus ait. Quibus ille verbis etiam
huic vitæ dignitatem amicorum Dei præposuit, quæ est (vt alibi testatur) esse cum
Christo. Resurgent enim mortui ait, & nos simul cū illis rapiemur in nubibus ob-
uiam domino in aera, & sic semper cum domino erimus. Saluator etiam alibi: Va-
do, inquit, & præparabo vobis locum, & iterū veniam, & accipiā vos mecum, vt v-
bi sum, & vos sitis. Aut enim minus curiosē superiores his verbis mansiones signi-
ficari dicemus, aut locum eundem cum Christo nobis dari propterea putabimus,
quia magna sit honoris similitudo. Conformes enim erimus gloriæ suæ, cōregna-
bimusq; secū secundum scripturas, vnaq; recumbemus cū eo in regno cœlorū, mo-
do quem ipse scit. Sed pluribus hoc comprobare non est opus: perspicuum em̄ est,
quare illud consideremus, vt gloriam, inquit, videant meam. Non prophani, non
peccatores, nō qui diuina mandata contemnunt: sed soli sancti gloriā Christi vide-
bunt. Tollatur, inquit, impius, ne videat gloriā domini: & beati mūdo corde, quia
ipsi Deum videbunt. Qui verò alij mundi corde sunt, nisi qui Deo per filiū in spi-
ritu coniuncti, omnes voluptates carnis spreuerunt, & hanc vitam quasi negātes,
secundum voluntatē spiritus, soli Christo integrè vixerunt: Talis erat Paulus, qui
ex nimia puritate cordis dicere non dubitauit, Christo se crucifixum, nec iam se vi-
uere, sed Christum in eo. Alium etiā quendam sanctorum canentē audio: Cor mū-
dum crea in me Deus, & spiritū rectum innoua in visceribus meis. Redde mihi le-
titiā salutaris tui, & spiritu principali cōfirma me. Ne proijcias me à facie tua, &
spiri-

1. Corin. 2

Philipp. 2

1. Thess. 4

Ioann. 14

2. Timot. 2

Esai. 26

Math. 5

Galat. 2

Psalm. 50

spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Lætitiã enim salutaris spiritum appellat, qui gaudium æternum largitur, cuius principatu ac ductu mundanas perturbationes superamus: qui veri salutaris, id est, Christi spiritus est. Ita multis modis spiritum appellauit, cumq; cor mundum dixisset, spiritum rectum ilicò nominauit. Peruerso enim corde obliquoq; sunt, qui nondum Deo coniuncti sunt, nec participationem benedictionis Christi per spiritum habuerunt. Præcipuam ergo suis dare gratiam voluit, vt secum sint, vt gloriam eius videant. Ante autem constitutionem mundi diligi seait, virtutem huius mysterij antiquissimam ostendens. Præsciuit enim Deus modum salutis nostræ, quæ mediatione Christi consummata est, cuius cognitio non ab initio data hominibus est, sed lex primò per figuras illã tenuiter obumbrabat. Gratia verò saluatoris in tempore opportuno diuinitus seruata est. Huius rei cognitio, & Iudaicum supercilium, qui legi semper inhareret, maximè deprimit (nulla enim cura de figuris faciunda est, cū veritatis radij fulgeant) & eos euertit, qui virtutem nostri mysterij recenti patris cõsilio excogitatã arbitrantur. Quem errorẽ Petrus quoq; ostendit, dicens de Christo, quia præscitus quidem fuerat ante constitutionem mundi, manifestatus aut in vltimis seculi tẽporibus. Datam aut sibi gloriam à patre dicit, discipulos quoq; datos & imperium sibi, non vt Deo, sed vt homini, qui nihil horum habet natura, intelligendum est.

Caput XXIX.

Pater iuste, mundus te non cognouit: ego autem te cognoui, & hi cognouerunt, quia tu me misisti. Cùm pater, sanctus, immutabilis, creator, multisq; alijs possit à Christo appellari nominibus, non est abs re considerare, cur iustum præcipuè ac solummodo hic nominauerit. Inutile nanque arbitror, hæc in diuina scriptura parui pendere. Quando igitur, sicut mediator pro nobis, vt voluntate patris sanctificaremur, intercedebat: pater dicebat sancte, conserua eos in veritate. Veritatem non aliam intelligens, quam spiritum suum, per quem ad similitudinem suam ineffabili virtute animas nostras reformat. Per quem nos inuictò robore firmans, ad cursum virtutis, omni labore contempto, inuitat, per quẽ diaboli artes & voluptatem mundanã superare nos facit. Qui enim signati semel spiritu sunt, qui arrabonem gratiæ in animo acceperunt, virtutem ex alto induti fortissimi sunt. Vt igitur hæc bona acquirere, adipisciq; possimus, sanctificationem à patre nobis petebat: nunc autem illud (vt ego puto) significare voluit, dixit iam, & ego clarificationem, quam mihi dedisti, dedi eis, vt sint vnum sicut nos vnum sumus. Et dilexisti eos, sicut me dilexisti: & quos mihi dedisti, volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum. Et post hæc omnia iustum patrem appellauit, valde, vt ego arbitror, consequenter. Voluntate nanq; patris factus homo filius est, vt natura hominum per spiritum sanctificata, & Deo coniuncta, in superioribus habitet mansionibus. Creatus enim homo est ab initio, non ad malũ, sed ad bonum. Ad improbitatem autem diaboli artificio depulsus, non iniuria à iusto patre reuelatur, & à peccatis deterfus ad primam imaginem reparatur. Iure autem etiam, qui violare imaginem Dei ausus est, id est, diabolus, plectitur. Quod enim supplicij genus illi non conuenit, qui aduersus Deum tot tantaq; aggressus est: Pater igitur iuste, inquit, iustus tu es atq; bonus, & iudicia tua recta sunt, qui me verè filium tuum ad renouationem hominum misisti: mundus verò talem te esse nõ cognouit. Nam si cognouisset, si tam benignum iudicium tuum intellexisset, cucurrisset ad salutem, & vltro te adorasset. Hæc ad patrẽ dicebat, quasi gratias pro nobis agens: quoniam per iustitiam suam salutem cupiditate lapsis attulit, & diabolum condemnavit. Et mundus quidem, id est, qui Euangelicæ prædicationi aduersantur, non cognouerunt patrem esse iustum. Excæcauit enim (vt Paulus ait) Deus seculi huius infidelium mentes, vt non fulgeat illuminatiõ Euangelij gloriæ Christi.

1. Petri 5

Psalm. 118

1. Corin. 4

A Christi. Discipuli verò sui hoc ipsum probè cognouerunt. Magnas sanè eis attribuit laudes, qui caduca omnia contempserunt, vt iustum patrem cognoscerent: quo cognito, filium quoq; certè cognouerunt. Si ergo mundus ignorasse patrem accusatur, discipuli aut non ignorasse dicuntur, nõ est ambiguum illos ex mundo non fuisse: Christi enim fuerunt, qui ex mundo nõ est. Vnde Paulus quoq; scribit: Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Extra mundum autem fuisse discipulos adserimus: non loco, qui vt luminaria in mundo splendent, verbavitæ prædicantes: sed quia in terris coelestem vitam viuebãt, & carnis cupiditate superata, imò autem omni proiecto vitio, ad sublimem atq; diuinam virtutem progressi sunt, vt in Psalmis legitur: Quoniam dii fortes terræ vehementer eleuati sunt. Fortes enim propter Deum, terrenis omnibus sprete, ad superiora nimium animo eleuati sunt. Hoc enim significat, vehementer eleuati sunt. Mundus igitur, inquit, iustum te patrem ignorauit: ego aut noscens (consiliũ enim & sapiëntia tua sum) à naturali mea deitatis gloria me ipsum exinaniui, & paupertatẽ humanã assumpsi, vt secundũ voluntatem tuã, lapsum à coniunctione nostra genus humanũ seruarem: quod quidem mundus ignorauit, discipuli aut mei cognouerunt, verèq; intellexerunt, quia tu me misisti, id est, quia tua voluntate veni salutẽ periclitatibus adferre.

Caput XXX.

Notum feci eis nomẽ tuum: & notum faciã, vt dilectio, qua dilexisti me, in eis sit, & ego in ipsis. Tam à se, quam à discipulis cognitum esse patrem ostendit: ac ne aliquis putet eodem modo ipsum & discipulos patrem cognouisse, quanta sit differentia, verbis suis apertè patefecit. Nam ipse quidem reuelat ac docet, discipuli verò docentur. Verbum enim & consiliũ & sapientia patris cū sit, profunda genitoris naturaliter nouit: sicut et mens humana, ea, quæ in ipsa sunt, ignorare non potest. Discipuli verò nõ à se, sed per spiritum filij illuminati, patrem intelligere potuerunt. Aptissimè igitur dixit: quia feci & faciã nomen tuum ipsis notum. Sed animaduerte, oro, quomodo vna eademq; patris ac filij operatione Deus cognoscitur. Reuelat patrem filius, sed non minus pater etiam filium reuelat. Beatus enim, inquit, es tu Simon Bar Ionã, quia nec caro, nec sanguis, sed pater meus coelestis tibi reuelauit. Reuelauit aut illud, quod Petrus tunc confitebatur, quia ipse sit Christus filius Dei viuus nunc verò ipse de se adserit, quia nomen patris notum discipulis fecerit. Nunq; enim cessauit mysterij sui virtutem vnigenitus reuelare: sed tunc quidem discipulis, nunc autem vnicuiq; illuminationem spiritus inferens, ad cognitionem, quæ vires humanæ mentis excedit, diligentes eum deducit. Cur autem & tunc discipulis, & postea cæteris notum & fecit & faciet nomen patris: vt, inquit, dilectio, qua me dilexisti, in ipsis sit, & ego in eis. Qui enim syncerè Deum patrem nouerunt, & Christi mysterium exquisitè perceperunt, ad similitudinem filij à patre diliguntur, absolute videlicet atq; perfecte: sic enim filius à patre diligitur. Propterea ipse Christus per sanctum spiritum in illis habitat coniunctione spiritali, per seipsum Deo illos patri coniungens, qui syncerè patrem & verbum eius cognouerunt. Manifestauit autem nobis nomen patris, cū filium se esse docuerit: qui enim patrem cognouit, is filium ignorare nõ potest: quod recurrere similiter necessarium est. Quod si ita est, nec alter absq; altero intelligitur: quomodo (vt quidã impiè dicunt) creatura filius erit: Filiũ enim si quis nominat, patrẽ ilicò animo voluit: creaturam aut si nominat, ad creatorem mentem reduxit. Quare cū filius patrem Deum appellet, non creaturam, sed genimen verè se nouit. Nec debemus turbari, si filiationis nomẽ de nobis quoq; dicitur. Natura em̄ ille filius est, nõs verò adoptione per gratiam honorati: vnde non filios solũ, sed deos plerumq; homines à scriptura nuncupari videmus.

Caput XXXI.

GGG Hæc

Caput Io-
annis 18.

Haec quum dixit Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus: in quem introiuit ipse & discipuli eius. Quum discipulos doctrina sua illuminauerit, & ad virtutem, rectamq; viuendi disciplinam instituerit, ac deniq; spiritalem eis gratiam pollicitus fuerit, & benedictionem patris ad futuram illis affirmauerit: libenter egressus est, passionis tempus non fugiens, nec mortem pro omnibus reformidans. Cur enim timeret, qui passione sua impassibilitatem omnibus redimebat: qui propter hoc venit, vt orbem terrarum suo sanguine patri acquireret: Sed alias quidem sapientius irruentibus in eum Iudæis, vt Deus faciliè se ab infania illorum liberabat, cum opportunum passionis tempus nondum adesset: nunc verò quoniam iam opportunitas aderat, è domo, vbi cum discipulis predicta mysteria explicauit, egressus, illud vadit, vbi cum discipulis conuersari solebat. Quod facit, vt facilius à proditore possit inueniri. Hortus autem erat, paradisi locum designans: ad pristinum enim omnia recurrere oportebat. Et vt in paradiso maiorū initium factū est: sic in horto Christi passio incipit, per quam à malis liberati, in pristinum habitum restituti sumus.

Ioannis 8

Caput XXXII.

Itebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas autem cum cepisset cohortem, & a pontificibus & pharisæis ministros, venit illuc cum laternis & facibus & armis. Necessariò nulla multitudine, nulla turba, quæ defendere posset, sed discipulis tantum sequentibus in hortum fuisse ingressum scripsit, vt ignauia & formido proditoris latere non posset. Magna quædam res, conscientie certè stimulus est, qui quando perperam aliquid agimus, etiã nullo præsentè ingenti nos metu exagitat. Tale quid passus proditor, vt arbitror, & cohortem armis munitam, & Iudæorum ministros secum adduxit, vt quasi latrocinio proditum caperet. Non enim ignorabat non posse illum capi nolentem, sed magnitudine ac impietate facinoris excogitati, quasi temulentus atq; insanus, quo rueret, nō sentiebat. Itaq; putauit ex infania diuinam virtutem illius posse magna fortassis manu superari. Nec mireris, si tam ridiculose miser mouebatur. Nā quum animi sui gubernacula, & liberam voluntatis suæ potestatem diabolo penitus tradiderit, ab illo iam regebatur. Casum autem suum rectè quispiam mirabitur, & perpetuo lachrymarum fonte dignum putabit. Nam qui modò in eadem mensa cum Christo cœnabat, qui sanctum eius panem cum alijs comedeat, qui ad pietatem exhortantem Christum audiebat: qui deniq; illud percepit, vnus vestrum me tradet: ab ipsa mensa exiliens, cursu ad mercedem abijt Iudæorum, non pietatis verborum recordatus, totius spei futuræ oblitus, nullam datæ apostolis à Christo dignitatis curam gerens: ac (vt vno verbo dicam) omnibus bonis tam paruum & vile præponens argentum, rete ac laqueus diabolicus Christo, & Iudæorum impietatis eximius princeps factus est. Verum derideri digni, qui laternis & facibus aduersus Christum proficiscebantur. Timebant forsan, ne vt in tenebris fieri solet, aut in foueas caderent, aut pedes lapidibus offenderent: nec videbant se in lapidem illidere, de quo à Deo patre dicitur: Ecce ponam in Sion lapidem offensionis, & petram scandali. Et paruum foueam formidantes, in profundum abyssi delapsi sunt. Et illius noctis tenebras facibus depellentes, de noctis perpetue tenebris minimè curant. Non enim possunt, qui naturali lumini, id est, Christo insidiati sunt, nisi æternas tenebras habitare, vbi suæ impietatis amarissimum supplicij torquebuntur.

Iudas dia-
bolo se tra-
didit.

Ioannis 13

Esaiæ 28

Caput XXXIII.

Iesus

Iesus itaq; sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit & dixit ad eos: Quem quæritis? responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. Vtergo dixit eis, ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Nocte proditor ministris Iudæorum & cohorte munitus accedit. Putabat enim multitudine fretus (vt diximus) vel inuitū posse illum capere. Inuenit autem in loco illum solito, quo quasi ad diuersorium nox illum deduxit. Sed Christus vt eum temerè cogitasse argueret, sponte præuenit, & obuiam factus, nec se ignorasse quæ fiebant, ostendit, & potuisse faciliè præsciuis effugere demonstrat, nisi vltro ad passionem progrediretur. Non enim inuitus in periculum incidit, ne sapientes gentium rideant, leuitati suæ scandalum crucem facientes: ne Iudæi elato supercilio vires se Christi credant superasse. Interrogat verò quem quærant, non quia ignoraret, sed vt eos argueret, qui nec cognoscere quidem poterant ipsum: & nos doceret non potuisse capi, nisi vltro se quærentibus offerret. Considerandum etiã est, quia cū Christus dixisset, quem quæritis: nō insilierunt in illum, sed quasi non videntes, Iesum, inquiunt, Nazarenū. Sed nō cognouisse milites Christum, nec ministros Iudæorum, quispiam dicet. Quomodo autem poterant ministri sacerdotum Christum (qui quotidie in templo docebat) non cognoscere? Verum ne quis ista cogitaret, necessariò Euangelista proditorem quoq; cum militibus & ministris steriliè narrat. Quomodo igitur ille Christum non no- uerat: an quia nox erat: sed hoc quoq; mirabilis Euangelij scriptor præuidit: cū facibus em & laternis fuisse illos exposuit. Potestas ergo diuina Christi enituit, qui quis se quærentibus offerret, minimè tamē cognoscebatur. Verum vt apertè non posse ab illis cognosci nolentem ostenderet, ego sum, ait. Deinde vt etiam nihil posse aduersus virtutem suam magnas militum cateruas monstraret, hoc miti sermone in terrā illos prostrauit. Hinc re ipsa discimus, nihil vel ad vnū verbū Dei, & illud iucundissimè dictum, creaturā efficere posse. Quomodo igitur minas ferret: vt in Psalmis dicitur: Tu terribilis es, & quis resistet tibi ab ira tua? Signum autem futuri gentis Iudaicæ casus, is ministrorum casus est. Vnde Hieremias quoq; Iudæos deflens dicit: Cecidit domus Israel, non est qui excita bit eam. Imago autem casus ille fuit omnium, qui Christo aduersantur, quibus omnino terribilis casus imminet.

Caput XXXIII.

Iterum ergo eos interrogauit: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit eis Iesus: Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire, vt impleretur sermo, quē dixit: quia quos dedisti mihi, non perdidisti ex eis quemquē. Iterum dispensans interrogauit, vt magnitudinem cæcitate eorum in mediū proferret. Impietatis namq; crimine mente capti non cognoscebant, quem alloquerentur. Ita rerum ipsarum periculo vera esse Christi verba videmus, quibus ait: Ego sum pastor bonus. Pastor bonus animam ponit pro ouibus. Salutem enim apostolorum protegīt, vltro se offerens. Nam quasi ignauitæ crimine accusans: dixi vobis, inquit, quia ego sum. Ita seipso tradito iussit vt illos abire sinerēt. Vnum enim mori oportuit, sufficientem pro vita omnium redemptionem, vt & mortuorum & viuorum imperium acciperet. Ne quis illud ridiculum verum esse putaret, apostolorum mortem ad destructionem interitus aliquid contulisset eum liberatis em ab interitu etiã apostoli iure connumerantur. Vnus enim nobiscū illos fuisse nature constat, in quos imperium mors suam exercuit. Solus ergo, qui ex viuo patre est, pro vita omnium carnem tradidit suam, quæ post mortem coniuncti secum verbi vitam secuta, viam nobis dedit, qua mortis laqueos possimus superare. Pri-

Psalm. 75

Threno. 1

Ioannis 10

1. Cori. 15 mltia nancq; dormientium dominus, & primogenitus ex mortuis est, facilem ad
 Coloff. 1 immortalitatem cursum hominibus per resurrectionem suam efficiens. Semouit
 igitur à periculo illo discipulos, non ignorans ad se solum, certamen illud & opus
 salutis nostræ pertinere; regnantis enim & non seruitutis naturæ opus est. Iussit au-
 tem sinere discipulos abire, vt impleteretur, inquit sermo, quem dixit: quia quos de-
 disti mihi, non perdidisti ex eis quenq;: quod etiam de posterioribus intelligitur. Nā
 quod in paucis factum est, quomodo in pluribus negligetur: & qui tam paucorū
 in tali tempore curam habuit, quomodo innumerabiles fideles non proteget.
 Putandum igitur est imaginem omnium illos tenuisse. Quod si diligentes se à pe-
 riculo liberat, quanta, qualisq; in illos ira futura sit, qui cum occiderunt, perspicere
 licet: quomodo enim non oderit, quod malum est: quomodo porro, qui operatur
 quæ ille oderit, æterna poterunt euitare supplicia?

Capit XXXV.

Imon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit pon-
 tificis seruum, & abscidit eius auriculam dexteram: erat autem
 nomen seruo Malchus. Quid coegit, quispiam dixerit, Euāgelistam
 harum rerum facere mentionem, & gladio Petrum feruentius, ne crudelius di-
 cam, insurrexisse in hostem, reprehensumq; à Christo fuisse, diligenter conscribe-
 re: superuacanea hæc esse tortè putas, sed non ita est. Magnam enim hæc res nobis
 adfert vtilitatē, vnde discimus, quoniam vsq; pietatis emulatio progredi queat.
 Docemur igitur, si nolumus in simili certamine Deum offendere, quod non fer-
 rum accipiendum, non lapides proijciendi, non iustes in aduersarios Christi eri-
 gendi sint. Non enim carnalia sunt arma nostra, vt ait Paulus. Sed quum effuge-
 re pericula non possumus, mansuetè vel cruciantes alloquemur. Multo enim ma-
 lius est iusto iudici rationem iniuriarū reddendam relinquere, quàm pietatis cau-
 sa, sanguinis nostri petere vitionem. Licet etiam alioqui absurdissimum sit, perse-
 quentium morte honorare illum vel e, qui vt mortem solueret, mortem libenter
 subiit. Propterea Christus in hoc sequendus erat necessariò. Nam si vi multitudi-
 nis inuitus ad necem traheretur, omni modo fortassis debuissent illum discipuli
 defendere. Verum quum potuisset, vt Deus verus, omnes vnà sola perdere volun-
 tate, qui vel vnico & miti verbo illos prostrauit (ceciderunt enim in terrā, inquit)
 non oportuit certè ferro illos aggredi, quos ipse, quum facile posset, nō perdebat.
 Tale quid etiam alio loco ab Euangelistis narratur. In castellum quoddam Sama-
 ritanorum, in finibus situm iudææ, Christus diuertit. Quumq; ab hominibus il-
 lis repelleretur, molestè ferentes discipuli, dixerūt: Domine, vis, dicamus vt ignis
 de caelo descendat, & perdat eos: ad quos saluator: sinite ipsos. Non enim venit, vt
 potestate sua in impios vtatur, sed vt clementiæ atq; misericordiæ supremæ nobis
 exempla daret. Propterea dicebat: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.
 Sed intentio Petri, qui gladium aduersus hostes accepit, à mandato legali nō fuit
 aliena. Pedem enim pro pede, & manum pro manu, & vulnus pro vulnere absque
 culpa referre iubebat. Quid autem aliud facere volebant, qui cum armis in Chri-
 stum irruebant, quàm illa, ad quæ depellenda vel vitæ pericula erant subeunda?
 Quod autem sustibus atq; gladijs armati erant, ipse saluator manifestauit, dicens:
 Vt ad larronem capiendum cum gladijs & sustibus existis: quotidie sedebam in
 templo docens, & non tenuistis me. Non fuit ergo contra legem Petrus commo-
 tus. Christus autem, qui venit vt supra legem nos duceret, motum huiusmodi,
 quàmuis secundum legem fuerit, repressit, quasi longè à perfecta virtute consti-
 tutum. Sed vndenam, dices, Petrus gladium habuit: quia secundum legem gladio
 se defendere licebat: idcirco gladium quoque ferre licebat. Quomodo enim fer-
 ro læsus, ferro te vlscisci possis, nisi ferrum tecum habeas? Præterea quum ad hor-
 tos &

Atos & loca condensa nocte concubia diuerterent, credendum est illos prouidisse,
 ne à feris bestijs læderentur, quæ variæ in iudæa reperiuntur. Sed nōne ad pellē-
 das feras Christi virtus sufficiebat: ita prorsus: inueniemus tamen, quàmuis ad
 omnia Christus sufficeret, hominum more discipulos vixisse. Poterat sanè vel ex la-
 pidibus panes facere Christus, poterat ex nihilo argentum creare: & tamen & pa-
 nes quærebant, & oculos ad deponendum oblatum argētum habebant. Nauem
 quoque cum discipulis Christus conscendit, quum absq; nauigio traicere discipu-
 los potuisset. Frustrà igitur hæc opponunt, quum hominum more vixisse discipu-
 los non ignoremus. Dexteram verò auris amputatur: vt dextero, probòq; auditu ca-
 rere iudæos significaretur: noluerunt enim Christum audire. Sic auditu sinistro
 comprobato, cogitationes suas secuti sunt, errantes & in errorem alios trahentes,
 vt scribitur.

Capit XXXVI.

Dixit Iesus Petro: Mitte gladium in vaginam. Calicem, quem de-
 dit mihi pater, non vis vt bibam illum? Euangelicæ disciplinæ hic
 locus mandatum præcepti, non à Mose, sed à Christo hominibus dati
 virtutem parturit. Tantum enim abest, ne gladio vti consulat Christi doctrina, vt
 si quis semel maxillam cæsus, altera petatur, altera quoque vertenda sit, si humani
 prauitatem animi superare desideret. Multum igitur, inquit, à mansuetudine tu-
 us Petre animus abest. Nam cum bibere hunc mihi calicem propositum sit, quem
 pater constituit, id est, sponte subire mortem decreuerim, quomodo hæc aliena nō
 sunt? Simile huic illud est, dicenti enim Christo: Ecce ascendimus in Hierosoly-
 mam, & filius hominis tradetur in manus peccatorum, & crucifigent, occidentq;
 ipsum, & tertia die resurget. Hęc, inquam, vt in fide discipulos stabiliret Christo di-
 centi, Petrus vtilitatem passionis ignorans, & dedecori futurum putans: propiti-
 us, inquit, tibi esto domine, ne fiat tibi hoc. Quid igitur tunc Christus? Vade re-
 tro Satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ homi-
 num: is enim, quæ Deo placent, sapit, qui mundanam gloriam penitus contemnit.
 Nec, si prodesse proximo potest, existimationis multi facit iacturam. Caritas em̄
 non quærit quæ sua sunt. Qui verò humana solum modo respicit, is magnū quid
 huius mundi gloriam putat, is sua tantum modo curat, & proximū negligit. Quē-
 admodum igitur tunc scandalum Christi, qui scandalū pati non potest, dictus est,
 feruentiq; amore commotus, euertere conabatur, quantum in ipso fuit, prædesti-
 natam pro vita omnium passionem: sic modò ex ardore vtilitatem passionis igno-
 rans, gladio vtitur. Reprehenditur igitur, nec solum, mitte gladium in vaginā su-
 am, audit: verum etiam, vt alibi dicitur, quia quicumq; gladium capiunt, in gladio
 peribunt. Sed quod diximus, breuiter repetamus. Quum non inuitus, nec iudai-
 ca vi superante, sed vltro se Christus quærentibus offerret, quamobrē iudæorum
 erant insidiæ repellendæ: A patre autem hūc sibi calicem datum esse inquit, cum
 ab impietate iudæorum excogitatus sit: quia nihil facere potuissent, nisi propter
 nos pater permisisset. Vnde vel ad Pilatum magnificè dicentem respōdit: Nullam
 in me haberes potestatem, nisi desuper tibi datum esset. Potestatem enim datam
 Pilato dicit: quia consilio patris nullo modo in passione reluctatus est.

Capit XXXVII.

Ohors ergo, & tribunos, & ministri iudæorum comprehende-
 runt Iesum, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam
 primum: erat enim socer Caiaphæ, qui erat pontifex anni illius.
 Omni nunc impedimento depulso, Petro quiescente, nemine defendente, Chri-
 stoq; ipso, quum posset effugere, vltro se offerente, inflati nimium milites, vincu-
 la re-

la rerum omnium domino immittunt: qui ad nostram naturam descendit, ut a peccatorum & diaboli vinculis nos eriperet. Ducunt autem primo ad Annam & Caiaphae socerum. Vnde subintelligere datur artificem insidiarum ipsum fuisse, partamque proditori mercedem promississe. Ipsi ergo vincuntur primo Christus traditur. Tunc re ipsa verum esse demonstrabatur, quod per Prophetam Iudae dicebat. Circumueniamus iustum, inutilis est nobis: non quia talis ipse fuerit, sed quia peccatoribus & voluptuosis, supra legalem iustitiam docens, ac liquidum, quae Deo placebant, aperiens, inutilis atque molestus illis erat. Quam docendi viam lex certe non tenuit. Quippe non aperte, sed per umbras & aenigmata, quae parum intellecta, parum utilitatis tunc adferbant, disciplina legalis nos docet. Quemadmodum igitur nullam utilitatem caecis splendor solaris adfert, & suaves cibi amari febricitantibus videntur sic Iudaeis dominus, quamuis salutis autor esset, molestus tamen videbatur: quia aegritudine impediti, saluatorem ferre non poterant.

Caput XXXVIII.

Miserunt autem eum ligatum ad Caiapham pontificem. Erat autem Caiaphas, qui consilium dedit Iudaeis, quia expedit unum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Petrus, & alius discipulus. Autoritate atque consilio impietatis in Christum praesuit Caiaphas, & paulo post quasi fructum sui consilij vincuntur Iesum suscipiet. Verum ceteris iam discipulis ingenti percussis formidine ac dissipatis, Petrus qui feruentior erat, sequitur, & alius cum eo discipulus. Ioannes autem hic erat, qui hoc nobis diuinitus conscripsit Evangelium, qui longum ab animo ostentationem omnem exterminans, nomen suum occultit. Et certe, quae fortis ac magno animo gesta sunt, non lingua nostra, sed aliorum praedicari debent. Turpissimum enim est, non aliorum voce, sed ore nostro laudari. Vnde in Proverbijs dicitur: Laudet te proximus tuus, & non os tuum: alienus, & non labia tua.

Caput XXXIX.

Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiit cum Iesu in atrium pontificis. Non absque causa, minutissima etiam nobis haec conscripsit. Nam quoniam gesta in atrio pontificis narraturus est, necessarium ea permisit, quibus non ab alio doctus, sed ipse vidisse, quae scribit, comprobatur: introiit enim cum Iesu in atrium, quoniam pontifici notus erat.

Caput XL.

Petrus autem stabat ad ostium foris: exiit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariae, & introduxit Petrum. Non remansisset extra Petrus, nisi ostiariae observatio non tutum ignotis faceret introitum. Nec depulit mulierculam, licet facile potuisset, quia importunitatis crimini subijci volebat. Extra igitur stabat moestus, quousque Ioannes dolere ipsum etiam propter hoc non ignorans, intromittendi eius gratiam ab ostiaria impetrauit.

Caput XLI.

Dixit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dixit ille, non sum. Praedixit iam dominus Petro, ter antequam gallus cantet, negaturum, infirmiore quodammodo factum in fide: nunc vero Evangelista, ubi & quomodo id accidit, narrat. Muliercula certe ianatrix, num de discipulis iniuria capti hominis illius esset, interrogauit. Depulit hoc Petrus tanquam crimen non paruum, non timore magis, ne captus esset, nec quia nullam veritatis curam haberet, quam fortassis, quia pa-

A quia pati omnia volebat, dummodo Christum videret. Ex amore igitur decidit, & pietatis causa negasse videtur, non recte quidem, nec exquisita ratione probata, sed quae tamen ad esse cum Christo, & videre illum faciebat, quod maxime Petrus optabat.

Caput XLII.

Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se. Quum introisset Petrus, ne moesto vultu condolere capto videretur, ac ita expulsus, videre non posset quae vellet, cum ministris se miscuit, & quae illi faciebant, alto corde premens dolorem, facere simulat. Non enim est verisimile in tanta moestitia Petrum frigoris remedium quaesivisse, qui multo maiores ita Christo vincuntur voluptates reijceret. Quasi vero nihil ad moerorem ipsum impelleret, nocumenta frigoris igni cum ministris repellit. Ut quum vnus de domesticis pontificis esse videretur, a nemine interrogaretur quis esset, atque ita negandi rursus crimine evitaret: sed mentiri saluator non poterat. Quod enim ut Deus praevidit, id futurum discipulo nunciauit.

Caput XLIII.

Pontifex ergo interrogavit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Iuris peritus & doctor, cui diuinitus mandatur iustum iudicium iudicare, quasi latrone per vim (quatum in ipso erat) Christo vincuntur, quoniam niam crimina inferre non poterat, de discipulis, & de doctrina interrogat. Interrogat autem, vtrum legi Moesaicae conueniat, an aliena sit a lege doctrina ipsius, & quisnam animus discipulorum eius sit, vtrum maiorum mores sequi, an novam cultus & caeremoniarum ingredi viam. Id autem summa cum malitia faciebat. Putabat enim quicquam aduersus legem Mosi Christum dicturum, quod nihil aliud apud illos erat, quam Deo ipsi repugnare. Quasi enim homini nudo, Christo attendebant, & legis dominum praeviaricatione legis damnare studebant, obliti dicti illius: Impius est, qui regi dicit, praeter legem facis.

Caput XLIII.

Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga & in templo, quo omnes Iudaei conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Frustra, inquit, laborat, qui rem omnibus notam, quasi abdita scrutatur. Quomodo enim caelabitur, quod omnibus palam est? Puto autem haec ita a Christo dicta fuisse, ut compositas malitiose falsas reijceret causas. Sed illud quoque occultius his verbis subostendi arbitror: Ego, inquit, palam locutus sum mundo, id est, quae per Moysen vobis scripta sunt, non aperte, quaecumque placent Deo, sed umbris atque figuris, & per aenigmata significant, & ruditate contexta literae, quae necessaria cognita sunt, aperte non exponunt. Ego vero palam locutus sum mundo. Pietatis enim viam non aenigmaticè, sed dilucidè mundo praedicaturi. Mundo autem inquit: quoniam etsi nondum, tempore tamen opportuno in orbem Evangelij sonus exiit. Ego, inquit, semper in Synagoga docui. Opera precium est videre, quid molitur: ad memoriam nolentibus reducere studet, quod Esaias ex persona Christi praedixit: Non in occulto locutus sum, nec in loco tenebroso. Et rursus: Tota die, inquit, expandi manus meas ad populum incredulum & contradicentem. Non enim est aliud, non in obscuro loco, nec in occulto ipsum locutum fuisse, quam quod palam, & in Synagoga, & ubi multi adfuerunt, loquebatur. Commodè autem in memoriam prophetiae reducit, ut discerent impiè se facere, quem venturum sperabant, postquam venit, tanquam scelestum vincire, Iudaeis enim promissus fuit, secundum Paulum,

Annas ar
tifex insi
djarum.
Sapient. 2

Prover. 27

De interro
gatione Ca
iaphae.

Prover. 16

Esaias 45
Esaias 65

Roma, 5

Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid loquutus sum ipsis, ecce hi sciunt, quid dixerim ego. Increpat iuris peritos, quia si legem, qua plurimum gloriabantur, ignorantes. Frustrà enim quærebant crimina, postquam ligarant. Cur ergo, inquit, interrogas? quare ad defensionem prouocas captum, priusquam accusatum? Et aliter: Qui iam dedecorastis me, quantum in vobis est, inquit, si verè dicam, mentiri me clamabitis. Alios ergo de me interrogate: nec est difficile testes inuenire, isti enim me audierunt. Nec, ut quispiam forsitan putabit, quia corda hominum ut Deus nouit, aliquos fortè præsentem, qui eum audierunt, subostendit. Sed apertè aliquos de ministris monstrauit, qui & audierunt & admirati fuerunt; quomodo aut quando, dicam breuiter, ut liquidius hic locus pateat. Prædicante domino, ut alibi Euangelista iste narrauit, Iudæorum principes disrumpebantur, miseruntque ministros, ut eum caperent. Qui doctrinam Christi admirati, attentè audiebant; & post prædicationem Christi redierunt ad pontifices & Phariseos, & dixerunt illi: quare non adduxistis eum? Responderunt ministri: Nunquam sic homo loquutus est. Et tunc Pharisei: etiamne vos decepti estis? Hoc sciens saluator, interroga, inquit, eos qui audierunt. Ecce isti sciunt, quæ ego dixerim. Ipsos enim tunc adstantes monstrauit, qui & pulchritudinem doctrinæ suæ fuerat admirati, & Iudæorum impietatis erant ministri.

Caput XLVI.

Nec autem quum dixisset, vnus ministrorum adstans, dedit alapa Iesu, dicens: Sic respondes pontifici? Prædictum etiam hoc prophetica voce de Christo est: Corpus dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Quod modò in Iudaicæ condemnationem superbiam, & dedecoris nostri euersionem exitum habuit. Dedecorati enim peccato fuimus, quam notam iniustum Christi deterisit dedecus. Ipse enim peccata nostra tollit, & pro nobis laborat. Nam quemadmodum mors sua mortem nostram destruxit, similiter arbitror præuaricationis nostræ dedecus alapa Christo inflictæ deletum fuisse. Vnus enim pro omnibus laborabat, & vnus pro omnibus inhonorabatur. Sed vniuersam ipse creaturam perhorruisse puto, si sensum huius rei habuerit. Dominus enim gloriæ impia manu hominis cædebatur. Non autem est abs re quærere, cuius rei gratia tam impudenter ille impius minister Iesum cædit, quum neque ipse asperum quiddam responderit, nec pontifex tale quid imperauerit. Ministrorum esse consuetudinem fortassis quispiam dixerit, cogere quos adduxerunt, principibus modestius loqui, & si quid rudius dixerint, & verbis & verberibus deprimere. Sed nullo modo mitissimæ responsioni Iesu hæc conuenire possunt. Causam igitur impudentiæ superioribus congruentem putamus fuisse. Offenderunt ministrorum aliqui Iudæorum principes (ut iam diximus) qui capere Christum iussi, sic eum admirati sunt, ut laudantes dicerent: Nunquam loquutus homo sic est. Quo responso, quasi rabie concitati, etiamne vos decepti estis? Pharisei dixerunt: Nunquid ex principibus aliquis credit in eum, aut ex Phariseis? sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt. Quoniam igitur responsio saluatoris ad memoriam huius rei principes reducebat (testes enim ministros citauit, dicens: Ecce isti sciunt, quæ dixerim ego) idcirco ne de animo suo, beneuolentiæque principes suspicarentur, qui aliàs, quia Christum admirabatur, fuit reprehensus, alapa Christum cædit. Solent enim ministri non ferre quicquam aduersus se principibus referri.

Caput

Respondit ei Iesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Magno iniuriæ crimine arguitur minister. Nam si etiam ignobilissimus quidam iudicium subiret, cædere tamen eum non oportebat, qui neque verbo, neque re aliqua ad hoc incitarit. Nam si malè loquutus sum, inquit, ostende in quo erravi: sin verò id facere nō potes, cur ita furiosè moueris? Sed tritus huius loci sensus hic est, ego autem arbitror aliud quiddam hæc verba respicere. Arguitur enim forsitan minister maxime iniuriari, non solum modo quia inflixit alapa, verum etiam quia cuius doctrinam admiratus est, eum modo nulla de causa cædit. Nam si aliàs non probasset doctrinam meam, inquit: si mirabilis scripturæ interpres tibi visus non essem: si non exclamasses, nunquam loquutus homo sic est: forsitan ignorantia tuæ venia dari posset. Verum quoniam audisti, quoniam verba mea laudasti, quæ nunc etiam admirareris, si tibi constares, quam satisfactionem alapa cædens inuenies? Sed animaduerte quæso summam saluatoris clementiam, tanquam in tabula modò ab Euangelista conscriptam. Cæditur enim ut seruus, qui nutu solum modo perdere Iudæos omnes potuisset, nec vktionem facit vllam. Non enim ira, nec mœstitia, nec dolore vincitur. Placare autem, melioremque facere principem studet, quum cædi oportere negat eum, qui nihil malè loquutus est. Ita mansuetudinis suæ, nec quidem in rebus, quæ cæteris terrorem adferunt, obliuiscitur: sed ratione optima, Iudæorum superbiam ministrum à tali temeritate cauere inducit; & qui mala pro bonis habuit, ut scribitur, bona pro malis reddidit. Sed ille quidem dominus omnium, & Deus verus clementer tulit. Nos autem miseri terra & limus, qui herbarum viriditati à scriptura collati sumus (Homo enim sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri, sic effloret) si quis de proximis lapsu lingue minimum quicquam contra nos dixerit, more draconum in eum insurgimus, & mille verbis pro vno vituperantes, satiari non possumus: nō quia ut homo lapsus est, nec propter communem infirmitatem hominum iram deprimimus, sed ad vltionem irruentes, principem & consummatorem fidei nostræ Iesum non respicimus, nec recordamur scriptum esse, modò: quia eorum viæ ad mortem, qui memores iniuriæ sunt. Modò: relinque proximo tuo nocentem, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Exemplum igitur clementiæ atque mansuetudinis Christi teneamus, qui hac de causa nobis dicit: Non est discipulus supra magistrum, nec seruus supra dominum suum.

Vndecimi Libri FINIS.

D. CY-

D. CYRILLI ARCHIEP. ALEXAND. CHIEPISCOPI ALEXANDRINI

Commentariorum in Euangelium diuini
Ioannis Theologi Lib. XII.

Caput I.



Isit igitur eum Annas ligatum ad Caiapham pontificem. Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum. Dixit vnus ex seruis pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo Petrus negauit, & statim gallus cantauit. Quasi curretem equum narrandi progressum Euangelista vtiliter reuocat, & ad priora rursus orationem reducit. Quare sic quia negationem Petri tertio factam exponere voluit. Repetit ergo breuiter, & missum ab Anna Iesum ad Caiapham iterum dicit: Petrumque interrogatum exponit, tum a ministris, qui calefaciebant se, tum a quodam generis ministro illius, cuius aurem ipse amputauit. Ita tertio negasse Petrum, & gallum cantasse meminit: nullum saluatoris verbum cecidisse ostendens, qui ad vnguem infirmitatem discipuli & cognouit & praedixit. Quae omnia diligenter explicauit, ne quis aduersariorum Christi nobis insultaret, quomodo & vbi negasset Petrus, inquirens. Re autem sic studiosè ab Euangelista narrata, nemo haec fortassis dicet, sed aduersus Petrum insurget, formidinis crimine ipsum accusans. Nondum enim, inquiet, periculum vidit, & ter ex leuitate negauit. Quibus vtriuolus longè proleptis, studiosis dicendum esse arbitror: illa etiam de causa minutim haec esse conscripta, vt legentes intelligant, quales ante Christi resurrectionem & aduentum spiritus apostoli fuerunt, & quales posteaquam virtutem ex alto acceperunt, effecti sunt. Inuictos enim animo, & verè diuinos homines illos fuisse constat: antea verò quàm imperium mortis à saluatore destructum esset, terribilis erat illis moriendi formido. Nam quum spiritum adhuc non haberent, nec superna gratia essent roborati, humana pusillanimitate detenti, metu patiendi vt homines frangebantur. Et quemadmodum ferrum, quous per se durum sit, lapidibus tamen facile retunditur, nisi liquore quodam firmetur: sic animus hominis, etiam si virtutis amore cuncta pericula speret, se iacet, asperitate tamen certaminum vincitur, nisi sancti spiritus gratia sit corroboratus. Imbecilliores igitur antea vt homines apostoli fuerant, sed spūs gratia infirmitate postea humanam superarunt, ad inuictum animum robore spiritus conformati. Infirmitas ergo discipulorum ad gloriam Dei conscripta est, qui paruitatem nostrae naturae ad inexpugnabile turris erigit robur. Erit autem quod vni sanctorum accidit, maximae nobis consolationi. Hinc enim discimus nullam nos desperatione affici debere, fragilitate humanam considerantes: sed confidere potius oportere, credentes robur ab illo nos habituros, quod diligētibus se nervos ad virtutē & vires largitur.

Caput II.



Adducunt ergo Iesum a Caiapha in praetorium: erat autem mane. Et ipsi non introierunt in praetorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Quum iustum iudicare iudicium, & innocentem ac iustum non interimere lex iubeat: inuiti, quia nullam culpam inueniant, miseri erubescunt. Nullam igitur causam inuenientes, quia Pascha iam celebraturi erant,

Exodi 23

erant, ne caede hominis ipsi macularentur, ad alium adducunt, non putantes per dementiam cordis, scelus, si per alium interficerent, ad ipsos redundare. Ridiculosissimum etiam illud est, innocentem quasi scelestum accusantes, & in capita sua tantae impietatis crimen effundentes, praetorii ianuam tanquam maculam fugiunt, & hominibus impuris misceri non patiuntur. Lapidibus puto, & hominum corporibus inquinari animam crediderunt, iniuria verò interficere hominem nihil mali putarunt. Sed illud multo ridiculosius est, quod vt agnum comederent (quod nihil aliud quam Christi mysterium figurabat) cauent, ne inquinentur: in ipsam autem veritatem insaniunt. Iure igitur, modò dealbata sepulchra, & exterius vili quodam artificio decorata, intus autem foridibus plena Christus appellabat: modò excolantes culicem, camelum autem glutientes. Nam quum exactè minima quaererent, peccatorum maxima non videbant: & calicem atque paroplidem exterius lauabant, de interioribus nihil omnino curantes. Ideo Hieremias liquidò dicebat: Laua cor tuum à malignitate Hierusalem, vt salueris. Ipsi verò mentis impietatem nihil esse arbitrantur, & Christo ad Pilatum adducto, loca & incircuncisorum corpora quasi scelus effugiunt: & dum modo manibus non interficiant, nullam se contracturos culpam, si Pilati ad hoc ministerio vtantur, ex dementia putant. Quam eorum fatuitatem prophetae non ignorarunt: Vae, inquit Esaias, iniquo, mala ei accidunt. Et Ezechiel: Sicuti fecisti, erit tibi retributio tua, retribuetur tibi in caput tuum. Et Psalmista: Redde retributionem eorum eis. Nam quemadmodum ipsi saluatorem omnium Romanis tradiderunt, sic paulo post Romanis traditi perierunt. Graue namque ad eum bellum aduersus ipsos exarsit, vt in calamitates inauditas impulsus, mortuos se optarent antea fuisse, quàm in pericula illa incidissent, quod saluator futurum praedixit. Quando, inquit, ab exercitibus obsessam Hierusalem videbitis, tunc dicetis montibus, cooperite nos, & collibus, cadite in nos.

Matth. 23

Hierem. 4

Esaias 3

Ezechiel. 9

Psalm. 93

Lucas 23

Caput III.

Xiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem adfertis aduersus hominem hunc? Extra praetorium remanserunt, ne lapidum & parietum tactu inquinarentur. Pilatus autem exit foras, tradit sibi hominis crimina scrutaturus. Sic vir alienigena Mosaicae legi non subiectus & incircuncisus, causas quaerit diligenter, iniustum putans, hominem vexare innocentem. Illi autem parum de mandatis Dei curantes, quum nihil dicere possent, vt latronem tamen adduxerunt. Non iniuria igitur ad Synagogam suam dicitur: Iustificata est Sodoma ex te. Et ipse Christus hanc insaniam suam incusans: Nec iuxta iustificationes, ait, gentium fecerunt mihi. Nam gentes quidem lapidibus & lignis (quae vt deos per errorem adorant) maculatis & illotis manibus non sacrificant: sed nec hominem, nisi in scelere deprehensum, occidi patiuntur: illi autem, quamuis Deo vero agnum sacrificaturi essent, innocentis tamen sanguine animas suas inquinare per nequitiam student.

Ezechiel. 16

Caput IIII.

Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Causam quidem nullam habent, impietatis autem turpitudinem caelant, dicentes, nullo modo se Iesum, nisi malefactor esset, tradidisse. Ita cauillationibus iustitiam, & mandata legis seruari simulant, & credivolunt secundum legem viuere, qui falsò legis autorem accusant. Malefactoremque appellant eum, qui ad destructionem malorum in mundum venit. Verè igitur per Oseam de ipsis saluator praedixit: Vae ipsis, quia resiliuerunt à me: miseri sunt, quia impiè fecerunt in me: ego redemi eos, ipsi verò aduersus me falsa loquuti sunt.

Osea 7

Caput

Dicit ergo eis Pilatus: Accipite vos eum, & secundum legem vestram iudicate eum. Non est fas mihi, Pilatus ait, nullo accusatum crimine hominem secundum leges punire: ipsi ergo eum secundum legem vestram iudicate, si etiam innocentes lex vestra condemnat. Ridiculosa hæc res, imò verò largis digna lachrymis fuit, gentilium legibus, quoniam nihil culpæ dabatur, dominus iustificabatur: Iudæi autem, qui diuina lege iactabant, mori illum oportere clamant.

Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquã. Ut sermo Iesu impleretur, quẽ dixit, significans qua morte esset moriturus. Vetari aiunt ab impiã cæde, Pascha celebraturi, nam aliter ministerium Pilati non quæsiissent. Velox enim semper animus Iudæorum ad omne malum est. Petunt ergo à Pilato, vt Iudaicam crudelitatem imitatus, suã in præsentia infantiã seruiat. Hoc autem etiam prædixisse Christum Euangelista adserit. Discipulis enim modum mortis suã prænuñciauit, dicens: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur in manus peccatorum, & crucifigent eum, & occident eum, & tertiã die resurget. Huius prædictionis necessariò meminisse Euangelista, ne quis putet inuitum vi ad mortem tractum illum fuisse, cui omnia nuda atq; aperta sunt.

Matth. 20
Hebræ. 4

Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei: Tu es rex Iudæorum? Quum nihil crimini dare possent Iudæi, & Pilatus vrgeret, causam petens, cur eum adduxerunt, aduersus Cæsarem Iesum fecisse aiunt, principatum Iudææ ab illo in se rapere studentem, & regni gloriam in se transferentem. Malitiosè nimium id cõmuniati sunt, non ignorantes Pilatum etiam inuitum citius facturum quod vellent, vt ipse tutius viueret ac præsideret. Facile namq; semp Iudæi tumultuantes, & rebellionibus gaudentes, acriores quodammodo missos à Cæsare ad præfecturam Iudææ iudices in se faciebant. Qui vt tutius prouinciã tenerent, facile ad puniendos eos mouebantur, qui nouandarum rerum suspicione accusabantur: hoc igitur inferunt crimen Christo, quod regnare Iudæis tẽtare. Quare non iniuria ex regno eius repulsi, & gentes ad hoc ipsum vocatæ sunt. Pete, namq; inquit, à me, & dabo tibi gentes. Vniuersus enim orbis terrarum pro gẽte Iudæorũ Christo traditus est. Nam (vt Paulus ait) delictũ illorum, diuitiã mundi, & diminutio eorum, diuitiã gentium. Quod igitur Pilatus à Iudæis audiuit, id apertè Christo dicit, & respõdere breuiter iubet, si verè rex ipse Iudæorum sit. Mouetur enim non iniuria, studeatq; veritatem addiscere, vt possit traditum à Romanis sibi principatum conseruare.

Lucæ 23

Psal. 3

Roma. 11

Respondit ei Iesus: A temetipso hoc dicis, an alijs tibi dixerunt de me? Cũ nemo, Christus inquit, hoc me crimine vnquam in iudicium adduxerit, vnde hic sermo ad te peruenit? Sed non est dubium, quin malitia Iudæorum hæc finxerit: non es enim tu & iudex simul & accusator. Hæc autem dixit, subostendens Pilato, nihil ei occultum esse, vt diuina eius natura intellecta, minister Iudæorum esse non pateretur. Quamuis simul etiam docet iniuriosè pœnas à se petiturum propter falsos Iudæorum clamores, quum tali crimine condemnati iure non possit.

Respon-

Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, quid fecisti? Rem totam Pilatus nunc aperit, & Iudæos in medium adduxit. Nescio enim tua ego dixi, quum Iudæus non sim: Iudæi autem inter quos natus & enutritus es, moriturum te adduxerunt: te ipsum ergo accusa. Hoc enim occultius significat, dicens: Quid fecisti? Magno hæc studio, quamuis minutiora videantur, Euangelista cõscripsit. Et quod Pilatus interrogans diceret, quid fecisti? Hinc enim maximè discimus, nihil non dico verum, sed fictum quidem verisimiliter excogitari in Christum potuisse: sed impiã atq; iniquissimã mortis sententiã aduersus eum prolatam fuisse.

Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtiq; decertarẽt, vt non traderer Iudæis: nunc autẽ regnum meum nõ est hinc. Liberauit à formidine Pilatum, qui dignitatem Cæsaris in Iudæa seruare debebat. Credit enim forsã more hominum, rebellionem à Christo cogitam fuisse, secundum Iudæorum nugas. Hoc enim ipsum etiam significabant, quum dicerent: Non tradidissimus eum tibi, nisi esset malefactor. Rebellionem enim, malum appellabant. Ita se beneuolos esse Romanis fingentes, vt rebellionis nomen audire non paterentur. Quas ob res diligenter datam esse à se operam, vt qui rebellare meditatus est, pœnas meritò luat. Christus autem Pilato respondens, regẽ esse non negat: mentiri enim non poterat. Sed regno Cæsaris non esse hostem ostendit, quia principatus suus mundanus non est, sed cœli, terræ, cæterarumq; rerum omnium. Vnde autem suspicionis falsitas ostenditur? quia milites non cõscripserit, satellitibus vsus nõ sit, arma nec ad se defensionem quidẽ suam preparaauerit: nulli enim pro salute sua decertarunt. Ita clamoribus Iudæorum depulsis, temerè in Christum inferri Pilatus manifestatur. Nulla enim re suspiciõẽ regni confirmante, Iudæorum voluntati animæ suæ tradit habenas, & tantæ impietatis culpam vnã cum Iudæis subire voluit. Verũm cũ non esse de hoc mundo regnum suum saluator dixerit, non solum à falsa illa suspiciõẽ Pilatum remouet, sed præcipuum etiam quid de seipso intelligere cogit.

B

Dixit itaq; Pilatus: Ergo rex es tu? Veritatem ipsam quasi crimen aduersus Christum Pilatus intulit. Nam quum audisset regnum eius nõ esse hinc, rebellionis quidem formidine liberatur: cõfessionem autem regni, quamuis non mundani, culpæ ac crimini tribuit. Quasi ergo cogens: confiteris, inquit, ergo quòd rex es tu.

Respondit Iesus: Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dixit ei Pilatus: Quid est veritas? Non negat regni sui gloriam, qui rex verus est, etiam si esse negatur. Sed veritatis vim rursus ostendit, quæ coegit Pilatum regem ipsum dixisse. Tu enim dixisti, ait, quia rex sum ego. Natum autem se & venisse in hunc mundum, id est, hominem factum adserit: vt testimonium veritati perhiberet, id est, vt falsitatẽ à mundo expelleret: & diaboli tyrãide destructa, veritatem, id est, Deum regnare faceret, qui rerum omnium natura rex est: non deforis, sed substantialiter hoc ipsum possidens. Verũm vt ostenderet duritiẽ suã

HHH factum

factum esse, ne rectè veritatē intelligat, illud subiecit: Omnis qui est ex veritate, vocem meam audit. Facile namq; qui veritatem amant, atq; iucundè ipsam audiunt: qui verò tales non sunt, nec audire quidem patiuntur. Vnde Esaias dicebat: Nisi credideritis, non intelligetis. Quod Pilatus verum esse ostendens, quid est veritas, interrogavit. Nam què admodum qui visu penitus carent, nec si aurum quidem, aut fulgentissimum lapidē offeres, splendore rerum mouebis, quippe qui nec solari luce mouentur; sic animo cæci, pulchritudinē veritatis cernere nequeunt: quæ tamen diuini splendoris radios in mentem sapientum immittit.

Caput XIII.



T quum hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos & dixit eis: Ego nullā inuenio causam in eo. Est autē cōsuetudo vobis, vt vnū dimittā vobis in pascha: vultis ergo, dimittā vobis regē Iudæorū?

In condēnationem impietatis, crudelitatisq; Iudæorum Pilatus, qui non diuinam legem, sed hominum mandata sequebatur, iusti & æqui defensionem suscepit. Contendit enim, quum nullam in eo causam inueniat, condemnandum non esse; & quamuis boni & æqui ratione facile persuadere putaret, tamen ne repugnare quisquam eorum posset, viam optimam & colorem pulcherrimum excogitauit. Consuetudo, inquit, est vobis vt vnus de vincētis, paschæ tempore dimittatur: vultis ergo vobis regem Iudæorum dimittam? Regem autem nominans Iesum, rabiem Iudæorum risu mitigare conatur: & simul prudēter ostendit, falsò ipsum hoc crimine accusari. Nunquam enim Romanus præfectus, cupiditate tyrannidis aduersus Romanos accusatum, si quicquam signi daretur, dimitteret. Sed hæc de loci huius expositione sufficiant. Consideranti autem mihi, vnde consuetudo hæc originem habuit, vt latronem aut homicidam à morte synagoga eriperet; prius à seipsis (vt & alia pleraq; diuina mandata) id quoq; inuētum videbatur. Deinde diligētius quærētī iuxta finē libri Numerorū, de cæde inuoluntaria, quod modò dicam, occurrit. Quod si fortuitu & absq; odio, & inimicitijs iacto lapide, aut aliquo alio nō ex insidijs, nec volēs occidere hominē, q̄s percusserit, & mortuus fuerit, & hæc audiēte populo fuerint cōprobata: iudicabit inter percussorē & propinuum sanguinis synagoga, & liberabit innocentē de manu vltoris, & reducet ad urbē, ad quam confugerat. Cū igitur hoc mandatū ita conscriptū sit, vt viderent omnino diuina præcepta negligere, conueniēs multitudo Iudæorū vnum de vincētis petebant. Totius certè synagogæ opus id esse lex mandabat. Quod modò nisi à præfecto peterēt, facere iure non poterāt, qui Romanis subiecti ab illis regebantur. Vnde Iesum quoq; ad Pilatum duxerunt, dicētes: Nobis non licet interficere quenquam. Ita quod diuina lege licebat, Romanorum legibus non licebat.

Caput XIII.



Lamauerunt rursus omnes dicentes: Non hunc, sed Barrabam: erat autem Barrabas latro. Iniqui rursus Iudæi redarguuntur: voluntatem enim suam sequentes, diuina mandata contemnunt. Nam cū lex de homicida, qui non sponte cædem fecerit, fieri hoc iusserit, famosum ipsi latronē postulant. Quod autē truculētus & homicida Barrabas fuerit, Petrus declarat, dicens: Vos autē sanctum & iustū negastis, & petistis virū homicidā donari vobis. Ita eum q̄ ab æqualitate patris ad paupertatē nostrā descēdit, vt nos à vero homicida, id est, diabolo liberaret, Iudæorū sacerdotes & scribæ postposuerunt, & infamē latronē postularunt. Et quasi nunq̄ illud audissent: Iustum iudicium iudicate: homicidā iustificantes absoluunt, & ipsum simul omnes condēnant, dicētes: Non hunc, sed Barrabam. Sed Iudæi huius impietatis iusto cruciabuntur supplicio. Ego verò diuinā admirari satis scripturam nequeo, quæ vel huius infanti clamor-

Esaiæ 7

Numer. 35

Act. 3

Ioannis 7

A clamoris ex persona Christi sic per Hieremiam meminit: Reliqui domū meam, dimisi hæreditatē meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum ei: us facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua, dedit contra me vocē suam. Sed prius quid in syluis leo faciat, explicandum est. Fertur igitur, leo quum animal ali quod capere velit, mirabilē solere rugitū edere, eoq; quæ propinqua sunt, animalia perterrita cadunt. Ita solo leonis clamore superantur ac capiuntur. Vnde Prophetas: Leo, inquit, eructauit, & q̄s non timebit. Quasi ergo leo in sylua, aduersus salutatorē synagoga facta est. Nam quamuis nullo ille terrore percussus sit (expers em̄ formidinis Deus est) clamoribus tamen suis Christum synagoga interfecit. Pilatus em̄ dimittere volebat, & modum ipse cogitauit: sed qui secundum diuinam legem se doctos iactabant, crudeliores prophanis inueniuntur.

Caput XV.



Vnc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit: & milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum, & veniebant ad eū, & dicebant: Ave rex Iudæorum. Et dabant ei alapas. Flagellauit iniustè, & derisioni militū Pilatus Iesum tradidit, qui corona de spinis & veste purpurea, & alapis illum dedecorauit. Putauit em̄ placari hoc modo posse populos Iudæorū, si qui nullam habebat causam, hæc non meritò pati oculis cerneretur. Flagellatus autem iniuria fuit, vt à vulneribus, quæ iure peccatis nostris perpeffi sumus, nos liberaret. Alapis cæsus & illusus est, vt illudori Satanæ nos illudere possimus, & præuaricationis pct̄m fugiamus. Omnia em̄ propter nos & pro nobis Christus suscepit, quæ repulsiuas vires habuerunt. Quibus ea repulsa sunt, quæ nobis meritò præuaricationis crimine acciderunt. Et què admodum mors Christi, qui mortū non subiiciebatur, ad destruendam omnium mortē suffecit: sic intelligere ac credere oportet flagella ac dedecora dñm pertulisse, vt à talibus nos eriperet. Ipsi em̄ liuore nos sanati sumus, vt scribitur. Omnes enim errauimus, vnusquisq; in viam suā declinauit, & dñs posuit in eo iniquitatē omnium nostrum: attritus est propter scelera nostra, vt Esaias dicit. Dorsum autē suum dedit in flagella, & maxillas suas in alapas. Sed milites sicut pseudotyranno cuidam, more suo Christo illudunt. Ideo corona de spinis imponitur, quoniam corona signum mundani regni est, vestis q̄q; purpurea. Similiter huius delusionis causa liquidò exprimitur. accedētes em̄ dicebāt: Ave rex Iudæorū. Audiui autē aliquos quibus valde placebat, per coronam de spinis, multitudinem sculptilia colentiū significari, quæ per fidē in diadema Christi suscepta est. Spinæ namq; dicunt steriles, quoniam nullum pietatis fructū producebant, gētes fuerunt, igni solummodo nutrimentum, què admodum & agrorum steriles spinæ. Per purpuream autē vestem, regnum totius mundi, quod per fidē Christus accepturus erat, significatum fuisse volunt. Suscipienda verò cuncta sunt, quæ quum à recta via non excedant, non nihil utilitatis asferunt. Non est ergo enūciandum hoc theoremata, quum rebus aptissimè accommodatum sit.

Caput XVI.



T exiuit iterum Pilatus foras, & dixit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis, quia in eo nullam causam inuenio. Non veretur Pilatus peccatum suum fateri (iniuria enim flagellatum à se Iesum prædicat) & foras eum ducere: vt ita esse ipsi quoq; cognoscant. Explere miserabili hoc visu animos illorum putauit: & quasi accusare illos videtur, quod cupidè cædem hominis ita manifestè petant, & clamoribus suis nolentē ad hoc pellere nitantur. Verum igitur in Christo inuenitur q̄d dixerat: Quia venit princeps mundi huius, & in me non inuenit quicq̄. Anima duerte namq; q̄-

HHH ij modo

Hierem. 12

Osca 11

Cap. Ioan nis XIX.

Esaiæ 53

Esaiæ 50

Ioannis 14

modo huc atq; illuc omnibus reuolutis, nihil diabolus delicti potest inuenire, quo inuento, iure Christum quoq; posset detinere. Quare quemadmodum totam naturam hominis in Adam vno superatam, peccato subiecit: sic modò ab ipsa per vnum superatus est. Natura enim homo & Deus erat, qui peccatum non nouit. Sicut igitur condēnatio per primum Adam in omnes penetrauit: sic iustificati Christi benedictio per vnum ad omnes extēsa est. Testatur id Paulus, dicens: Sicut enim per vnus delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnus iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Aegrotauimus ergo per primum Adam, inobediētiæ maledictionisq; morbo: locupletati autem sumus per secundum, per obedientiam & benedictionem: autor enim legis vt Deus, mandata legis seruauit vt homo. Vnde ad nos dicit: Si mandata mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego patris mei mandata seruauit, & maneo in dilectione eius. Hic enim vt Deus & autor legis, mandata sua seruare iubet: vt autem homo, mandata sui patris seruasse confirmat.

Caput XVII.

IXiuit ergo Iesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum, & dicit eis: Ecce homo. Quum ergo vidissent eum pontifices & ministri, clamabāt dicētes: Crucifige crucifige eū. Monstrauit iniquè flagellatum, & à militibus indignè illusum rerū omnium dominum, miserabilisq; hac re iram eorum sedari posse putauit. Illi verò ad eum ab omni humanitate fuerunt alieni, vt immanitatem ferarum excederent, feruentiusq; clamarent crudelissimo ipsum genere mortis occidendum. Quid enim amarius aut crudelius cruce: Hoc summæ impietatis dedecus à principibus Iudæorum solis Euangelista traxisse criminem ostendit. Quando enim viderunt ipsum pontifices & ministri, clamauerunt: crucifige crucifige eum. Nam quum multitudo aliquo modo his factis suberubesceret, recordati forsā miraculorum illius, ipsi primum exclamant, & vulgus incendunt. Verè igitur de ipsis Propheta prædixit: Quia pastores stultè egerunt, dominum enim non quæsierunt. Propterea non intellexit vniuersus grex, & dissipati sunt. Nam quoniam grex, id est, multitudo, non modò ad cognoscendum Christum à principibus non fuit deducta, imò etiam ad cædem eius inflammata, propterea lapsa in barathrum, perijt. Sed si cætera etiam diligentius cōsideres, originem impietatis capitibus principum impones. Ipsi hoc primi cogitauerunt, ipsi pecunia sacra proditorem conduxerunt: ipsi cohortem atq; ministros ad capiendum, ligandumq; Christum miserunt: ipsi ad Pilatum adduxerunt: ipsi deniq; flagellatum modò vidētes, inflammantur magis inuidia & exclamant: Crucifige crucifige eum. Volebant enim dominum vineæ occidere, putantes hæreditatem eius tutò se detenturos, & honoribus summis gauisuros. Sed qui habitat in cælis, ait Psalmista, irridebit eos, & dominus subsannabit eos. Nihil enim ex sententia ipsorum secutum est: sed contrarium quàm ipsi optabant, natura rerum exitum habuit.

Caput XVIII.

DIxit eis Pilatus: Accipite eū vos & crucifigite: ego enim nō inuenio in eo causam. Stupet Pilatus, quomodo Iudæorū populus, & maxime principes ita truculenti sunt, vt cum nulla in Christum causa inueniatur, tam turpi morte occidere ipsum studeant. Hac de causa quasi contemptus indignatur ac dicit: Ministrum me impiæ cædis solū inuenistis: Ego præter Romanorum leges innocentem occidam: ego clamoribus vestris territus ad me facinus detrudam. Nam si hoc scelus vos non putatis, si malum esse non arbitramini: vos ipsi qui legis diuinæ scientiam habere iactatis, crucifigite, cædem hancperate,

Atrate, impietatis huius crimen in capita vestra vertite: sit Iudaica solum ista temeritas. Si lex est apud vos, quæ summo in fontes supplicio cruciet, vos soli hoc facite, ego id non consentiā. Hæc, taliaq; breuis sermo ipsius parturire videtur. Sed mirabitur quispiam rursus Iudæorum maximam impudentiam, qui nec alienigenæ quidem viri iustitia erubescunt, nec recordantur legis dicentis: Quia sacerdotis laetitia iudicium seruabunt, & legem quærent ex ore eius.

Caput XIX.

Responderunt Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei seipsum fecit. Quoniam de innouatione rerum accusatio hæc nullum vel fictum quidem verissimiliter argumentum habuit: facileq; paucis demum verbis refutata euauit. Non enim ex hoc mundo est regnum meum, dicebat: nam si ex hoc mundo esset, ministri mei utiq; certarent, ne Iudæis traderer. Quod Pilatus ita probauit, vt apertè prædicaret nullam se in illo causam inuenire: aliud quid veteratores & callidi homines coacti excogitarunt: legem enim se habere aiunt, quæ morte saluatorem condemnat. Quæ igitur lex est? Scribitur in Leuitico, quia Iudæorū aliqui rixam mouerunt in castris, quorum alter diuini nominis recordatus benedixit, id est, maledixit & blasphemauit: qui hoc linguæ crimine mori iussus est. Homo enim, Deus ait, qui Deo maledicet, peccatum habebit: nomen autem domini nominans moriatur, lapidibusq; ab vniuersa synagoga obruatur, siue advena siue indigena sit. Sed ambiget aliquis forsā, quid lex velit. Nam morte quidē dignum, qui blasphemauerit in dominum, nemo negauerit: sed cur nam etiam si falsos quis deos ignominiosè appellauerit, peccatum habebit? non enim de vero Deo, neq; cum articulo, sed simpliciter scribitur: si quis Deo maledixerit, peccatum habebit. Nos autem ad hoc dicimus, tutò legislatorem locutum fuisse. Nam si quis Deo, quamuis falso maledicat, gradum fecisse videtur, vnde ad verum Deum blasphemandum facilius ascendat. ideo alibi etiam dicitur: Deos non maledices. Dei enim nomen etiam si falsò quibusdam imponatur, honorandum tamen putauit. Nec creaturas colere idcirco iussit, sed deitatis nomen venerari. Quum igitur lex sit blasphemantem mori, huius criminis reum esse dominum aiunt, quia seipsum filium Dei fecit. Vbi autem id à domino dictum est: In piscina, quæ ouilis dicebatur, die sabbati à diutino morbo mirabiliter hominem liberauit. Quumq; Iudæi turbarentur magis, quoniam in sabbato, quàm Christi potestatem mirarentur: Pater meus vsq; modò, ait, operatur, & ego operor. Persequebantur igitur, inquit Euangelista, Iudæi Christum, qui non solum sabbatum soluebat, sed Deum etiam patrem esse suum dicebat, Deo seipsum æqualem faciens. Christus autē ad hæc dicebat: Scriptum est in lege vestra: Ego dixi, dii estis, & filij excelsi omnes. Si verò illos deos dixit, ad quos sermo Dei factus est, & solui scriptura non potest: quem pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemias, quia dixi, filius Dei sum: Veritati ergo dictæ, veritatis crimen inferunt. Ego verò aduersus eos voce prophetica vtar: Quò dicitis, quia sapientes nos sumus, & lex domini nobiscum est? Nōne oportebat diligenter antea scrutari, quis & vnde Christus sit: & si quidem mentitus fuit, pœnas ab eo non iniuria petere: sin autē verè dixit, adorare ipsum: Cur igitur inquisitione omni contēpta, & sacrarum literarū testimonijs spreto, solummodo contradicitis, & veritatē crimini datis? Oportebat sanè, quando Pilato dixistis, quia filium Dei seipsum fecit, tūc opera atq; ipsius in medium adferre. Oportebat, quatrivno iam mortuum voce sola in vitam restitutum narrare. Oportebat vni genitum viduæ filium nō relinquere. Oportebat synagogæ principis puellā nequaquā omitttere. Oportebat modū miraculorū etiam nō præterire. In altero quidē, adolescēs tibi dico surge in altero verò, pu-

Roma, 5.

Ioannis 15.

Hiere. 10.

Matth. 22.

Psal. 2.

Malach. 2.

Leuiti. 24.

Exodi 22.

Ioannis 5.

Ioannis 10.

Psal. 81.

Hierem. 8.

Ioannis 11.

Lucæ 17.

Matth. 9.

ella surge. Oportebat prætereà docere, quia cæcis visum, leprosis mundiciem solo nutu donabat. Hæc, cæteraq; huiusmodi, quibus verè Deus mōstrari poterat, malitiosè prætereuntes, cauillationibus solummodo vtuntur. Viro gentili, qui diuinam scripturam ignorabat, qui Iesum hominem esse videbat, clamantes dicunt Filium Dei seipsum fecit. Nam certè scriptura, Dei verbum in natura hominis aliquando venturum apertè prædixit: Ecce, inquit, virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus. Qui porrò ex muliere natus est, quid aliud erit, quàm homo natura? Sed quum homo natura sit, Deus etiam verè est.

Caput XX.

Quum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est in prætorium iterum, & dixit ad Iesum: Quis es tu? Iesus autem nullum responsum dedit ei. In contrariū præter spem Iudæorum malitia vertitur: illi enim crimen amplificabant, in Deum adominū omnium peccasse Christum adferentes: Pilatus autem magnitudine rei ad formidinem impellitur, & diligentius quærit, quàm prius, vnde & quis sit. Credidit enim (vt mihi videtur) posse Deum esse Christum, licet homo videretur: nō tamen id vt decet, neq; à scriptura, sed errore gentili inductus credidit. Semideos enim & deorum filios gentiliū fabulæ multos confingunt. Romani verò imperatoribus etiam suis Dei nomen donabant, & aras eis constituebant. Curiosus ergo quærit Pilatus quàm antea, vnde & quis Christus esset: ipse autem nihil ei respondit, suorum non oblitus verborum. dixit enim ad eum: Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Pilatus verò sculptiliū ac falsitatis cultor, quomodo saluatoris vocem, qui se veritatem & filium veritatis dicebat, intelligere potuisset? aut quomodo veritatis saltem nomen susciperet ac honoraret, qui quum illud audisset, statim respuit dicens, quid est veritas: nec mirum: erroris enim tenebris peritus obrutus, veritatis radios aspicere nequibat.

Caput XXI.

Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Ex superbia tacere ipsum Pilatus putauit: propterea principatus sui potestatem quasi virgam intentat, cuius formidine impelli posse illum ad responsum opinatus est. Posse igitur se siue punire velit, siue absoluere, & potestatem hanc in se solo sitam esse adserit. Quasi ergo taciturnitate Christi vituperatus, indignatur atq; insanit, silentij rationem nequaquam intelligens. Meritò hic, quod Esaias prædixit, memorabor: Sicut ovis, inquit, ad occisionē adductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutuit, sic non aperuit os suum. In humilitate eius iudicium eius sublatum est. Psalmista etiam in persona Christi: Ori meo, inquit, custodiam posui, obscurui & humiliatus sum, & silui à bonis. Quod autem à bonis dicit, pro à malis intelligendum est. Solet enim diuina scriptura, quando de Deo aliquid dicitur, melioribus vti verbis.

Caput XXII.

Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi tibi datum esset desuper: propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. Quis aut vnde sit, id est, ex quo patre natus sit, apertè non dicit. Non enim oportet canibus (vt ipse ait) sancta committere, nec margaritas porcis proponere. Quoniā verò principatus sui Pilatus potestatem ostēdebat, ac in se solo & punire & absoluere sitū esse iactabat, cōmodissimè huic

A huic orationi vires & potestatem suam opponit, flatumq; Pilati vel aduersus Dei gloriam tumentem deprimit, & futuris fidelibus cōsulit. Non enim paruum detrimentum fidei est, si quis putet inuitum Christum vi tractū ad passionē fuisse. Quo modo em, qui natura Deus, & rex omnium à scriptura prædicat, cogi ab aliquo potest: Hunc igitur errorem radicitus euellit, dicens: Nisi tibi esset datum desuper. Desuper autem dicit, quia ipse vnigenitus seipsum obtulit consensu patris, vt incarnationis impleretur mysterium. Datum ergo, inquit, est desuper, id est, concessit, consensitq; pater vnà cum filio. Non enim ratione solum, quia Deus non potest cogi, verum etiam periculo patuit, sapius voluisse Iudæos Christum aggredi, & nō potuisse. Voluerunt, inquit alibi Euangelista hic, ipsum capere: ipse verò transiens, p medium eorum ibat. Sic autem dixit, id est, non formidolosus, nec vt fugientes solent, occultè, sed libero gradu ambulans, vt solebat: sic oculos eorū virtute sua tunc effugit, quoniam passionis nondum aderat tēpus. Suo igitur nutu & voluntate patris datam esse potestatem Pilato ait, vt quicq; aduersus eum agere posset, Maius autem peccatum illi, qui tradidit, q̄ Pilato inerat. Ille enim origo & via impietatis fuit: Pilatus autem ex formidine ministrum Iudæorum se præbuit. Quis igitur tradidit, aut quem maius premit delictum? proditorem credo discipulum, deinde pontifices & sacerdotes, & postremò ipsum Iudæorum populum: cui quum maius peccatum attestatus sit, ostendit extra impietatis peccatum Pilatum minimè fuisse.

Caput XXIII.

Texinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant, dicens: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Pertinuit Pilatus, quum filium Dei Christum se facere audisset, ac ideo ab omni calumniā liberare ipsum studebat. Id calliditas Iudæorum quum intellexisset, ad primam vertuntur calumniā, quod regnum in se appetat, & Romanorum iugū longè à Iudæis eicere conetur. Sed perspicere quæso, quàm versute huc & illuc malitia eorum vertitur. Nam quum hoc ipsum prius crimini darent, quia repulsi fuerant, statim secundum legem mori debere dixerunt, quia filium Dei se fecit vt pietate in Deum, aduersus saluatorem Pilatum cogerent. Sed quia nihil hoc sibi profuit, ad primum rursus refugiunt, & regnum Iudææ ipsum optare aduersus Cæsarem conclamant. Quare nisi punire velit, non esse amicum Cæsaris contendunt: quoniam viuere patiatur eum, qui Cæsari contradicit, id est, qui regium nomen aduersus Cæsarem vsurpat. Et certè non cœlestem, cuius maximè Christus dominus est, sed terrestrem principatum Cæsar tenebat, qui etiam à Christo dependet. Per ipsum enim reges regnant, & tyranni dominantur, vt scribitur. Nugantur igitur, & frustra saluatoris gloriæ detrahunt, quos Esaias iure increpat, dicens: Vos autem accedite huc filij iniqui, semen adulteri & fornicariæ, super quem dilatastis os, & eiecistis linguam: Nunquid non estis vos filij perditionis, semen iniquum? Non enim in aliquem simpliciter hominem, sed ipsum, qui rerum omnium principatum cum patre tenet, falsa calumniā impudenter vtebatur: vnde perditionis filij, & iniquum semen effecti sunt.

Caput XXIII.

Pilatus ergo quum audisset hunc sermonem, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Licostratos, Hebraice autem Gabatha. Erat autem parasceue Paschæ hora quasi sexta, & dicit Iudæis: Ecce rex vester. Totam hanc impietatem Iudæis tribui modò videmus: victus em etiā maximè inuitis clamoribus illorū, cessit Pilatus, ad eò vt nec ius veritus sit, nec valde curauerit, qa incōstanter nimis faceret. Nā qui sapius publicè dixerit, nihil in eo inuenire, ad voluntatem modò illorū defertur, HHH iij impie-

Esaiæ 7

Ioannis 18

Esaiæ 53

Psalms. 30

Matth. 7

Apoca. 19

Ioannis 8

Lucæ 4

Prover. 8

Esaiæ 57

impietatis suæ ipse testis effectus. Solitū igit̄ ascendit tribunal, vt truculentā in Iesum sententiam proferat. Dies verò ac hora necessariò scribitur, & propter resurrectionem, & tridui tēporis sub terra spacium, vt sermo domini Iudæis dictus exitū habuisse intelligatur. Sicut enim, inquit, Ionas in ventre ceti tres dies fuit & tres noctes: sic & filius hominis in corde terræ tres dies erit & tres noctes. Ab ipso autē tribunali monstrat Iesum, dicens: Ecce rex vester. Quid igitur hoc est? Aut alludit populo, cui in fontem sanguinem sitienti gratificatur: aut forsan opprobrio petit, quia tot tantisq; malis eum afficere student, quem ipsi Iudæorum regem appellant.

Caput XXV.

Illi autem clamabant: Tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Clamant non minus quàm antea, nullo modo à crudelitate ad mansuetudinem declinati, nec propter illusiones, nec propter flagella: imò verò truculentiores facti, crucifigi iterum atq; iterum illum hortantur, qui mortuos excitauit, qui tantæ fuit æstimationis, vt rex & filius Dei iam putaretur. Vnde ipse quoq; iudex tam impiū eorū clamorem redarguens, atq; opprobrio tribuens: regem, inquit, vestrum, id est, hominem tantæ apud vos opinionis crucifigam? Quid enim ei exæquari potest? imò verò quid in eo minus filio Dei atq; rege inuenitur?

Caput XXVI.

Responderunt pontifices: Non habemus regem nisi Cæsarem. Resiliit apertè ab amicitia Dei populus Iudæorum, & reliquit (vt Moses dicit) Deum, qui ipsum genuit, & domini auxiliatoris eius recordatus non est. Anima duerte namq; quomodo facies fornicariæ facta est ipsi, vt scribitur: impudenter enim omnia egit, dominum suum negauit. Quo crimine Hieremiæ voce Deus ipsum accusat, dicens: Ite in insulas Chetim, & mittite in Cedar, & discite, si gentes mutabunt deos eorum, quæ nec dii quidem sunt: populus autem meus mutauit gloriam eius. Et rursus: Obstupuit & exhorruit cælum in hoc valde, dicit dominus: quia duo praua fecit populus meus. Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & effoderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Omnes enim ubiq; gentes errorem suum vehementer amplexæ, quos deos putarunt, ita colunt, vt non facile cultum aliorum deorum suscipiant. Israel verò calce regnum Dei percussit, & ad principatum Cæsaris transfugit. Quare non iniuria manibus Cæsaris traditus, intolerabiles belli calamitates incidit. Sed animaduerte rursus quæso exquisitam Euangelistæ diligentiam. Non enim populus, sed principes populi responderunt, inquit, vndiq; ostendens ad præcipitia subditos à pontificibus, quos sequebantur, depulsos. Non ergo solum suas, verum etiã aliorum animas tantæ impietatis duces ac principes perdiderunt. Ita enim & propheta ipsos accusat clamans: Quia laqueus facti estis speculationi, & sicut rete expansum super Thabor. Speculationē namq; in his appellat subditam multitudinē, cuius curā principes habere debent. Speculatores enim ideo apud sacras literas, præfidentes populis dicuntur. Laqueus igitur & rete speculationi, id est, populo pontifices facti sunt, cum ipsi primi clamauerint, & alijs re ipsa dicere persuaerint: Non habemus regem nisi Cæsarem. Et audent hoc erumnosi & miseri homines dicere, cum Deus pater prophetica voce saluatoris aduentum prædixerit: Gaude, clamas, filia Sion, valde iubila filia Hierusalē, ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator, ipse mitis, ascēdens super asinā, & super pullū filiū asinæ. Ipse autē, quanq; asinæ pullo insidentem Iesum publicè in Hierosolyma cum infantibus diuinis honorarunt laudibus: Benedictus clamantes, qui venit in nomine domini: resiliunt tñ nunc, principatū Romanorū amplexi, et iugum regni Dei resicientes. Hoc enim planè significant, dicentes: Non habemus regem nisi Cæsarem. Sed tūc à populo, & à simplici-

A plicioribus vt Deus, Christus laudabatur: nunc verò consilio & clamore pontificum regnum Dei excutiunt.

Caput XXVII.



Inc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur. Iudæorum clamoribus victus, sententiam eorum Pilatus turpiter sequitur, iubetq; illū crucifigi, in quo nihil causæ potuit inuenire. Sed Iudæis tota hæc temeritas adscribenda est. Ipsi enim origo et caput impietatis huius fuerunt, à qua tamen Pilatum non absoluius. Causa enim vnà cum illis & ipse fuit. Nam quum posset furorem Iudæorum reprimere, non modò id non fecit, sed Christum etiam eis tradidit. Nec id simpliciter, sed vt crucifigatur.

Caput XXVIII.



Vsceperunt autem Iesum & duxerunt, & baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur caluariæ, locum: Hebraice autem Golgotha, vbi eum crucifixerunt: & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum. Ducunt iam, vt moriatur, fontem & largitorem vitæ, qd diuina virtute mirabilisq; artificio pro nobis fiebat, cum ad insperatū exitū passio prurperit. Laqueus em facta est imperio mortis, & renouationis ad incorruptibilitatem, et ad nouam vitam origo. Lignū igitur, vbi crucifixus est, in humeris portas, exit condēnatus iam capitali sentētia, nulla penitus de causa, & id propter nos. Tullit em in se, quæ peccatoribus iure secundū legem imminent, factus pro nobis maledictio, vt scribit. Maledictus em, ait, omnis, qui de ligno pendet. Maledicti autē oēs nos sumus, qui peccato subiecti, legem diuinam contempnimus. Multa sanè omnes delinquimus, facileq; natura labit. Et cum rursus in lege scribat: Maledictus qui nō pmanet in omibus scriptis in libro legis huius, vt faciat ea. Nostra certè, nō aliorū hæc est maledictio. Nam si præuaricatio à lege delictū est, & nos facile labimur, legem negligētes, hac maledictione iure premimur. Maledictus igitur ille propter nos, qui peccatū nō nouit, sed vt à maledictione omni nos liberet, crucifigat. Idq; passus, suffecit vt Deus pro omnibus, morteq; carnis suæ vniuersos redemit. Crucē igitur portat Christus, nō sibi, sed nobis transgressoribus per legē debitā. Nā quemadmodū nō propter seipsum, sed propter nos in mortuis reputatus est, vt destructa morte ad æternā nos vitā reduceret: sic & debitā nobis crucem in seipso suscepit, vt condēnatio legis in seipso condemnata euanescat: vt omnis iniquitas os suum obstruat, cum qui peccatum nō fecit, pro peccatis omniū cōdemnatus sit. Hoc singulari, præclarissimoq; Christi facinore, ad fortitudinē, roburq; animi, quo pati omnia pro pietate velimus, mirū in modū exhortamur. Nullo em alio pacto, vt arbitror, Deo penitus cōiuncti summa bona cōsequemur, nisi amorem Dei terrestri huic vitæ præponētes, parati simus pro veritate mori, si opportunità aderit. Omnis enim, inquit, qui nō accipit crucē suā, & sequit me, non est me dignus. Quod nihil aliud significat (vt ego arbitror) q̄ mundo propter Deum renunciare, & huic corporali vitæ, bona quæ per fidem speramus, antepone. Sed dñs quidē noster Iesus Christus debitā nobis baiulās crucem, & hoc propter nos, nō erubescit: nos autē calamitosi, quorū mater hæc terra est, qui ex nihilo ad esse producti sumus, non aude mus labores vel paruos pro pietate suscipere: sed si fortè pro Christo quicquam nobis acciderit, erubescimus. Ita inanem huius mundi gloriam sequentes, in superbiam (quæ vitiorum omnium mater est) incidimus. O temeritatem maximam. Dominum enim serui, & magistrū indigni discipuli superare studemus. Sic & Petrus quondam intolerabilem crucis putans passionem, nec mysterij vires adhuc intelligēs, ex amore dicebat: Propitius esto tibi dñe, ne fiat tibi hoc. Ad quē Christus: Va de retrò Satana: scandalū mihi es, quia nō sapias ea, q̄ Dei sunt, sed ea, quæ hominū. Vnde

Matth. 12
Iona 2

Deuter. 32

Hierem. 3

Hierem. 2

Osee 7

Zachar. 9

Matth. 21

Galat. 3
Deuter. 28

Deuter. 27

Psal. 87

Psal. 106
2. Corin. 5

Matth. 10

Eccell. 10

Matth. 16

Vnde non paruum vtilitatem nos colligere possumus. Discimus enim, quando tempus ad certamina vocat, ne si etiam, qui charissimi nobis sunt, prohibeant, turpe forsitan putantes, mentem villo modo illis adhibeamus. Non enim à Satana differt, qui scandalum ponit, & quibuscumque modis potest, à recta sententia homines seducit. Quod etiam Christus illis verbis ostendere videtur: Si oculus, inquit, dexter tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Quod enim à felicitate nostra nos semouet, etiam si amicitiae lege nobis coniungit, etiam si natura ipsa, & sanguinis propinquitate copulat, non nostrum, sed alienum & hostile putandum est. Inter duos autem latrones crucifixus est ex malitia Iudaeorum, qui ut turpissimam mortem eius ostenderent, iustum cum iniquis condemnarunt. Qui quidem duo latrones, duos populos, quod postea Christo coniuncti sunt, Iudaicum dico atque gentilem, significasse mihi vident. Condemnati autem iure ut latrones fuerunt, quia & Iudaei legem transgredientes, prauaricationis crimine rei erant, & gentes non creatorum, sed creaturas colebant, quibus & alioqui qui adherent Christo, vna cum eo crucifiguntur. Ad novam enim & Evangelicam vitam reformati, primae conversationis suae mortem sustinent. Vnde Paulus de Christo quidem dicit: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. De omnibus in persona sua: Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo viuam: Christo confixus sum cruci, viuo autem iam non ego, uiuit verò in me Christus. Et rursum: Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viuentes mundo decernitis? Mundanae namque conversationis mors, Evangelicae vitae origo ac fundamentum est. Duorum igitur crux latronum, ut ab euentu didicimus, duorum populorum coniunctionem cum Christo significabat, qui vna cum Christo quodam modo mortui erant, carnali voluptate sprete, & mundana vita sepulta, ut cum domino suo spiritaliter viuerent.

Caput XXIX.

Cripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum, Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum. Hoc certe illud aduersus nos chirographum, quod cruci affixum à domino Paulus ait, in quo de principatibus potestatibusque, ut de victis triumphauit. Nam etsi titulum hunc non saluator, sed Iudaeorum furoris minister affixerit, tamen ipse affixisse eum scribitur, qui affigi permisit. De principatibus autem in ipso triumphauit, quia appositus significabat legentibus Christum illum fuisse, qui animam suam in redemptionem omnium dabat: omnes enim homines peccati iugo depressi. Omnes enim, inquit, declinauerunt, & simul inutiles facti sunt, & diabolo seruientes turpissime degebamus. Habebat autem diabolus aduersus naturam nostram chirographum, maledictionem legis diuinæ transgressoribus debitam, & priscam Dei sententiam, quae aduersus primum hominem iustissime fuit prolata, in quo genus vniuersaliter nostrum (quia nemo absque peccato est) condemnatum fuit. Nam ut Adam peccauit, sic & caeteri post ipsum mandatum Dei neglexerunt. Quare de vno aduersus omnes sententia fuit prolata. Hoc igitur aduersus genus nostrum chirographum, titulo in cruce confixo, saluator deleuit. Liquidò namque hic titulus mortem in ligno suam significauit, quam pro condemnatorum vita passus est, & pro delictis poenam dedit sufficientem. Nam etsi vnus patiebatur, sed ut Deus supra omnem creaturam est dignus, & vita omnium multo praestantior: idcirco iniquitas omnis obstruxit os suum, ut Psalmista canit, & peccati lingua obticuit, quum delinquentes accusare non possit. Iustificati enim sumus, quum debita nostra pro nobis Christus reddiderit. Liuore namque suo sanati omnes sumus, ut scribitur. Sed quemadmodum per lignum casus noster fuerat excogitatus: sic per lignum à casu renouati, coelestia bona accepimus, quum ipsius quasi aegritudinis initium propter nos in seipsum Christus lustrauerit.

Hunc

Caput XXX.

A Vnc ergo titulum multi legerunt Iudaeorum, quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptus Hebraice, Graece & Latine. Diuinitus, ut ego puto, factum est, ut trium linguarum, quae praecipuae sunt, literis scriptus titulus fuerit. Omnium enim gentium regnum Christo attributum, esse significauit. Ipsi enim, inquit Daniel, honor & regnum datum est, & omnes tribus & linguae ipsi seruient. Et, ut Paulus ait: Omne genua flectetur, caelestium, terrestrium & infernorum: & omnis lingua confitebitur, quia dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei patris. Titulus igitur iste per praecipuas linguas omnium linguarum Iesum futurum principem praedicebat, & impietatis crimine Iudaeos arguebat. Magna eorum voce, qui legebant, clamans, quod dominum regemque suum crucifixerint.

Caput XXXI.

Dicebant ergo Pilato pontifices Iudaeorum: Noli scribere rex Iudaeorum, sed quia ipse dixit, rex sum Iudaeorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Non possunt ferre huiusmodi titulum principes Iudaeorum, sed acriter turbati inuidia, regnum pernegant Christi. Nunquam enim, inquit, rex iste fuit, quem nos in regem nunquam suscepimus: sed ipse huiusmodi verbis vsus est. Ita ex imperitia non videbant veritatis naturam mentiri non posse: veritas autem Christus est. Rex igitur Iudaeorum est, si sic ipse dixit, & vos o Iudaei affirmatis. Non vult autem Pilatus mutare titulum: quia non fuit in omnibus sibi diuinitus permissum, aduersus saluatoris gloriam furere. Stabile namque, ac supra calumniam Christi regnum est, etiam si Iudaei nolint, etiam si gloriam eius confiteri non patientur.

Caput XXXII.

Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, et fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo adinuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit: ut scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem, & milites quidem haec fecerunt. Partiti sunt vestimenta saluatoris inter se milites. Solent enim ex truculentia publicorum rerum vindices, non modò non condolere damnatis, verum etiam atrocius iussa peragere, & calamitatibus aliorum robur quoddam animi ostentare. Vestes autem damnatorum, quasi haereditatis lege ad se pertinentes vendicant. In quatuor igitur partes caeteris diuisis, vnam tunicam dilacerare visum non est: sortis ergo illam faciunt munus. Non enim poterat mentiri Christus, de seipso apud Psalmistam dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Haec enim omnia praedicta sunt, ut rerum euentibus ipsum esse, qui veterus erat, crederemus. Non enim magna solum, sed parua quoque praedicta sunt: ut ab omnibus rectè ad veritatem deducti, non erraremus. Sed non nocebit, imò verò etiam proderit, non nihil de partitione vestimentorum sublimius dicere. In quatuor partes vestimenta diuisa sunt, & tunica solù indiuisa remansit: quod mysticae cuiusdam rei signum fuisse dixerim. Nam quatuor orbis partes ad salutem reductae, indumentum verbi, id est, carnem eius impartibiliter inter se partiti sunt. In singulos enim impartibiliter transiens vni genitus, & animam atque corpus eorum per carnem suam sanctificans, impartibiliter atque integrè in omnibus est: quum vnus vbiq; sit, nullo modo diuisus, sicut Paulus ait. Huius mysterij vim, legis quoque figura obumbrat. Agnù enim tempore congruo accipere

Exodi 12
cipere iubebat: non per singula capita vnum, sed per singulas domos atque famili-
as sic diuidi quodam modo agnus videbatur. Sed vt rursus quasi integer atque in-
diuisus remaneret, vnà in domo comedatur, inquit, non exportabitis de carnibus
eius. Sic partibiliter, quantum ad singula vnus familiæ capita: & impartibiliter,
quoniam in vna domo atque familia, vnus in omnibus agnus inueniebatur. Simi-
le quid & de vestimentis intellige: alia enim in quatuor partes diuisa sunt, sola tuni-
ca integra permansit. Quæ inconsumptis, & desuper erat contexta: vt significaret ab
que conuentu sexuum, virtute spiritus sancti desuper corpus domini contextum,
atque confectum de sanguine virginis fuisse. Hæc cum nihil veritati obliant, & con-
ducere possint, studiosis non reijcienda sunt.

Caput XXXIII.

Lucæ 2
Tabant autem iuxta crucem Iesù mater eius, & soror matris eius
Maria Cleophae, & Maria Magdalene. Nō inutiliter huius quo-
que rei Evangelista meminuit, stantesq; iuxta crucem matrem & cæte-
ras dixit, largis scilicet lachrymis flentes. Facile namq; ad lachrymarū flu-
mina genus est mulierum, præsertim cum magna causa mouetur. Cur autem hæc
tenuia memorat, & mulierum mentionē facit? Docere, vt ego arbitror, voluit, tan-
tam passionis Christi fuisse indignitatem ac magnitudinem, vt matrem etiam e-
ius, mors crucis, & ludæorū illusiones comouerint, & ad hæc milites cum risu atq;
triumpho corā matre ad derisionem Christi vestimenta partientes. Hic certè do-
lor à Simeone prænunciatus fuit. Ecce, inquit, hic positus est in ruinam & resurre-
ctionē multorum in Israel, & in signū cui contradicetur. Et tuam ipsius animā per-
trānsibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Gladiū em̄ acutum,
doloris magnitudinē appellauit: ex multis aut cordibus reuelatæ cogitationes sunt,
quum etiam discipuli eius scandalum propter passionem passi fuisse videantur.

Caput XXXIII.

Lucæ 2
Vum vidisset ergo Iesus matrem & discipulum adstantem, quē
diligebat, dixit matri suæ: Mulier ecce filius tuus. deinde dicit di-
scipulo: Ecce mater tua, & ex illa hora accepit eā discipulus in su-
am. Prouidit matri, quasi parū de magnitudine doloris curaret. Nā
etsi acriter patiebatur, erat tamen etiam impassibilis. Cōmendauit autem eam di-
scipulo Iohanni huic, qui Euangelium hoc conscripsit, vt officium filij in eam serua-
ret: matrem similiter admonuit, vt parentis in discipulum auctoritatem haberet: a-
more videlicet atq; charitate non minus illos coniungi voluit, quā si naturæ ma-
xima propinquitate coniuncti essent. Sunt autem, qui dicunt, carnis coniunctione
Christum commotum fuisse, ac ita locum in ipso affectus habuisse contēdunt: ad
quam quidem opinionem non nisi mente capti delabuntur. Non enim hac ratio-
ne id factum à Christo est, sed re ipsa honorandos esse parentes docere nos voluit.
Aequali enim verè supplicio in Deum blasphemantes, & parentes parui penden-
tes, puniri lex statuit. Morte moriatur, qui nomen domini nominauit, id est, in do-
minum blasphemauit. Et similiter, qui patri aut matri maledicit, morte, inquit, mo-
riatur. Cum igitur ita per legem ipse præceperit, quumq; omnis virtutis ipse fons sit
quomodo non oportebat ab ipso, & per ipsum primum nos discere, nec quando in-
tolerabiles imminent erumnæ, negligendos esse parentes? Optimus enim ille cer-
tè est, non qui magna in tranquillitate ac copia reum, sed qui in tempestate & ege-
state, mandatorum non obliuiscitur.

Caput XXXV.

Exodi 21
Ostea sciens Iesus, quia iam omnia consummata sunt, vt consum-
maretur scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo positum erat aceto ple-
num,

A num, illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtu-
lerunt ori eius. Quum truculenter omnia impietate ludæorum essent peracta,
nec quicq; ad summam crudelitatem deesset, tandem sanctissima caro Christi na-
turale quid patitur. Multis enim ac varijs doloribus exiccata, siti torquetur. Multū
enim possunt dolores ad commouendam sitim. Innatum enim calorem exagitan-
tes, vel quod in profunditate humidum est, consumunt, et igneis ardoribus dolen-
tis viscera vrunt. Sicut igitur cæteras passiones, sic hanc etiam sponte Christus per-
pessus est: bibere igitur petit. Illi aut ad eod longè ab omni humanitate aberant, vt pro-
iuuante potu atq; iucundo nocētē & acerbum attulerint, & humanitatē, qua mo-
ueri videbant, in impietatem conuerterint. Nam cum petenti dabāt, charitatis ha-
bitum suscipere videbantur. Sed non est possibile mentiri scripturā, in qua ex per-
sona Christi dicitur: Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me
aceto. Sed hic quidē Evangelista spongiā aceto plenā hyssopo illos circumposuisse
ac attulisse scribit. Lucas verò aceti solūmodo meminuit. Matthæus autē & Marcus
calamo spongiam circumpositā scribit fuisse. Nec discrepantiā in Evangelistis vl-
lā esse dicemus. Nam cum necessarium ad pietatem non esset, modū quoq; rerum
omniū minutius cōscribere, alius aliter scripsisse videt. Quia cum omnia facta sint,
non omnia omnes, sed alius aliud conscripsit. Beatus igitur Lucas nullā de allationis
modo curam habuit: Iohannes verò à cæteris non discrepat, quia ita imperitis videā-
tur. Perspicuū em̄ est, multos impietatis fuisse ministros, milites simul atq; Iudeos.
Alij ergo calamo, alij ligno hyssopi potum Iesu adferebant. Dicitū est em̄ per Eze-
chielem à Deo ad Hierusalē: Sicut fecisti, sic fiet tibi. Retributio tua retribuetur ti-
bi in caput tuū. Per Esaiā verò ad Israel dicit: Væ iniquo, praua secundū opera mā-
nuū suarū accident ei. Inter cætera igitur, quæ crudeliter in Christū facta sunt, hoc
quoq; iudicamus. Ex quo non parū vtilitatis cōsequi possumus. Discimus em̄ hinc
non posse satiari aduersariorū animos in persequendis amicis Christi: sed vsq; ad
vltimum spiritum, magnum vndiq; tentationum commouent æstum, sed hi ma-
gnī labores atq; perpetui, perpetuam etiam adferunt gloriam. Nam sicut tribula-
tio in hac vita non cessauit: sic in futura, quæ æterna est, gloria nunq; terminabitur.

Caput XXXVI.

B Vum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est, &
inclinato capite tradidit spiritum. Consummatū iam esse saluator
dicit, quia sæuendi ludæorum potestas in ipsum per mortem suā termi-
num habuit. Quid em̄ non excogitarunt, aut quid supræmæ in humani-
tatis relictum sibi est: quis cadendi, quis contumeliandi modus nō adhibitus? Me-
ritò igitur consummatum esse ait. Quumq; tempus iam esset, vt etiam spiritibus
apud inferos prædicaret (venit em̄, vt tam viuorum q̄ mortuorum dominaretur)
mortem pro nobis suscepit. Et hanc naturæ nostræ propriā passionē sponte subiit
secundum carnem, quā vt Deus vita naturaliter sit: vt spoliatis inferis, primitiæ dor-
mientium & primogenitus (vt scripturæ dicunt) mortuorum factus, recursus ad
vitam naturæ nostræ largiretur. Inclinauit igitur caput. Accidit em̄ morientibus,
vigore carnis iam consumpto, & anima, quæ corpus retinet, abeunte, inclinatio ca-
pitis. Quam obrem verbis hoc modo abusus Evangelista est. Sic & tradidisse spiri-
tum à consuetudine nostra sibi dictum est: multi enim sic extingui & mori dicunt.
Quamuis mihi videatur ideo non simpliciter mortuum esse, sed tradidisse spiritū
Evangelista dixisse: quia in manus Dei patris animam suam cōmendauit, vt ipse
dixit: Pater in manus tuas cōmendo spiritum meum. Quod nobis magnæ spei fun-
damentum atq; originem præbet. Credere namq; debemus, cum à corporibus san-
ctorum animæ abierint, tanq; in manus charissimi patris, bonitati diuinæ cōmen-
dari: nec, vt quidam infidelium crediderunt, in terris conuersari, quousq; sepulture
honorē

Psal. 68
Lucæ 25
Matth. 27
Marci 15

Ezechi. 9

Esaiæ 3

i. Cor. 15
Coloss. 1

Lucæ 23

honoribus affectæ sint; nec ut peccatorum animæ, ad immensi cruciatus locum, id est, ad inferos deferri, itinere hoc nobis à Christo primum preparato, sed in manus potius patris euolare. Tradidit enim animam suam manibus genitoris, ut ab illa & per illam facti initio, certam huius rei spem habeamus: firmiter credentes, in manibus Dei nos post mortem futuros, vitamq; multo meliorem ac perpetuè cum Christo victuros: ideo enim Paulus desiderauit dissolui, & esse cum Christo.

Caput XXXVII.

Postquam autem expirauit, velum templi scissum est a summo usq; deorsum. Velum templi, linteamen quoddam erat de latere ad latus, à superioribus templi in medio dependens, ut ad interius tabernaculum solus pontifex ingredi posset: ad quod illotis pedibus introire nefas erat. Non enim licebat impræparato sancta sanctorum aspicere. Hanc per velamenta dissepationem necessariam fuisse, Paulus ostendit, dicens: Tabernaculum enim factum est primum, quod dicitur sancta; post velamentum aut, secundum tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & tabulæ testamenti, & virga Airon, quæ frõduerat. Sed in primum, inquit, tabernaculum sacerdotes ingrediuntur, sacrificiorum officia consummantes: in secundum verò solus pontifex singulis annis semel, nec absq; sanguine, quæ offert pro sua & populi ignorantia. In primis enim ianuis templi velum erat extensum, intra quod primum tabernaculum stante non fuisse manifestam, spiritus sanctus significabat. Nullo enim modo licebat populis ultra primum tabernaculum progredi. Nondum enim Euagelice vitæ modus effulset, qui per Christum vocatis à spiritu ad sanctificationem datus est. Nondum mysterium Christi enituit, sed mandata literæ adhuc pollebant: ideo in primo tabernaculo iudæi à lege statuebantur. Exordium enim est (ut ita dicam) atq; introitus disciplinæ legalis ad perfectionem Euagelicam. Illa in figuris erat, hæc ipsam veritatem amplectitur: illa sancta & exterior, lex enim sancta est, & mandata eius iusta & bona; hæc interior & sancta sanctorum. Nam quum sancti essent, qui lege iustificabantur, sanctiores per fidem Christi sancto peruncti spiritu effecti sunt. Iustitia ergo fidei multo q̄ legalis præstantior est, & sanctificatio copiosior. Quas ob res libet animo Paulus legalis iustitiæ detrimentum passus fuit, ut Christum acquireret: nec inueniret iustitiã in se habens legalẽ, sed eam, quæ per fidem est Iesu Christi. Quãuis nonnulli retrò ceciderint, & post iustitiã fidei ad mandata legis delapsi sint, secundum figuras legis viuentes. Galatæ autem isti erant, quibus Paulus scripsit, quia nihil à Christo iuuarent, si circumcisionem legis amplecterentur: pertransierunt iam vetera. Euacuati estis, inquit, à Christo, qui in lege sanctificamini, à gratia excidistis. Sed ad propositum reuertamur. Velum templi à summo usq; deorsum scindit, quia sancta sanctorum iam aperiunt, & via credentibus in Christum ad interius tabernaculum præparat. Diuinorum enim mysteriorum cognitio non amplius velo legalis literæ tegitur, nec historiæ figuris ac vmbriis mētis nostræ acies retardat: in simplicitate namq; fidei, paucis certè verbis egemus. Prope te, inquit, verbum est in ore tuo, & in corde tuo, id est, verbum fidei, quod prædicamus: quia si dixeris in corde tuo dñs Iesus: et credideris in corde tuo, quia Deus suscitauit eum ex mortuis, saluaberis. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Totum enim pietatis mysterium his verbis exprimitur. Antea igitur q̄ mortem pro vita nostra Christus subiisset, velum extensum omnia tegebat, quum ius mandati legalis dominaretur: sed postq̄ omnia consummata sunt, quæ in Christum iudæi crudeliter commiserunt, postq̄ spiritum saluator tradidit, vetus illud & latum velum confestim scissum omnino atq; per totum est. Hoc enim significat à summo usque deorsum.

Quare

A Quare sic: quia pulcherrimus fidei nucleus ariditate literalis testæ perfracta denu-
 datus est: non enim trunca & manca, sed perfecta fidei illuminatio est. Ideo Psalmista
 ex persona noui populi canebat, dicēs: Incerta & occulta sapiētia tuæ manifesta sūt
 mihi. Et Paulus: Gratiās ago, inquit, Deo meo semp pro vobis, quia in omnibus diuites
 facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia, & in omni cognitione. Quia igit
 omni cognitione & sapientia locupletandi iam erant fideies, sine aliqua veili obum-
 bratione totum intelligentes mysterium: idcirco templi velum non in parte aliqua, sed
 totaliter scinditur. Opportunitas tunc maximè pulcherrima fuerat ut velum scinderet
 & lex aperiretur, quando animam pro nobis saluator tradidit: tunc enim à gratia Dei pe-
 nitus Israel decidit, resiliitq; longè ab ea, cum in tanto furore saluatorẽ suum impiè oc-
 ciderit. Quod etiam Euangelista diligenter notauit, dicens: Postq̄ autem expira-
 uit, velum templi scissum est. His enim verbis tempus ipsum ante oculos posuit. Sed
 ad hæc illud etiam dicere possumus. Solebant iudæi & maximè principes ac Pha-
 risæi, quando aliquid fieri videbant aut audiebant, quod aduersus Deum autorem le-
 gis ageretur vel diceretur, vestem ilicò scindere, aut lugentiũ habitum suscipere:
 quod faciebant, ut molestè se omnia huiusmodi terre ostenderet, ac à simili crimi-
 ne animas suas liberarent. Unde Christi quoq; discipuli, Barnabas dico & Paulus,
 cum nonnulli ex infidelibus opera eorum admirati, alterum louem, alterum Mer-
 curiũ putassent, sacrificiaq; illis ut dijs pararet: quoniam hæc res ipsi Deo iniuriã adte-
 rebat, sciderunt vestes eorũ, ut scribitur. Cum etiam saluator de doctrina sua à prin-
 cipibus iudæorum interrogatus dixisset: A modò videbitis filium hominis seden-
 tem à dextris virtutis Dei, & venientẽ in nubibus cœli. Exiliens à pontificali Caia-
 phas sella, scidit vestes suas dicens: Blasphemauit. Hac iudæorũ consuetudine tem-
 plum Dei quodammodo usum cum Christus expirasset, velum quasi vestem suã, ad
 contemnendam iudæorum impietatem ilicò scidit. Quod diuinitus ideo dixerim
 esse factum, ut sanctum Dei templum populi causam lugere intelligeretur.

Caput XXXVIII.

Iudæi ergo, quoniam parasceue erat, ut non remaneret in cruce
 corpora sabbato (erat enim magnus ille dies sabbati) rogauerunt
 Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Non religio
 ne id à iudæis factum est, sed quia (ut consueuerant) excolabant culicem, & came-
 lum glutiebant. Maxima enim delicta temerariè suscipiebant, & de minimis erant
 curiosi: quod in eodem patuit die. Nam Christum occidere non dubitarunt, & sabbati
 honorẽ illius in rem minima conseruare estudebant. Autorem legis interemerunt,
 & legem seruare fingebant. Honorant magnum illius sabbati diem, qui magnæ
 diei dominum crucifixi erunt. itaque gratiam à Pilato impetrarunt sibi solis conue-
 nientem. Crura enim eorum fregerunt: ut magnitudine doloris, qui iam in extre-
 mis erant, citius morerentur.

Caput XXXIX.

Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alteri
 us, qui crucifixus est cum eo: ad Iesum autem quum venissent, ut
 viderent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura. Sed vnus
 militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua: & qui
 vidit, testimoniũ perhibuit, & verum est testimoniũ eius: & ille scit, quia
 verum dicit, ut & vos credatis. Facta sunt enim hæc, ut scriptura implere-
 tur, dicens: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Vide
 bunt in quem confixerunt. Iudæorum obsequentes voluntati milites, duorum
 latronum, qui cum Christo crucifixi fuerunt, ut morti citius traderent, crura frege-
 runt.

III ij runt.

Philipp. 1

Hebra. 9

Ibidem.

Roman. 7

Philipp. 3

Galat. 5

Roma. 10

Psalm. 50
1. Corin. 1

Act. 14

Matth. 26

Matth. 23

Exodi 12
Zacha. 12

gerit: Iesum autem in inclinatione capitis expirasse putantes, crura eius non frangunt. **E**o rursus in vnus, subdubitans fortassis an mortuus esset, lancea latus eius cōpungit, qui illico sanguinē simul atq; aquā emisit, benedictionis mysticæ ac sancti baptismatis originē quandā atq; primitias. Christi enim & à Christo baptismus & benedictionis quoq; mysticæ virtus, à sancta eius profluit carne. Ab his autem, quæ tunc acciderunt, Christū illū fuisse, qui venturus à scriptura dicebatur, breuiter Euangelista ostendit, aliqua cōmemorans, quæ à scripturis prædicta, tunc exitum habuerunt. Nam nec os eius fuit comminutum, & militum lancea transfixus est: quas quidem res oculis se vidisse testatur. Se ipsum enim, non alium veritatis testem modò adduxit atq; ad ed inanis gloriæ tumore, vt rem turpissimam, fugiens, nomen suū occultit.

Caput XL.

Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathia, eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum, vt tolleretur corpus Iesu: & permisit Pilatus. Venit ergo & tulit corpus Iesu. Accusatur breui hac oratione Iudæorum rursus impietas, cum non fuisse absq; periculo monstratur, doctrinā Christi amplecti. Probus enim hic iuuenis quis Christum amaret, & disciplinam eius legi anteponeret, latebat tamen, Iudæorum formidans minas, qui mortem in Christum credentibus minitabatur. Sed vide hinc quoq; quanta crudelitas in Iudæorum animis fuerit. Quippe qui nec mortuo quidem Christo parentare voluerunt, quem Christum esse non ignorabant: cuius signa, miraculaq; multa viderunt, quamuis liuoris stimulo agitati, nihil inde vtilitatis fuerint consequuti. Ad condemnationem ergo illorum, & maximè Hierosolymitarum, Ioseph Arimathiensis, Iesu corpus sepultura honorat.

Caput XL.

Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte prius, ferens mixturam mirrhæ, & aloes quasi libras centum. Non vnum solummodo magno animo ad sepeliendum sanctissimum Christi corpus, sed alterum etiam exponit cōuenisse, autoritate quasi legis munniens. In ore namq; duorum aut trium testium omne verbum stare lex iubet. Duo igitur pollinctores, Ioseph & Nicodemus fuerunt: animo quidem credentes, sed formidine pressi, terrestrem adhuc gloriā cœlesti anteferebant: & idcirco non libere, neq; manifestè, sed occultius ac timidius Christum honorabant.

Caput XLII.

Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisq; positus fuerat. Reputatus quidem in mortuis secundum carnem propter nos est, qui vita naturaliter ac verè per seipsum est: vt omnem impleveret iustitiam, quæ generi nostro conuenit, corpusq; suum morti & sepulturæ sponte cōcessit. Monumentum autem in horto erat, inquit, & ipsum nouum: quæ res significat recursum nobis ad paradysum morte Christi esse præparatum. Præcursor enim ipse pro nobis ingressus est. Monumenti autem nouitas, nouum atq; inauditū de morte ad vitam reditū significat. Nam & ipsa mors in morte Christi innouata, ad somni conditionem mutata est. Vivimus enim Deo, & ipsa corpora nostra reuictura sunt, secundum scripturas. Vnde mortui, dormientes iam ab omnibus, & maximè à Paulo, appellantur. Nam olim quidem etiam in eos, qui non peccarunt, in similitudine præuaricationis Adæ (cuius imaginem induti, omnes maledictioni subijcebantur) mors apertissimè regnabat. Sed postq; secundus Adam effulsit, & morte

carnis

A carnis suæ humani generis vitā redemit, & imperio interius destructo surrexit: reformati sumus, nouæ cuidam morti, non sempiternæ, sed somno simillimæ subiecti, ad similitudinem scilicet Christi, qui hanc nobis viam præparauit. Si quis autem ideo nouum dici monumentū credit, quia nemo ante Christū ibi positus fuerat, id non modò non renuimus, verum etiam valde approbamus. Nouum enim fuit monumentum, nemoq; ante Christum positus, ne alius è mortuis surrexisse crederet.

Caput XLIII.

MBi ergo propter parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum. Non solum nouum fuisse monumentum, & in horto significauit, sed positum etiam in monumento Christi corpus exposuit, nec id quidem minimum prætermittens. Necesse est enim pro cognitione mysterij, verè Christum fuisse mortuum cōfiteri. Propter eam etiam Paulus fidei regulam tradens, dicit: Quia si dixeris in ore tuo, dominus Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus suscitauit eum ex mortuis, saluaberis. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et alibi: Tradidi vobis in primis quod accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas: & quia sepultus est, et quia surrexit tertia die, secundum scripturas. Necesse igitur hæc etiam minuta nobis Euangelista explicat. Quia necesse est credere mortuū & sepultū fuisse, vt postea verè possimus credere vinculis interitus ruptis, ad suam vitam rediisse. Non enim erat possibile naturaliter vitam à morte detineri, nec poterat is, in quo viuimus & mouemur & sumus, nostræ naturæ legibus perpetuò seruire, sed vt Deus naturam nostram vita indigentem viuificat.

Caput XLIII.

BNa autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, quum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, & vidit lapidem sublatum a monumento. Cucurrit autem & venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulū, quem diligebat Iesus, & dicit eis: Tulerunt dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus & alius discipulus, & venerunt ad monumentum: currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et quum se inclinasset, vidit linteamina posita, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius non cum linteaminibus positū, sed separatim inuolutū in vnū locū. Tūc ergo introiuit & alius discipulus, qui venerat primus ad monumentum, & vidit & credidit: nondum enim sciebant scripturā, quia oporteret eum a mortuis resurgere. Non remansisset domi, nec à monumento abfuisset diligentissima illa mulier, nisi lege sabbati detenta fuisset. Quo die iam exacto, & altero die appropinquante, curriculo venit ad monumentum. Quumq; lapidē, quo tegebatur, reuolutum inspiceret, suspicatur corpus domini translatum fuisse, Iudæosq; id ex inuidia fecisse. Cuius rei atrocitate perculsa, ad charissimos domini discipulos cursu tetendit: nec propter crucem & passionem domini fidem amisit, sed etiam mortuum (vt solebat) dominum appellat. Tales in ea pietas egit radices. Petrus autem & Iohannes, qui hoc nobis Euangelium conscripsit (alium enim discipulum seipsum appellat) maximo cursu velocissimè ad monumentum deueniunt, & oculis miraculum cernunt, sufficientes numero testes secundum legem. Nam etsi Christum non viderint, à collectione tamen linteaminum, & inuolutione sudarij separatim positi, surrexisse ipsum intellexerunt. Crediderunt igitur etiam ipsa mortis vincula iam ab eo esse dis-

rupta,

Ioannis 9

Ioannis 3
Deute. 19

Hebræo. 6

Esaia 26
1. Theff. 4
Roman. 5

Roma. 10

1. Cor. 15

Actor. 17

Caput Ioan.
ann. XX.

Deuter. 19

rupta, quod scriptura olim prædixit. Veris itaque prædictionibus euentus rerum conuenire videntes, summo perè firmantur in fide. Aduertendum autem est, quia quum hic Euangelista resurrectionis tempus significaret. Vna, inquit, sabbati mane, quum adhuc tenebræ essent: Matthæus autem, vespere sabbati, quæ lucefcit in prima sabbati, scriptum reliquit: nec vlla inter eos est discrepantia. Idem enim tempus, profundo vespere & mane profundo significatur: quum vtroq; dicendi modo ad mediam noctem perueniatur. Nam alter ab exitu, alter ab initio noctis incipiens, ad profundam noctem perrexit. Et sic alter ab altera extremitate noctis profectus, ad profundam & mediam noctem deuenit.

Caput XLV.



Bierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Firma iam fide resurrectionis Ioannes & Petrus roborati, domum rursus regrediuntur, prædicaturi discipulis, deliberaturiq; quid sibi sit faciendum. Citius autem arbitror reuersos fuisse, quoniam Iudæorum iram aduersus discipulos Christi non ignorabant. Vnde nec sibi tutum putabant ad diem vsq; circa monumentum immorari. Nec formidine pressos fuisse dicemus, sed periculum ante tempus subire noluerunt, Christo animos eorum ita monente, qui ad patrem de ipsis dicebat: Pater sancte serua eos in nomine, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus: quando eram cum ipsis, ego seruabam eos in nomine, quos dedisti mihi, & nemo de ipsis perijt, nisi perditionis filius. Citius ergo inde recedentes, ad seipsos reuersi, præcepta saluatoris seruabant: qui iussit eis, ne à Hierosolymis abirent, sed expectarent promissionem patris, quam ab eo audierunt. Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem nõ post multos hos dies baptizabimini in spiritu sancto. Quæ res in die Pentecostes exitum habuit, quum apparuissent ipsis dispartitæ linguæ tanquam ignis, sedissetq; supra singulos eorum. Tunc enim ex infirmitate humana ad maius quoddam robur reformati, Iudæorum parui pendebant insidias. Sed discipuli quidem (vt diximus) ad secretiora loca se receperunt. Maria verò ab omni metu libera, quia nihil de Iudæorum ira suspicabatur, circa monumentum versabatur, et (vt fœminarum genus solet) fletum fletui addidit. Nec quia mortuus esset, solum plorabat, verum etiam quoniam alio à monumento translatus videbatur.

Caput XLVI.



Vm ergo fleret, inclinauit se & prospexit in monumentum, & vidit duos angelos in albis sedentes: vnũ ad caput, & vnũ ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Vide rursus non frustra illam plorasse, nec amoris erga Christum mercede caruisse. Nam cum circa monumentum perseveraret plorans, voce angelorum ad cognoscendum Christum iuuatur. Quos in albis vestibus vidit, vt vestimentorum candore pulchritudo puritatis eorum significaret. Qui repellentes illam à fletu, dicunt: Mulier quid ploras? non enim lachrymarum causam quærunt, quam certè non ignorabant: sed vt re ipsa patet, ne lachrymæ, admonent. Nam morte iam & interitu destructo, lachrymarum tempus, inquit, non est. Cumq; dñs resurrectione sua humanum genus ad vitam reuocauerit, cur tibi plorandum est ò mulier? Nam rerum exitus ad contrarium potius inuolat. Quid igitur ploras, quæ lætari gaudereq; modò debes? Apparuerunt autem sedentes, alter ad caput, alter ad pedes, vbi positum erat corpus Iesu, vt mulieri corpus domini translatum putanti significarent, neminem potuisse vim sanctissimo illi corpori adferre, quod ab angelis defendebatur. Ambigere autem aliquis non iniuria poterit, quam ob rem discipulis (Petro dico atq; Iohanni) angeli non apparuerunt, mulieri autem & apparent & loquuntur. Dicimus igitur mysterium

Matth. 28

Ioannis 17

Actoru 1
Actoru 2

Ibidem.

Asterium domini, sic ipso disponente atq; volente, multis diuersisq; modis in animis hominum certius infedisse, cum vniciq; conueniens manifestationis modus sit accommodatus. Discipulos em rerum exitus, scripturæ, Christi q; prædicationibus conueniens, ad firmissimam fidem induxit. Superuacaneum igitur erat, firmiter credentes voce angelorum doceri. Mulieri autem penitus necessarium, quæ nec literas sciret, nec alio modo sublimi resurrectionis mysterium percipere posset.

Caput XLVII.



Icit eis: Quia tulerunt dominum meum, & nescio, vbi posuerunt eum. Hæc quum dixisset, conuersa est, & vidit Iesum stantem, & nesciebat quia Iesus est. Tarda hæc est ad intelligendum mulier, imò verò vniuersum genus fœminarum. Nondum enim intellexit, quid visio illa significaret, fletus autem causam explicat. Verum quoniam Christum semper dominum appellaret, & feruentem erga ipsum amorem hoc modo ostenderet, propterea etiam ipsum videre digna iudicata est. Videt igitur Iesum, sed non cognoscit: aut quia diuina se potestate diuinus cognosci non permetteret, aut quum tenebræ adhuc essent, certius discernere non poterat.

Caput XLVIII.



Icit ei Iesus: Mulier quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Quum propter noctis tenebras nõ cognouisset dominum Magdalena, suspicata est aliquem eorum esse, ad quos horti cura pertineret. Audiuit autem ab eo, mulier quid ploras: Non quia plorandi causam dominus quæreret, sed quia reuocare ipsam à fletu volebat: quod & per angelos in superioribus fecit. Ipse namq; in illis etiam loquebatur. Quid igitur ploras ò mulier? Quem quæris? id est, absterge lachrymas. Habes iam quem quærebas: ego tibi causa sum lachrymarum, quasi mortuus & à monumento sublatus. Verum quoniam viuo & adsum, omisso fletu atq; mœstitia, gaude iam atq; triumphas. Interrogatio igitur hæc, plorum mœroremq; aufert. Oportebat certè vt mulieres etiam à mœstitia per dominum liberarentur. Nam quum propter præuaricationem Adæ, ad vniuersum genus in eo primo dictum sit: Terra es, & in terram reuertèris: tunc ad mulierem etiam, in doloribus paries filios, dictum est, qui dolores punitiõis loco fœminis impendebant. Sed dominus noster Iesus Christus in Maria prima fœminarum lachrymas absterxit. Prima em hæc à dolore fletus voce domini reuocata est, quæ per ipsam ad vniuersum mulierum genus pertransit, si Christi fide munita illud Psalmistæ canunt: Nõne qui oderunt te domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Sed dominus quidè à ploratu & dolore illam reuocabat: illa verò, quasi hortulanus esset, rogat, vt si ab eo sublata fortè corpus domini esset, ostendat vbi posuerit, vt inde ipsa tollere possit. Nondum enim resurrectionis intellectu mysterio, varijs suspicionibus agitur tardior, vt mulier, ad intelligenda ea, quæ rationem omnem excedunt.

Caput XLIX.



Icit ei Iesus: Maria. Conuersa illa, dicit ei: Rabboni, quod dicitur magister. Ad certiore iam cognitionem mentem mulieris conuertit, nomineq; appellans, tarditatis quasi accusat. Illa verò statim ad apertis oculis suis cognouit eum, & ab omni suspicione remota, magistri vocabulo (vt cõsuevit) ipsum honorat, gaudijq; plena ad tactum eius festinat, vt benedictionem ab eo consequatur.

Gene. 3

Psal. 138

Magnum
mysteriū.



icit ei Iesus: Noli me t̄gere, nondū em̄ ascendi ad patrē meum. Reconditus huius sermonis sensus est, latetq; in eo non paruum mysterium; sed ope domini freti, in medium proferre quæ dicuntur, incipiamus. Accurrebat mulier domino, & pedes eius tangere festinabat; pro-

hibetur autem ab illo ea de causa, quia nondum, inquit, ascendi ad patrem meum. Quam autem satisfactionem adfert hæc ratio, ne à diligētibus eum tangeretur:

An quia maculari tactu hominum nolebat, vt ad patrem mundus ascenderet: Sed quis mentis compos hoc vnquam cogitabit? Nulla enim re inquinari deitas potest. Nam quæ admodum radij solares à sordicie terrarum nullo modo maculantur, nec putredinis fœtor vllus officere illis potest: sic sanctissima illa natura nulla maculam suscipit. Quid igitur sibi voluit dominus dicens: Nondum enim ascendi ad patrem meum? Inter multas, variasq; saluatoris aduētus causas, illa præcipua fuit, quam ipse voce sua declarauit. Non enim, inquit, veni vocare iustos, sed peccatores in poenitentiam. Propterea ante passionem, resurrectionemq; suam, cum probis simul atq; improbis cōuersabatur, ita vt liberè vnusq; publicanus etiā & peccator ad eum accedere posset: quod faciebat, vt omnes sanctificaret, reuocaretq; à peccati morbo ad veritatis cognitionem. Non enim indigent sani medico, sed q; malè valent. Idcirco quum in domum Pharisæi diuertisset, peccatricem fœminam lachrymis pedes eius lauante, & crinibus abstergente suis, aspernatus non est.

Matth. 9

Luce 7

Matth. 9

Exodi 12
Incircuncisum.

Circuncisio cordis.

Roma. 2

Ioannis 16

Interpretatio.

Nec mulierem fluxu sanguinis laborantem repulit, imò etiam clementer allocutus est: Filia, dicens, fides tua saluam te fecit. Sic igitur ante crucem, ac resurrectionem suam omnibus vel peccatoribus tangendum ad benedictionem seipsum permittebat: dispensatione autem incarnationis iam consummata, post resurrectionem suam non facilè id vniciq; concedit. Vt eam nobis regulam traderet, quam lex quoq; Moisaica immolatione agni significauit, de quo in figura Christi scribitur: Omnis incircuncisus non comedet de eo. Incircuncisum porro appellat omnè impurum: impura verò secundū naturam, si ad naturam Dei confertur, natura hominū est. Quare oportet nō incircuncisos, sed mūdos homines, spiritaliterq; circuncisos sanctissimum dñi corpus tangere. Circuncisio em̄ cordis in spū fit, secundum Paulum: quam nullus vnq; habet, nisi spiritus in eo sanctus fide atq; baptismo habitauerit. Nam quis Christus à mortuis surrexerit, nondum tñ per ipsum ex patre spūs ad homines missus fuit: quē misit, postq; ad patrem ascendit, propterea dicit: Conducit vobis vt abeam: nam nisi abiero, paracletus non veniet ad vos: sin autem abiero, mittam eum ad vos. Quia ergo nondū spūm miserat, ideo à tactu suo Mariam prohibebat, dicēs: Nondum em̄ ascendi ad patrem meum, id est, nōdum pater per me spūm sanctum ad vos misit. Hinc Ecclesia regulam accepit: prohibemus enim à sacra mensa catechumenos, quamuis veritatē iam cognouerint, & fidem magna voce confiteantur. Quia nondum locupletati spū sancto sunt, q non habitat nisi in ijs, qui baptismate cōsummati sunt: vnde cum baptismum receperint, qd spūs sanctus habitare in illis creditur, à tactu & cōmunionē salutaris Christi corporis non prohibentur. Idcirco & accedentibus ad benedictionē mysticam, ministri mysterij magna voce clamant, Sancta sanctis: solis sanctificatis spiritu, tactum & sanctificationem corporis Christi congruere significantes.

Caput LI.



Ade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrū: Deum meum, & Deum vestrum. Nō concessit corporis sui tactum mulieri, quamuis cupienti: mercedem autē per seuerantia, lachrymarūq; suarū duplicem ilicō reddidit. Nā in ea prima vniuersum mulierū genus (vt in superioribus etiam diximus) à merore ac lachrymis

mis ad lætitiā reuocatur. Et quem admodum in paradiso, quoniam diabolo mulier ministravit, in doloribus parituram se filios audivit: ita nunc in orto à maledictione liberata, plorare prohibetur: hæc igitur vna merces est. Altera, quia mittitur ad discipulos nuncia, vt eis hoc Evangelium adferat, qd Christus iam surrexerit, & ascēdat ad patrē: vt veluti prima mulier, qd diabolo ministravit, & se & mulierū genus vnā perdidit: sic & hæc mulier, quia Christo ministraverit, muliebre genus à maledictionē in se prima liberet. Largitur ergo illi dñs primum, ne ploret, neue dolor animū subiciat: deinde mirabilē quādam pedum pulchritudinē. Pulcherrimi em̄ sunt (vt Propheta dicit) pedes euangelizantiū bonum. Sed q mirabilis hæc fœmina fuerit, inde quoq; intelliges, quod d prophetæ mentionē de ipsa fecerint. Scribitur enim de ipsa, & de alijs, quæ vnā cum ea surrexisset Christum discipulis nunciarunt: Accedite mulieres, quæ à visione venitis. Populus enim intellectū non habet. Nam his verbis & mulieres propheticus hortatur, vt nuncient quæ viderunt: & Iudæorum imperitiā accusat, qui resurrectionē etiam saluatoris derideant. Non discrepat autē Ioannes ab alijs, quod solius Magdalena mentionē fecerit, cum illi alias cum ista fuisse adseuerent. Multo enim feruentior hæc ceteris fuerat, præcedebatq; alias, eratq; quasi dux atq; princeps illarum. Non ignoramus autē euentus rerum principalioribus plerunq; attribui. Ad honorē igitur & gloriā Magdalena à saluatore cōcessum est, vt hæc posset ad discipulos Evangelii deferre, quia Christus surrexerit, & ad patrē ac Deum suum & discipulorū ascendat. Tu autē profundum id qd; mysterium suscipe, nec à recta diuinorum dogmatum regula resiliās. Crede igitur qd vnigenitus Dei filius factus homo est, vt nos qd; (quantum fieri potest) per gratiam renouati, ad diuinitatē conscendamus. Humiliauit seipm, vt natura humiles ad suam sublimitatē adsumeret. Seruī formam indutus est, cum sit natura dñs, vt nos naturaliter seruos ad adoptionem filiorū Dei & ad seipm reduceret. Qm ergo verè homo est, vt nos deos & filios Dei per gratiā faceret: idcirco nostra ipse suscipit, & rursus sua nobis cōcedit. Quō, inquires, hoc fecit? Dicam vt potero. Primum em̄ nos, qui serui natura sumus (omnis enim creatura naturaliter creatori suo seruire creditur) & suos appellauit fratres. Patrē verò & suum & nostrum cōmuniter Deum vocat: deinde nostram sibi propter humanitatē quam adsumpsit, attribuens, Deum nostrum, quis Dei secundū naturam sit filius, Deum tñ suum nuncupauit vt quæ admodum nos ad supernaturalem dignitatem per ipm ascendimus (clamat em̄ in nobis per spūm suum, abba pater) sic & ipse, quoniam homo factus est, Deum nostrum in Deū suum habeat, licet verè ac secundū naturam filius sit. Non ergo conturberis, cum patrem Deum nominet suum: sed diligenter considera patrē quidē suum esse natura, Deum autē nostrum vt creatorē & dñm. Sed quod sibi natura inest, nobis largitur, vt (quæ admodum diximus) communiter patrem appellemus, & quod nostrum est, quoniam naturam nostrā adsumpsit, sibi rursus accommodat, cum Deum nominet suum. Si quis ergo ex imperitiā has voces, vt diximus, non suscipit, is dispensationē propter nos factā accusat. Quumq; gratias agere deberet, ex imprudentia benefactorē calumniabitur. Si em̄ humiliavit se propter nos, crimen quidē nostrū est, qui ab erroribus sumus reuocandi. Illi autē qui hoc voluit propter nos facere, magnæ profecto agenda gratiæ sunt. Vehemēter autē miror, quō nonnulli ex inanitionē atq; humilitatē audientes, plenitudinem sublimitatēq; suam non recordantur. Si enim Deum non esse intelligunt, si sublime deitatis suæ non cogitant, quō dicent, quia exinaniuit se, quia plenissimus sit, & humiliavit, ab altissima deitatis gloria ad naturam nostram descendens: ita quum Deus simul & homo sit, propter alterum sublimis, propter alterum humilis natura est. Non conturberis igitur, quum dicentem audias: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum. Nam vt natura filius, patrem: vt autem verè homo, Deum suum appellat.

Gene. 3

Dona Maria Magdalena. Elia 52

Hierem. 9

Profundū mysteriū.

Galat. 4



Enit Maria Magdalenæ annuncians discipulis, quia vidi dominum, & hæc dixit dominus. Curatur mulierū infirmitas misericordia domini, qui Magdalenam resurrectionis nunciam fecit, & verba vitæ ac primitias Euangelij discipulis prædicare misit.



Quum esset sero die illa vna sabbatorum, & fore essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum ludæorum: venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Hoc quum dixisset, ostendit eis manus & latus. Eodem illo die, quo Magdalenam allocutus est, discipulis quoque vnum in locum congregatis ac foribus clausis propter metum ludæorum, apparet. Occultabant autem se prudenter, quia recordabantur iussu sibi esse à domino, vt ludæorum iram declinarent. Clausis ergo foribus, repente dominus omnipotentia sua, natura rerum superata, ingressus ad discipulos est. Nullus igitur quærat, quomodo clausis ianuis corpus domini penetrauit, quum intelligat non de homine nudo, vt modò nos sumus, sed de omnipotente filio Dei hæc ab Euangelista conscribi. Nam quum Deus verus sit, rerum naturæ non subiaceret, quod in cæteris quoque miraculis patuit. Omnem enim mentem ac rationem excedunt, quæ fecit. Quia enim ratione dices ipsum super maria quasi per aridam ambulasse, quum aquarum natura corporibus nostris naturaliter non subternatur: Aut quomodo mille alia signa verbo solum effecit: Scio quia supra omnem rationem humanam illa fuisse contendes. Cum illis igitur hoc etiam numera, nec (vt quidam ex imperitia dicunt) credas non surrexisse cum corpore suo dominum, sed nudum corpore omnino apparuisse. Quod si hanc operationem Christi percipere nequeas, cur potius ingenij humani imbecillitatem non accusas? Cur non seruas silentio datam tibi à creatore mensuram? Sed probis cogitationibus exclusis, sublime resurrectionis mysterium, in quo tota nostra spes sita est, parui pendis atque calumniaris. Non venit in mentem tibi verborum Pauli: Si mortui non resurgunt, nec Christus surrexit: si Christus porro non surrexit, vana fides nostra est, & estis adhuc in peccatis vestris, & ad hæc falsum aduersus Deum testimoniū phibemus, quia testati sumus, quod suscitauit Christum, quæ non suscitauit, si mortui non resurgunt. Quid enim aliud resurgit, quæ quod cecidit: vel, quid aliud suscitatur, quàm quod in morte incidit? Quomodo autem nos resurgere sperabimus, nisi proprium Christus templū suscitauerit, ac se primitias dormientium, & primogenitū ex mortuis pro nobis fecerit? Aut quomodo incorruptibile hoc incorruptibilitatem induetur, si nunquam reuiuet? Caue igitur ne à recta digrediaris fide: sed potius quia foribus clausis ingressus est, Deum esse natura crede, non alium quam illum, qui ante passionem cum discipulis vt homo conuersabat. Idcirco enim latus denudauit, & manus clauis perforatas ostendit, vt illud corpus quod cruci fuit affixum, surrexisse monstraret. Cur enim hæc ostendit, si cum carne propria non surrexit: aut cur cum corpore suo discipulis apparuit, nec ad ea quæ dicuntur ab impijs, discipulorum animos traduxit? Nunc verò tantam curam habuit, vt suscitatio carnis suæ crederetur. Quod quis tempus iam esset, in quo ineffabili gloria corpus suum apparere deberet, apparuit tamen per dispensationem quale prius, ne aliud corpus esse videretur, quam quod de ligno pependit. Quod enim oculis hominum (gloria illius corporis, si explicare ipsam Christus voluisset) cerni non poterat, facile intelliges, si transfigurationis suæ non es oblitus, quando (vt scribit Matthæus) facies eius rutilauit vt fulgor, & vestes eius albæ vt nix apparuerunt, quæ Petrus, Iacobus & Ioannes videre non ferentes, in terram ceciderunt. Ex dispensatione igitur dominus noster Iesus Christus non in debita corporis sui gloria, sed in prima

ma figura cernebatur: ne aliud corpus, quàm quod de virgine adsumpsit, surrexisse putares, quàm quod crucifixum & mortuum fuit. Mors enim in solam carnem habebat potestatem. Quomodo igitur mors victa est, si mortuum Christi corpus non surrexit? Aut vbi mortis imperium retrusum est, si idipsum, quod morte cecidit, non reuixit? Non enim in animo, neque in angelo, nec in ipso Dei verbo, sed in eo quod mori & corrumpi potest, interitus dominatur: in eo ipso ergo resurrectionis quoque virtus intelligitur, & vix tyrannidis frangitur. Salutatur autem discipulos, dicens: Pax vobis, seipsum pacem appellans. Nam quibus Christus adest, hi certè spiritu conseruantur: quod & Paulus fidelibus operatur dicens: Pax Christi quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras. Non aliam vltra omnem mentem Christi pacem intelligens, quàm spiritum eius: cuius qui particeps est, omni bono repletur.



Auisti sunt ergo discipuli, viso domino. Vera modò verba Christi Euangelista ostendit, quum magno affectos gaudio, viso domino, discipulos dicat. Meminisse namque oportet, quum de cruce ac resurrectione sua ænigmaticè ad illos diceret, sic quoque inter alia dixisset: Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Lætabantur enim amentes ludæi, pendere de ligno Iesum videntes: ingenti autem mœnore discipulorum cor premebatur: sed morte à vita destructa, ludæorum lætitia extincta est, & mœror apostolorum abiit, & gaudium floruit, & floret perpetuum. Non enim iterum, sed semel Christus ad destructionem peccati mortuus est. Quum igitur viuat semper, sempiternam sperantibus in eo lætitiā præbet. Hanc lætitiā pax illa effecit, qua salutauit, dicens: Pax vobis. Vnde lex quædam Ecclesiæ tradita est. In sanctis enim congregationibus hoc sæpius adinuicem dicimus. Pacem enim & ad nos & ad Deum habere, fons & origo bonorum omnium est. Quare Paulus quoque omne bonum fidelibus optans, dicit: Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Exhortans autem rursus ad pacem Dei eos, qui nondum crediderunt: Pro Christo, inquit, legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Nec minus nos ad hoc Esaias hortatur clamans: Faciamus pacem, cum ipso faciamus pacem qui venimus. Decet igitur largitor em pacis hæc salutatio: ipse namque pax omnium est, secundum scripturas.



Dicit ergo eis iterum: Pax vobis: sicut misit me pater, & ego mitto vos. Ordinavit his verbis orbis doctores, & diuinorum mysteriorum ministros: quos vt luminaria ad illustrationem, non ludæorum regionis solummodo misit, quæ iuxta legalis mandati mensuram à Dan vsque Bersabee patebat, vt scribitur: sed vniuersum terrarum orbem illuminare iussit. Verax igitur est Paulus dicens, non sibi aliquem honorem accipere, nisi vocatus à Deo sit. Ad gloriosum enim apostolatum dominus noster Iesus Christus discipulos suos vocauit, qui commotum orbem firmarunt, sustentacula eius facti: vnde per Psalmistam de terra & de apostolis dicit: Quia ego firmaui columnas eius. Columnæ enim & robur veritatis, discipuli sunt. Quos ita dicit mittere, sicut ipse à patre missus est: vt etiam apostolatus dignitatem ostenderet, & magnitudinem potestatis eorum aperiret, & simul monstraret, quam viam in studijs suis, vitamque sua sequi eos oporteret. Si enim ita mittuntur, sicut Christus à patre missus est: quomodo non est necesse considerare ad quod pater filium miserit? Sic enim, non aliter eum imitari possunt. Sin autem apostolatus causam multipliciter nobis interpretans, modò dicebat: Non veni vocare iustos,

Matth. 9
Ioannis 6
Ioannis 3

iustos, sed peccatores ad poenitentiam, modò: quia non egent qui sani sunt, medico, sed qui malè se habent. Et ad hæc: De cœlo descendi, ait, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Et rursus: Non misit Deus filium in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Quæ omnia paucissimis verbis significauit, dicens se eos mittere, sicut ipse à patre missus est: vt hinc intelligant vocandos esse peccatores ad poenitentiam, curãdos corpore simul atq; spiritu malè habètes, & in dispõsatione rerum non suam, sed eius qui misit, voluntatem faciendam, mundumq; prædicationibus & doctrina fidei saluandum. Quæ omnia quanto studio peregerunt, non magno labore à libro Actorum apostolorum, & epistolis Pauli perdisces.

Caput LVI.



Oc quum dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sint. Quum ingenti apostolatus dignitate insignes atq; illustres discipulos fecerit, & sacros mysteriorum gubernatores ordinauerit, proprio eos spiritu, quem sufflans dedit, confestim sanctificat. Vnde nobis firmiter credendum est, non esse alienum à filio spiritum sanctum. Nam cum ei consubstantialis sit, ex patre per ipsum procedit. Ostendit autem hinc necessariò spiritum illis dandum esse, qui ad apostolatum mittuntur, causam etiam subaperit. Non enim poterunt ea facere, quæ Deo placeant, nec peccatorum effugient laqueos, nisi superiore induiti virtutem ad diuinum animi robur firmentur.

NOTA.

1. Reg. 9

Esaia 29
1. Corin. 15

1. Corin. 12

Exod. 28

Actor. 2

Ioannis 16

Vnde ad quendam priscorum dicebatur, quia spiritus in te domini insiliet, & conuertèris in alium virum. Mutari autem vires in sustinentibus Deum, propheta quoq; Esaias affirmat, & Paulus supra ceteros laborasse in apostolatu scribens, statim subiicit: Non autem ego, sed gratia Dei, quæ mecum est. Ad hæc non intellexissent omnino mysterium Christi, nec alios rectè docuissent, nisi per spiritum docti, vel ea quæ mentem hominis excedunt, perciperent. Nullus enim potest (vt ait Paulus) dicere, dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. Quoniam ergo prædicaturi erant, quia dominus Iesus, id est, Deus verè ac dominus: necessariò vnà cum apostolatus dignitate gratiam spiritus dante Christo suscipiunt, qui non ministri loco, sed ex seipso spiritum præbet. Non enim aliter ad nos spiritus transit, quàm ex patre per filium. Prisca verò lex ac literalis, quæ vmbra veritatis habebat, corporalius (vt ita dicam) & rudius res sacras fieri iubebat. Aqua enim Aaron & Leuitæ institutione legis primùm lauabantur: deinde ariete immolato, eius sanguine dexteræ auriculæ vngebatur extremum, & in extremitate pollicistam manus quàm pedis dexteræ non nihil sanguinis ponebat, mysterij Christi tanquam in tabula imaginem describens. Vbi enim aqua & sanguis, quibus sacrificamur, fuit, ibi absq; dubio pulchritudo veritatis obumbratur. Dominus autem noster Iesus Christus, ad veritatem figuras legis transponens, ministros altaris per seipsum perficit, ipse namq; consummationis aries est. Perficit autem sanctificationes vera participatione spiritus sui, ad diuinorem virtutem & gloriam homines reformans. Sed ambiget forsitan aliquis: quando spiritus gratiam apostoli consecuti sunt: tuncne, quando insufflauit dicens: Accipite spiritum sanctum: an postea in die Pentecostes, quando congregatis ipsis, repente de cœlo factus sonitus est, tanquam aduentis spiritus vehementis, & apparuerunt illis dispartitæ linguæ, tanquam ignis, seditq; supra singulos eorum, & cœperunt loqui varijs linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis: Aut enim duplicem quandam gratiam datam illis fuisse in diuersitate temporum dicemus, aut tempus ipsum ignorabimus, in quo spiritus participes effecti apostoli sunt. Verum enim est, qd in Actis scribitur, & Christus mentiri non potest: Expedit vobis, dicens, vt ego abeam: nam nisi abiero, non

veniet

A veniet paracletus ad vos: quando verò abiero, mittam eum ad vos. Quomodo igitur, quispiam dicet, veritas mentiri poterat: quæ dixit non venturum paracletum, nisi ad patrem abierit, id est, nisi ascenderit in cœlos. Aut quomodo rursus nunc spiritus discipulis datur, quum nondum in cœlum ascenderit: Difficilis omnino locus solutus est, & facilis rursus, quum non hominem nudum, sed Deum verum hæc & fecisse & dixisse cogitamus. Pollicitus est de cœlo, quum apud patrem fuerit, spiritum mittere, quod tempore Pentecostes effecit, quando largissimè spiritum effudit ad omnes, qui fide atq; baptismo illum consequi student. Tunc enim illud propheticum adimplebatur: Quia effundam de spiritu meo super omnem carnem. Sed oportebat filiū quoq; spiritus largitorē videri. Oportebat intelligere fideles ipsum esse, qui virtute spiritus omnia creauit, & hominem ex nihilo ad esse produxit. Deus enim pater per proprium verbum de limo terræ, vt scribitur, hominem formauit, anima decorauit, & sui spiritus participatione muniuit. Insufflauit enim in faciem eius spiraculum vitæ. Verum quoniam in mortem ex inobedientia decidit, & priscum decus homo amisit, formauit ipsum rursus Deus pater, & in nouam rediit vitam per filium, qui morte carnis suæ mortem destruxit, & reditum nobis ad incorruptibilitatem largitus est. Vt ergo ipsum esse discamus, qui ab initio naturam nostram creauit, & spiritu sancto signauit, rursus in ipso initio renouandæ naturæ, sufflatione spiritum discipulis largitur: vt quemadmodum creati ab initio sumus, sic etiam renouemur. Et quemadmodum ad imaginem creatoris factus tunc homo est, similiter etiam nunc participatione spiritus ad imaginem creatoris renouetur. Quod autem saluatoris informationem in animis suscipiētium spiritus imprimat, Paulus ad eos scribens, qui ad obseruationes legales relapsi fuerant, aperte ostendit: Filioli, quos iterum parturio, quousq; Christus in vobis formetur. Formari autem in homine Christus non potest aliter, quàm participatione sancti spiritus per Euangelicam vitam. Vt ergo in primitijs renouatæ naturæ hominū ad incorruptibilitatem & gloriā, & imaginem Dei, spiritum suum Christus in discipulos immittit: & ad hoc, vt intelligamus fontem & largitorē ipsum spiritus esse, hac em de causa dicebat: Omnia quæ habet pater, mea sunt. Habet autem pater ex seipso & in seipso spiritum suum. Habet igitur etiam spiritum filius in seipso, cum sit patri consubstantialis, & ex ipso naturaliter natus, & omnia genitoris in seipso naturaliter habes. Multa verò etiam alia tēpore suo generaliter facturum pollicitus est, quæ tamen ex parte antea fecit, vt credamus verè ipsum vniuersaliter quoq; facturum. Prædixit omnes se mortuos suscitaturum. Venit enim hora, inquit, quando mortui audiet vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij: idq; facile se facturum ostendens, dicebat: Ego sum resurrectio & vita. Verum quoniam rei magnitudo fidem excedebat, præuenit vtiliter, anteq; resurrectionis tempus Lazarum & viduæ filium, & lairi puellam suscitauit. Et ad hæc illud addidit, gloriosissimam sanctorum resurrectionem futuram. Tunc enim, inquit, iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui. Quod vt firmiter crederetur, præuenit, & in monte hanc gloriam discipulis monstrauit. Transfigurauit enim seipsum coram Petro, Iacobo atq; Ioanne, & effulsi facies eius vt fulgor, & vestes eius candorem niuis fuerunt affectæ. Quemadmodum igitur hæc, quamuis tempore suo facturum sit, quasi tamen arrabonem generaliter rei futuræ, non nihil fecit ex parte, vt generalia credantur. Eodem arbitror modo, quum se missurū ad omnes spiritū dixerit, posteaquam ad patrem ascenderit, primitias tamen pollicitationis, & quasi arrabonem nobis in discipulis dedit, multis, iustisq; de causis, vt iam diximus. Acceperunt igitur spiritum sanctum discipuli, quando insufflauit, & dixit: Accipite spiritum sanctum, nunquam enim dixisset, qui mentiri nescit, nisi dedisset. In die verò Pentecostes expressiorem operationem gratiæ, manifestationeq; habitantis in eis spūs habuerunt. Apparuerunt em in eis linguæ igneæ, nō gratiæ, sed

KKK ope-

operationis potius & sermonis initium significantes. Scribitur em̄, quia cœperunt loqui varijs linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Audis quia loqui, non sanctificari cœperunt, & quia linguarum distributio in eis facta est, spiritu qui erat in ipsis, id operante. Et sicut de cœlo vocem emisit pater, & testimonium perhibens filio, dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite, quod ad audientium fidem factum est (organica enim nostris auribus vox incidit, diuinitus facta) sic in apostolis, linguis igneis & sono spiritus vehementis, gratiam eis datam manifestauit, & spiritus sancti descensum in homines significauit. Quod autem etiam id ipsum loco signi iudæis datum sit, facile intelliges, si recordaberis ore prophetico diuinitus fuisse prædictum. In loquela enim, inquit, alterius labij, & in lingua altera loquetur ad populum istum, & non credet. Ut igitur credamus discipulos verè sancti spiritus fuisse participes, & gratia Christi coronatos, ad veritatis expositionem meritò sufficere; idcirco apostolatus gloria de super decoratis linguæ igneæ apparuerunt. Satis iam, vt arbitror, proposita quæstio patet. Verum quoniã illud præcipuo nobis studio est, ne scandalum fratribus vnquam nonnullorum malignitate fiat, illa modò dicamus, quibus futura forsan loquacitas repelleretur. Inuenimus enim paulò post scriptum, quia Thomas, qui dicebatur Didymus, non erat cum discipulis, quando venit Iesus. Quomodo igitur (diceret quispiam) si tunc aberat, quando Christus sufflãs dixit, accipite spiritum sanctum, spiritus ipse particeps factus est: Dicimus igitur virtutè spiritus ex intentione dantis Christi in omnes discipulos pertransisse: non enim quibusdam, sed omnibus discipulis dedit. Quare liberalitate dantis, non solum præsentis, sed etiam absentes apostoli spiritum sanctum acceperunt. Quod autem non violèta, sed ruta veraq; ista ratio sit, autoritate sancte scripturæ monstrabimus. Iussit Deus quondam Mose septuaginta seniores iudæorum eligere. Dixit autem de spiritu, qui erat in Mose, ablaturum se atq; impositurum in illis. Cum verò duo Heldad & Medad de LXX. seniorum numero in Synagoga remansissent, ac spiritus omnibus illis septuaginta immisus fuisset; prophetabãt quidem qui erant cum Mose, prophetabãt autem etiam illi duo qui aberant. Iosue verò mysterij virtutem ignorans, ac secundum Dathan & Abiron facere illos putãs, rogabat Mosen, vt Heldad & Medad à prophetando vetaret. Tunc diuinus ille vir operatione spiritus intelligens, respondit: Quid æmularis pro me: quis tribuat vt omnis populus prophetet, & de eis dominus spiritum suum: Vides quomodo rationem Iosue Moses reiecit. Vtinã enim, inquit, vniuerso populo spiritus daretur. Quod tempore suo futurum tamen est, quando Christus vt in primitijs eorũ qui suscepturi sunt, discipulis sufflans dicit: accipite spiritum sanctum. Non ergo, licet aberat, Thomas à participatione spiritus decidit, cum de numero esset eorum, quibus dignitate apostolatus decoratis spiritus debebatur. Spiritu igitur sancto discipulis dato: Quorum, inquit, remisistis peccata, remittuntur eis: quorum verò retinueritis, retenta sunt. Et certè solius veri Dei est, vt possit à peccatis homines solvere. Cui em̄ alij præuaricatores legis liberare à peccato licet, nisi legis ipsius auctoritate. Sic em̄ etiã in rebus humanis fieri cõspicimus. Quippe nemo leges regũ impunè reprobat, nisi reges ipsi, in quibus præuaricationis crimen locũ non habet. Prudenter em̄ dictum est, impium esse q̄ regi dixerit: iniquè agis. Qua igitur ratione diuinae naturæ dignitatè ac potestatè discipulis suis saluator largitus est: quia certè absurdum non est peccatũ remitti posse ab illis, q̄ spiritum sanctum in se ipsis habeant. Nã cum ipsi remittunt aut detinet, sp̄s qui habitat in eis, p̄ eos remittit & detinet. Erit aut̄ id p̄ eos duobus, vt arbitror, modis: primũ baptismo, deinde pœnitentiã. Nã aut credentes, & vitæ sanctimoniam probatos homines, ad baptismum inducunt, & indignos inde diligenter expellunt: aut Ecclesiæ filios peccates q̄dem increpant, pœnitentibus aut̄ indulgēt. Sicut Paulus olim fornicantem apud Corinthios, in pernitiã carnis tradebat, vt spiritus eius saluaretur: recepitq; rursus, ne maiore submergeretur dolore. Cum igitur

Math. 3

Esaiæ 28

Nume. 11

Prover. 16

1. Corin. 5

igitur spiritus Christi habitans in hominibus, veri Dei operationem efficiat, quomodo non erit natura Deus, qui naturaliter potestatem diuinæ naturæ ac dignitatem possidet: quum in diuinam legem eximiam habeat auctoritatem.

Caput LVII.

Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Non facile creduntur, quæ rationem omnem excedunt, sed solo visu, quasi necessitate quadam approbatur: idcirco Thomas sapientissimus saluatoris discipulus testatibus de resurrectione domini cæteris non credidit: nec legem veritus fuit, quæ iubet in ore duorum aut trium testium omne verbum stare. Quamuis mihi Thomas videri soleat, non infidelitate magis quàm summo mœrore perturbatus fuisse, quia dominum oculis suis non viderit: putauit enim forsan nunquam se in hac vita visurum. Vitam enim esse naturaliter Christum, ac ideo mortis imperium posse destruere non dubitabat. Nam qui ab alijs interitum depulit, quomodo à carne sua non repulisset: Mœrore igitur, quia ipse quoq; non viderit, & lætitia singulari affectus, quia surrexisse audiebat, ad infidelitatem delabitur, & videre præsentem gliscit ac ardet, vt de pollicitatione illius certior fieret. Audiuit enim dicentem: Filioli, modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, & gaudebit cor vestrum. Ego autem per dispensationem puto permissum fuisse, Thomam ad infidelitatis crimẽ incidere: vt nos per exquisitam fidem ipsius, carnem Christi quæ de cruce pependit, à patre per filium in vitam fuisse reuocatam credamus. Si enim dixeris in ore tuo, Paulus ait, quia dominus Iesus: & credideris in corde tuo, quia Deus suscitauit ipsum à mortuis: saluus eris. Non enim natura carnis, vitæ causa facta est, sed operatione diuinæ naturæ peracta res fuit. Quoniam igitur omnia & sunt & viuunt ex patre per filium, ideo & templum Christi à Deo scribitur suscitatum: non quia filius id facere non poterat, sed quia omnia pater per filium facit: virtus enim patris filius est. Discimus ergo ex hac Thomæ dubitatione, resurrectionis mysterium in hoc corpore nostro peragendum, & in Christo primo iam peractum fuisse. Non enim apparitio quædam erat falsa, nec umbra ad humanam conficta figuram, vt nonnulli dicunt: nec spiritale quoddam corpus, id est, tenue ac aerium, & aliud præter carnem, vt multi spiritale corpus intelligi contendunt. Et certè quoniam virtus fidei nostræ, & vniuersa spes post substantialis confessionem Trinitatis, resurrectionis mysterium respicit, non iniuria exquisitissimè conscripta hæc ab Euangelista sunt. Animaduertendum enim est, quia non simpliciter videre dominum Thomas cupit, sed clauorum signa quærit & fixuras, quæ in carne fuerant: sic enim tandem se crediturum adserit, quia Christus verè reuixerit: reuixit autem secundum carnem. Quod enim mortuum est, id reuixisse: & quod cecidit, id surrexisse dicitur.

Deute. 19

Ioannis 16

Roma 2.

Caput LVIII.

T post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis: venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & adfer manum tuam & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Miraculosè rursus clausis foribus discipulis apparet, & in medio domus pariter nunc Thoma præsentem atq; absente antea, consistit, vt paræ fidei discipuli mederetur sermonem: vtitur consueto, pacis bonum audientibus do-

KKK ij nans;

nans ad disciplinam id quoque nostram, ut iam diximus. Animaduerte autem quia non simpliciter rem enarrauit, sed addidit diligenter, post dies octo, & omnibus unum in locum congregatis. Diem igitur octauum, dominicum diem esse necesse est. Nam vna sabbatorum cæteris apparuit, id est, die dominico. Die postea deinceps octauo, vtriusque connumeratis extremis, congregati rursus discipuli Thomas præsentem simili modo dominum vident. Iure igitur sanctæ congregationes die octauo in Ecclesijs fiunt, & foribus sublimiore modo clausis visibiliter simul atque inuisibiliter Christus omnibus apparet: inuisibiliter quidem ut Deus, visibiliter autem in corpore. Præbet enim nobis carnem suam tangendam, ut firmiter credamus, quia templum verè suum suscitauit. Quod autem mysticæ benedictionis communio, resurrectionis Christi quædam confessio est, verbis ipsius probatur. Fractum enim panem distribuere dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem. Participatio igitur mysterij vera quædam confessio & commemoratio est, quod propter nos & pro nobis dominus & mortuus sit, & reuixerit, & diuina nos benedictione propter hoc replet. Fugiamus igitur infidelitatem post tactum Christi, & firmi atque stabiles ab omni longè ambiguitate inueniamur. Recordentur autem studiosi Magdalenam quidem à tactu Christi prohibitam. Noli enim me tangere, inquit, quoniam nondum ascendi ad patrem. Thomam autem hortatur, ut & latus & clauorum fixuras diligentius tangendo, & manum aut digitum immittendo perquirat. Quare sic? Dicitur iam in superioribus satis arbitror, sed non est abs re modò quoque breuiter referre. Illi enim nondum gratia spiritus sanctificatæ tangere non licebat. Nam antequam dominus in cælum ascendisset, descensus spiritus in omnes non fuit. Thomæ autem hoc licebat, quia vna cum alijs spiritum fuit consecutus: ad vniuersum namque discipulorum consortium liberalitate dantis vox illa transiuit: Accipite spiritum sanctum. Sed illud etiam quærendum mihi videtur. Palpauit Thomas latus saluatoris, & ictum militaris lanceæ curiosius pertractauit, clauorum fixuras diligentius vidit: quomodo igitur (quispiam dicit) in corpore incorruptibili signa interitus apparebant? Corporeæ namque corruptionis, manuum et lateris vulnera, & punctiones ferreæ signa sunt. Corpus autem Christi ad incorruptibilitatem reformatum, vna cum corruptione, id est, interitu vniuersa, quæ corruptionis sunt, debuit abiecisse. An forsitan claudum in alia quoque vita claudicabunt, aut luscum vno cum oculo resurgent: & quomodo à corruptione penitus humanum genus liberabitur, si quæ interitum præcedunt aut consequuntur, nostris corporibus iniusta permanent? Non ignoro multa sublimiora de hac quæstione à curiosioribus ac peritis dici posse. Nos autem dicimus nullas corruptionis reliquias, nullum signum, nulla consequentia vel antecedentia post resurrectionem in hominibus futura. Sed quod seminat in infirmitate est, resurget in virtute, ut ait Paulus: & quod in honoratione seminatum est, resurget in gloria. Quid autem est in virtute atque in gloria resurgere aliud, quam quod in infirmitate, omnique corruptionis dedecore procul depulso, ad synceram incorruptibilitatem genus humanum rediturum sit? Verum quomodo ad certiore fidem Thomas flagitauit, necessariò dominus noster Iesus Christus, ne ullam infidelitatis causam præberet, sic & ipsi & cæteris apparet, ut illis conducebat: imò etiam cum in ipsum cælum ascenderet, cumque virtutibus potestatibusque superioribus mysterij sui totam seriem declararet, eodem habitu verè illis apparuit, ut non hominem solummodo factum, verum etiam mortuum pro vita nostra crederent. Quod autem sic illis quoque apparuit, Esaias testatur, dicens: Quis est iste, qui venit de Edom, tinctus vestibus de Bozra? Angeli enim mirantes domini ascensum in cælos, idque magna cum potestate, ita scribuntur dixisse. Sanguine autem tinctum videntes, & mysterium ignorantes, rogant: Quare ergo rubeum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Vina enim nuper in torculari expressa, colorem sanguinis conferunt. Christus verò ad eos, ut natura Deus intelligat: Ego, inquit, iustitiam loquor.

A loquor. Qui autem iustitiam loquitur, id est, docet, quomodo autor legis non est: & qui legis autor est, is quomodo Deus non est: Figuras deinde clauorum monstrante Christo, angeli rursus rogant: Quid enim plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicit: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Dilecta enim domus Israel erat, quæ dominum clavis & lancea petiit. Militum enim temeritas non iniuria ludæis, qui crucifigere Christum voluerunt, adscribitur. Quum igitur etiam ipsi angelis, non solis verbis contentus, passionis suæ signa ostenderit, ut resurrexisset verè credatur: quid mirum est, si ad corroborandam veritatem fidei, lateris vulnus & fixuras clauorum hominibus monstrauerit: ac præter illud, quod rerum conditio requirit, propter utilitatem nostram passionis notas retinuerit: ut resurrectionis mysterium rectè intelligamus: non aliud corpus resurrexisse credentes, quam quod cruciatu mortuum fuit.

Caput LIX.

Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus & Deus meus. Paratissimus autem ad confessionem fuit, qui paulo antè tardior videbatur. Quum enim & clauorum fixuras, & ipsum latus dominus monstrauerit, animus illic Thomæ ab omni ambiguitate liberatus confirmatur. Sed dicit quispiam: Quam ob rem per tam minuta rerum signa mens discipulorum ad fidem reducitur? Nonne sufficiebat ei ad cognoscendum Christum statura corporis, & faciei lineamenta? Ambiguum hoc certè fuisset. Putare namque potuerunt spiritum quendam imaginem sibi saluatoris assumpsisse, & ad hoc miraculosus per clausas fores ingressus facile inducebatur: terre namque corpus latiore secum suam naturam viam desiderat. Necessariò ergo dominus noster Iesus Christus latus nudauit, & vulnera, liuoresque carnis ostendit, ut discipulos confirmaret. Nam etsi solus verba dixerit Thomas: nili misero manum meam in latus, & digitum meum in fixuram clauorum, non credam: aliorum tamè etiam discipulorum animus turbationis expers omnino non erat, quamuis Thomæ dicerent, vidimus dominum: quod ita esse Lucas nobis declarat, dicens: Quum in medio eorum Christus stetit, dixissetque: Pax vobis: pertimuisse illos, & spiritum ab eis videri existimasse, Christumque illis dixisse: Quid turbati estis, & cur cogitationes ascendunt ad corda vestra: videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum. Palpate et videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et quum hæc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauam mellis: & quum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Vides non modò Thomam, verum etiam cæteros animo dubitasse, quibus etiam vulnera corporis non suffecerunt. Vnde alio quoque signo ad fidem illos inducit, quod spiritui nullo modo conuenire potest. Comedit enim allatam sibi partem piscis, quæ res viuo solummodo corpori congruit. Nam quamuis ab interitu liberatum corpus cibo non indiget, tamen ut vulnera & fixuras clauorum miraculosè retinuit, ita etiam comedit, ut resurrectionis fide stabili fundaret mysterium, & nobis omnibus prouideret. Operatur enim quæ aliena penitus à natura spiritus sunt. Quomodo enim nudo corpore spiritui cibis conueniet: aut quomodo vulnera inerunt ei, qui nullo modo corporeus est? Quare ne spiritus, aut umbra quædam & aerium corpus (quod nonnulli spiritale appellant) sed illud ipsum quod cecidit, surrexisset credatur, corpori nostro conuenientia diligenter retinuit. Præ gaudio autem magis quam infirmitate mentis dubitasse Thomam diximus, quoniam & de alijs dixisset Lucam non ignoramus: Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio. Verum quum visus omnem dubitationis causam tollat, rectè Thomas statim clamauit: Dominus meus & Deus meus. Nā qui dominus omnium naturæ

ra est & Deus, hunc Deum quoque verum esse necesse est, quod retrò etiam vertitur: Nam qui Deus natura est, is omnibus necessariò imperat. Cum articulo autem dicitur vtrunq; ne quis nostra vel angelorum similitudine, sed singulariter ipsum dominum & ipsum Deum dici existimet. Multi enim & in cælo & in terra dii & domini sunt, vt Paulus ait. Singulariter autem Thomas vt Dei veri filium ipsum dominum & ipsum Deum appellat: quodq; maius est, quum hæc dicere saluator discipulum audiret, non increpat nec repellit, sed laudat atq; cõplectitur, & cæteros ita predicare hortatur. Eunt, inquit, docete omnes gentes. Quod vnà cum alijs cum Thomas audisset, quid aliud poterat dicere, quàm quod ipse credebat: Patet igitur, quia non aliter quàm Thomas cõfessus est, nos quoque confiteri dominus vult. Natura enim dominus & Deus est, etiam postquam hominem assumpsit. Illud etiam animaduerte, quia discipulus qui pedes & latus palpauit, ita eum confessus est, vt in duos filios partitus non sit. Vnum enim & eundem dominum Iesum Christum cognouit cum carne.

Caput LX.

Dicit ei Iesus: Quia vidisti me, credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt. Magna prouidentia plenus est sermo saluatoris, summamque nobis adfert vtilitatem. Nam postquam ad certiore orbis fidem perforatum latus & fixuras clauorum monstrauit, postquam etiam cibum assumpsit, non indigens, ne vlla infidelitatis restaret causa, verbis etiam quod credendum sit, confirmauit. Non enim ignorauit futuros nonnullos, qui resurrectionem mortuorum non faterentur, quiq; videre se velle dicerent, palpareq; non aliter quàm Thomas: recteq; se ita facere contenderent, quoniam discipulum saluatoris imitarentur. Hunc igitur lapsum depellit Christus his verbis, beatos appellans eos, qui non viderunt & crediderunt. Nec id iniuria: nulla enim dubitationis causa videnti relinquitur. Qui autem credit quod non vidit, sed docentium verbis audiuit, eximie certè eum, in quem credit, honorat. Beati ergo sunt omnes, qui per apostolorum prædicationem crediderunt. Illi enim (vt Lucas dicit) oculis mirabilia gerentem Iesum viderunt, & sermonis eius fuerunt ministri. Quibus adhibere fidem necesse est, si vitam æternam possidere, & in cælis regnare desideramus.

Caput LXI.

Vltra quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc: hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei: & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Quasi repetendo quæ scripsit, intentionem Euangelij manifestat: vt enim credatis, inquit, & credentes vitam æternam habeatis, hæc mihi ædita sunt. Plura verò saluatoris signa fuisse dicit, quàm ab eo conscripta sint, quæ relicta sunt: quia sufficere ista putauit ad persuadendum legentibus, quia Iesus est Christus filius Dei. Hæc quidem Euangelista. Ego autem non abs re illud dicam, si Euangelij virtus & miraculorum magnitudo ad persuadendum sufficit: quia virginis filius, qui voce angeli Iesus appellatus est, ipse est qui à scriptura Christus appellatur, & est filius Dei, non vt cæteri, sed singulariter atq; proprie, etiam posteaq; naturæ humanæ coniunctus est: errant omnino, qui dominum suum negare audet. Nos enim quando naturam verbi cõsideramus, aliud ab eo natura templum, quod à virgine assumpsit, esse inuenimus. Quando verò vitam cõiunctionis respicimus, & (quantum in nobis sit) est) supernaturale hoc mysterium inuestigamus, tunc verbum cum templo suo vnũ esse intelligimus: non mutatum quidem in carnem (non enim hoc dicimus: minime namque natura verbi, mutationis susceptibilis est) sed quia secundum scripturas vnus est Iesus Christus, vnus inquam filius, qui ex templo carnis suæ (quod integre naturæ

A naturæ humanæ recipit definitionem) & ex viuo Dei verbo esse intelligitur. Id in nobis ipsi facile intelligi potest. Est enim vnusquisq; nostrum homo vnus, quis ex anima & corpore cõstemus: quorum vtrumque ab altero ratione naturæ differt.

Caput LXII.

Ostea manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis: manifestauit autem sic. Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Dydimus, & Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt: Venimus & nos tecum. Et exierunt & venerunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem facto, stetit Iesus in littore, non tamen cognouerunt discipuli, quia Iesus est. Dicit ergo eis Iesus: Pueri nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: non. Dixit eis: Mittite in dextram nauigij rete, & inuenietis. Illi autem dixerunt: Per totam noctem laborantes nihil cepimus, sed in tuo nomine mittemus. Miserunt ergo rete, & iam non valebant trahere præ multitudine piscium. Tertio iam dominus liberè discipulis apparet, vt fidem eorum inuicta firmitate roboraret. Nam qui sapius viderunt, quò ab omni ambiguitate remoti, veri etiam alijs pietatis doctores non efficiuntur. Exijt ergo Petrus piscatum, concurrunt autem etiam cæteri, Christo forsantia dispensante qui quando ad apostolatũ eos vocauit: Venite, inquit, post me, et faciam vos piscatores hominum. Quod modò ex hac re quasi à signo quodam citò futurum significauit. Nam discipuli quidam tota nocte laborantes nihil cõprehendunt: sole autem iam oriente, stetit Iesus in littore, interrogauitq; num quid ceperint, quibus nihil omnino cepisse respondentibus, iussit in dextram nauis partem retia mittere. Illi vero quis tota nocte frustra laborassent, quis ignorarent dominum ipsum esse in tuo tamen nomine, responderunt, id faciemus. Quo facto, mirabilis quædam piscium multitudo capta est. Hæc Euangelista. Verum quoniam modò dicebamus: hac re significatũ à domino fuisse, citò iam futurum, quod illis prædixit, quia piscatores hominum erunt, age inuestigatis singulis, nonnullas spiritalis speculationis causas legentibus præbeamus. Da enim, inquit, sapienti causam, & sapientior erit. Ea igitur ex re, quod tota nocte frustra laborassent, significari putamus: quia prædicatione priscorum nemo persuasus omnino Deo adhæsit, aut ad eò pauci, vt neminem id fecisse non iniuria dicere possimus. Nulli enim, paucissimi ad vniuersum orbem collati videtur. Quid igitur prohibuit, aut quid faciebat, vt prædicatione illorum fructum non adferret: nox erat, mentalesq; (vt ita dicam) tenebræ animi oculos obfuscabāt, & error dæmoniacus à veritatis cognitione abducebat. Nemo enim erat, qui faceret bonum, nemo vsq; ad vnũ: sed oēs declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Nam ipse quoque Israel, quem Moses fuit piscatus, vmbri & figuris institutus, ad perfectionem peruenire non poterat. Cultus enim Dei, qui per figuras erat, non fuit Deo acceptus, quod facile intelligitur. Quia sacrificia & sanguinẽ, & omne oblationis genus terre ac corporeũ repulit, dicens: Ad quid mihi cinnamomũ & incensum à longinqua terra offertis: holocausta vestra non sunt mihi grata, & sacrificia vestra non delectant me. Hæc dicimus non legem accusantes, sed significantes, quia cum creator omnium Deus ad solam Euangelicæ pulchritudinem disciplinæ respiceret, etiam qui per legem vmbri atq; figuris Deum colebant, longè à veritate aberrant. Christus enim est veritas. Præterea qui ad legalem cultum per legem Mosi vocati fuerunt, sprete lege ad hominum mandata conuersi, ad eò induruerunt, vt prophetarum apud eos doctrina nihil potuerit. Vnde alius clamabat: Domine quæ credit auditui nostro? Alius: Vg mihi mater, cur me peperisti virum rixæ atq; discordiæ

in vniuersa terra: nec mihi quisquam, nec ego alicui profui. Cur igitur non similes ludæos putabimus eis, qui legem non habebant, quum legem datam contemnerent: Nam de gentibus quidem nullus vnquam dubitabit, quin erroribus inuolutæ, à disciplina Dei procul abessent. Nox ergo profundæq; tenebræ faciebant, ne veræ pietatis homines lucē inspicerent: quas ob res, qui ante Christi aduentum piscari homines conati sunt, per totam noctem laborarunt, & nihil ceperunt. Mane autem facto, & depulsis diaboli tenebris à vera luce Iesu Christo oriente, quærentesq; à laborantibus, num quid habeant, quod saluatori Deo salutem hominum esurienti, cibis fieri possit: quia nihil se cepisse respondent, ad dexteram navis partem retia mittere iubentur. Demisit enim beatus Moses retia, per mādara scilicet legis. Sed in sinistra quodāmodo parte facta piscatio est. Dextera enim pars, saluatoris doctrinæ attribuitur, quæ ultra omnem comparationem maior atq; gloriosior Mosaica est. Figuris em̄ veritas multo sublimior, et seruo dominus superior, & damnante litera, iustificans spiritus gratia. Dextera igitur pars excellentiā præstantiāq; significat. Sed retibus in dextrā partē iactis, magna multitudo piscium capta est. Iussu autem domini hoc factū est, quia non rapuerunt gratiam, sed imperio Christi paruerunt dicentis: Euntes docete omnes gentes. Vnde ab ipsis etiam dicitur: quia in nomine tuo rete mittemus. Non enim aliter, quā in nomine saluatoris, & verbis atq; doctrina eius apostoli piscantur. Magna verò multitudo piscium capta est, ad eodē vt discipuli trahere non possent. Innumeri enim fideles sunt, & vires apostolorum tanta res omnino excedit. Christi hæc operatio est, qui multitudinem hominū sua virtute ad terrestrem hæc Ecclesiam quasi ad retia colligit.

Caput LXIII.

Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon igitur Petrus, quum audisset, quia dominus est, tunicam se succinxit (erat enim nudus) & misit se in mare: alij autem discipuli nauigio venerunt. Non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis, trahentes rete piscium. Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum & panem, & dicit eis Iesus: Adferre de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum permagnis piscibus centum quinquaginta tribus, & quum tanti essent, non est scissum rete. Dicit eis Iesus: Venite, prandete. Nemo autem audebat discumbentiū interrogare eū: Tu quis es? scientes quia dominus est. Et venit Iesus, & accepit panem, & dabat eis, & piscē similiter. Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, quum surrexisset a mortuis. Se ipsum rursus dilectum appellat discipulum, qui hoc nobis Euangelium conscripsit. Diligebatur autem maximè, quia propter mentis puritatem, & cordis oculorum acumen, ad intelligendum erat aptissimus. Vnde solus signum statim intellexit, & Christum adesse cognouit, ac alijs nihil dubitans significauit: firmo enim animo exclamauit, dominus est. Et Petrus quidem feruens amore Christi (vt solebat) exiit, tardius terræ applicaturā nauim intelligens: ceteri verò nauigio veniunt, rete trahentes. Prunas autem vidēt positas, & piscem superpositum, quem miraculosè Christus fuit piscatus. Non enim ab apostolis spiritalis incepit piscatio, sed saluator noster primus manum imposuit, locoq; primitiarum vnum piscatus est: nec vnum simpliciter intelligimus, sed paucitatem ita significari arbitramur: postea verò ingentem discipuli multitudinem nutu ipsius roborati, piscati sunt. Trahit autem Petrus rete, per quem labor apostolorū non esse inanis intelligitur: attulerūt enim piscationis autori, id est, illi, qui mittere iussit rete, pi-

te, pisces numero centum quinquaginta tres. Significat autem centenarius (vt mihi videtur) numerus, gentium plenitudinem. Plenissimus enim numerus est, qui decem decadibus constat. Quare dominus noster quoq; Iesus Christus modò centum se habere oues dicebat, plenitudinem rationalium creaturarum hoc numero significans: modò fertilissimum agrum centum producturum affirmabat, plenitudinem fertilitatis probatæ animæ subostendens. Quinquagenario autem numero eos significari putamus, qui à ludæis crediderūt, credituriq; sunt. Subduplus enim hic numerus ad centenarium est, & longè abest à plenitudine. Ternarius verò qui relinquitur, sanctissimæ Trinitatis significationem habere mihi videtur ad gloriā, cuius fidelium vita describitur, coniunctim autē scriptus numerus est, quia coniunctim intelligitur. Deus enim sanctificationis modo in omnibus esse fidelibus intelligitur. Verum postquam rete iam tractum est: venite, ad discipulos, & prandete, dominus ait. Vnde significatur, quia post multos labores, quibus vocati vehementer sudabunt, tandem cū domino recumbent, spiritali cibo sibi proposito, qui mentem ac rationem excedit humanæ naturæ. Ita enim etiam in Psalmo dicitur: Fructus laborum tuorum comedes. Nec ipsi capiunt quod manducant, sed Christus eis distribuit. Vt hinc quoq; figura intelligamus, Christum etiam in futuro seculo gratiarum nobis largitor em futurum.

Caput LXIII.

Qum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ionæ, diligis me plus istis? Dicit ei: Etiam domine, tu dicis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ionæ, diligis me? Ait illi: Etiam domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oues meas. Dicit ei tertio: Simon Ionæ amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me? et dicit ei: Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Dicit ei Iesus: Pasce oues meas. Præueniebat alios Petrus: ardore namque Christi præcipuo feruens, & ad respondendum paratissimus erat: vnde tarditatem modò nauigij videns, tunica succinctus in mare exiit. Et quando saluator discipulos interrogauit, dicens: Quem me dicunt homines esse? Quum iterū post responsum ab eis quæreretur: Vos autem quem me dicitis esse? vt princeps caputq; cæterorum primus exclamauit: Tu es Christus filius Dei viui. Hic Malchus etiam aurē amputauit, putans hoc modo magistro semper se inhæsurū. Meritò igitur eum Christus interrogauit, si plus eū cæteris diligeret, & id tertio. Petrus autem amare se fatetur, & amoris sui, non alium, sed Christum ipsum in testem citat. In singulis autem confessionibus, variatis parumper verbis, audiuit rationalium ouium curam sibi esse habendam. Altius quiddam hæc oratio certè parturit. Nam quoniam cum alijs apostolatus nomine Petrus ab ipso Christo decoratus, ter in tempore passionis negauit, iure nunc ab eo terna dilectionis confessio petitur: vt terna negatio æquali confessionis numero compensetur. Ita quod verbis commissum fuit, verbis curatur. Petiit autem ab eo, si plus cæteris diligeret. Nam qui maiorem clementiam in se domini fuit expertus, maiori amore affici iure debebat. Nam etsi cōmuniter omnes discipuli magna percussi fuerunt formidine, quādo dominus tradebatur: maius tamen crimen fuerat Petri, qui breuissimo in tēpore ter Christum negauit. Quoniam igitur maioris clementia saluatoris peccati remissionem consecutus est, iure ab eo maior repetitur dilectio. Cui enim plus remittitur, plus amare debet, vt ipse alibi dicit. Hinc Ecclesia regulam tertio interro-

Matth. 18
Matth. 12

Psalm. 127

Matth. 16

Ioannis 18

Lucæ 7

1. Theſ. 2 ant. Talis erat Paulus ille, qui compatiēbatur infirmis: qui gloriam & coronā apostolatus sui eos esse putabat, quos ad pietatē & ad virtutem prædicando reduxit. Putabat enim hunc suæ in Christum dilectionis fructum esse præcipuum. Et certè si Christus pro nobis mortuus est, quomodo de salute nostra singularē curam non habebit? Et si peccant in Christum, qui peccant in fratres suos, infirmam eorum conscientiam agitantēs: quomodo non erunt accepti domino, qui fratrum animos ad pietatem & ad virtutem conducere conantur? Terna igitur confessione Petri, trinæ negationis delictum euacuatum est. Dixit autem: Pasce agnos meos: apostolatus sibi renouans dignitatem, ne propter negationem, quæ humana infirmitate accidit, labefactata videretur.

Caput LXV.



Men amen dico tibi, cum esses iunior, cingebaste, & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet te, quo tu non vis. Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus Deum esset. Et quum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Commodè nimium dominus noster Iesus Christus magnitudinem amoris discipulorum in præsentiarū ostendit, & de pietate ipsorum testimonium perhibet: quum subaperiat, quem finem vitæ propter apostolatū habebunt. Prædixit enim Petro, quia eò ducetur: quò autem nō vis, dixit: quia nemo sanctorum sponte patitur. Sed quā muis amara mors sit, subeundam omnino tamen putauit pro veritate morituro. Quod passus non fuisset, nisi rationalium omnium cura & ardore Christi nimium feruens, errantibus viam veritatis ostēderet. Nihil enim, qui Petrum occiderunt, criminis in ipsum inferebant, nisi fidem & pietatem in Christum. Rectè autem mors Petri modò à Christo prædicatur, vt respōsio Petri vera esse confirmetur. Dicebat enim: Etiam domine, tu scis quia amo te. Non qui pro nomine Christi moriturus nunciatur, is supremo amore ipsius affici cōprobatur. Subijcit autē, sequere me: quod verbum et si cōmuniter intelligi potest, vt tanquam discipulus doctorem sequatur, subænigmaticè tamen ostendit vestigia & passionem Christi Petro sequendam esse: vt per eandem viam, opere simul atque sermone vocatorum animas iuuans, ad crucem vsq; proficiscatur: quod euenturum ait, quum Petrus senuerit.

Caput LXVI.



Onuersus autem Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna supra pectus, & dixit: Domine, quis est, qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Exiuit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur, et nō dixit ei Iesus, quia nō moritur: sed, sicut volo manere, quid ad te? Seipsum rursus Euāgelista significat. Hic enim & dilectus domini discipulus fuit, & supra pectus eius in cœna recubuit, interrogauitq; quis eum esset traditurus. Hunc igitur ita domino dilectū cū respexisset Petrus, statim interrogauit, quia vitæ illi terminus immineret. Sed quoniam curiosa magis, quā vtilis rerum alienarum inquisitio est, respondet quidem, sed ita, vt rogantis animum abducatur ad alia, nec mortis expertem futurum Ioannem ait: sed sic eum volo manere donec venio, quid ad te? id est, audisti Petre quæ ad te pertinent, cur aliena quæris? cur diuinæ iustitiæ secreta rimaris? Nā si etiam vellem minimè istū mori, quid tu vnq; emolumētū, aut quid consolationis consequeris? Non erit ergo prudens curiosus, si quid passurus sit, vtrum etiā alij eadem subibūt an non,

Ioannis 13

A an non, quum aliorum calamitate pericula sua non mitigentur. Quā muis communiter inlitum esse hominibus videatur, vt optent, si quid periculi subituri sint, non esse solos, sed cæteros etiam aut videre similia pati, aut saltem audire perpeſſos fuisset, vel omnino idem passuros.

Caput LXVII.



Hic est discipulus, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus quia verum est testimonium eius. Neminē arbitror dubitare posse, quin propter præcipuam virtutem, & paratum ad benefaciendum animum, Ioannes à Christo diligeretur. Non enim vanis affectibus, vt homines nudī, dominus mouebatur: sed rerum pondere ac virtute discipulorum, dilectionem impartiebatur. Hoc igitur veritatis prædicator de domino scripsit, testimoniumq; de his perhibuit: & scimus quia verum est testimonium eius. Nō enim fuisset à veritate dilectus, nisi lōgè ab omni falsitate esset remotus.

Caput LXVIII.



Vnt autem & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse libros, qui essent scribendi. Magna, inquit, multitudo signorum domini, & immēsus numerus est: sed hæc, quæ retulimus, sufficiunt ad plenissimam fidem attentè legentibus faciendam. Nec accusandus sum, inquit, si omnia non conscripsi. Nam si considerentur singula, nullo penitus prætermisso, orbis multitudinem librorum nō caperet. Hyperbolicè autem dicimus sermonis huius virtutem proferri. Non igitur omnia, quæ dominus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes, tam ad mores, quā ad dogmata putarunt sufficere: vt recta fide & operibus, ac virtute rutilantes, ad regnum cœlorū perueniamus, in domino nostro Iesu Christo, quo cum & per quem Deo patri gloria cum spiritu sancto, Amen.

Duodecimi & vltimi Libri in Ioannem
FINIS.

ERRATA.

Folio 7. facie 1. versu 30. lege hunc in modum, si forte correctum non est: Vixit vero Enos centum & nonaginta annis, & genuit Cainan. Factique sunt omnes dies Enos nongentorum, &c. fol. 9. fa. 2. vers. 14. Quemnam prophet. fol. 20. fa. 1. ver. 1. cum Aggar Imaelem. fol. 29. fa. 1. ver. 2. quasi amborum. fol. 64. fa. 1. ver. 2. a fine, Pectusculum. fol. 72. fa. 1. in margine, ἀποπομπῆ. fol. 117. fa. 1. ver. 7. ostentantes. fol. 129. fa. 2. ver. 9. iuxtaq; fol. 137. fa. 1. ver. 12. interrogationibus. & 18. catechumenos, nisi sit emendatum. fol. 140. fa. 2. ver. 43. iste tam. fol. 215. fa. 1. ver. 2. a fine, metiebantur. fol. 228. fa. 1. ver. 16. itidem. fol. 248. fa. 1. ver. 2. a fine, mortuus. fol. 256. fa. 1. ver. 5. morbus. Si quæ alia fuerint paragrammata, ea tu pie Lector pro tuo ipsius arbitratu corrige, ac feliciter vale.

